Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Troporvm schematvm, idiomatvmqve commvnivm liber, ex omnibvs orthodoxis Ecclesiæ patribus singulari industria tam collectus, quam in ordinem conuenie(n)tissimum, hoc est Alphabeticum, dispositus ut sine omni scrupulo studiosus rerum diuinarum, ueteris & noui Testame(n]ti scripta, quæ phrasim peculiarem & loquendi modos hebraico more proprios habere & nodos prius etiam Thoelogis summis incognitos, dissoluere queat

https://hdl.handle.net/1874/396058



Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell

Huybert van Buchell (1513-1599)

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- **de rug van het boek**
- **de kopsnede**
- **de frontsnede**
- **de staartsnede**
- **het achterplat**

This book is part of the Van Buchell Collection

Huybert van Buchell (1513-1599)

More information on this collection is available at:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- **the spine**
- **the head edge**
- **the fore edge**
- **the bottom edge**
- **the back board**

406
Pl. 3 N°. 20

1/1617



Biblia et interpretes
K 106 § 20
Folio nº. 212.

redyt Nazareth ꝺꝺ
vilipensus qui volnerit ei pre
capitare ꝺr hoc hinc. q. ꝺꝛ
abiit i alia(m) pre galylee. Et
hoc est q̃ ꝺr cũ go venisset
i galyleam, reperit eũ ad
hbeu honorifice. sd ypm a deo
missu et causa subditur cũ
oia ꝺicerent que fecerat hie
rosolimis i die festo. ipse
que erã miracula mychi dem
legis doctor credideratur sup
dem est. Ex. q. audit quo
modo ꝺr galylee illa signa vi
derant ꝺ. Et ipi venerant
ad diem festũ. Quia ipi rene
bant ꝺcere ur sup dem est.
eã venit go iterũ i cham
galylee q̃ vi aute fecerat i
mupolis ꝺr subditur ꝺbi fe
cit aquam vinũ. Et descen
mur ciuitate nazareth recedit
Q modo exponitur ab alio
dicendo q̃ non dimittit a na
zareth. ꝓ oĩ dr ꝓ hanc ꝓdam
q̃ fuit honorifice receptus ꝺbi
prius fuerat vilipensus et re
reddit. ꝓ hoc q̃ illi de gal
lea quo modo erat
illi de nazareth cũ essent
galylei fuerit i hierlm i festo
paschali. q. videntes miracula
que fecerit ihc crediderunt
eũ et honorifice receperũt
et ad hoc ꝓ applicari hĩa. ab
illo loco dr abiit i galyleam.
Quo modo nõ excipiendo
nazareth ꝺr subditur causa
q̃ ipe in ihc testimoniũ ꝓhibuit. i.

erat aute q̃ꝺ. nu
tanũ erat negotiũ i apposita
pte ꝺy subditur ꝺm go venit
i galyleam, excepterunt eũ galy
lei. honorifice quo modo
de nazareth dr eã reddit
ꝺm oia vidissent que fecerat ihc
venit go iterũ i cham galylee q̃
non nõ dimittendo se medi
tando a nazareth ꝺr ꝺm q.
sit (si de media vicinio ꝺs
nazareth q̃ cham et oia
vidi illud
Et erat quidam regu
lus cuius filius infir
batur capharnaum. De
scripta evangelio mirabi
q̃ ad locũ q̃ ipe (quem desi
bit mirabi actu). ꝺm q̃ dr
erat quidam regulus. Non
accipitur hic regulus pro ipso
rege ꝺr nõ sonare quia
rõm volentes frangere in
deor superbiam absimiliter
ab eis regiam dignitate (pes
sũ inde i myor reverentiã
videntes prencipe e obscure
cor rebellionem ꝺy q̃ illo tpe
multe rege erant i idea di
citur go iste regulus q̃ erat
officio hic ꝑatoris deputatus
ad custodiam galylee ipse go
macbar i capharnaũ que
erat metropolis illius terre
ꝺy subditur cuius filius infir
mabatur capharnaũ. Et hic
est gentilis. audito q̃
mirabilis ypi speraut ab eo
ipetre sanitate filii sui ideo

Wherstones of Records. Ly. Jour. Books.
p 225.

N. 14. A.

TROPORVM, SCHEMATVM, IDIOMATVMQVE COMMVNIVM LIBER, EX OMNIBVS ORthodoxis Ecclesiæ patribus singulari industria tam collectus, quàm in ordinem conuenientissimum, hoc est Alphabeticum, dispositus: ut sine omni scrupulo studiosus rerum diuinarum, ueteris & noui Testamenti scripta, quæ phrasim peculiarem & loquendi Modos hebraico more proprios habere, & nodos prius etiam Theologis summis incognitos, dissoluere queat.

BARPTOLEMÆO VVESTHEMERO PHORZENSI collectore.

Adiecta est Troporum nomenclatura alphabetica, unà cum Indice Sententiarum tropicarum extra alphabetum hincinde positarum.

Ioannes Sapidus Lectori Theologo. Ex dono Buchelii

Hoc Lector libro, nolis Studiose carere,
Si tangit sacræ te pia cura rei,
Hic disces nucleum fracta discludere testa
Et legere è siliquis abdita grana cauis.
Vt qui se profert alieno tectus amictu
Non subito cuiuis cognitus esse potest:
Sic & sacra sub improprijs mysteria uerbis
Elicere, ingenij non mediocris erit.
In tenebras non intellecta uocabula ducunt:
Hæc eadem lucem, sunt ubi nota, ferunt.
Hinc uideas magnos persæpe errare magistros,
Dum dubitant triuij quod capiatur iter.
Quapropter nunc hac duce cognitione Troporum,
Absque omni nodo, mystica sacra leges.
Fac eme: sed quid stas? æs profer, & accipe librum
Qui tibi, paruo emptus, commoda magna dabit.

BASILEÆ,
ANNO M. D. LI.

NICOLAVS GERBELIVS
Sacrarum literarum amatoribus
Κὐπροθέμιν.

Sed quis tam ſtupidus, uel duro pectore, quem non
Detineat ſummi regia magna Dei?
Tot lucent illic ſtellæ, tot ſydera fulgent,
Haud ſecus ac ſi ſit gemmea tota domus.
Hic ſol ingreditur puro pulcherrimus ore,
Hic aliena ferens lumina Luna nitet.
Non cœlo abſimilis genitrix rerum optima telluſ
Fert uarios flores, lilia cana, roſas.
Quinetiam teretes profert, ſua ſydera, gemmas,
Quà ſol Eoos impiger urget equos,
Ergo iubar cœli, ſeu terræ munera ſpectes,
Omnia ſuccinctus continet iſte Liber.
Scripturæ ſenſus ſol eſt, ſtellæq; figuræ,
Ad ſolem uerſi cætera ſigna Tropi.
At tibi ſint baccæ, totoq; uolumine gemmæ
Authorum ſumma uerba citata fide.
His ducibus fretus tenebris loca ſqualida cæcis,
Scripturæ ſanctæ tutus adire poteſ.

INVICTISSIMO AC POTENTISSIMO ANGLIÆ ET FRANCIÆ REGI, HYBERNIÆ DOmino Vualliæ & Cornubiæ principi, catholicæ fidei defensori EDVARDO Sexto, Barptolemæus Vuesthemerus Phorzensis, gratiam & pacem per Dominum nostrum IESVM CHRISTVM optat.

VETVS mos eorum est, qui Libros aut proprio Marte ac ingenij acumine excogitatos scribunt, aut ex aliorum operibus, apicularum more, summam rei colligunt, Serenissime, potentissime ac clemẽtissime Rex, suos labores seu fœtus ingenij Regibus, populorum gubernacula tenentibus, præcipuisq; monarchis inscribere & nuncupare, ut minore inuidia, quicquid in publicum exit, à maleuolis, qui existimationem nominis hac in re sibi quærunt, degraeuetur: quiq; nihil norunt, nec cogitant, quàm aliorum uigilias, multo (ut dicitur) oleo conquisitas, reprehendere, calumniari, proscribere, fastire, conspuere prius quàm legerint. Meritò autem hic Liber Schemata tum tuæ Maiestati regiæ offerri debet, quum iam in regno ipsius palàm & Euangelium IESV CHRISTI unici seruatoris nostri, quod CHRISTI est potentia ad salutem omni credenti, profligato Antichristo suis cum seductionibus, annuncietur, absque omni humanæ saliuæ admixtione. Editus ante multos annos fuit à me Troporum opus, sed sine dedicatione aliqua, rude adhuc exiguum & mancum. Iam tale tantumq; damus, ut cum illo altero collatum, non illud ipsum, sed planè alterum iudicari possit. Nam quicquid per humanam industriam fieri potuit, à me factum est, ut plenum atq; perfectũ sub tui felicissimi nominis auspicio in uulgus prodiret. Per multos enim annos undiq; ea omnia conquisiui, & notaui, quæ ad id exornandum & amplificandum quouis modo facere uiderẽtur. Arbitrabar enim hac ratione non solùm opus ipsum, sed etiam operis utilitatem augeri. Vsui erit hic Troporum liber omnibus modis, Theologiæ candidatis, & Hebrææ literaturæ in Regno tuo operam nauantibus, quum Hebræis ante alios consuetudo sit creberrimis uti Tropis. Est enim lingua eorum ut angusta, ita Troporum Hebraismorumq; densitate augusta, uelut enim cogit linguæ parsimonia ad Schematum usum lumenq; conuerti. Adeò magno sudore & multis ad lucernas uigilijs ex probatissimis & orthodoxis & classicis Scriptoribus, non triualibus & monasticæ factionis hominibus, quos nec Romana quantumuis sæuiat sedes, improbare potest, bona fide excerptus est. Vsui, inquam, erit omnibus Ecclesiasticis uiris, ut obscuritas omnis sacrosanctæ Scripturæ profligetur, difficultas explicetur, quæ hactenus per sexcentos annos nostra socordia è nobis profecta: deinde ex Schematismorum & modorum neglectu diuinorum enata est. Nam quàm fœdissimè hallucinati sint recentiores Theologi, quis non uidet? Et si quis adhuc non obseruare studuerit Modos loquendi, is infeliciter in Autoribus cùm profanis, tum maximè sacris, uersabitur, quum Scriptura sacra suos ubique habere Tropos & loquutiones figuratas, metaphoras, periphrases inueniatur. Et

Hebraica magnas habent emphaſes, & plus energíæ, quàm ſi ſermo ſine figura & ſimpliciter proponeretur, quæ apud inexercitatos non modicam pariunt obſcuritatem, immo non raro peruerſam Scripturæ interpretationem adferunt. Et quod maius eſt, uniuerſos ſacroſanctæ Scripturæ libros huius generis loquutionibus omnino ſcatere & abũ dare uidemus, adeò ut præcipua atque potiſſima Chriſtianæ fidei capita ſalutiſq; noſtræ, translatis loquendi modis formulisq; plerunq; explicentur. Adeò ſummæ res Tropis inuolutæ, diuinis etiam oraculis produntur. Nam ut Fabius & Cicero monuerunt, ſingulis rebus, maior quædam uenuſtas adeoq; maieſtas accedit, ſi non nudæ, ſed figuris huiuſmodi inuolutæ proponantur. Vnde Deus Opt. Max. in ijs quæ quoque precioſiſſima nobis propoſiturus erat, his uti conſueuit. Poſteaquàm enim humanum os cœpit modis, figuris ac loquutionibus orationem uelut ſtellulis, floribus aut pigmentis condire, & uariegare, Diuinam quoq; benignitatem (quæ ubique parentum inſtar nobiſcum balbutit, lingua noſtra loquitur) huc ſeſe demiſiſſe, ut ipſa nobiſcum loquens, idiotiſmis ac ſchematiſmis noſtris uteretur. Ad hæc, Hebræam linguam illud ferè proprium ac ſingulare habere conſtat, ut Tropos, id eſt, modos uerborum, & quaſi mutuationes translatasq; dicendi formulas crebrius admiſceat. Vnde factum eſt, ut CHRISTVS quoque ijs ubique ferè uſus ſit. Ex quibus iſtud indubitatum diſcimus Troporum, idiotiſmorũq; cognitionem (ut & D. Auguſtinus fatetur) quibus utuntur Hebræi ante omnia ſummopere neceſſariam eſſe omnibus ijs, qui in ſacris uerſari literis conſtituerũt. Poſtremò nullam eſſe in ſacroſanctis literis, rem tam arduam, quæ non ſit Schematum, quaſi coloribus ornata & expreſſa. His cognitis & perſpectis, ſic tua Regia Maieſtas conſtanti & inconcuſſo animo & timorem Dei & uerbum Euangelij ſacratiſſimum iam renaſcens atq; reuiuiſcens colat, atq; reuereatur, omnia uerbo Dei (quod conſolatio unica eſt languentis animæ) poſt habeat. Sola nanque fide ex uerbo Dei concepta uiuaq;, colitur Deus: & hanc tantùm inſpirat, & ex auditu uerbi ſui prodidit ipſe nobis Scripturis ſanctis: hæc excutienda, hinc (ut Conſtantinus in magna Niceæ ſynodo piè cõcionabatur Epiſcopis) petenda ſunt, quæ nos in CHRISTI religione ſequi oporteat. Habes Ezechiam, Ioſiam, Theodoſium Imperatorem laudatiſſimũ, quos tibi proponas imitandos. Nam Theodoſius, ut de eo potiſſimùm dicam, iamiam moriturus ad ſe filios Arcadium & Honoriũ (inter quos quum Imperia eſſet partitus) aduocatos, poſtremò hortatur ut pietatem & diuinam doctrinam tueri & propagare ſtudeant. Neq; enim fas eſſe arbitrabatur pius & ſanctus Imperator, Regi pietatem profitenti, quicquam aduerſus res diuinas ſtatuere, ſed potius inuiolatas conſeruare. Hac enim pietate pax, inquit, conſeruatur, & bella conficiuntur, & hoſtes uertuntur in fugam, & trophæa ſtatuuntur, & paratur uictoria. Hunc tu Sereniſſime Rex, & alios Reges imitando abſque ullo reſpectu cuiuſuis perſonæ, Regum regem CHRISTVM Dominum illuſtrabis, eiq; hac laudis

& gloriæ

gloriæ uictima sacrificabis, qua nihil gratius ei, nihil utilius tuis, nihil glorioſius tibi facere poteris. Debent enim Reges, ut Eſaias dixit, Eccleſiæ Chriſti eſſe nutritij. Quod tu quum cœperis, optime Rex, ſpero hos labores, qualeſcunque ſint, ob tenuitatem ingenij mei à tua Maieſtate minimè reiectum aut eliminatum iri: quin potius uoluntatem, quam pro republica Chriſtiana propenſam gero, te ſpectaturum eſſe confido. Pergat igitur Maieſtas tua, in emendanda Chriſti eccleſia & purganda, euerſis menſis numulariorum uendentium columbas: hoc eſt, quicquid inuenerit uerbo Dei manifeſtè aduerſum, hoc eijciat: ac ſumma moderatione citraq; tumultum in priſtinum nitorem ſplendoremq; reſtituat: à Deo Opt. Max. mercedem ampliſſimam in extremo iudicij die acceprura, quum reprobi, atq; officiorum ſuorum contemptores in ignem æternum conijcientur. Deum patrem Domini noſtri IESV CHRISTI precor, ut tuam Maieſtatem Eccleſiæ adflictæ incolumem diu conſeruet, Spiritu ſancto ſuo augeat, ut ſub Rege uerè Chriſtiano indies magis ac magis uigeat floreatq; ueritas Euangelica, quæ iam cœpit ſanctis initijs pullulaſcere.

Baſileæ, menſe Martio, Anno ſeſquimilleſimo quinquageſimo primo.

PRÆFATIO IN LIBRVM SEQVENTEM, QVA QVIS TROPORVM sit usus, atq; adeò necessitas, paucis indicatur.

QVandoquidem nemo hodie ueritatis uel mediocris indagator est, Lector candidissime, qui non sponte sua fateatur, sacrarum literarū haud postremam intelligentiæ partem, positam esse in ipsis Tropis & formulis loquendi cuiq; linguæ familiaribus, adeò, ut his ignoratis, non possint non nebulæ, eæq; densissimæ, mentibus circumfundi imprudentium: uoluimus & nos hac nostra qualicunq; opera Theologiæ candidatos uel aliqua ex parte iuuare, quo deinde in offensius in scripturarum abditis uersantes, fructum, ut speramus, non pœnitendum, minimoq; cum tædio ferant. Scimus enim non omnium fortunas tam esse splendidas, ut sibi omnes & priscorum & recentium Theologorum lucubrationes, quibus sua studia iuuent, emere possint. Quare istis ut consuleremus, laborem hunc iterum atq; iterum subire uoluimus, idq; hoc libentius, quò magis in studia pietatis promouenda totis animis propendemus. Tu, quisquis es Lector, hanc nostram operam boni consulas quæso, fauoreq; digno nos persequi ne cesses.

Sed ut ad institutum nos accingamus, scias quod Hebræi ipsi, præ cunctis gentibus quæ sub cœlo sunt, morem hunc tantum non perpetuum habent, ut in sua lingua creberrimis, iisdemq; admodum significantibus figuris & Tropis, haud ita commode in alienam linguam transfundendis, elegantissimè utuntur. Habent enim linguam ut uocabulis angustam, ita densitate Troporum & Schematum cum primis augustā: id quod fatebuntur quotquot huic addiscendæ uel pusillum operæ impenderunt. Ea autem istis suæ linguæ curta supellex est, ut non mirum sit, si ad crebriorem usum Troporum, non conuertantur dico, sed ueluti cogantur. Quia autem sic se res habet, nō luserit operam, quisquis uel ipsi linguæ addiscendæ se dedat, uel ex aliorum ceu manuductione sapiat, & ad sanum Troporum usum paulatim ipse se adsuefaciat & communiat. Iam quid Tropus sit dicendū erat: sed quia hoc ab initio libelli nostri de Tropis rectius nos facturos credebamus, in præsentia relinquimus.

Cæterum Tropi & figuræ peculiarem quādam in se naturam habent ut nemo non saltem mediocriter eruditus, illos sub uerbis latere facile per se deprehendat & intelligat, adeò se minime occultant. Verum in nullo scripturæ loco admittendus est Tropus, nisi id urgeat circunstantia uerborum euidens, & absurditas rei, manifestè in aliquem fidei articulum peccans. Nam ubiq; inhærendum est simplici, puræq; & genuinæ significationi uerborum, quam Grammatica & usus loquendi docet, atq; intellectui offert. Non autem cuiuis licet, pro sua libidine, Tropos in scripturis fingere. Alioqui quid erit scriptura tota, nisi arundo uentis agitata, aut Vertumnus aliquis? Imò nihil certi neq; statueretur, neq; probaretur in ullo fidei articulo, quod non posset aliquo Tropi commento cauillari: sicq; uniuersa sacra scriptura, hac licentia simul & semel inuerteretur. Vitari ergo debet omnis Tropus tanquam præsentissimum uenenum, quem non ipsissima scripturæ sententia euincit.

Porrò mysticas intelligentias, quia mirum in modum periculosæ sunt, magnopere fugiendas suadebit synceriſſimus quisq; Theologus, qualis Allegoria, aut huic similes sunt, (nimirum ne simplicitate genuini sensus amissa, in mortuis somnijs nostris uagemur) nisi alijs scripturæ locis apertis euincatur Allegoria esse utendum. Id quod fiet, uel euidenti circunstantia dictorum, uel manifesto aliquo scripturæ testimonio & autoritate urgente. Cæterum ad quid sana Troporum consideratio conferat, Augustinus de doctrina Christiana in hæc uerba scriptum reliquit.

D. Augu-

D. AVGVSTINVS DE VSV Troporum.

TRoporum cognitio propterea ſcripturarum ambiguitatibus diſſoluendis eſt neceſſaria, quia cum ſenſus ad proprietatem uerborum ſi accipiatur, abſurdus eſt, quærendum eſt utiq; ne forte illo uel illo Tropo dictum ſit, quod non intelligimus: & ſic pleraq; inuenta ſunt quæ latebant.

Nam loquutiones Tropicæ, ut idem de Ciuitate Dei adſerit, proprijs prophetico more miſcentur, ut ad intellectum ſpiritualem intentio ſobria, cum quodam utili & ſalubri labore perueniat. Pigritia uerò carnalis, uel ineruditæ, uel inexercitatæ, tarditas mentis, contenta literæ ſuperficie, nihil putat interius requirendum. Hæc ille.

Idem de doctrina Chriſtiana ſcribit: Tichonius quidã fecit librum, quem Regularum uocauit, quia in eo quaſdam ſeptem regulas exequutus eſt, quibus quaſi clauibus diuinarum ſcripturarum aperirentur occulta: Quarum primam ponit de Domino, & eius corpore: Secundam de Domini corpore bipartito. Tertiam de promiſſis & lege: Quartam de ſpecie & genere. Quintam de temporibus. Sextam de recapitulatione: Septimam de diabolo, & de eius corpore. Quæ quidem conſiderata, ſicut ab illo aperiuntur, non parum adiuuant ad penetranda, quæ tecta ſunt, diuinorum eloquiorũ. Quod ideò dicendum putaui, ut liber ipſe legatur à ſtudioſis, quia plurimum adiuuat ad ſcripturas intelligendas. Hactenus ille.

Sed quia, eodem teſte, non omnia quæ ita ſcripta ſunt, ut non facile intelligantur, poſſunt his regulis inueniri, ſed alijs modis pluribus, quos hoc numero ſeptenario uſque adeò non eſt complexus, ut idem ipſe multa exponat obſcura, in quibus harum regularum adhibet nullam: operæprecium erit hiſce generalibus & communioribus aliquot magis ſpeciales, ut ita dicam, addere, quibus mediocriter docti non paruum profectum ſe facturos ſciant, maxime ubi trilinguis eruditionis ſtudioſi fuerint. Neq; enim ſatis curioſi in ſeruanda uocum ſinceritate poſſumus eſſe. Quod ſimul atq; ille à ſignificatione ſpiritus detortæ fuerint, in peregrina etiam ſenſa prolabamur neceſſe eſt. Quod autem Hebræa omnium prima & communis fuerit lingua, teſtatur Auguſtinus de Ciuitate Dei, libro decimoſexto, capite undecimo. Nam huic ſi credimus, & Latinæ quidem linguæ homines, duabus alijs ad ſcripturarum cognitionem opus habent, Hebræa ſcilicet & Græca, quod ad exemplaria præcedentia recurratur, ſi quam dubitationem attulerit Latinorum interpretum infinita uarietas. Id quod & Rabanus ille, de uniuerſo ſcribens, atteſtatur in hæc uerba: Propter obſcuritatem ſanctarum ſcripturarum, trium linguarum cognitio neceſſaria eſt, ut ad alteram recurratur, ſi aliquam dubitationem nominis uel interpretationis ſermo unius linguæ attulerit. Hæc ille. Cæterum ne nimium his immoremur, præfationis loco iſta ſufficiant.

QVID LINGVARVM NOTITIA, ET NOMINVM Hebræorum interpretationes conferant.

QVid autem linguarum notitia, & nominum Hebræorum interpretationes conferant, diuus Auguſtinus libro de doctrina Chriſtiana 2 cap. 16. hoc modo ediſſerit. In translatis uerò ſignis (ait) ſi qua fortè ignota cogũt hærere lectorem, partim linguarum notitia, partim rerum inueſtiganda ſunt. Aliquid enim ad ſimilitudinem ualet, & proculdubio ſecretum quiddam inſinuat. Siloa piſcina, ubi lauare faciem iuſſus eſt, cui oculos dominus, luto de ſputo facto, inunxerat. Quod tamẽ nomẽ linguæ incognitæ niſi Euangeliſta interpretatus eſſet, tam magnus intellectus lateret. Sic etiam multa, quæ ab autoribus eorundem librorum interpretata non ſunt nomina Hebræa, non eſt dubitandum habere non paruam uim, atq; adiutorium ad ſoluenda ænigmata ſcripturarum, ſi quis poſſit ea interpretari quod nonnulli eiuſdẽ linguæ uiri periti non ſanè paruum beneficium poſteris contulerunt, qui ſeparata de ſcripturis eadem uerba omnia interpretati ſunt, & quid ſit Adam, quid Eua, quid Abraham, quid Moſes, ſiue etiam locorum nomina, quid ſit Hieruſalem, uel Syon, uel Hiericho, uel Sina, uel Libanus, uel Iordanis, uel quæcunq; alia in illa lingua.

INDEX
SCHEMATVM SEV FIGVRARVM
NOMENCLATVRA ALPHABETICA.

A Busio, Pagina 29
Acclamatio, pag. 13
Adagium 25
Adflictio 8
Adiectio syllabarum 19
Adiunctio 6
Adsimile 8
Ænigma 25
Ætiologia 12
Agnominatio 8
Allegoria 24
Allæosis 23
Amarulentus iocus 26
Amphibologia 16
Amplificatio 9
Anaclisis 11
Anadiplosis 7
Anagoge 29
Anaphora 7
Anataclisis 15
Apostrophe 14
Aposiopesis 15
Appositum 24
Articulus 9
Ascensus 29
Astismus 26
Asyndeton 9
Anteoccupatio 11
Antipophora 11
Anticipatio 12
Antimætabile 11
Antiphrasis 26
Antiposis 29
Antistasis 15.19
Antithesis 11
Antistathmisis 30
Antonomasia 22.24
Antonomasia tribus modis fit 23
Anthropopathia 16
Anersio 14
Augmentum 18
Auxesis 18

C
Catantilepsis 30
Catachresis 29
Catagoge 29
Catastrophe 17
Causæ redditio 12.18
Charcentismus 25
Chria 18
Circumitio 24
Circumloquutio 24
Climax 10
Coassumptio 12
Collatio 26.30
Combinatio 8
Comparatio 26.28.30
Comprehensio 23
Commutatio 11
Conceptio 6
Concessio 14.30
Conduplicatio 7
Confessio 19
Confictio nominis 24
Congeminatio dictionis 7
Congeries 10
Congeries uerborum 13
Coniugatio 8
Coniunctio 6
Contentio 11
Contrarium 11.16
Conuenientia 9
Conuersio 17.20
Copulatio 19
Correctio 17.29

D
Defectio 15
Demonstratio 28
Denominatio 8
Denotatio 28
Derisio hostilis 26
Descensus 29
Diacope 27
Dialogismus 13
Dialyton 9
Dialysis 27
Diaphoresis 29
Diatyposis 29
Diastole 20
Dicæologia 12.20
Differentia 29
Diminutio 13.16
Disiectio 27
Disiunctio 6
Dissolutum 9
Distributio 10
Diuisio 10

E
Elatio 17
Ellipsis 17
Emphasis 28
Enallage 19
Enantiosis 16
Epanodos 11
Epanalepsis 17
Epanorthosis 12
Energia 18
Epenthesis 7
Epexergasia 29
Epexegesis 20
Epiclisis 17
Epicherema 29
Epidiorthosis 29
Epimone 29
Epiphonema 13
Epistrophe 17
Epitasis 17
Epitheton 23
Epitrochmos 29
Epizeuxis 8
Ethopœia 9
Erotema 10.19
Eterosis 19
Euidentia 18
Excessus 28
Exclamatio 14.30
Exetasmos 29
Expositio 20
Expressio 9.28

G
Gradatio 10
Gnome 17

H
Habitus uocum 8
Homœosis 26
Homœoteleuton 8
Homœoptoton 9
Hypallage 16
Hyperbole 28
Hyperbaton 26.27
Hyperoche 17
Hypodigma 30
Hypotyposis 19
Hypozeugma 6
Hypozeuxis 6
Hysterologia 27
Hysteron proteron 27

I
Icon 26
Illusio 25
Imago 26
Iuramentum 13
Inopinatum 14
Intellectio 23
Interpositio 7

Interpretatio 20
Interrogatio 20
Inuerſio 24.30.10.27
Iocus amarulentus 26
Irmos 9
Ironia 25

L

Licentia 14
Liptote 16
Liptologia 30

M

Acrologia 16
Metamorphoſis 20
Metanæa 12
Metaphora 21
Metaphora uariè fit 21
Metatheſis 20
Metaſtaſis 10
Meriſmus 10
Meſozeugma 6
Metriaſmos 30
Metonomia 22
Mimiſis 20
Miofis 13
Modus 21
Myćteriſmus 26

N

Ominum habitus 8
Notatio 9

O

Biectio 11
Obticentia 15
Occupatio 21
Onomatopœia 24
Oppoſitio 18
Ordinis diſſolutio 16

P

Arabole 26
Paradigma 27
Paradoxon 14
Paragmenon 17
Paragoge 19
Paralepſis 10
Paramologia 19
Paroemia 25
Paroemion 8
Parrhuſia 14
Parentheſis 27
Pariſon 30
Paronomaſia 8
Periphraſis 24
Permiſſio 14
Permutatio 24
Perſonarum fictio 12
Peruerſio 27
Penſis 30
Pleonaſmos 18
Polyptoton 9
Polyſyndeton 9
Præceptio 12
Præoccupatio 5
Præcunctio 6
Præteritio 10
Præſumptio 5.12
Procatalepſis 12
Prolepſis 5
Pronominatio 22
Prophoneſis 30
Proſapodoſis 18
Proſopopœia 13
Proteron hyſteron 27
Prozeugma 6

R

Atio
Reditus
Redditio cauſæ 18
Reduplicatio 7
Regreſſio 10.11
Relatio 7
Repetitio 7.11.15.19
Reſumptio 7
Reticentia 15
Retributio 30
Reuerſio 27

S

Arcaſmos 26
Schema ſeu figura 5
Scheſis onomaton 8
Sermocinatio 13
Sententia 17
Separatio 27.28
Significatio 9
Simulatus riſus 26
Simulatio 25
Somatopœia 30
Subiectio 14
Subnexio 6
Submutatio 6
Superabundantia 18
Superiectio 28
Superlatio 29
Superpoſitio 29
Suſtentatio 14
Syndicaſmus 30
Synchoreſis 30
Syncriſis 30
Synecdoche 23
Synecdoche fit multis modis ibid.
Synthroeſmos 10
Synonymia 13

T

Apinoſis 13
Tautologia 15
Terminatio 8
Tmeſis 27
Traductio 15
Transformatio 20
Translatio 10,11,20.21
Tranſpoſitio 20,11
Tropus 21

V

Inculum 9
Vrbanitas orationis 6

Z

Zeugma 6

INDEX TROPORVM EXTRA ALPHABETICVM ORDINEM POSITORVM.

Abire in uentũ. pagina 489
abire ad inferorum portas pag. 247
abijcere oculum 343.184
abolere nomen 330
abominationes idola appellat ſcriptura 345
abluere pedes 368
abrahæ ſinus 448
abbreuiatum uerbum 490
non Abbreuiari manum dei 301
abſcondere faciem 196
abſcondere ſanguinem in terra 425
abſcondere faciem 337
abſcondere oculos 341
abſynthium, pro ſupplicio 77
abyſſus pro inferis 247
accipere ſeu recipere perſonas 350
accipere mundi ſpiritum 454
accipere animam in uano 71
accipere ſpiritum adoptionis 455
accipere ſpiritum ſanctum 455
acquieſcere, pro obedire 406
acquieſcere ueritati 406
actuale peccatum 367
accumbere menſa eadem 310
adfligere animam 70
adfligere cor ſuum 136
adhærere uel applaudere pueris alienis pag. 344
addi populo ſuo, pro mori 125
adipem uocare ſolet ſcriptura optima 375
adiungi populo, eſt mori 130
admonere, quo ſignificatu accipiatur 170
adoleſcentiæ nomine uirgo intelligitur pag. 505
adonai nomen 331
adoptionis ſpiritus 455
adorare, quale uerbum 251
adorare deum & hominem differunt 352
adſcribi in cœlo 115
adulterij nomine, omnis obſcœnitas uenit pag. 318
ædificare in petra 374
ædificare ſuper harenam 80
ænea terra, cœlum ferreum 475
ænigmata & parabolæ, fermè idem ſunt pag. 359
de Ænigmate & tropicis locutionibus 2
æquitas 262
in Aerem puluerem ſpargere 451
æs & lapis corda inſenſibilia ſignant 273
æs & ferrum calciamentum tuum 200
æthiopiæ nomine regna opulenta capiũtur 59. & 60
in Æternum uiuere 511
agere cenſum 116
agere ſabbatum 414
agger, pro refugio 61
agitare manum eſt minitari 301
agni uocabulo, pij & iuſti ueniunt 132
agnoſcere & cognoſcere differunt 124
aggrauare manum 314
alienum dicitur quod à deo inſtitutũ non eſt 159
alienus iguis 157
aliena mulier 159
alieni dij qui 159
alienum facere à ſynagogis 465
altum ſapere 425
ambulare ante faciem domini 196
ambulare humiliter coram deo 237
ambulare in umbra mortis 512
ambulare poſt peccata 366
ambulare, ſedere, aut cõuerſari, idem ſunt pag. 435
ancillæ nomen pro ſodalibus & domeſticis 442
animam leuare, eſt multum capere 277
anima pro anhelitu & ſpiritu 278
animam ſuam ſaluare 905
animam accipere in uano 61
animam in manum ponere 71
animam amare 71
animæ nomen quomodo capiatur 140
animam exterminari 192
in animam ſuam loqui 290
animam ponere in manibus 380
animam perdere 348
anima hominis 133
animam exire 190
in Animam ſuam peccare 367
anima laborauit, hoc eſt, anxia fuit uehementer 270
animam ſuam odire 343
animam inquirere 254
animam ponere 70
animam remittere 70
aniam quærere pro interficere 391
animale corpus 140
anima & ſanguis 424
animarum uotum 518
annorum in medio, qualis locutio 307
annuere oculo, eſt hypocritam agere 343
apparere ante faciem dei 157
apparere & reſpondere ex turbine 409
aperire regnum dei ſeu cœlorum 116
aperire lacum, eſt innocentem perdere 272

apertio cœlorum 116
aperire humerum 236
apertio oris 353
aperire os, eſt docere 353
item pro ludibrio habere 353
aperire oſtium fidei, pro recipere in fidem pag. 354
aperire feneſtras cœli 199
applicari ad deos, eſt in ius uocare 159
applicare mendacia 309
apprehendere manum 300
apprehendere peccatum aliquem 367
aqua felle infecta potare 383
aquæ potus continetur 357
aquarum uis, aceruum malorũ ſignat 274
aquæ appellatione potus inſinuatur 89
aquæ nomine gratia ſpiritus denotat 69
aquarum ligna 286
aquarum inũdatione, in fortunia adſimulantur 52.76
ara & thuribulum, orationes & deſideria ſanctorum ſignificantur 477
araneæ telas texere 446
ſuper Arenam ædificare 80
arenæ ſemina mandare 58
in Arena ædificare 58
arare dorſum 174
arra, pro ſpiritu ſancto 456
arcus mendax 309
arbores dei, pro altis & magnis 153
arborum nomine humana fragilitas uenit 199
argenti dictione gratia ſignificatur 224
argentum & aurum, pro ſermone & ſenſu accipiuntur 87
argentea uaſa quæ dicantur 87
argento & auro regno inſinuantur 88
arguere, pro in lucem trahere 81
aridum lignum, pro ſterili arbore 286
aries repletionis, ſeu impletionis 247
arma lucis quæ ſint 349
aſtare, pro miniſtrare 458
aſcendere ad portam: hoc eſt, ire in forum pag. 382
aſinarum pullus 296
aſpicere oculos, eſt inſidiari 342
aſpicere iniquitatem in aliquo 250
aſpicere faciem 51
aſpicere poſt cor ſuum 138
aſſyria & Babylonia, pro toto orbe poni certum eſt 89
attollere oculos 342
auertere faciem 51
aues cœli: hoc eſt, aeris 115
auferre ſanguinem noxium 425
anguſtiare, pro adfligere & triſtari 108
in Aurem loqui 290.489
aures obturare 339
aurem inclinare 249
auertere faciem 51
audire uocem domini 517
in Auribus domini loqui 290
auris pro homine 340.341
in Auribus loqui aliquorum 289
auriga & currus Iſraelis, pro gloria & ornamento populi 145
aurum puriſſimum fidei uerbum 87.224
azyma ſinceritatem adumbrat 200
azymorum dies pro paſchate 361

B

Babylonia & Aſſyria pro toto orbe ponuntur 89
baculus & uirga Hebræis robur ac potentiam ſignat 430
baculus, æquitatis & iuſtitiæ ſymbolum. pag. 430
baptizare & baptizari, quid ſit 90
baptizari in nomine Domini 90
baptizari in Chriſtũ aut mortem eius 223
baptizari ſpiritu 456
barbari uocantur Romanis omnes gentes 224
barbarus & Græcus, pro qualibet gente. pag. 224
baſiliſcus, pro diabolo intelligitur 81
baſiliſcus in bonam partem interdum accipitur 441
baſiliſci oua incubare, prouerbium 81
belial quid proprie ſignificet 205
belus primus Aſſyriorum rex 88
benedictio Dei & iuſtitia, interdum idem ſunt 265
in Benedictionibus ſeminare 436
benefacere, pro beneficio afficere 95
beneficentia, pro miſericordia & eleemoſyna 16
beneficentia dei redundans 96
benignitas animi, qualis uirtus 99
ben, uox hebraica, filium ſignificat aut natum Hebræis 227
bibere 383
bibere, pro credere 178
bibere ſanguinem Chriſti 298
bibere poculum 378
bilis pro æmulatione & inuidia 198
blandè alicui loqui 289
bonitas & fides interdum idem ſunt 339
boni corde, pro alacri corde 136
brachium domini, pro auxilio 301
brachium, pro potentia 167
breuiati dies, pro paucis 48
buxus 449

C

Calcaneum, seu calcem leuare, est contemnere 277
calciamentum soluere 449
caliginis seu noctis appellatione, calamitas & ærumnæ ueniunt 319
caligo pro calamitate & miseria 470
calicem bibere 97
caluitium pœnitentiæ signum 91
campus pro regione 61
camelum glutire 144
campi pecora 368
candace commune nomẽ omnibus Æthyopum reginis 59
caprinæ pelles, pro laceris & reiectis'q; uestibus 354
caput nudare 335
capitis rasura, miseriæ signum 61
caput leuare pro restituere in integrũ 278
à Capitis uitra ad calcei corrigiam 47
carbones igniti 103
carbo uerbi diuini symbolum 102
carbunculus uerbum diuinum præfigurat pag. 103
carbo uastatorius 103
carbones ignis 239
carmeli appellatione quid scriptura intelligat 144
carmeli dictione regio intelligitur opulenta 91
carmelum 289
carere corde 138
caro mea & os meum 353
carnis iusticiæ, pro externa iusticia 266
in carne manere 298
in carnem uenire 487
in carne uiuere 511
carnem ferrè dentibus 200
carnis uocabulum, pro ipsa lege & meritis humanis 454
carnem brachij deuorare 100
in carne uiuere, pro in humanis uiuere 511
secundum carnem uiuere 511
cataractæ cœli apertæ, qualis locutio 116
in Cathedra sedere 434
cedrorum, malorum potentia ostenditur. pag. 78
cœlorum uirtutes 506
cœli & nubes interdum idem sunt 334
ceremonia lex quæ 282
ceremoniæ quæ 262
cernere deum 156
ceruicem indurare 246
ciuitas mortis, pro ingressu inferorum 382
ceruix dura, pro contumacia 246
ceruicum catenas confringere 113
cete pro magnus regibus 278
charitatem sentire 437
charitas, spes, fides, idem sunt interdũ 202
cherubim quasi alatæ aues dicti 62
Christi sacrificium 416
in Christo manere 298
in Christo offendi 344
ad Christum uenire 488
Christum cognoscere 118
Christum sequi 439
cingere mente, est fortiter persistere 309
cinere caput conspergere 335
in cineris medio sedere 484
ciuerem in caput spargere 451
cinis uiliorem sessionem significat 414
cinerem pascere 362
cinere conspergi lugentium & pœnitentium est 415
ciuitatum nomine non tam gens, populus, quàm præsides ueniunt 303
clamare terram 475
claritas, clarificatio & gloria, idem significant 221
claudere regnum cœlorum 122
claudicare utroq; pede 368
claudi & confirmari peccatum, est implere mensuram peccatorum 338
concutere cœlum & terram 116.129
cognoscere nomen dei 331
cognoscere, pro concumbere 49
collectæ seu collectio pro eleemosyna 94
colles cultos esse 319
colere idola 236
colere terram, est inhabitare 472
collidere manus supra caput 301
collium uocabulo interdum potentes exprimuntur, item & subditi 319. & 320
colligi ad patres, seu ad populum 75
colloqui facie ad faciem 195
columnæ cœli quæ dicantur 116
columnæ terræ 472
comedere peccata populi 365
comedere panem impietatis 358
comederunt patres uuam acerbam 363
comedere librum quid sit 285
comedere terram 475
comedere pollutum panem 350
comessari, est supra modum corporis necessarium uel bibere uel edere 274
commotio capitis, contemptus signum 108
communicare, pro inquinare 437
comparationis gradibus carẽt Hebræi 127
complere sermones 440
compungi cor, est mortificare iram 138
compunctionis spiritus, pro inflexibili & duro 454

conatus, pro consilio 349
concludi in manu, est uenire in deditionem 55
confirmari huic seculo 263
confractum alligari 368
conflare gladios in uomeres, est ponere fastum 219
confidere & credere idem sunt 142
confortare lumbos 291
confortari temporibus 469
coniunctiuis carent Hebræi 464
confundere faciem 197
conscientiæ diffinitio 282
consensus irrisorum 484
in conspectu dei uiuere 510
in conspectu dei stare 458
conspuere faciem, est deludi 24
consuere saccum super cutem 415
contegere pedes, pro uentrem exonerare pag. 130
contemptores qui dicantur 242
contristari spiritum quid Paulo 451
conuerti in caput 108
cooperire pedes 368
coram Deo iustum esse 495
coram domino respondere 408
coram deo uiuere 510
coram me, pro in conspectu meo 131
coram rege stare est esse aulicum 458
coram domino, seu deo, hoc est, in negotio domini 295
coram domino stare pro ministrare & fungi officio ecclesiastico 458
cor incircumcisum, pro improbo 244
cor maris 306
super cor ponere 380
in corde & corde loqui 170
iuxta cor alicuius loqui 389
cor elatum, pro superbo 340
cordis & renum nomine adfectus & cogitationes intimæ ueniunt 406
ad cor loqui 289
in cordibus uestris loquimini super cubilia uestra 290
corripi & argui differunt 81
corporis uocabulo tota humana natura significatur 110
corpus humanum, tugurium & testaceum uas uocatur 465
corporale & spirituale sabbatum, differunt 413
corpus nomen quomodo capiatur 133
coruorum pulli 395
credere pro experiri 142
in crucifixum Christum credere 143
cultor, pro quocunq; instrumento 273
currere pedibus 369
custodire manus 304
curru secundo uehi 433
currere cum deo, est deum timere & sincere colere 65
curuus seu peruersus quis dicatur 337

D

DAbar & Amirah, interdum pro iussis & dictis accipiuntur, quandoq; uero pro promissis 280
dare, pro impetrare 509
dare uitam, pro impetrare 509
dare signa pro facere 445
dare præcepta alicui est docere 384
dare gloriam deo 221
dari dorsum 174
dare latitudinem cordis 136
dare, pro ponere 380
dare uiam in caput 498
dari scortum puero 394
declinare ad dexteram 499
declinare ad sinistram 499
deducere in lutum, idem est quod abolere 293
deducere in puteum 395
deduci ad inferos & reduci, est humiliare 247
deducere gloriam in puluerem 221
dei nomina mystica 156
deleri ex libro uiuentium quid sit 385
delictum à delinquendo 365
delicta quæ dicantur 366
denarius numerus uniuersitatis symbolon 437
denarius numerus multitudinem signat. pag. 475
dentium stridor, damnatorum cruciatus maximos designat 470
denudare brachia 100
deo seruire, regnare est 441
deorsum deorsum, qualis locutio 464
deponere cornu in puluerem 139
deponere in uallem Iosaphat 154
deponere ueterem hominem 497
deprecatio, quum petitio per aliquid urgetur 350
non derelinquere dominum 397
descendere in foueam est mori 322.208
descendere in infernum 153.247
descendere lecto, est conualescere 82
descendere in caput 108.488
desiderabile oculorum, uxor est 342.480
despicere super inimicos 500
desidium 154
destruere, pro euertere 58
destructores qui dicantur 58

detrahere

derrahere uerbo 54
deum non habere in notitia 225
deum noſſe,eſt credere 333
deum uidere 501
deum dormire 174
deum contemnere 396
deum ſuſtinere 464
deum ſeu dominum ſanctificare 421
in Deum peccare 367
deum noſtri obliuiſci 337
deum inuenire,eſt adeſſe & fauere 257
deus unde nominetur 156
deuorare brachij carnem 100
deuotio idem quod conſeruatio 155
deuorare carnes gladio 219
ad Dexteram ſedere 434
ad Dexteram dei ſedere 435
dextera domini,pro robore & fortitudine pag. 301
per Dexteram & ſiniſtram manum 304
dextera dei,filius dei dicitur 100
dextera dei 447
dextera felicitatis & dignitatis eſt 447
à Dextris & ſiniſtris 447
à Dextris ſtare,eſt interdum aduerſari 428
à Dextris ſtare 457
diaconia miniſterium à paulo appellatur pag. 316
dicere in aure & tenebris 87
dicere dei,idem quod facere 93.245
diem ſanctificare 421
diem ſabbati ſanctificare 421
ad Diem occiſionis ſanctificare 421
diem præuenire 385
dies nouiſſimi qui 409
in Dies antiquos uenire,conſeneſcere 488
dies pro annus 383
dies,gratiæ tempus & uita ſincerior 329
dierum plenus,pro ultima ſenectute 377
diem mactationis idem 416
digitus dei,pro ſpiritu ſancto 456
dilatare os,eſt facere copiam loquendi 353
dilatari cor,eſt lætari 138
dilatatio greſſuum 168
diligere deum tota anima 70
dimidium temporis ablationem & euerſionem denotat 468
dimidiata hebdomada abbreuati temporis ſymbolum 208
dimittere reliquias paruuli 361
diminuere reſponſionem, eſt pro concubitu mercedem non dare 409
diruere,abrogare eſt 294
diſtendere os 353
dogma & decretum 149
doloſa labia 270
doloris panis, pro conſcientiæ adflictione 35
domicilium terrenum pro corpore humano 475
domos in latrinas ponere 379
domus,pro affinibus & tribus 57
dominus dominorum qualis locutio 157
dominum noſſe ad faciem 331
donum liberalis delictorum condonatio 223
donum dei notatur ſpiritus ſanctus 456
dormire,pro naturali morte ſæpe ſumitur 407 50
dormire inter medios cleros 123
dormire oſſa in puluere 353
dormitionis nomen frequens in ſacris 173
dormitionis nomine mors uenit 450
dormire pro rem habere 49
dormire oſſa in puluere 353
dormientes mortui dicuntur 173
dorek latine uia 280
dorſum incuruari 291
draconum ſignificatu malicioſorum hominum uita exprimitur 460
dualis numerus frequens in ſcriptura 27
ducere iugum cum incredulis 263
dyacuſtia magiſtratum Ægyptiorum denotat 59
dynaſtæ præfecti Ægyptiorum ſunt 59

E

EBrietatis dictio ad omnes affectus & uitiorum furorem pertinet 448
ebrietatis uocabulum,pro ſeculari ſapientia 246
ecce homo,locutio contemptibilis 133
eccleſia & ſynagoga,idem 463
eccleſiam uelatam ingredi,quid ſit 486
edere,pro credere 111
edere carnem 111
edere carnem Chriſti 298
edere carnem 112
edere panem uitæ 358
educere nomen ſuper aliquem,eſt traducere 330
eduth, Latine teſtimonium & oraculum pag. 279
effodere lacum, eſt innocentem perdere. pag. 74
effodere lacum 272
elongari iudicium 262
effodere puteum ſeu foueam 395
effundi iecur,pro examinari 239
effundere animam 70
egredi bellum 92
egredi oculos præ pinguedine dicitur Hebræis 343

egredi & surgendi, est conuersari in hominibus 249
egredi, uerbum militare 190
egredi iudicium, uerbum, sermonem, causam 388
exhortari & doceri differunt 170
elementa mundi 324
eleuare caput 107
eleuare manum in cœlum 303
eleuatio manuum interdum iurãtium, interdum uerò orantium est 303
elohim diuersimode capitur 155
secundum Eloquium tuum 490
enos dicitur ab adflictione 131
epulari 294
epulari, pro festum agere 164
equi, pro humana potentia 396
equitare nubibus 334
equitare super leuem nubem 81
ericius, pro malicioso 272
eruditus sermo 440
eruere oculos 343
esse sub lege 283
esse in nationes, qualis idiotismus 327
esse sine lege 284
esse in ore 353
euangelij & legis discrimen 280
euigilare 450
euigilare quomodo dicatur deus 408
eiulatus, miseriæ indicium 91
euergetes, Ægyptiorum reges dicti 95
exacerbare deum 15
exactum tẽpus, idem quod impletũ 469
exaltare caput 107
exaltare manum, significat prævalere, potentem esse 277
exaltare animam ex inferno 71
exasperare os Domini 352
excelsa inhabitare 208
excidi de populo 381
excidere, pro obliuisci 118
excisionis libellus 406
excubiæ, pro breui momento 145
excussio pulueris 395
excutere uestimentum 497
execratio, pro sterilitate 94
exire & intrare ante populum, est præesse populo 190
exire Christi quid sit 118
exire à patre 405
exire & ingredi coram populo 249
exire & intrare, uel educere ante populum 381
exire de medio 308
exire nomen alicuius, est diuulgare 330
exitus uiarum 499
explere omnem iustitiam, qualis idiotismus 266
expandere pallium, est defendere ab iniuria 191
expandere uestimentum 497
exterminij, siue succisionis libellus 406
expandere alas 62
extendere funiculum 192
ertendere alas 62
extendere, seu mittere manus 30.304
extendere perpendiculum 142
extendere mensuram 101
extendere calciamentum 102
extendere manum in aliquem 304
extollere pro interficere 188
extollere caput 107
extrema tempora 468
extruere muros, est munire urbiũ ciues. 325
exuere hominem ueterem 497
exurgere, effectum salutis ostendere 408
exurgere & dormire differunt 174
exutio calciamentorum quid signet 102

F

Facies dei respicere 408
à Facie manus 302
faciem ponere 379
faciem illustrare 240
faciem dei seu domini quærere 346
faciem adsumere aut suscipere 464
faciem statuere, est inuertere faciem 458
faciem patris uidere 501
faciem regis uidere 501
facere in gentem 217
facere & creare differunt 141
facere iudicium 261
facere redemptionem 506
facere cum aliquo misericordiam & ueritatem 317
facere uiam 499
facere risum, est ridere 412
facere alienum à synagoga 465
facere iustitiam & iudicium 266
facere consummationem, est totum perdere 133
facere iustificationes 269
facere legem irritam 283
facere peccatum 367
facere pomum 197
facere transire, idem quod capite diminui pag. 481
facere domum, est familiam augere 171
facere pastum cum oculis 345
facere bonas lucernas 99
facere opem aut salutem 405
in Fœdere stare, est acquiescere 457
fellis dictione maledicta ueniunt 51

felle aqua infecta potare 383
fellis aqua pro supplicio 77
fœmur, principium seminandi & gignendi 475
fœmur totam genitalem partem complectitur 264
fœmori manus infligere 301
fœnum tectorum quid denotet 199
ferrea uox 239
ferrea terra 475
ferrea uirga 505
ferre crucem 479
ferre & tollere crucem differunt 143
ferre testimonium, pro annunciare 476
ferri & æris nominibus regna insinuantur 80
festa & nouilunia quid signent 414
fidei sacrificium 417
fidei nomen, pro experientia capitur 142
fideliter agere 203
fideles morbi, pro incurabilibus & durabilibus 202
fidelis sermo, pro uerace 440
figere clauem, qualis hebraismus 122
figurata locutio ubi subsit, & ubi non 3
filius olei pro pingui loco 346. 139
filius Adam: hoc est, miser 133
filij deorum 158
filius homicidæ 67
filius Belial qui 67
filius hominis uel hominum significat uilissimum in homine 134
filium dei nominari 331
filius hominis miseriam humanæ naturæ exprimit 234
filij Belial, pro perditis hominibus 92
filij alieni, qui dicantur 63
filium osculari 251
filiarum nomine uici, suburbana, uillæ exprimuntur 323
filius hominis Christus dicitur 234
finire pro perdere 86
finitum tempus, idem est quod impletum pag. 469
finitus numerus pro infinito 336
firmare faciem 197
flamma & Ignis adflictionum magnitudinem denotant 76
flumina, tribulationum magnitudinem exprimunt 76
forma libelli repudij 406
formare, creare, fingere differunt 206
fornax ferrea, pro misera seruitute 239
foueam fodere, pro necem struere 238
foueam uidere 501
frangi somnum super eum 450
fraudulenti qui 435
fremitus idem quod tumultus 212
frigoris nomine mala opa denotatur 329
fructus incircumcisus, uocatur immundus 244
fugam perire 212
fumare nares, iratorum est 326
fumigantes titiones 479
fundamenta montium absolute posita, fiduciam potestatis innuit 320
fundamenta terræ 319
fundamenta denudare, est reges deponere 107
fundere sanguinem innoxium 414
funes, funiculi, pars, calix, sors, pro eodem. pag. 192
funiculum extendere 192
furari cor 138
furore operiri 348
furti appellatione rapina, fœnus uenit 318
futura mixta cum præteritis 214

G

GAudere spe, qualis modus dicēdi 451
gemmarum nomine, res pretiosæ ueniunt 207
gentes non solum infideles, sed & populum dei Iudaicū aliquādo signant 386
gentium principes, pro principibus nationum 386
gestare animam in manibus 71
genua lubrica corroborare, est confortare manus 301
super Genibus nati 327
gigni quid Hebræis dicatur 230
gladius, pro graui dei uindicta poni 433
gladium imbui, est iustitiam exerceri 220
in Gladio uincere 511
gloriæ plenum, quid Hebræi uocent 250
gloriæ & Honoris nomine, quid Paulus intelligat 234
gradi regia & media uia 499
gradi super uentrem 475
grandinis nomine, malicia humano oftenditur 329
græcus ac Barbarus, pro qualibet gente 92
gratiæ uocabulum, pro fauore Dei erga nos gratuito 173
gratiarum actio est, quum dei beneficia recensentur 350
grauari in oculis suis 343
gustare mortem 320

H

HAbendi uerbo carent Hebræi 98
habere deum in notitia 156
habere rationem & inuisere, idē sunt 258
habere fœdus cum lapidibus 356

habitare in ſepulchris 439
habitare, pro quieſcere 434
habitare & ſedere, pro regnare 433
hæc præcepit, qualis idiotiſmus 162
hæc locutus eſt dominus 62
hæc dicit dominus 162
hæreditas & Merces pro libero dei dono accipiuntur 312
hebdomada abbreuiati temporis ſymbolum eſt 468
hebræi cognominis loco uti uocabulo filius & patris nomine 205
hœdi dictione iniuſti & impij denotatur. pag. 61
hirci terræ, principes 836
hermonim terra, pro Iudæa 472
hodie genui te, qualis idiotiſmus 230
holocauſta 417
holocauſtum totum erat domini 416
homo in tres partes diuiditur 133
hominis actiones quatuor 252
ſecundum Hominem, quod eſt humanum 234
ſecundum Hominem dico 234
hominem induere 246
ſecundum Hominem uiuere 511
horreum, regnum dei ſignat 80
hora & dies, pro tempore 167
hora nouiſſima 167
hoſtiæ ſalutares unde dictæ 355
hoſtia fidei & conuerſatio Chriſtianorum pag. 417
hukim, alij Statuta & Ceremonias reddunt 279
hukim, quare dicantur 279
humanitatis nomine omnes carnalium ſectatores ueniunt 132
humiliare animam 71
humiliatio qualis uox 190
humiliatis nomine unde ueniat 299
humanus dies, eſt approbatio humana pag. 164

I

IActare puluerem in aera, prouerbium pag. 395
iacere deus dicitur 463
idola moleſtiæ dicuntur 88
idem ſentire 437
iecur pro amore 436
in Infernum deſcendere 153
infirmare legem, eſt non implere 283
infirmitas pro peccato 272
ignis quomodo interdum capiatur 446
ignis perſequutionum ſymbolum 418
ignis dicitur ſpiritus ſanctus 455
ignitæ ſagittæ 417
igne ſalire 418
igniti carbones 103
ignorare Chriſtum 118
inhabitare excelſa 208
illuminari uultum 51
illuſores qui 297
imbuere gladium 219
imperatiua pro futuris & contrà 215
implere legem 283
implere, pro conſecrare Hebræis 377
impleri faciem ignominia 242
implere dies, pro facere diuturnos 469
impleri faciem ignominia 124
implere numerum dierum 163
implere manus ſacerdotis 303
imponere onus humeris 348
imponere nomina Hebræis familiare 330
impoſitio manuum 303
impoſitio nominum 331
imponere manum fœmori 199
improperij ſimilitudo 446
imputari iuſticiam 266
in præpoſitionem Hebræi Ablatiuis appo nunt 228
incedere pede non recto 399
incendere lucerna 290
inæquitare Cherubim 183
inclamare 455
inclinare iudicium 261.262
increpari renibus per diem 406
incuruari dorſum 174
indicatiuis præſentis temporis carent Hebræi 464
inducere peccatum ſuper aliquem 266
iuderare ceruice, eſt recuſare domino obſequi 117
indumentum calceorum quid adumbret pag. 102
induere Chriſtum 118
induere ſaccum 414
inebriari 274
infinitus pro finito 336
infirmari, pro crucifigi 398
ingredi & ſedere cum malis 434
ingredi, pro conuerſari 64
ingredi pro rem habere 49
ingredi nubibus 334
ingredi & Egredi coram populo, eſt digne præeſſe ſubditis 190
ingredi & ire uiam, idem ſunt 253
ingredi uelatam eccleſiam quid ſit 486
ingredi ante populum 179
ingredi & Egredi non poſſum 19
ingredi regnum dei 500
ingredi ſacrarium dei 415
ingredi in eccleſia eſt magiſtratu fungi 177

iniquitatis, pro pœna 381
iniquitatem & iniustitiam parturire 360
iniquitatis operarij 348
inniti super manum regis 301
iniquitatem inuenire 256
inordinati 510
inordinate uiuere 511
inquieti qui dicantur 298
inquirere animam 71
ire in uia dei 498
inscribi libro uitæ 285
insidiari sanguine 425
insidere Cherubim 183
insipientes qui 296
inspicere mutuum 500
inspectio dei 248
intelligentia differt à sapientia 426.427
interstitium, pro simultate 294
intrare in ecclesia est publico officio fungi 177
intrare uel Ingredi ecclesiam quid sit 177
intrare seu Introire, est rem habere cum aliqua 255
intrare & Exire ante populum, est præesse populo 190
intrare in ecclesiam, est administrare 255
introitus & ingressus pro prædicatione pag. 249.256.299.256
introire secundo pede 433
introire regnum dei 500
inuenire in manu 256
inuenire manum 302
inuenire gratiam in oculis alicuius, est fauorem 224
inuenire cor 136
inuenire cor suum 135
inuocare nomen dei super aliquem 331
inuenire gratiam in conspectu 224
inuocari nomen alicuius super aliquo 330
inuertere uias domini 499
ioseph, pro tribu Israel 299
ire ad patrem, qualis idiotismus 405
ire ad patres, est mori 98
iudicialis lex quæ 382
iudicium inclinare 244
in Iudicium non uenire 405
iudicare pro docere 474
in Iudicio stare 457
iuge sacrificium 417
iurandi uerbum in bonam fere partem utitur 150
iusticia & iudicium differunt 262
iustitiæ sacrificium 416
iustitia & pax 356
iusta quæ dicantur 262
ad iustitiam seminare 426
iustitiæ nomen 407
iustitiæ portæ 382
iustitiam operari 348
iustitiæ hominum labor & dolor 271

L

Labia mouere 108
labijs incircumcisus, pro infacundo sumitur 244
laboris uocabulum pro calamitate & malicia 270
lachrymarum panis pro fletu 358
lactis nomine externæ institutiones ueniunt 181
lances dolosæ 171
lapideæ tabulæ pro duro & obstinato corde 137
lapides preciosi pro diuinis eloquijs usurpatur 88
lapidis nomen multoties sumitur 329
lapidis dictionem cor uenit 60
lætari & contristari in populo suo 156
laudare uirginem, est nuptui tradere 505
laudis sacrificium 416
legis opera quæ Paulo dicantur 348
legem obsignare 338
legis & tempora mutare 468
legis nomen uarie apud iudæos accipitur pag. 281
legis nomen diuiditur in tres partes 282
legem scribere, pro uaticinari 431
legem irritam facere 248
legem tolli aut legem abrogare idem sunt pag. 248
legem stabilire uel statuere, est implere 248
legis diffinitio 187
legis gloria, potentia occidendi 220
legem ponere, est docere 380
leo quinq; nominibus illustratur in Hebræo 462
leuare caput 107
leuare oculis 343
leuare onus contra aliquem gentem 348
leuiathan qualis uox in sacris 176
leuare pedes, est proficisci 369
leuare peccatum 367
libanus regionem uberem designat 91
liberari à lege mortis 253
libyæ nomine regna opulenta declarantur 39
librum obsignare 338
librarij Iudæis, qui dicti 431
linguis loqui 290
lignum humidum, pro fructifera arbore pag. 286
lingua difficilis 167
lingua loqui 310

literæ lex 282
literæ miniſter 282
locutionis genus ante omnia conſiderandum 4
loqui mendacium 309
loqui à bono ad malum nihil 99
loqui ſuper uel ad Cor 136
loqui in conſpectu dei 134
loqui in aurem 489
loqui collo duro 125
loqui in faucibus 248
loqui in aurem, pro palam, Hebræis 87
loqui alicui in pacem 355
loqui in animam ſuam 70
loqui uiſionem cordis 508
loqui mente, eſt interpretari 287
loqui in cor, pro, amice compellare & conſolari 136
loqui lingua, eſt recenſere 287
loqui mundo ſeu in mundum 225
loqui de Turbine 483
loqui ueritatem ex corde 494
lotum eſſe, eſt credere 50
lucis arma uirtutẽ appellat Paulus 349
lucerna uerbum dei ſignat 105
lucernam parere 360
luctui apud Iudæos ſeruierunt ieiunium, cilicium, ſaccus 335
luctus, pro ieiunio 291
luctus unigeniti 513
lugere terra 472
lugentium panis 358
lumbos aperire 74
lumbos nutare, trepidare eſt fluctuare falſis opinionibus 174
lumbos aperire inimicorum, eſt infirmos facere 90
lumbos diſſoluere 53
lumbos accingere 74
lumen, conſolationem præſignat 470
lunam obnubilari, mœroris indiciũ 449
lunam non ſplendere 449
lunæ obſcuratio ultionis tempeſtatem ſignificat 292
lupi nomine mali, Onus dictione boni ueniunt 354
lunam incedere & uidere 292
lybanus, Cypariſſus 49

M

MA, qualis uox hebraica 294
macies, pro plaga uſurpatur 375
mactari pinguia eſt ſectari meliora commoda 376
magnum ſabbatum 414
maledictio pro calamitate & miſeria 94
maledicere dei 243
manducare terram, eſt terrenis paſci 475
manducare panem, quale ſchema 337
manducare iniquitatem 250
manducare Chriſtum 118
manducare carnem 112
manducare corpus 208
manere pacem ſuper aliquem 356
manere in Chriſto 159
manere in ſermone 440
manu oſculari, eſt ſua laudare 251
manus doloſa ſeu ſubdola 171
manibus opera uitam externam omnem tribuimus 375
manum leuare, curantium eſt 277
manus ſymbolum ad miſſi criminis 256
manus, pro uirtute & potentia 167
manum extendere 192
manum ponere 379
manus leuare in aliquem, eſt uiolentas manus inferre 277
manum leuare, potentiam exercere 277
manum exaltare, eſt oſtendere uirtutem 277
manum ponere, pro promittere 380
manuum impletio, initiationis & conſecrationis ſymbolum 242
manuum impoſitio presbyterorum uocatio 243
manus lauare 275
manus puras leuare, orantium eſt 277
manum imponere, eſt aliquem eccleſiæ præficere 243
manſuetus & Pauper parum inter ſe diſtant 263
mare mundum demonſtrat 376
matutina pluuia 378
matutinus imber 241
matutinum tempus 299
matutinum tempus, pro proſperitate 469
matrum nomine opulentæ ciuitates ueniunt 323
meditari & loqui, pro eodem interdum accipiuntur 288
media uia gradi 499
medium omnis terræ, pro Hieruſalem 136
mel è petra 55
mel & lac rerum abundantiã denotat 271
menſa amicitiæ ſymbolon 120
merces domini & Hæreditas domini idem ſunt 299
mereri teſtimonium pro placere & probari deo 476
metere turbine 490
metus, timor, religio, ferme idem ſunt 405
mentiri & Diuidere pro eodem accipit ſcriptura 170

millenarius numerus 336
minari gladium 220
minha dei & sacerdotum fuit 416
miserationes 507
misericordiam facere, est singulari beneficio afficere 95
misericordia qualis dictio 180
mismereth, latine obseruantia seu Custodia 280
mispat, Iudicium seu Edictum latine 279
mittere in manum 304
mittere manum in rem proximi 303
mittere lignum in panem, est uitam cruce interrumpere 285
modicum tempus, pro breuitate uitæ humanæ 468
moloch, quale idolum 482
mordere quid in sacris sonet 126
montium nomine potentes ueniunt 124
montium fumigatio 475
moralis lex, quæ dicatur 282
mori in peccato 367
mortale peccatum 367
mouere caput & labia 108
mortuorum sacrificia 417
mortui qui dicantur 174
mortuus à corde 138
mulier unde uocata 135
multum esse, pro satis esse 517
in mundum uenire 325
mundo loqui 325
de mundo non esse 325
in mundum uenire 405
mundum relinquere 405
in mundum loqui 325
munus pro sacrificio 496
munerum uir 504
muri allegorice significant duces, maiores in populis 483
mutatio numeri familiare prophetis 336

N

Naturæ lex quæ dicatur 282
natum, pro conceptũ esse ponitur 327
negatiua uehemẽtior est adfirmatiua 206
neum, latine eloquium, uerbum 280
nilus lingua maris dicitur 286
nisan Hebræis primus mensis, nobis Martius 311
noctis uocabulum pro omne tribulatione & aduersitate 162
noctis nomini præsens uita 349
nomen uidere soliti Hebræi 330
nouare nouale 333
nouũ cor : hoc est, obediens uerbo dei 137
nouissimum tempus 468
nouum nomen 331
nouissimus dies, pro uniuersali die capitur 165
nox in quatuor partes diuisa apud ueteres 145

O

Obdormiscere, pro altius contemplari pag. 174
obfirmare faciem 198
oblatio seu holocaustum ferme idem 318
obliquus seu peruersus quis 377
obliuiscitur deus nostri quando dicatur 399
obliuisci parietem 58
obliuionis terra 475
obsignaculum quid Paulo dicatur 444
obsignatio nomen spiritus sancti 455
obturare oculos 339
oculos subleuare 342
oculos eruere 343
oculos egredi præ pinguedine 343
oculos leuare 347
oculo annuere, est hypocritam agere 343
oculorum desiderabile, est uxor 342
oculorum uisio, est secundum faciem iudicare 508
oculorum lumen non mecum 292
oculos obturare 339
oculus hebræis, quod supercilium romanis 340
in oculis grauari 343
oculis pro homine 86
os in puluerem ponere 380
oculum excindere 342
oculi filia & pupilla idem 345
in oculis malum esse 296
offendi in medio tui 343
offendi in Christo 344
olam, uox qualis 229
olei appellatione rerum copia demonstratur 292
oleum lætitiæ & exultationis 456
olei filius, pro pingui loco 139
oliuæ, morum suauitas notatur 78
omnis terra 475
onus leuare, est tristia prædicere 278
operiri sanguinem à terra 425
operire faciem, est erubescere 98
operari iniquitatem est impie agere 250
in opprobrium ponere 379
optatiuis carent Hebræi 464
oraculum, hebraice Eduth 279
orare spiritu, pro halitu 454
orare spiritu 309
ordinate uiuere 511
in ore canticum ponere 379
originale peccatum 367

oris apertio & linguæ in gutture 248
orphani 501
ostendere faciem 51.196
os tuum, qualis idiotismus 517
ouium uestitus 497

P

PAcis uocabulum latissime patet 223
pacificorum sacrificia 417
pacis uia quæ 498
pactum idem quod testamentum 474
pacto stare 457
sub Pædagogo esse, idem est quod sub lege esse 283
pallium scindere 430
pallium expandere, defendere est abs iniuria 101
palmæ, imagine sanctorum, tranquillitas exprimitur 346.78
panis nomine 119
panis perfectioris iustitiæ, doctrinam significat 271
panis uocabulo, omnem commeatum & annonam Hebræi intelligunt 89
panis pro uictu uniuerso 178
panem & Cibum, pro uita accipi, constat pag. 286
parare uiam domino 499
parare puteum, est exitium struere 395
parabolæ & ænigmata ferme idem sunt pag. 359
paracletus 456
parietes dealbati 360
patris nomen Hebræis ponitur cognominis loco 205
patris nomen, est eius maiestas 331
patris uoluntatem facere 516
pro patribus surgere 463
pauere quomodo capiatur 479
pauor, timor & reuerentia idem sunt 479
paruulorum sagittæ 418
paruus pro iuniore 295
peccato mori 320
peccatoris oleum, assentatio est 345
peccatorum faciem sumere 196
peccare uoluntarie 98
peccare in spiritum sanctum 399
in Peccatis mori, est Christum non recipere 320
peccata consummari & signari 443
peccare in manu excelsa 302
Peccatum & blasphemia differunt 47
Peccato seruire, & peccare differunt 266
Peccare sub lege 283
peccatorum uia 498
peccata uoluntaria 516
sub Peccatum uenundari 490
pectus integrũ, quod omni uitio caret 254
pectus, sedes amoris 368
pedem figere 457
pedes contegere, pro aluum deijcere 130
ad Pedes esse, est discipulum esse 107
pede secundo introire 433
pedes abijcere, quid sit 50
pedes leuare, est esse uelocem in uia 277
pedes lassi 152
pede recto incedere 399
per Pedes cõiunctissima & fidissima membra 340
pedes reuelare 411
prophanare sabbatum 414
pedem tingere in oleo, qualis modus loquendi 346
pellices quæ Hebræis dicantur 129
pendere in ligno 285
pœnitudo & resipiscentia differunt 407
percutere animam 71
percutere lingua, seu ferire, est accusari 287
percutere maxillam, est contumeliose tractare 307
percutere cor suum, pro conscientia tangi pag. 136
percutere femur 501
perfodere aures, pro mancipare in seruitutem 86
pergere ad populum suum, est mori 130
periurare quomodo capiatur 150
perire gentes de terra 117
perpendiculum extendere 142
perpendiculo constituere, metiri, idem sunt 314
personam suscipere 464
peruertere iudicium 373
pestilentia orbis terrarum, impij 373
pestilentiæ cathedra 113
petitio dicitur, quũ nominamus id quod desideratur 350
petræ uocabulum multoties accipitur 273
pinguedo, pro rerum abundantia 55
pius elegans uocabulum 241
pinus 49
placet, hoc uerbum Hebræi non habent. pag. 98
plenitudo, pro durioribus fructibus 247
plenitudo terræ 475
plenus gloriæ 221
pleonexia, studium corradendi 84
plenus dierum, pro satur dierum 103
plerophoria, qualis dictio Paulo 373
plurali numero utuntur Hebræi, dum augere rem uolunt & magnificare 336
pluralis numerus, pro plurali 378
poculum bibere, passionis symbolum 96

polluere sanctuarium dei 133
polluere nomen dei 331
pollutum Iabin 269
pikud, Mandatum latine 279
poniria, pro malitia & uersutia 96
ponere scabellum, est impedire 429
ponere scabellum sub pedes 429
ponere dorsum 174
ponere signa 147
ponere cor ad sermonem 138
ponere signum in manum, est recordari 445
ponere sanguinem domui suæ 424
ponere signum cum aliquo 445
ponere circulum in naribus 326
ponere legem, est docere 283
ponere manus super oculos alicuius 303
ponere reliquias 405
ponere in aurem 86
ponere peccatum super aliquem 266
ponere manum super os 301
ponere cor super uia 138
ponere manum suam super aliquem, pro lapidare 302.303
ponere manus super oculos 343
ponere signa, pro facere 379
ponere librum in humero, qualis modus loquendi 285
ponere nomen, pro celebris fieri 346
ponere animam 70
ponere uncinum in naribus 326
ponere in cor 138
ponere manus sub fœmore 303
ponere in ore canticum 352
ponere uerba in corde 490
ponere faciem 197
poniros, pro diabolo 296
populi dei nomina 216
porneia Græcis omnem illicitam uenerē significat, & interdum pro incestum ponitur 209
portare peccatum suum 367
portentum pro miraculo 445
porta inferi seu mortis, introitus est mortis 247
in porta loqui 289
portionis appellatio quomodo capiatur. pag. 360
portæ inferorum Hebræis foueæ 207
portare iniquitatem delicti 250
poti appellatione, cupita significantur. pag. 120
præcingere lumbos 53
præcepta quæ dicantur 262
prædicare in tectis, in uulgus spargere. pag. 469
prædestinatio, & Propositum differunt. pag. 384
præterita mixta futuris 214
prætoria uia, pro imperatoria & regia uia pag. 434
præputij nomen, probrosum 120
præputiatum cor 137
præputium, pro gentili populo 120
præputium cordis, durities & cæcitas est. pag. 137
præteritum secunda persona, pro imperatiuis interdum ponitur 373
premere carnem 111
Primitiæ, & primogenitus, differunt inter se 387
primitiæ, separationes appellantur 437
primogenitus quis dicatur 514
probrosum est præputij nomen Hebræis. pag. 120
profunditatis uocabulo quid scriptura intelligat 52
promissio & testamentū pro eodem usurpat scriptura 474
prophanare, & perdere templum 446
prophanare uineam 502
prophanatores 446
prophetæ, qui abdita scripturæ norunt. pag. 415
prophetæ & sacerdotes differunt 415
prudentes qui dicantur 426
prudentia & sapientia 427
prouerbia 359
pseudochristi & pseudoprophetæ differunt 73
ptolemæus nomen commune Ægyptiorum regibus 350
puellæ nomine uirgo intelligitur 505
puellæ appellatione nubes designantur. pag. 323
puellæ appellatione uirgo uenit 55
pulus, pro terra 380
puluerem pascere 362
puluerem lingere 286
puluerem è pedibus excutere 189
super puluerem stare 462
è puluere exaltari 49
pupilli nomine desolatus & pauper uenit 133
pupillæ dictione fides insinuatur 341
puteus & lacus Hebræis 395

Q

Quàm, qualis uox & eius usus in sacris pag. 294
quàm male faciet 399
à quatuor uentis dicitur, pro à quatuor plagis 489

quærere

quærere animam 71
quærere faciem domini 396
quærere faciem dei 396
quid mihi & uobis? qualis modus dicendi pag. 399
quieſcere, pro caſtrametari 298
quieſcere deus dicitur 238.463
quieſcere ſpiritum ſuper Chriſtum 456
quieſcere peccatum in foribus 266
quomodo uos? 399

R

RAchel, pro tota Iſrael 399
rationale lac 271
rationabile obſequium, pro cultu rationali 537
rationalem cultum afferre 345
recta terra, pro uia recta 475
recordari, quale uerbum 107
rectus quis dicatur 373
rectus corde 137
rectitudo uera quæ 469
rectus qui 338
redire ad cor 137
redire ad cor & conuerti ad cor, idem ſunt pag. 135
reducere brachio extento 100
regnare peccatum 266
regem uiuere 511
regia uia gradi 499
regnum dei uidere 500
reducere ad cor 138
regulam extendere 142
regnum ſtare 457
relinqui à corde 136
relinquere mundum 118
remittere alas 62
renes ſedes cupiditatum 135
renes pro intimis affectibus & cogitationibus & oblectamentis 55.135
reprobum eſſe 480
repudij libelli forma 406
requirere ſanguinem à manibus noſtris pag. 424
reſcha, impius ſeu impietas 241
reſipiſcere, eſt redire in uiam 348
reſpicere eſt alicuius miſereri 195
reſpicere faciem dei 403
reſpondere & apparere ex turbine 74
reſurgere 463
reſuſcitare mortuos 464
reſuſcitare 409
reſurrectio mortuorũ, quõ capiatur 643
rete euangelium ſignat 376
reuelare aurem 411
reuelare gloriam dei 220
reuelatio domini, pro nouiſſimo tempore ſumitur 334
reuelatio & uiſio idem interdum ſunt 507
rigare pro docere, conſolari 576
roborare uirtutem 291
robuſtus in bonam partem & malam accipit ſcriptura 209
ros uoluntarium 379
roſarum & liliorum, doctrina ſalutifera, & odor famæ nominibus ueniunt pag. 78

S

SAbbato in ſabbatum uenire 311
ſaccus, miſeriæ indicium 91
ſaccus & cinis, pœnitẽtiæ ſymbolum 346
in Sacci ore, pro in ſummitate ſacci 350
ſacrificia pacifica, quæ 356
ſacrificium magnum, pro cæde 476
ſagitta paruulorum 361
ſalutem ponere 380
ſalus, pro auxilio 194
ſalus quomodo capiatur 405
ſanctificati 422
ſanctuarium dei polluere 133
ſanctificare templum 446
ſandalijs calciari 306
ſanguinis uoce, rancor & inuidia uenit pag. 234
ſanguinarij, inuidi & iracundi appellantur 234
ſanguis Chriſti loquitur melius quàm Abelis 290
ſanguis effuſus, mortis ſignificationem habet 424
ſanguinarij nomine iracũdus uenit 413
ſanguinem uenire ſuper aliquem 424
ſanguinem hominis requirere de manu hominis 407
ſanguinem Chriſti bibere 298
ſanguis innocens, pro interfectore innocentis 86
ſanitas orbis, ſapientes dicuntur 373
ſapere, interdum eſt efficaci animo 236
ſapientes corde, pro ingenioſi artifices pag. 158
ſapere idem 238
ſatanæ tradere 428
in Stuporem, prouerbium 193.480
ſcandalorum tria genera 429
ſceptrum, ſymbolum æquitatis & iuſtitiæ 430
ſchema: hoc eſt, figura 5
ſcientia & ſapientia inter ſe nonnunquam differunt 426
ſcindere ueſtimenta 335
ſcribi in terram 115
ſculptile, pro gloria 240

ſcuta terræ, principes 386
ſcuta terræ 320
ſeculorum ſemita, pro ſuperbia 436
in ſeculum ſeculi 246
in ſeculum 433
ſeculare ſanctum 421
ſedere ad pedes Chriſti 369
ſedere ad pedes, eſt diſcipulum agere 369
ſedere cum malis, eſt ſceleratorum inire ſocietatem 249
ſedere in cathedra Moſis 113
ſedere coram deo 495
ſedes uerſutorum 496
ſedere pro tribunali 482
ſedentes pro auditoribus 484
ſedes & ſolium, pro imperio 449
ſedere ad dexteram, ſeu à dextris 159
ſedere ad dexteram patris 119
ſedere 119
ſedere in cathedra Moſis 113
ſedere in umbra mortis 512
ſemen ſuſcitare 464
ſemen uiuificare, pro excitare poſteritatem pag. 511
ſeminari ſemine 436
ſeminare in benedictionibus 95
ſeminare ſalem 418
ſeminare in uentum 436
ſemita uitæ 498
ſentire idem 238
ſepe, angelorum cuſtodia exprimitur 294
ſemper 437
in Sempiternum 246
ſemper ſignat tempus incertæ & indefinitæ durationis 246
ſeptenarius numerus, pro maximo numero 146
ſeptimo die requieſcere 407
ſeptuagenarij abbreuiati 48
ſeptenarius numerus multiplicitatis 275
ſepulchri funes, laquei mortis, torrentes Belial, pericula nõ leuia adũbrant 439
ſepulchrum unde dictum 443
ſerere ſuper ſpinas 333
ſermonem dei teſtificari 475
ſermonem recedere, eſt obliuiſci 440
ſerotinus imber 241
ſerotina pluuia 378
ſerpens prudentiæ ſymbolum 141
ſerpentum & ſcorpionum nominibus intelliguntur omnes dæmonis artes & conatus 101
ſerpentis nomen in bono & in malo 276
ſeruare ſermonem 44
ſerui appellatione domeſtici, & ſodales ueniunt 67
ſeruilis ſpiritus, pro mala mente 455
ſeruire peccato 266
ſignare legem, eſt diligenter legem obſeruare 285
ſigna leuare, eſt ſignum militare proponere 277
ſigna ponere 379
ſignari peccatum 338
ſimilitudo pro gloria 240
ſimulachrum, pro omni cultu externo. pag. 238
ſimulachra, labores, dolores, adflictio, infelicitas dicuntur 238
ſingularis numerus pro plurali 335
ſingulare uerbum plurale addi Hebræis non infrequens 335
ſiniſtra ſeu læua, reproborũ locus. 159.160
à ſiniſtris & Dextris eſſe 159
ſinus quid Hebræis denotet 217
in ſinum immittũ manus 302
ad Sobrietatem ſapere 425
ſolem fulgere, quid ſit 292
ſolis, luminis, diei, lunæ nominibus in genere, omnes tentationes & pericula ueniunt 292
ſoluere calciamentum 102
ſoluere, eſt peccata remittere 285
ſoluere legem, eſt tranſgredi 283
ſolium & Sedes, pro imperio 433
ſuper Solium ſedere, eſt iudicem eſſe. 434
ſolium ponere, pro exercere potentiam. pag. 380.434
ſomnus, mors appellatur 321
ſomni dictio, pro morte 173
ſoporis ſpiritus 433
ſors, pars, calix, facies, funiculi, pro eodem. pag. 229
ſortem mittere, pro tradere in poſſeſſionem 112
ſororis uocabulo uicinos, cognatos intelligunt 210
ſpecies domus, eſt uxor 171
ſpeculationis dies, tempus eſt punitionis. pag. 457
ſuper ſpeculam mentis ſtare 458
ſpumarum uocabulo, ſterilitas exprimitur 78
ſpinas ſeminare 436
ſpumarum malicia ſtudiumq; nocendi nomine declaratur 78
ſpiritus eſt, quod uiuit in corde 287
ſpiritus hominis quis dicatur 72
ſpirituale corpus 140
ſpiritus nomen, pro reuelatione ſeu dogmate 454
ſpiritus hominis qui 133

ſpiritualis lex 282
ſpiritus miniſter 282
ſpiritus uocabulum commune 327
ſpiritu orare 309
ſponſus ſanguinum 425
ſponſus ſanguinis 425
ſcandalorum tria genera 429
ſponſus uir uocatur 504
ſpuere in faciem, eſt contemnere 196
ſtabilire legem, eſt implere 283
ſtare & ire, uitæ coniunctionem & morum conſpirationem denotat 257
ſtare contra ſanguinem alicuius 425
ſtatuere faciem 197
ſtatuere legem, eſt implere 248.249.283
ſtatutum & legitimum idem eſt in Moſe 284
ſtellarum obſcuratio uindictam ſummam adumbrat 292
ſtillare montes dnlcedinem 319
ſtertere in cubilibus, eſt corporis uoluptati ſtudere 274
ſtridor dentium, inferni pœnas ſignificat 410
ſtruere nidum, ſed oua non excludere 328
ſtruthio, pro ſimulatore 175
ſubleuare oculos 342
ſublimes oculi, hoc eſt, ſuperbi 340
ſuccingere lumbos 53
ſuffodere domum 349
ſuperbus oculus, pro ſublimi 340
ſuſcitare ſpiritum, eſt confortare & animare 456
non ſuſcipere faciem 196
ſumere uultum 196
ſumere faciem peccatorum 196
ſurgere, pro permanere, ſubſiſtere, ſtare 409
ſurgere mane, eſt admonere ſedulo 298
ſuſcipere faciem 51
non ſuſcipere faciem ibid.
ſuſcitare nomen fratris 330
ſurſum ſurſum, qualis locutio 152

T

TAbulæ lapideæ, pro peruicaci corde pag. 137
tacere, pro quieſcere & ſilere, hoc eſt, quietum eſſe 448
tangere montes 320
in tectis prædicare, pro palam 469.464
tegere pedes 368
tempeſtiua pluuia 378
tempus contractum, nouiſſimi dies, & nouiſſima hora idem ſunt 334
tempus modicum 468
tempus & tempora & dimidium tẽporis pag 468
tondere comam capitis 430
in tenebris dicere, qualis locutio 87
tenebrarum appellatione aduerſarius adumbratur 329
tenebræ, pro multitudine adflictionũ 292
tenebrarum opera, mala opera ſunt 349
tenere mentem Chriſti 309
tenere regulam 404
tenerum pro delicato & pingui 98
tentorij nomine, pro terrena habitatione hac ponitur 465
termini ætatum 46
terræ nomine omne terrenum & corporeum intelligitur ſcriptura 115
terram lugere 286.292
terræ inferiora 248
terram habitare 207
terræ & Cœli nomine mundus uniuerſus intelligitur 116
terra obſcurati, qui dicantur 339
in Teſtamentum manum ad fœmur ponere 475
teſtamentum & promiſſio, pro eodem accipit 474
teſtamentum ſeu pactum, interdum idem pag. 356
teſtimonium pro arca teſtimonij 79
texere telas araneæ 446
tigribus, leonibus, lupis, leopardis, impij comparantur 462
thorah quomodo apud Hebræos capiatur 281
thymiana, adumbrat orationem 477
ſeruire cum timore 478
timor apprehendit uos, qualis idiotiſmus pag. 296
timere deum cœli 156
timoris nomen, pro deſperatione 117
tinnitus aurium, pro minis 686
tinnire aures, pro conſternari, & obſtupeſieri 686
tolerantia & longanimitas Paulo differunt 288
tollere molam 318
tollere malum è medio 86
tollere clauem ſcientiæ 122
tollere de capite, eſt magiſterio deſtituere pag. 108
tollere de medio 308
tollere uirgam 464
tonitruum ratio 479
tonitruo, prædicatio comparatur 112
tradere ſatanæ 428
tradere in manus alicuius 302
tranſire ex mundo 325

transfire pro mori 325
transfire fecerunt uocem 517
transfire ſub uirga 506
transfire in baculo 89
transfire facere filium idolo 205
transfire nubem, eſt uelociter aliquid fieri 335
transfire nouaculum ſuper caput 333
tranſmutare nomina, mos fuit ueteribus 330
tremor terræ 475
tribulorum ſimilitudine malorum nocendi ſtudium exprimit 452
tribulorum ſterilitas ſignificatur nomine 78
tradi in manus domini 300
tribus diebus nemo mouit ſe de loco ſuo in quo erat 167
pro tribunali ſedere, eſt reprobos punire 482
triſtari cœlum 116
tritici nomine electi 80
troporum cognitione eſſe neceſſariam 1
tropos non eſſe mendacia,& cur figuris obteguntur ſcripturæ 1
turbine metere 490

V

VBera,pro ſumma dilectione 502
uanum uidere 501
uanum nomen qua ſignificatione accipiatur 186
uehi nubibus, repentina iudiciorum dei ultio denotatur 334
uenire in nomine domini 17.331
uenire in nomine patris 331
uenire ad aliquam 240
uenire in eccleſia 177
uenire in mundum 405
uenire ſanguinem ſuper aliquem 424
ueni poſt me,qualis hebraiſmus 385
ueni poſt me 439
uenire ad patrem 363
non uenire in iudicium 405
uenire in dies 164
uenire ad Chriſtum 118
uenire in carnem 112
uenire in manum 302
uentilabri dictione iudicium & ſermo dei ſignificatur 80
uentus & flumina , pericula deſignant. pag. 241
ſuper uentrem gradi 475
in uentum ſeminare 436
uentum paſcere 362
uerba in os ponere 380
uerbum iniquum,pro re triſti 440
uerbum ſuſcitare 464
ſecundum uerbum tuum 490
uerriculum,pro prædicatione euangelica pag. 417
uerriculum euangelium 376
ueritatem in corde loqui 289
ueritas pro fide capitur 202
ueritas & Miſericordia te non deſerent 317
ueritatem & gloriam ſcriptura coniungit 220
ueritatis ſpiritus 450
uerſari ſecundum carnem 65
ueſtem ſcindere 430
ueſpera & nox,pro infelici tempore & aduerſo 329
ueſpera,nox illa ſæpe pro aduerſo tempore accipitur 469
ueſtimentum in aera iactare 396
ueſtiri ſacco 413
uertere iudicium in amaritudinem, & iuſticiam in abſynthium 262
uertiginis ſpiritus 454
uerti menſam in laqueum 310
uerti in caput 108
uerti ſuper caput 488
uia quale nomen in ſcripturis 64
uiam domino parare 360
uictima Domini,dies feſtus idem 416
uidere regnum dei,pro ingredi 247
uidere foueam 247
uidere foueam,pro ingredi infernum 208
uidere & Credere, interdum idem ſunt. pag. 142
uidere in lumine lumen 292
uidere faciem patris 197
uidere faciem domini 197
uidere te faciam,pro oſtendere tibi 85
uidere diem filij hominis 163
uidere in inimico,uel inimicum 155
uidere deum & uocem eius 156
uiduæ nomine pauper uenit. 135
uigilare, eſt uiuere 174
uini dictione,abundantiam rerum exprimitur 212
uino aquam admiſcere, eſt deprauare cœleſte uerbum & adulterare 80
uir,ſponſus appellatur 504
uiri Belial,pro ſceleratis 92
uiri ſanguinum 425
uiſitationis uocabulum, pro tempore iræ ſeu dignæ uindictæ 154
uiſionem cordis loqui 290
uiſio,uerbum Domini dicitur 348
uiſionem obſignare 339
uitæ lignum 286
à Vitta capitis ad calcei corrigiam 47

uitis, credentium fœcunditas exprimitur. pag. 78
uiuificare Hebræis, pro incolumen esse 510
uiuificari, pro resurgere 456
uiuat & regnet rex in æternum 403
uiuentium terra 472
uiuere in uerbo dei 473
uiuere in carne 112
uiuere coram deo 134
uiuere in æternum, nihil aliud est quàm uitam æternam habere 358
uiuere ordinate ibi.
uiuere inordinate 251
uiuere legi 283. & 284
secundum deum Viuere 511
umbræ significatione, fides intelligitur 62
umbra noctis, pro nocentissima nocte usurpatur 329
umbra mortis, extrema intelliguntur 469
umbra mortis, pro seruitute gentium 513
unctionis oleum 346
unctionis nomine omne officium charitatis intelligit scriptura 343
unctionis nomen, pro spiritu sancto 456
ungulæ, pro prædicatione uerbi capiuntur 193
unicus, quale uocabulum 513
unum cor: hoc est, sincerum 137
uocari nomen alicuius super aliquem, Hebræis familiare 258
uoluntatem patris facere 193
uoluntas, pro amore 96
uoluntarie peccare 98.266.516
uorare pro insatiabili & inexplebili auaritia 518
uterus Hebræis, pro fratribus uterinis 306
uuam acerbam comederunt patres 363
uuæ sanguis: hoc est, sani 4
uuluam aperire 74
uuluæ apertura, est primogenitum esse 7
uultus gratia, fauorem significat 195
uultum sumere 196
uultum accipere 464
uultum ponere, pro firmiter statuere 379
uultum firmare in malam partem utuntur Hebræi 206.207
uultum ponere, pro firmiter statuere 318
uultum accipere 464
uultum operire 348

Z

Zedeck, latine Iustitia 280
Zelus in bonam partem accipit scriptura 59
zion mons, fidem significat 319
zizania, praui homines sunt 436

FINIS.

TROPORVM COGNITIONEM ESSE NECESSARIAM.

D. Augustin. de Doctrina Christiana, libro 3. capite 29.

TRoporum cognitionem esse necessariam scribit D. August. lib. 3. de doct. Christiana, cap. 29. Sciant (inquit) literati modis omnibus locutionis, quos Grammatici Græco nomine Tropos uocãt, autores nostros usos fuisse & multiplicatius atq; copiosius quàm possunt existimare, uel credere, qui nesciunt eos, & in alijs ista didicerunt. Quos tamen Tropos qui nouerunt, agnoscunt in literis sanctis, eorumq; scientia ad eas intelligendas aliquantũ adiuuantur. Sed hic eos ignaris tradere non decet, ne artem Grammaticam docere uideamur. Extra sanè, ut distantur admoneo, quamuis iam superius id admonuerim, id est, in secundo libro, ubi de Linguarum necessaria cognitione disserui. Nam literæ, à quibus ipsa Grãmatica nomen accepit (grãmata enim Græci literas uocant) signa utiq; sonorum sunt ad articulatam uocẽ, qua loquimur, pertinentium. Istorum autem Troporum, non solum exempla sicut omnium, sed quorundam etiam nomina in diuinis libris leguntur, sicut allegoria, ænigma, parabola. Quamuis penè omnes Tropi, qui liberali dicuntur arte cognosci, etiam in eorum reperiantur loquelis, qui nullos grammaticos audierunt, & eo quo uulgus utitur sermone, contenti sunt. Quis enim non dicit, Sic floreas? Qui tropus metaphora uocatur. Quis non dicit piscinam etiam, quæ nõ habet pisces: nec facta est propter pisces, & tamen à piscibus nomen accepit? Qui tropus, catachresis dicitur. Longum est isto modo cæteros prosequi. Nam usq; ad illos peruenit uulgi locutio, qui propterea mirabiliores sunt, quia contra quàm dicitur significant: sicuti est, quæ appellatur Ironia, uel Antiphrasis: sed Ironia pronunciatione indicat quid uelit intelligi: ut quum dicimus homini mala facienti, Res bonas facis. Antiphrasis uerò, ut contraria significet, non uoce pronunciantis efficitur, sed aut uerba habet sua, quorum origo cõtraria est, sicut appellatur lucus, quod minimè luceat. Aut consueuit aliquid ita dici, quamuis dicatur etiam non è contrario, ueluti quum quærimus accipere, quod ibi nõ est, & respondetur nobis, Abundat. Aut adiunctis uerbis facimus ut à contrario intelligatur quod loquimur, ueluti si dicamus: Caue illum, quia bonus homo est. Et quis talia non dicit indoctus, nec omnino sciens qui sint, uel quid uocentur hi tropi. Quorum cognitio propterea scripturarum ambiguitatibus dissoluendis est necessaria, quia quum sensus ad proprietatem uerborum, si accipiatur absurdus est, quærendum est utiq; ne fortè illo, uel illo tropo dictum sit, quod non intelligimus, & sic pleraq; inuenta sunt, quæ latebant.

Tropos non esse mendacia, & cur figuris obtegantur Scripturæ.

TRopos autem non esse mendacia, idem Augustinus libro unico, contra mendacium, hoc pacto scribit: Quæ (inquit) si mendacia dixerimus, omnes etiam parabolæ, ac figuræ significandarum quarumq; rerum, quæ non ad proprietatem accipiendæ sunt, sed in eis aliud ex alio est intelligendum, dicentur esse mendacia. quod absit omnino. Nam qui hoc putat tropicis etiam tam multis locutionibus, omnibus potest hanc importare calumniam, ita ut hæc ipsa quæ appellatur metaphora, hoc est, de re propria, ad rem nõ propriam uerbi alicuius usurpata translatio, possit ista ratione mendacium nuncupari. Quum enim dicimus fluctuare segetes, gemmare uites, floridam iuuentutem, niueam caniciem: proculdubio fluctus, gemmas, florem, niuem, quia in his rebus non inuenimus, in quas hæc uerba aliunde trãstulimus, ab istis mendacia putabuntur. Et petra Christus, & cor lapideum Iudæorum: item leo Christus, & leo diabolus, & innumerabilia talia dicentur esse mendacia. Quid quod hæc tropica locutio usq; ad eam peruenit, quæ appellatur Antiphrasis, ut dicatur abundare quod non est,

dicatur dulce, quod acidum est: lucus, quod non luceat, Parcæ, quod non parcant. Vnde illud est in scripturis sanctis : Si non in faciem benedixerit tibi : quod diabolus ait domino de sancto Iob, & intelligitur, maledixerit. Quo uerbo & Nabuthæi fictum crimẽ à calumniantibus nominatum est. Dictum est enim, quod benedixerit regi, hoc est, maledixerit. Hi omnes modi locutionum mendacia putabuntur, si locutio, uel actio figurata, in mendacio deputabitur. Si autem non est mendacium, quando ad intelligentiam ueritatis aliud ex alio significantia referuntur, profectò non solum id quod fecit, aut dixit Iacob patri, ut benediceretur, sed neq; illud quod Ioseph uelut illudendis locutus est fratribus, nec quod Dauid simulauit insaniam, nec cætera huiusmodi mendacia iudicanda sunt, sed locutiones actionesq; propheticæ ad ea quæ uere sunt intelligenda, referendæ. Quæ propterea figuratis uelut amictibus obteguntur, ut sensum piè quærentis exerceant, & ne nuda, ac prompta uilescant, quamuis alijs locis apertè, ac manifestè dicta didicimus : quum ea ipsa de abditis eruuntur, in nostra quodammodo cognitione renouantur, & renouata dulcescunt. Nec uidentur discentibus quod his modis obscurantur, sed commendantur magis, ut quasi subtracta, desiderentur ardentius, & inueniantur desiderata iucundius : tamen uera non falsa dicuntur, quoniam uera non falsa significantur, seu uerbo, seu facto.

De ænigmate, & tropicis locutionibus.

DE ænigmate autem & Tropicis locutionibus rursus Augustinus libro de Trinitate 15. capite 9. hoc pacto scribit, enarrans illud Apostolicum : Videmus nũc per speculum in ænigmate. Quia uerò, inquit, addit, in ænigmate, multis hoc incognitum est, qui eas literas nesciunt, in quibus est doctrina quædam de locutionum modis, quos Græci Tropos uocant, eoq; Græco uocabulo etiam nos utimur pro Latino. Sicut enim Schemata usitatius dicimus, quàm figuras, ita usitatius dicimus tropos, quàm modos. Singulorum autem modorum siue Troporum nomina, ut singula singulis referantur, difficillimum est & insolentissimum Latinè enunciare. Vnde quidam interpretes nostri, quod ait Apostolus, quæ sunt in allegoria, nolentes Græcum uocabulum ponere, circumloquendo interpretati sunt, dicentes, quæ sunt aliud ex alio significantia. Huius autẽ Tropi, id est, allegoriæ, plures sunt species, in quibus est etiam quod dicitur ænigma. Diffinitio autem ipsius nominis generalis, omnes etiam species complectatur, necesse est: ac per hoc sicut omnis equus animal est, non omne animal equus est : ita omne ænigma allegoria est, non omnis allegoria ænigma est. Quid ergo est allegoria, nisi tropus, ubi ex alio aliud intelligitur? Quale illud est ad Thessalonicenses : Itaque non dormiamus sicut & cæteri, sed uigilemus, &c. usque sobrij simus. Sed hæc allegoria non est ænigma. Nam nisi multum tardis iste sensus in promptu est. Ænigma autem est (ut breuiter explicem) obscura allegoria sicut est: Sanguisugæ erant duæ filiæ, & quæcunq; similia. Nomine igitur ænigmatis similitudo obscura, & ad perspiciendũ difficilis intelligitur. Hieronymus autem enarrans illud Apostolicum, Quæ sunt per allegoriam dicta, hoc modo scribit : allegoria propriè de arte Grammatica est & quo à metaphora, uel cæteris tropis differat, in scholis paruuli discimus. Aliud prætendit in uerbis, aliud significat in sensu. Pleni sunt oratorum & poetarum libri. Scriptura quoq; diuina per hanc non modica ex parte contexta est. Quod intelligens Paulus Apostolus ipso uerbo figuræ usus est, ut allegoriã, sicut apud suos dicitur, appellaret, quo scilicet sensu magis loci huius Græci sermonis abusionem monstraret.

Figuratum sermonem si intelligatur, illustrare scripturam, & non esse accipiendum ad literam.

VErborum translatorum (ut idem ait Augustinus lib. 3. de doctr. Christ. cap. 5.) ambiguitates, non mediocrem curam industriamq; desiderãt. Nam in principio cauẽdum est, ne figuratam locutionem ad literam accipias. Ad hoc enim pertinet quod ait Apostolus, Litera occidit, spiritus autem uiuificat. Quum enim figuratè dictũ sic accipitur, tanquam propriè dictum, carnaliter sapitur. Neque ulla mors animæ congruentius appellatur, quàm quũ id etiam quod in ea bestias antecellit, hoc est, intelligentia carni subijcitur sequendo literam. Qui enim sequitur literam, translata uerba, sicut propria tenet: neque illud, quod proprio uerbo significatur, refert ad aliam significationem:

nem: sed si sabbatum audierit, uerbi gratia, nõ intelligit nisi unum diem de septem, qui continuo uolumine repetuntur. Et quum audierit sacrificium, non excedit cogitatione illud, quod fieri de uictimis pecorum, terrenisq; fructibus solet. Ea demum est miserabilis animæ seruitus, signa pro rebus accipere, & supra creaturam corpoream oculum mentis ad hauriendum æternum lumen leuare non posse. Et capite 10. Huic autem (inquit) obseruationi, qua cauemus figuratã locutionem, id est, translatã quasi propriam sequi, adiungenda etiam illa est, ne propriam, quasi figuratam uelimus accipere. Demonstrandus est igitur prius modus inueniendæ locutionis, propria ne an figurata sit. Et iste omnino modus est, ut quicquid in sermone diuino, neq; ad morum honestatem, id est, ad diligendum Deum, & proximum, neq; ad fidei ueritatem, id est, ad cognoscendum Deum & proximum, propriè referri potest, figuratum esse cognoscas. Et cap. 11. Quicquid ergo asperũ, & quasi sæuum factu dictuq; in sanctis scripturis legitur ex persona Dei, uel sanctorum eius, ad cupiditatis regnum destruendum ualet. Quòd si perspicuè sonat, non est ad aliud referendum, quasi figuratè dictum sit, sicut est illud Apostoli: Thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua, &c. Illud autem: Qui autem Iesu Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum uitijs, & concupiscentijs. quanquam in eo quædam uerba translata tractantur, sicuti est, ira Dei, & crucifixerunt. Non tamen tam multa sunt, uel ita posita, ut obtegant sensum, & allegoriam, uel ænigma faciant, quam propriè figuratam locutionem uoco. Quod autem Hieremiæ dicitur, Ecce constitui te hodie super gentes, & regna, &c. non dubium quin figurata locutio tota sit. Et cap. 12. Quæ autem quasi flagitiosa imperitis uidentur, siue tantum dicta, siue etiam facta sunt, uel ex Dei persona, uel ex hominum, quorum nobis sanctitas commendatur, tota figurata sunt, quorum ad charitatis pastũ, enucleanda secreta sunt. Alia quippe in perditis moribus, alia in Oseæ prophetæ uaticinatione coniunctio meretricis, quæ magnæ cuiusdam rei, signum est.

Vbi figurata subsit locutio, & ubi non.

ET cap. 15. & 16. eiusdem libri: Seruabitur (inquit) in locutionibus figuratis regula huiusmodi, ut tam diu uersetur diligenti consideratione quod legitur, donec ad regnum charitatis interpretatio perducatur. Si autem hoc iam propriè sonat, nulla putetur figurata locutio. Si præceptiua locutio est, aut flagitium, aut facinus uetans, aut utilitatem, aut beneficentiam iubens, non est figurata. Si autem flagitium aut facinus uidetur iubere, aut utilitatẽ aut beneficentiam uetare, figurata est: Nisi manducaueritis (inquit) carnem filij hominis, &c. facinus, uel flagitium uidetur iubere. Figura est ergo præcipiens passioni domini esse communicandum, & suauiter atque utiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro eius crucifixa, & uulnerata sit. Ait scriptura: Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi. Hic nullo dubitante beneficentiam præcipit: sed quod sequitur, Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius, malæuolentiæ facinus putes iuberi. Ne igitur dubitaueris figuratè dictũ. Et quum possit dupliciter interpretari, uno modo ad nocẽdum, altero ad præstandum, ad beneficentiam te potius charitas reuocet, ut intelligas carbones ignis esse urentes pœnitentiæ gemitus, quibus superbia sanatur eius qui dolet se inimicum fuisse hominis, à quo eius miseriæ subuenitur. Item quum ait dominus: Qui amat animam suam, perdet eam: non utilitatem uetare putandus est, qua debet quisque conseruare animam suam: sed figuratè dictum, perdet animam, id est, perimet atq; amittet usum eius, quem nunc habet peruersum scilicet, atq; præposterum, quo inclinatur temporalibus, ut æterna non quærat Scriptum est: Da misericordiam, & ne suscipias peccatorem. Posterior pars huius sententiæ uidetur uetare beneficentiam. Ait enim: Ne suscipias peccatorem. Intelligas enim figuratè positum pro peccato peccatorem, ut peccatum eius non suscipias. Sæpe autem accidit, ut quisquis in meliori gradu spiritalis uitę, uel est, uel esse se putat, figuratè dicta esse arbitretur, quæ inferioribus gradibus præcipiuntur, ut uerbi gratia: Si cœlibem amplexus est uitam, & se castrauit propter regnum cœlorum, quicquid de uxore diligenda, & regenda sancti libri præcipiunt: non propriè, sed translatè accipi oportere contendat. Et quisquis statuit seruare innuptam uirginem suam, tanquam figuratam locutionem conetur interpretari, qua dictum est: Trade filiam & grande opus

perfeceris. Erit igitur etiam hoc in obſeruationibus intelligendarum ſcripturarum, ut ſciamus alia omnibus, communiter præcipi, alia ſingulis quibuſq; generibus perſonarum, ut non ſolum ad uniuerſum ſtatum ualetudinis, ſed etiam ad ſuam cuiuſq; membri propriam infirmitatē medicina pertineat. In ſuo quippe genere curandum eſt, quod ad melius genus non poteſt erigi. Et cap. 22. Ergo quanquam omnia uel penè omnia, quæ in ueteris teſtamenti libris geſta continentur, non ſolum propriè, ſed etiam figuratè accipienda ſint: tamen etiam illa, quæ propriè lector acceperit, ſi laudati ſunt illi, qui ea fecerunt, ſed ea tamen abhorrent à conſuetudine bonorum, qui poſt aduentum domini diuina præcepta cuſtodiunt, figurā ad intelligentiā referat factum, quū uerò ipſum ad mores non transferat. Multa enim ſunt, quæ illo tempore officioſè facta ſunt, quæ modo, niſi libidinoſè fieri non poſſunt. Si qua uerò peccata magnorum uirorum legerit, tametſi aliquam in eis figuram rerum futurarum animaduertere atque indagare poterit, rei tamen geſtæ proprietatem ad hunc uſum aſſumat, ut ſe nequaquam rectè ſuis factis iactare audeat, & præ ſua iuſtitia cæteros tanquam peccatores contemnat: quum uideat tantorum uirorum & cauendas tempeſtates, & flenda naufragia. Ad hoc enim etiam peccata illorum hominū ſcripta ſunt, ut Apoſtolica illa ſententia, ubiq; tremenda ſit, quæ ait: Qua propter qui uidetur ſtare, uideat ne cadat. Nulla enim ferè pagina eſt ſanctorum librorum, in qua non ſonet, quod Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.

Ante omnia genus locutionis conſiderandum, & idem uerbum non idem ubique ſignificare.

MAximè (inquit) inueſtigandum eſt, utrū propria ſit, an figurata locutio, quam intelligere conamur. Nam comperto, quod figurata ſit, adhibitis regulis rerum, quas in primo libro digeſſimus, facilè eſt eam uerſare omnibus modis, donec perueniamus ad ſententiam ueritatis, præſertim cum uſus acceſſerit pietatis exercitatione roboratus. Inuenimus autem utrum propria ſit, aut figurata locutio illa intuentes, quæ ſuprà dicta ſunt. Quod quum apparuerit, uerba quibus continetur, aut à ſimilibus rebus ducta inuenientur, aut ab aliqua uicinitate attingentibus. Sed quoniā multis modis res ſimiles rebus apparent, non putemus eſſe præſcriptum, id quod in alio loco res aliqua per ſimilitudinem ſignificauerit, hoc eam ſemper ſignificare credamus. Nam & in uituperatione fermentum poſuit dominus, quum diceret: Cauete à fermento phariſæorum. & in laude, quum diceret: Simile eſt regnum cœlorum mulieri, quæ abſcondit fermentum in tribus menſuris farinæ, donec fermentaretur totum. Huius igitur uarietatis obſeruatio duas habet formas. Sic enim aliud, atq; aliud res quæque ſignificant, ut aut contraria, aut tantummodo diuerſa ſignificat. Contraria ſcilicet, quum alias in bono, alias in malo, res eadem per ſimilitudinem ponitur, ſicut hoc eſt, quod de fermento ſuprà diximus. Tale eſt etiam quod leo ſignificat Chriſtum, ubi dicitur, Vicit leo de tribu Iuda. Significat & diabolum, ubi ſcriptum eſt, Aduerſarius ueſter diabolus tanquam leo rugiens circumit, quærēs quem deuoret. Ita ſerpens in bono eſt, Aſtuti, ut ſerpentes: in malo autem, ſerpens Euam ſeduxit aſtutia ſua. In bono, panis. Ego ſum panis uiuus, qui de cœlo deſcendi. In malo autem, panis, Panes occultos libenter edite. Sic & alia plurima. Et hæc quidem, quæ commemoraui minimè dubiam ſignificationem gerunt, quia exempli gratia, commemorari non niſi manifeſtiſſima debuerunt. Sunt autem quæ incertum ſit in quam partem accipi debeant, ſicut Calix in manu domini uini meri plenus mixto. Incertum eſt enim, utrum iram Dei ſignificet, non uſq; ad nouiſſimam pœnam, id eſt, uſq; ad fecem, an potius gratiam ſcripturarum, à Iudæis ad gentes tranſeunt: Quia inclinauit ex hoc in hoc, remanentibus apud Iudæos obſeruationibus, quas carnaliter ſapiunt, quia fex eius nō eſt exinanita: Quum uerò res eadem non in cōtraria, ſed tantum in diuerſa ſignificatione ponitur, illud eſt in exemplo, quod aqua, & populum ſignificat ſicut in Apocalypſi legimus, Et ſpiritum ſanctum, unde eſt illud. Flumina aquæ uiuæ fluent de uentre eius. Et ſi quid aliud, atq; aliud pro locis in quibus ponitur, aqua ſignificare intelligitur. Sic & aliæ res, non ſingulæ, ſed unaquæq; earum, non ſolum duo aliqua diuerſa, ſed etiam nonnunquam multa ſignificat pro loco ſententiæ, ſicut poſita reperitur.

Obſcura

Obſcura locis apertioribus explicanda, & eundem locum uarie intelligi poſſe, & humanis rationibus non eſſe fidendum.

VBi autem (inquit cap.26.) apertius ponuntur, ibi diſcendum eſt quomodo in locis intelligantur obſcuris. Neq; enim melius poteſt intelligi quod dictū eſt Deo: Apprehende arma, & ſcutum, & exurge in adiutorium mihi: quàm ex illo loco, ubi legitur, Domine ut ſcuto bonæ uoluntatis tuæ coronaſti nos. Hęc tamen ita, ut iam ubicunq; ſcutum pro aliquo munimento legerimus poſitum, non accipiamus niſi bonam uoluntatem Dei. Dictum eſt enim, Et ſcutum fidei, in quo poſitis (inquit) omnes ſagittas maligni ignitas extinguere: Nec rurſum ideo debemus in armis huiuſcemodi ſpiritalibus ſcuto tantummodo fidem tribuere, quum alio loco etiam lorica dicta ſit fidei. Induti, inquit, loricam fidei. Quando autem ex eiuſdem ſcripturæ uerbis, nō unum aliquid, ſed duo, uel plura ſentiuntur, etiam ſi latet quid ſenſerit ille qui ſcripſerit, nihil periculi eſt, ſi quodlibet eorum congruere ueritati ex alijs locis ſanctarum ſcripturarum doceri poteſt: id tamen eo conante qui diuina ſcrutatur eloquia, ut ad uoluntatem perueniatur autoris, per quem ſcripturam illam ſanctus operatus eſt ſpiritus, ſiue hoc aſſe quatur, ſiue aliam ſententiam de illis uerbis, quæ fidei rectæ non refragatur, exculpat, teſtimonium habens à quocunq; alio loco diuinorum eloquiorum. Ille quippe autor in eiſdem uerbis, quæ intelligere uolumus, & ipſam ſententiam forſitan uidit, & certè Dei ſpiritus, qui per eum hæc operatus eſt, etiam ipſam occurſuram lectori, uel auditori, ſine dubitatione præuidit: imò ut occurreret, quia & ipſa è ueritate ſubnixa, prouidit. Nam quid in diuinis eloquijs largius, & uberius potuit diuinitus prouideri, quàm ut eadem uerba pluribus intelligantur modis, quos alia non minus diuina conteſtantia faciant, approbari? Vbi autem talis ſenſus eruitur, cuius incertum, certis ſanctarum ſcripturarum teſtimonijs non poſſit aperiri: reſtat, ut ratione reddita manifeſtus appareat, etiamſi ille, cuius uerba intelligere quæritimus, eum fortè non ſenſit. Sed hæc conſuetudo periculoſa eſt. Per ſcripturas enim diuinas multo tutius ambulatur, quas uerbis translatis occupatas, quum ſcrutari uolumus: aut hoc inde exeat, quod non habeat controuerſiam: aut ſi habet, ex eadem ſcriptura ubicunque inuentis, atq; adhibitis eius teſtibus, terminetur.

DE SCHEMATIBVS ET FIGVRIS

EX OPTIMIS QVIBVSQVE AVTORIBVS

Liber, per Bartolemæum Vueſthemerum collectus.

SChema, quod nos habitum, uel formam, uel figuram non ineptè appellamus, eſt cōfirmatio quædam uel dictionis, uel orationis, uel ſententiæ, uulgaris ſermonis conſuetudinem excedens. Inuenimus nanque in diuinis literis, præcipuè in lingua ſancta, omnes uocum adfectiones: quomodo apud Græcos, puta Protheſes, Epentheſes, Paragogas, Aphæreſes, Synæreſes, Apocopas, Craſes. Hoc eſt, præfixiones, interpoſitiones, adpoſitiones, ablationes, ſublationes, cōtractiones, reſectiones, & his ſimilia. Cæterùm nos hic principaliores tantum figuras & tropos indicare inſtituimus: exactiorē ordinem Lector è Cicerone, Fabio, Rutilio Lupo, Iulio Ruffiniano, Sulpitio Victore, aut aliunde petere ſi uelit, poteſt. Schematum autem & Troporum ſpecies principaliores ſunt, quæ ordine ſequuntur.

¶ Prolepſis, Latinè præſumptio, anticipatio, ſeu præoccupatio rerum ſummaria, quę deinceps particulatius enarrantur. Vel quando ea quæ ſequi debēt, anteponuntur. Vel cum ante numerus redditur uerbis, quàm res perſonæ afficiantur: ut Eclo.6. Nec tantum Rhodope miratur & Iſmarus Orphæa. Et, Interea reges, ingenti mole Latinus. Æneid.12. Quadrijugo uehitur curru. Et: Bigis it Turnus in albis. Et iuxta Aſcanius magnæ ſpes altera Romæ, Procedunt caſtris. Reges dimicant, hic pro gloria, ille pro ſalute. Terent. in Heau. Nam ſi ſemel tuum animum intellexerit, prius te perditurum te tuam uiram, & prius pecuniam omnem, quàm abs te amittas filium, &c. In ſacris literis ſimile eſt illud Pſal.86. Fundamenta eius in montibus ſanctis, diligit Dominus portas Zion. Antè poſuit eius, & poſtea cuius, id eſt, Domini. Et alibi Pſal.21. Di-

uiserunt sibi uestimenta mea, & super uestem meam miserunt sortem, pro diuident & mittent. Sed placet hanc figuram fusius tractare. Hanc figuram Hebræi admodum familiarem habent, qua subiectum illud de quo aliquid prædicaturi sunt, in nominatiuo præponunt: deinde nouam orationem attexunt, in qua pro eodem subiecto relatiuum ponunt, ut: Filij hominum dentes eorum arma & sagittæ. En tibi subiectum, filios hominum. De hoc subiecto prædicaturus est propheta, quòd dentes eorum magis sint noxij quàm arma & sagittæ. Quam sententiam Latinis sic efferret. Dentes filiorum hominum arma sunt & sagittæ. At Hebr. subiectum in nominatiuo præponit: ac mox quod de illo dicturus est, cum relatiuo in obliquo adijcit. Quem modum, siue idiotismum, Prolepsim, hoc est, præsumptionem uocamus Hebraicam. Qualis apud Esaiam 7. est. Totum enim hoc: Et omnes montes qui sarculo sarriebantur: præsumptũ subiectum est. Porrò quod de eis montibus dicturus est, subiungit: Non uenies illò, Vbi illò aduerbium uice obliqui est. Quum ergo in Latinam linguam hæc sentẽtia traducenda est, non aliter dicere licebit, quàm, Ad montes autẽ, &c. non uenies. Huiusmodi uerò prolepses multas, præsertim in Psalmis inuenias, ubi uox altera ante prępositionem ponitur, quæ tamen ei perinde seruit, atq; ei quæ sequitur. Quo modo Cicero creberrime loquitur, Qua de re: pro, De qua re: Et, Re qua de agitur. Vbi præpositio post utranquè uocem, relatiui & antecedentis, ponitur.

¶ Zeugma, Latinè cõiunctio, disiunctio, ligatio, adnexio, figura quando multa pendentia, aut uno uerbo, una sententia concluduntur. Vel cum diuersæ clausulæ uni uerbo tribuuntur. Vel cum unum uerbum communiter multis sententijs iungitur ad omnes pari significatione pertinens & adnexum. Vno uerbo, ut Æneid. 3. Æneas iube & socijs & classe relicta. &, Troiugena interpres diuum, qui numina Phœbi, Qui tripodas, Clarij, lauros, qui sydera sentis, Et uolucrũ linguas & præpetis omnia pennæ. Huic simile est illud in Paulo Ephes. 4. Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à uobis. Et Psal. 21. uersu 8. ad uerbum בטח, id est, confidit uel nititur, refertur. Sententia autem, ut Psal. 14. præmittit enim, Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam, Qui loquitur ueritatem in corde suo, Qui non egit dolum in lingua sua, &c. Ad ultimum ita concludit: Qui facit hæc, non commouebitur in æternum. Hæc figura familiarior est, quàm ut opus pluribus exemplis sit. Et triplex est, uidelicet, Prozeugma, Mesozeugma, & Hypozeugma.

¶ Prozeugma, Latinè præiunctio, quoties uerbum clausulis præponitur, ut Cicero: Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia. Exempla passim in sacris literis obuia sunt.

¶ Mesozeugma, Latinè coniunctio, quum in clausularũ medio uerbum collocatur. Cuius speciosum exemplum extat apud Maronem Æneid. 3. ut in priori figura patuit.

¶ Hypozeugma, Latinè subiunctio, adiunctio, quum uerbum subiungitur in fine. Cic. in Cat. Nil ne te nocturnum præsidium palatij, nihil urbis uigiliæ, nihil timor populi, nihil cõcursus bonorum omnium, nihil hic munitissimus senatus habendi locus, nihil horum ora uultusq; mouerunt? Haud illud Esaiæ dissimile est 3. cap. Quoniam cadet Ierusalem, & Iudah corruet, &c. nihil aliud intelligit quàm regnum Iudah.

¶ Hypozeuxis, Latinè subiunctio, subnexio, figura superiori contraria, ubi singula uerba uel sententiæ, singulis quibusq; clausulis subiunguntur. Vel est cum singulis rebus sententijsq; singula debita uerba iunguntur, ut Vergil. 10. Æn. Procumbunt piceæ, sonat icta securibus ilex, Fraxineæq; trabes cuneis, & fissile robur, Scinditur, aduoluunt ingentes montibus ornos. Et: Regem adit, & regi memorat nomenq; genusq;. Quid'ue petat, quid'ue ipse ferat, Mezentius arma: Quæ sibi conciliat, uiolentaq; pectora Turn. Edocet, humanisq; quæ sit fiducia rebus Admonet, immiscetq; preces, haud fit mora Tarchon, Iungit opes, fœdusq; ferit. Tale est & illud in uerbo: ut in Psal. 144. Virtutem terribilium tuorum dicent, & magnitudinem tuam narrabunt: Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt, & iustitiã tuam exultabunt. Et Apost. 1. Cor. 15. Siue prophetiæ, inquit, euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue sciẽtia destruitur. Sententiæ, ut Psal. 26. Si cõsistant aduersum me castra, nõ timebit cor meũ. Si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo. Et Psal. 1. Beatus uir, qui non ambulauit in consilio impiorum, & in uia peccatorum non stetit, & in cathedra derisorum non sedit.

¶ Syllepsis. Latinè conglutinata cõceptio, correptio, quoties diuersi numeri clausulę

uno

uno clauduntur uerbo. Vel Syllepſis fit, quũ uerbũ duobus ſubiectis quidẽ ſeruit, ut cũ altero tantũ legitimè cõuenit. Vel cum duabus diuerſisq; ſententijs & rebus unũ datur uerbũ, minimè utriſq; conueniens, ut Æn. 2. Incluſos utero Danaos & pinea furtim. Laxat clauſtra Sinon. Laxat enim & ad Danaos referri nõ poteſt, ſicut ad clauſtra, ut Verg. in 1. Hic illius arma, hic currus fuit. Adſtipulatur illud Eſa. 22. cap. Iſthic morieris, iſthic quoq; pompa quadrigarũ tuarũ, ſupple morieẽ, hoc eſt, pro, finietur. Hoc Schema latè patet, & fieri ſolet, non ſolũ per partes orationis, ſed & per accidentia partiũ orationũ. Item Syllepſis eſt, cum ſingularis dictio plurali uerbo adiungitur: Eclog. 2. Sunt nobis mitia poma, Caſtaneæ molles, & preſſi copia lactis. Et Terent. in Andr. Quàm pridem pater mihi & mater mortui eſſent, &c. Simile eſt illud: Quũ caſus diſcrepantes in unam ſignificationẽ congregamus, ut Pſal. 77. Attendite populus meus legẽ meam. Et Pſal. 149. Ad faciendã uindictam in nationibus, increpationes in populis. Quod enim ait, ad faciendã, numeri ſingularis eſt. Quod addidit increpationes, pluralis eſt. Etiã Syllepſis in ſenſu, id eſt, ubi pro multis unus, uel pro uno multi ponũtur. Pro multis unus, ut Pſal. 77. Immiſit in eis muſcã caninã, & comedit os, rana, & exterminauit eos. Quum non unã ad exterminandos Ægyptios muſcã uel ranã, ſed innumeras immitteret. Item pro uno multi, ut Pſal. 2. Adſtiterũt reges terræ, & principes cõuenerunt in unũ aduerſus Dominũ, & aduerſus Chriſtum eius. Reges enim pro Herode: Principes pro Pilato poſitos Apoſtoli intellexerunt, quemadmodum continetur in Actibus Apoſtolicis.

¶ Epenthеſis, Latinè interpoſitio, quũ inter primã & ultimã dictionis ſyllabã adijcit litera, ut relligio, pro religio, apud Verg. Syllaba, ut induperator pro imperator, Iuuen. Schemate epentheſi Pſal. 5. uerſ. 2. uſus eſt uates, quum ait הגיגי, id eſt, meditationem meam, media litera ג duplicata, quo uim intentionemq; affectus uoluit exprimere. Et Pſal. 10. uerſ. 8. Oculi eius in pauperem intenti ſunt. Illud יצפנו A. Ezra idem eſſe putat, quod יצפו, נ per Epentheſin interiecta: nam alioqui יצפנו abſcondent, uel latebunt, non uidebunt ſignificat, צפה ſiquidẽ conſiderare, & צפן abſcondi, & latere eſt.

¶ Anadiploſis, Latinè reduplicatio, conduplicatio, ſeu congeminatio dictionis, quæ in ultima parte præcedentis uerſus, & in prima ſequentis iteratur. Vel eſt eiuſdem uerbi continuatim repetitio, ut Eclog. 2. Longum formoſè uale, uale inquit, Iola. Et: O' Corydon Corydon, quæ te dementia cœpit. Sequitur pulcherrimus Aſtur. Æneid. 10. Aſtur equo fidens, & uerſicoloribus armis. Simile eſt illud Pſalm. 149. Stantes erant pedes noſtri in atrijs tuis Hieruſalem, Hieruſalem quæ ædificatur ut ciuitas. Et Hier. 2. Me dereliquerunt fontem aquæ uiuæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere, &c. Hæc figura interdum & Latinis & Hebræis uehementiam & certitudinem adfert, Eſa. 2. Tunc tunc abijciet homo idola. Hier. 12. Poſuit eam in uaſtitatem, deſtruxit contra me uaſtitatem, Deuaſtata eſt omnis terra, quia non eſt ponens ſuper cor. Item alibi 48. eiuſdem prophetæ, Ego ſolus prædixi, ego ſolus quoq; uocabo, & adducam eum, proſperamq; faciam profectionem eius. Vim excludendi habet Eſa. 28. Interdictum ad interdictum.

¶ Anaphora, Latinè repetitio, eſt relatio eiuſdem uerbi aut ſimilis, uidelicet per principia plurimorum uerſuum. Aut, eſt eiuſdem partis orationis per diuerſa membra, ut Hor. Ode. 16. lib. 2. Ocium dies rogat in patenti, Ocium bello furioſa Thrace, Ocium Medi pharetra decori, &c. Et Ver. 1. Nate meæ uires, mea magna potentia ſolus, Nate patris ſummi qui te Tiphea temnis. Simile eſt illud Pſalm. 26. & 18. Dominus illuminatio mea & ſalus mea quem timebo. Dominus protector uitæ meæ, à quo trepidabo. Et, ſi conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum. Si exurgat aduerſum me prælũ in hoc ego ſperabo. Pſalm. 17. Dicant nunc domus Aaron quoniam in ſeculum miſericordia eius. Dicant nunc qui timent dominum, &c. Et paulò inferius, Melius eſt ſperare in domino, quàm ſperare in homine. Melius eſt ſperare in Domino, quàm ſperare in principibus.

¶ Fit autem Anaphora & in eodem uerſu per principia ſenſuum, ut: Vox Domini in magnificentia, uox Domini confringentis cedros? Quæ figura Pſalmis uſitatiſſima eſt, hanc nonnulli Epanaphoram adpellant.

¶ Epanalepſis, Latinè reſumptio, repetitio, autore Donato: nam Diomedes reclamat, cum eadem dictio uerſum & incipit, & claudit. Vel: Eſt uerbi in principio uerſus poſiti in eiuſdem fine repetitio. Interdum autem fit uno uerbo, interdum plurium uer-

borum coniunctione. Verbum sic iteratur Pythiæ, Quid contra tot res tam'que euidentes dicere potes Demosthenes? Cognitum enim est rempublicam uenalem habuisse, cognitum est. ut Vergil.12. Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa. Ante etiam sceptrum Dictæi regis,& ante. Simile est illud Phil. 4. Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete. Et in Psal.82. Deus quis similis erit tibi? ne taceas, neq; compescaris Deus. Et Esa.78.& 64. Descendas inquam, cum admirandis & inexpectatis. Sic & principium cap.2. Esaiæ, quod sermonis titulus est, siue resumptio, uerbū quod reuelatum est, Esa.28. In uidendo errant,&c.

¶ Epizeuxis, Latinè subiunctio, combinatio uel coniugatio, eiusdem scilicet uerbi sine aliqua interstitione, maioris uehementiæ gratia. Qua ratione fermè & superiores fiunt replicationes. Vel breuius. Est eiusdem uerbi in eodem uersu sine aliqua dilatione congeminatio, ut Vergil.9. Me me, adsum qui feci, in me conuertite ferrum. O' Rutuli, mea fraus omnis. Huic simile est illud Esaiæ 40.& 55. Consolamini consolamini populo meus, dicit Dominus uester. Et iterum: Eleuare eleuare, consurge Hierusalem. Et iterum: Viuens uiuens ipse confitebitur tibi. Et in Psalm. Dies diei eructat uerbum,& nox nocti indicat scientiam. Psal.108. Et tu Domine domine fac mecum. & 139. Domine uirtus salutis meæ.

¶ Paronomasia, Latinè agnominatio, adfictio, denominatio dicitur, cum iucunda quædam uocum fit collusio, significatu tamen diuerso. Vel: Quoties dictio penè similis ponitur significatione diuersa, mutata uidelicet litera uel syllaba, ut Terentius in Andr. Nam incœptio est amentium, haud amantium. Et tibi parta uerba huic homini uerbera. Et Cicero: Qui fuit locus fœlicissimus, nunc erit locus desertissimus. Et, Custodia sacrorum non honoris, sed oneris esse existimabitur. Tale quoque illud, ut in Psalmo 21. iuxta Hebraicam ueritatem. In te cōfisi sunt,& non sunt confusi. Et Apostolus Philipp.3. Videte malos operarios, uidete concisionem, nos autem sumus circumcisio, qui spiritu Deo seruimus. Psalm.144. Miserator & misericors Dominus.& 118. Bonus es tu. Quam Esaia propheta figuram elegantissimè in sua lingua confecit, ubi ait capite 5. Expectaui ut faceret iudicium, & ecce iniquitas, & iustitiam, & ecce clamor. Hebraicè enim iudicium למשפט, iniquitas משפח, iustitia לצדקה, clamor appellatur צעקה. Pulchrè itaque una uel addita, uel mutata litera sic uerborum similitudinem temperauit, ut pro למשפט, diceret משפח, & pro לצדקה, poneret צעקה. Similiter & iucunda quædam Hebraicarū uocum collusio, Genesis 30. זבד & זבל. Sic mox sequentibus אטה & יטה. Quam cæteræ linguæ adsequi non possunt. Esaiæ quinto: Æquitatem ecce querimoniam, iudicium & ecce caluitium, Genesis uigesimo septimo. Dotauit me Dominus dote bona. Et Esaiæ 12. Fiducialiter agam aut fidam eo,& non firmabo.

¶ Schesis onomaton, Latinè nominum habitus quidam, quoties uerborum multitudo eodem copulandi habitu coaceruatur. Vel est multitudo coniunctorum diuerso sono, unam rem significantium, ut hoc apud Poeram: Marsa manus, Peligna cohors, festina uirum uis. Simile illud quoq; Esa.1. Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filijs sceleratis. Et in Psalm.105. Peccauimus cum patribus nostris, iniustè egimus, iniquitatem fecimus.

¶ Parœmion, Latinè assimile, quoties multa uerba ab eodem incipientia elemento ex ordine collocantur. Breuius, Cum ab eisdem literis diuersa uerba sumuntur. O' Tite tute tanti tanta tyranne tulisti. Ennius, citante Prisciano libro duodecimo. Sic Hier.1. cap. habent Hebræi iucundum parœmion, ut: לנתוש & לנטוע extirpes moliaris. Quæ nimirum figura, quia ad positionem literarum pertinet, melius in ea lingua, qua scripta est ædita q; requiretur. Habemus tamen & in nostra translatione, unde demus exemplum, dictum est enim in Psalm. 126. & 57. Benediximus uobis de domo Domini, Deus Dominus & illuxit nobis. Et in alio: Ira illius secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ,& obdurantis aures suas.

¶ Homœoteleuton, Latinè similis terminatio, seu similiter desinēs dicitur, cum similiter uel dictiones, uel sententiæ finiunt. Vel, Quoties medica & postrema uersus siue sentētiæ simili syllaba finiunt, id est, huiusmodi. Nam respub. nostra ad hūc statū gloriq; peruenit, nō multitudine hominū, sed q ueritate legū. Ennius citante Diomede, Eos reduci q relinqui, reuehi q deseri malui. Qua figura apud Græcos insignis est Isocrates.

Simile

Simile est in Ecclesiaste: Melius est uidere quod cupias, quàm desiderare quod nescias. Et iterum: Melius est à sapiente corripi, quàm stultorum adulatione decipi. Psalm. 84. Benedixisti domine ter.tu. Remisisti iniquitatem, &c. Mitigasti, &c. Hac figura Poetæ & Oratores sæpe utuntur. Poetæ hoc modo: Peruia diuisi patuerũt cœrula ponti. Oratores uerò ita. Beatus Hiob: Deo soli agnitus in tranquillitate, ad maiorem notitiam perducendus, tactus est uerbere, ut odorem suarum uirium tanto latius spargeret, quanto maiore aromatum incensione flagraret: Quo schemate ipse qui hæc dixit, sæpissimè usus fuisse reperitur, & huiusmodi orationes esse earum, quas Hieron. cachinnas rhetorum declamationes appellat.

¶ Homœoptoton, Quum eodem casuum tenore clausula terminatur. Vel: Quum in simdes sonos exeunt dicta plurima, uel similium casuum aut similiter cadens, ut: Ennius, Mœrentes, flentes, lachrymantes, commiserantes. Et Sal. Maximis ducibus, fortibus strenuisq; ministris. Tale est etiam illud Psal. 97. Cantate, exultate & psallite. Et Ezech. 1. Quod si genuerit filium latronem, effundentem sanguinem. & paulo pòst, In montibus comedentem, & uxorem proximi sui polluentem, egenum & pauperem contristantem, rapientem, pignus non reddentem, et ad idola leuantem oculos suos, abominationem facientem, ad usuram dantem, nunquid uita uiuet?

¶ Polyptoton, Est cum diuersis casibus uariatur oratio. Vel, Multitudo (iuxta Petrum Mosellanum) casuum uarietate distincta, ut Æneid. 4. Littora litoribus, cõtraria fluctibus undas. Imprecor, arma armis, pugnent ipsiq; nepotes. Vsus est & Apostolus hac figura, Rom. 11. Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi honor & gloria, in secula seculorum. Et in Psal. 97. Niue dealbabuntur in Selmon, mons Dei, mons coagulatus, mons pinguis: ut quid suspicamini montes coagulatos, Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.

¶ Irmos, Latinè conuenientia, uinculum dicitur. Series est orationis eodem filo ad clausulam usq; protensa. Vel, est series orationis quę tenorẽ suum usq; ad ultimũ seruat, nulla uidelicet alia uel causa, uel persona mutata, ut Vergil. 7. Æneid. Principio cœlum ac terram, camposq; liquentes, Lucentemq; globum lunæ, titaniaq; astra Spiritus intus alit. Simile est illud, ut in Psal. 53. Deus in nomine tuo saluum me fac, &c. usque dum ait, Non proposuerunt Deum ante conspectum suum. Orat enim propheta, ut auxilio Domini saluatoris ab hostium insectatione liberetur. Psalm. 53. Deus in nomine tuo, & c. Et 132. Ecce quàm bonum.

¶ Polysindeton, Oratio & structura multis nexa coniunctionibus. Vel cum sententiæ multorum articulorum conuenienti copia continentur, ut Æneid. 2. Athamasq; Thoasq;, Pelidesq;, Neoptolemus, primusq; Machaon. Simile est illud in Psal. 40. Dominus conseruet eum, & uiuificet eum, & beatum faciet eum, & emundet in terra animam eius, & non tradat eum in manus inimicorum eius.

¶ Asyndeton, uel dialyton, Articulus dissolutum Latinè dicitur. Est autem figura superiori contraria, carens coniunctionibus. Vel quum multa sine coniunctione cohærent, ut: Veni, uidi, uici. Æneid. 4. Ite, ferte, citi flammas, date tela, impellite remos. Abiit, excessit, euasit, erupit. Terent. in Phorm. Persuasit homini, factum est, uentum est, uincimur, duxit. Qui color, nitor, uestitus, quæ habitudo est corporis, Terent. in Eunuch. Tale est illud in Psal. 63. Iubilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini eius, date gloriam laudi eius, dicite Deo, quàm terribilia sunt opera tua Domine. Et hac figura uix alia crebrius occurrit, ut Rom. 1. Vt faceret quæ non conueniebant, repleti omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, &c.

¶ Ethopœia, Notatio, interprete Tullio, est, cũ alicuius natura certis describitur signis, quæ sicuti notæ quædam, naturæ sunt attributa. Vel, teste Iulio Rufiniano, est alienorum affectuũ quarũlibet dictorũq; mutatio, non sine reprehensione. Vel fit quoties introducimus aliquẽ ad loquendũ, ut Psal. 80. In tribulatione inuocasti me. Latinè dicitur significatio uel expressio. Cic. pro Quint. Quod Sext. Næu. ridet nostrã amentiã, scilicet cum ab eo officia boni uiri desideramus, & quemadmodũ natus, inquit, & quemadmodum educatus sum, memini. Vetus est, de scurra diuitẽ facilius, quàm patrẽfamilias fieri posse, &c. Et Psal. 5. uers. 3. Ethopœia est. Quem enim quis aliquid, anxius orat, in eum intentos perpetuò oculos habet. Hũc habitũ, uehementiore cũ affectu expressit Psal. 69. Defecerunt oculi mei, præ expectatione ad Deũ meum, hoc est, præ nimia suspectione.

¶ Ampli-

¶ Amplificatio est, quum uerbis aut sententijs plus dicimus, quàm res ipsa uideatur poscere. Verbis amplificamus, cum grauior significantia & minor emphasis eligitur, ut plus est raptor quàm fur. Cicero in Verrem: Non enim furem, sed raptorem: non sacrilegum, &c. Verba incremento, interpretatione, correctione, denominatione, definitione, translatione augemus. Minuimus ijsdem formulis, ut Paulus transferri dicit Galatas, ab eo qui uocarit, &c. Deinde alio ait loco: Quis uos fascinauit non obedire ueritati? In minore uerbo minor est emphasis, quàm in posteriore, cæterùm res est eadem. 1. Ioan. 4. In hoc est charitas, non quod nos dilexerimus Deum, &c.

¶ Metastasis, Translatio uel transmutatio Latinè: quum alicuius rei causa confertur in locum digniorem, aut magis profuturum dicenti. Vel dum culpam nostrã in alium trãsferre conamur, ut Psal. 140. Non declines cor meum in uerba ma. ad excu. in pecca. ut: Cicero pro Marcello hortatur Cæsarem, ut tueatur uitam: non tantum sua causa, sed reipub. causa, quia maximè expediat reipub. ipsum uiuere. Et est apud Paulum trãslatio cap. 7. ad Rom. Quum dixisset lege augeri peccatum. Postea confertur causa in naturam peccatricem, non in legem, quia lex bona est.

¶ Paralepsis, Latinè præteritio, regressio, quum simulamus nos aliquid relinquere aut omittere, quod maximè objicimus. Vel est ubi quasi prætermittentes (Romano Aquila definitore) quædam nihilominus dicimus. ut: Non dicam pro quantis beneficijs talem mihi gratiam reddideris. Sic 1. Ioan. 2. cap. Quodq; omne mendacium ex ueritate non est, &c.

¶ Merismus, Latinè distributio, quum totum in partes aut membra partimur, ut: Tota respub. periclitatur. Principum autoritas labefactatur. Optimatũ consilia repudiantur. Sine scientia literarum non possunt teneri respublicæ. Facilè est infinita huius formæ exempla in sacris reperire.

¶ Erotema, id est, interrogatio, est per quam nos ipsi à nobis rationẽ poscimus, quare quidq; dicamus, & crebro nosmet à nobis petimus uniuscuiusq; propositionis explanationem, Vt Cic. pro Lig. Apud quem igitur hæc dico, nempe, apud eum qui cum hæc sciret antequam me uidit, reipub. reddidit, &c. Psal. 2. Vt quicquid congregauerũt fi gentes? Et 3. Domine quid multiplicati sunt. Sic & illud in Dauide Psalm. 3. amplificationis species uidetur esse. Si etiam me innumera millia planè obsiderẽt, ac iam undiq; cinxissent, non timerem tamen, Dei nimirum præsenti nixus præsidio: quanto magis nunc securum esse me putatis, quem nondum ita obuallatum conclusistis?

¶ Climax, interprete Tullio, gradatio. Quoties ab eo uerbo quo sensus superior claudebatur, inferior incipit, ac deinceps hoc modo quasi per gradus ascendit. Vel quum per gradus itur ab alijs ad alia, ita ut semper proximum uerbum repetatur, ut: Cicero, Secundę res pariunt negligentiam, negligentia temeritatem, temeritas euertit homines. Item aptissimum exemplum extat apud Homer. Iliad. 2. de sceptro ab Ioue in Agamemnonem usq; deducto. Sed & Vergil. in Bucol. Torua leæna lupum sequitur, lupus ipse capellam. Cicero: Quæ reliqua spes est libertatis, si illis & quod libet licet, & quod licet possunt, quod possunt audent. Nam forma quædam augendi est, qua præcedens uerbũ repetitur in hunc modum: Tribulatio efficit patientiam, patientia uerò probationem, probatio autem spem. Psal. 105. Et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum, & filiarum suarum. Et 134. Non est diuisio, neq; egrediens, neq; clamor in plateis eorum.

¶ Synathrœsmos, & epitrochasmos, congeries, frequentatio Latinis, figura propemodum superiori affinis. Est autem quando coaceruantur diuersæ res, aut plures species. Vel, est quæ singulis uerbis & plurium uerborum coniunctione fieri potest, autore Rutilo Lupo, ut Terentius Eunucho, Cætarij, lanij, coqui, fartores, piscatores, aucupes, cupediarij, concurrunt læti mihi obuiam. Et in Heau. Mea est potens, procax, magnifica, sumptuosa, nobilis. Tum quod dem ei, rectè est: nam nihil esse mihi, religio est dicere. id est, metus. Salust. de Catil. Animus audax, subdolus, uarius, cuiuslibet rei simulator ac dissimulator, alieni appetens.

¶ Tale est illud Rom. 1. Repleti omni iustitia, scortatione, uersutia, auaritia, malitia, pleni inuidia, cæde, contentione, dolo, &c. Alij Incrementum uocant, ut infrà patebit. Sic 2. Timoth. 3. Erunt homines sui amantes, auari, fastuosi, superbi, maledici, &c. Nam moles diuersæ uitiorum formæ congeruntur.

Anthi-

¶ Antithesis, Contentio seu contrarium Latinè. Quum per contraria amplificamus. Fit autem singulis uerbis, ut: seruaui, non extinxi, ut integris orationibus, ut: Si secundum carnẽ uixeritis, moriemini: si spiritu facta carnis mortificaueritis, uiuetis. Item: Adfectus carnis, mors est: adfectus spiritus, uita & pax. Item litera occidit, spiritus uiuificat, Rom. 8. Qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt, curãt, & qui secundum spiritum, quæ spiritus sunt, &c. Et Ioan. 1. Non qui ex carne, sed qui ex spiritu, &c. Cicero: In pace bellum quæritas, in bello pacem desideras. Huc pertinet illa in Corinthijs collatio sapientiæ carnis & spiritus. Item spiritualis hominis & animalis. Ita & Esa. 43. Tu uerò oppressisti in peccatis tuis, &c. Venusta Antithesi. Non obruisti me muneribus, sed sceleribus. Reges & principes uidebunt & consurgent ad adorandum, qui contempserant, oppresserunt, admirabuntur & colent. Obseruabis hoc schema accurate, qua uix alia in uarieganda locupletandaq; oratione crebrius utimur.

¶ Antimetabole, Latinè Commutatio, Fabio autore, & inuersio. Sulpitio Victori metathesis, Latinè uerò translatio. Est cum inuertitur aliqua sententia per contrariam, ut: Esse oportet, ut uiuas, non uiuere ut edas. Cuiusmodi poemata uolebã, facere non possum, cuiusmodi possum, nolo. Si poema loquens picturæ est, pictura tacitũ poema debet esse. Vel fit contrarijs transpositis, ut: inimicis te placabilem, amicis exorabilem præbes. Labor est etiam ipsa uoluptas. Alijs Anaclisis dicitur. Simile est illud Rom. 2. Non ij qui legem faciunt iusti sunt, sed qui iusti sunt legem faciunt. Et Hier. 28. Ecce ego mittam te, sed è terra. Prius dixerat propheta, Dominus non misit me. Nunc eodem uerbo utitur, sed in malo. Non es missus ad prophetandũ, sed mitteris ad pereundum. Rom. 2. Si circumcisio præuaricatoris præputium fit, consequitur, ut præputium obseruans legis fiat circumcisio. Aristot. Beati quorum fortunæ sapientia: & quorum sapientiæ fortuna suppeditat. Psal. 5. Verba mea auribus percipe domine, intellige clamorem meum. Intende uoci, &c. Quod totum ad unam respicit petitionem. Ac si dicat: Exaudi orationem meam. Et 68. Non me demergat.

¶ Epanodos, Latinè regressio, reditus, id est, repetitio rerum quę iunctim dictæ sunt, ut Psalm. 113. Quid est tibi mare, quod fugisti. A' Græcis autoribus dicitur per prolepsin diuersum quiddã in partibus significare. ut: Vicerunt Romani, mari Carthaginenses, terra Gallos. Est aptissima hæc in Paulo epanodos, Christi bonus odor sumus deo, alijs quidem odor mortis in mortem, alijs autem uitæ in uitam. Et 1. Corinth. 2. Porrò sapientiam loquimur inter perfectos: sapientiam autẽ non seculi huius, &c. Fabius multas Epanodi formas recẽset, quæ ad repetitionem schema lexeos pertinent, ut Magnus est labor dicendi, magna res est. Vel traductio, teste Cicerone, quæ facit, ut quum idem uerbum crebrius ponatur, non modo offendat animum, sed etiam communiorem orationem reddat. hoc pacto: Qui nihil habet in uita, iucundius uita, is cum uirtute uitam non potest colere.

¶ Anthypophora, Latinè obiectio, anteoccupatio, oppositio, qua uelut concedimus quiddam ab aduersario propositum, sed subijcimus aliud, quod ad nos detorquemus aduersarij obiectionem. ut: Incredibile est, quod dico, sed uerũ. Vergilius: Sed perijsse semel satis est, peccare fuisse ante satis. Difficilis est labor docendi linguas, sed necessarius. Nam alterum est uelut ab aduersario oppositũ, in altero opponimus rursus quiddam aduersario. Fit item quũ quæstio quæstioni opponitur. Sic 1. Ioan. 4. tacitæ quæstioni occurrit. Per hoc cognoscite spiritũ Dei, omnis qui confiteẽ Iesum Christũ in carne uenisse, ex deo est, &c. Talem anthypophorã reperis apud Ezech. cap. 2. uer. 5. Sic Esa. 6. Vę mihi, quia tacui, quod uir pollutus labijs ego sum. Reputabat enim Esaia suam secum infirmitatem. Quumq; iam occurreret cogitatio quæ diceret: Populi causa, nõ propter te, ostenditur tibi sacramentum. Respondet: At populus non minus pollutus est quàm ego. Quod occupationis genus Vlpianus in Demosthene Antipipton, id est, obiter occurrens uocat. Neque aliter differt ab Antypophoras quam Fabius anteoccupationem interpretatus, quàm quod hæc est apertior & dignior: illud autem obscurius, & nõ tam necessarium. Item Esaiæ 42. Dicit Dominũ quidem propensum esse ad ignoscendum, id autem natura. Iustus, æquus ac mitis sit, quo lex eius quàm latissimè propagetur. At populum istum perditum esse, hinc ultima experturum. Et est anteoccupatio, ne quis quærat, quur abdicat populum suum? 1. Corinth. 4. Sic nos existimet homo, Mihi pro minimo, &c. Simile est illud in Romanis: Si iniquitas nostra iustitiam Dei commendat,

quid

quid diceremus? Nunquid iniquus est Deus? absit. Alioqui quomodo iudicabit Deus hunc mundum? Porrò hanc figuram, tum anthypophoran, tum antisagogen uocarunt Hæ formæ respondendi maximè augent orationem. Sic Paul. Corinth. 11. respondit eis dicens: Omnes quidem scientiam habemus. Ego non de ciborum genere loquor, sed idolorum epulas cum infirmorum offensione edere, quod uos liberum facitis, hoc demum damno. Et 2. Corinth. 1. Non quod dominemur.

¶ Procatalepsis, Latinè præsumptio, anticipatio, coassumptio, occupatio, præceptio. Quum id quod obijci potest cogitationi uel iudicis, uel aduersarij, priusquam obijcia tur, occupamus. Vel quum respondemus tacitè obiectioni, ut uulgo dici soler, hoc est, quum ipsi animaduertentes quod obsit nobis, prius id diluimus, quàm obijci possit. Necessaria figura omnibus scriptoribus: nempe qua admonentur, ut consilia, cogitationesq; hominum apud sese dispiciant. Sunt autem creberrimæ. In Miloniana causa, cum uideret Cic. arma dispositа esse in foro aduersus uim, cum posset nouũ illud exemplum esse terrori populo, callidè ac tacitè pro Milone detorquet, quod aduersari uidebatur. Sic pro Archia: Quæret quispiam, quid illi ipsi summi uiri, quorum uirtutes literis proditæ sunt, ista ne doctrina, quàm tu laudibus effers, eruditi fuerunt? Vergil. Nec uos arguerim Teucri, nec fœderi, nec quas Iunximus hospitio dextras, sors ista senectæ Debita erat nostræ. Dan. 3. Non ne proiecimus in ignem tres uiros, aiebat rex. ut affirmantes, postea miraculum calumniari non possint. Sic & Dominus prius quærit à Mose: Quid hoc est in manu tua, &c. Sic illud ad Rom. Quid igitur interest in Iudæos & gentes? Psal. 50. Quoniam iniquitatem meam ego agnosco, &c. Quasi enim in uenturo iudicio constitutus delictorũ suorum aspectu teterrimos pertimescit. Nam suprà tum gentes, tum Iudæos accusauerat pariter peccati. Fit cũ emendamus, mitigamus, &c. ut: Non imputo hæc tibi, sed ijs à quibus tibi impositum est. Sic Paulus in Galatis: Nisi sunt aliqui, qui uos conturbant, &c.

¶ Metanœa, Latinè correctio, appellatur quoq; Epanorthosis, tollit quod dictũ est, supponens aliud idoneum, ut: Theologus, imò nugator. Crudelis homo, imò ne homo quidem. Ruffinianus elegantissimam sermonis figuram quandam uocat aphorismon, quæ corrigit uim sententiæ. ut si dicam: Punitus est, quanquam illa nõ pœna, sed prohibitio sceleris fuit. Quanquam si rectè æstimes, philosophari non est sapere, sed desipere. Cicero pro Milone: Quas illas leges, si modò leges nominandæ sunt, ac non faces urbis & pestes reipublicæ. Et alibi: O' uirtutis communis inuidia, quæ bonos insequeris plerunq; atque adeò insectaris. Hac figura usi sunt & prophetæ. ut Esa. 4. promiserat futurum, ut ciuitas iustitiæ & urbs fidelis uocaretur Zion, sed per metanœan, id est, correctionem addit: Modò æquitati & iustitiæ postliminio studeat. Nam scelerati et impij, qui non redeunt ad bonam mentẽ, à Domino perduntur. Item et 2. cap. Sed quid te inuito ò domus Iacob, uenite, uel adeste quæso, & ambulemus, &c. Correctio, uelut emendat seipsum, quasi circumspectè uocet ad huius lucis communionem eum qui uanis mundi rebus, tum idolorum cultu sit addictus. 1. Corinth. 6. Corpus nõ stupro, &c. Quum enim dixisset se non magnopere laborare, si quis uictum pro Euangelio prædicato acciperet, neq; rursus uehementer extollere parsimoniam suam, quod à Corinthijs non recepisset, nõ enim digladiandum esse adeò acriter pro rebus friuolis, quæ in diem perirent. 1. Ioan. 2. Quoniam omne quod est in mundo, &c. Probatio est eius quod dixerat. Et 1 Pet. 3. In quo etiam abijt, & spiritibus qui erant, &c.

¶ Ætiologia, Latinè causa. Causę redditio, cũ propositi alicuius statim causam subijcimus uel recitamus, ut Cicero pro Archia, Si quid est in me ingenij, &c. uendicabit iure Archia, ætiologia. Fuit enim mihi princeps ad suscipiendam rationem horum studiorum, &c. Terent. in Eunuch. Sed ipsa egreditur nostri fundi calamitas. Nam quod nos capere, oportet, hæc intercipit, &c. Consentaneum est huic illud Roman. 8. Caro non implet legem. Nam qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt, affectant. Nota figura est, uel hoc nomine quod familiaris Psal. 15. Propter hoc lætatum est cor meum, &c. quoniam non derelinques animam meam in sepulchro, uel in inferno.

¶ Huc & Dicæologia, quum aliquam officij rationem exponimus, aut excusationẽ, quòd uidelicet, honestè faciamus, ut: Quanquam est amicus, tamen decet amicitiæ ueritatem anteferre.

¶ Prosopopœia, Latinè personarum fictio: nimirũ cum rebus mutis sermo tribuitur.

tur. Latissimè patet, ut famis, pacis, stultitiæ. Gratiosæ sunt, cum adhibentur in loco.

¶ Dialogismus huc pertinet, Cic. uocat sermocinationẽ, cum aptè personã aliquam loquentem fingimus. In qua figura quanquam Poetæ multum sibi permittunt, tamen & Oratores usurpant, ut Cicero in Catil. patriç sermonem accommodat. Terent. Quod ego per hanc te dextrã oro, & genium tuum. Sic Esa. 41. Abominationi electionem tribuit, ac si de seipso loqueretur, cuius libera est rerum omnium electio et constitutio. Abominatio elegit uos. Gen. 3. Quid feciſti? uox sanguinis, &c. Noui quid feceris, noui innocentiam fratris tui. Esa. 1. Filia Zion derelinquetur sicut umbraculum in uinea, &c. Esa. 51. Omnia ligna agri manibus plaudent. Prosopopœia est, quum inanimis tribuitur, quod est animatorum. Item 60. cap. eiusdem prophetæ, Et adorabũt plantas pedum tuorum. Ecclesia non habet plantas. Plena autem est hac figura scriptura, præsertim Psalmi. Et Esa. 47. Quum uiduitas & orbitas properantes ac Babylonem petentes, fiunt. Psal. 92. Eleuauerunt flumina uocem suam.

¶ Epiphonema, Latinè acclamatio, est amplificatio præpositi cuiusuis adposita ad finem, fitq; per particulas tantum. Vel: Hæc sententia, teste Iuliano Rufino, in fine expositæ rei cum adfectu enunciatur. Cicero in Verr. Non uitam liberam, sed mortis celeritatem precabantur. Vel est amplificatio honestatis, seu dignitatis, utilitatis, facultatis, difficultatis, in fine addita ad augendam admirationem. Fiunt autem Epiphonemata per particulas comparatiuas & demonstratiuas, ut: Hoc est uerè regem esse, consulere utilitatibus populi. Adeò nihil est satis tutum aduersus calumnias. Adeò à teneris consuescere multum est. Et per exclamationes unde nomen uidentur initio accepisse, ut pro Ligario. O' clementiam admirabilem atq; omnium laude, prædicatione, literis, monumentisq; decorandam. Æneid. 1. Tantæ molis erat Romanã condere gentem. Plinius: Adeò interesse debuit inter eum Imperatorem quem dij dedissent, & qui per fortunam contigisset. Et Ouid. Tanta est discordia fratrum. Et Terent. Paulùm interesse censes ex animo omnia, ut fert natura, an de industria? Psalm. 22. Dominus regit me, &c. in quo breuiter dixit, quod in subsequentibus latius enumerauit. Et 69. Deus in adiutorium meum, &c. in quo uersu quæ latius sentienda sunt, breuiter explicantur. Esa. 33. Populus ille qui habitat in ea, auferetur ab eo iniquitas, &c. Psalm. 3. Beati quicunq; illo confidunt. Et alibi, Domini est seruare, & populi tui, ut beneficentia tua iuuetur.

¶ Synonymia, interpretatio Latinè. Fabius uocat uerborũ congeriem. Est cum multa uerba eiusdem penè significationis eidem tribuuntur. Hoc modo, Rempublicam radicitus euertisti, ciuitatem funditus deiecisti. Idem dicitur ad Corinth. In timore & tremore multo uersatus sum apud uos. Vides orationis augmentum esse illam uerborum congeriem. Satis enim erat dixisse: Versatus sum apud uos cum magna formidine. Et Esa. Iacob serue mi, & Israel electe mi, cum tamen eundem populum uelit intelligi.

¶ Incrementum, est cum non eiusdem significationis uerba congerimus, sed per gradus ab infimis ad summa ascendimus, ut percussit, sauciauit, occidit. Scipio apud Liuiũ: Fudi, fugaui, Hispania expuli. Terent. in Adelph. Quem neq; fides, neq; iusiurandum, neq; illum misericordia, &c. Sic & illud Psal. Incrementi siue amplificationis species est. Non ire in uia peccatorum, non stare in uia impiorum, non sedere in sede derisorũ propè idem significant: consensum scilicet & consuetudinem cum improbis. Nam stare plus est quàm ire, & sedere plus quàm stare, &c.

¶ Tapinosis, id est, humiliatio, per hanc figuram extenuamus, est uitium quo rei dignitas uerbi humilitate deprimitur, ut quod Cato (autore Gellio) uerrucam montis pro cacumine dixit, perstringere pro uulnerare. Aut si pro effœminato rege dicas Sardanapalum, pro uoluptuario, animal uentris: qua Tapinosi Paulus usus est. Ita Psalmographus Psalm. 5. uidetur eos guttur appellare. Sepulchrum patens est guttur eorum, quasi dicat, Vos toti guttur estis & nihil aliud, idq; uelut sepulchrum patens in aliud non incumbatis, quàm ut uoretis hominum substantias. Germanicè, Es ist nur fressen vnd sauffen mit dir. Eodem tropo dicimus non malus, sed malitia, Sic guttur, pro gutturis studioso. Psal. 21. Ego autem sum uermis & non homo.

¶ Miosis, Latinè diminutio, figura est quum minus dicimus, quàm uelimus intelligi. Sic dicimus: Non temerè expugnari mœnia: quum uolumus inexpugnabilia esse demonstrare. Aut cum dicimus: læsisse, qui uulnerauit. Simile est illud Esa. 28. Vt qui eo fidat, non labatur temerè. Nam hic lapis Christus est, de qua re passim in scripturis

utriuſq; teſtamenti. Hic enim in lucem protraxit hypocriſim, & ſeſe fidentibus firmum eſt refugium.

¶ Exclamatio, familiariſſima eſt, tum Poetis tum Oratoribus: Quale illud eſt, O tempora, ò mores, ò capita. Vergil. Hei mihi qualis erat, quantum mutatus ab illo Hectore, Qui redit exuuias indutus Achillei. Ita & apud Paulum, Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Iob. 18. O diſcerpens animam ſuam, quid concipit tecum cor tuum? &c. Sic & illas Poeticas exclamationes in prophetis frequentius inuenire licet, quàm pro opinione, Eſa. 49. Lętemini cœli, exulta terra, &c. Exo. 15. Quis ſimilis tui in fortibus? uidelicet in magnificentia & ſanctitate, Rom. 11. O altitudo diuitiarum, &c. Huc pertinent imprecationes, ut: Væ uobis ſcribæ & phariſæi, &c. Græci uocant areian. Huc interim refer deiſin, obteſtationem: Per ego has lachrymas dexteramq; tuam te, etc. Item ominationes. Turno tempus erit, magno cum optauerit emptum, Intactum Pallanta. His etiam cognata eſt adhortatio.

¶ Subiectio, figura eſt cum ipſi reſpondemus noſtræ interrogationi, ut quũ dicit Paulus ad Rom. 7. Quid igitur? peccabimus, quia non ſumus ſub lege? Non, &c. Item Roman. 8. Quid dicam? Lex peccatum? Abſit, ſed peccatum non, &c. Ergo quod bonum erat mihi, factum eſt mors? Abſit. Quid igitur dicam ad hoc? Et Rom. 9. Num iniuſtitia eſt apud Deum? Abſit.

¶ Paradoxum, Latinè ſuſtentatio, inopinatum, affine dubitationi eſt, cum negamus nos putaſſe uel opinari. Hoc ſchema ſuſpendit ſenſum, deinde ſubijcit aliquid eo contra expectationem auditoris ſiue magnum, ſiue minus, & ideo ſuſtentatio uel inopinatum dicitur. Cicero pro Ligario, Hinc prohibitus nos ad Cæſarem ne iratus, non ad domum ne iners, nõ aliquam in regionem non concauill. &c. Et: Nunquam credidi fore iudices, ut reo Scauro, ne quid in eius iudicio gratia ualeret, precarer. Eiuſmodi ſunt in quibus mirandi uerbis utimur. Libenter autem, ut à reliquis adfectum uerbis, ita à paradoxo ſeu dubitatione ordimur. Terẽt. in Heau. In illum nil poteſt, nam exuperat eius ſtultitia hæc omnia. Simile eſt illud Pauli ad Galat. Miror quod ſic tam cito transferemini ab eo qui uos uocauit in gratiam Chriſti. Pſal. 17. Deus meus impolluta uia eius. Aggreſſus dicere quid exoratiuum, ſubiunxit ei exitum inopinatum. Impolluta uia eius. Pſal. 83. Domine Deus uirtutum beatus homo qui ſperat in te.

¶ Parrhiſia, Latinè licentia. Huius multæ formæ ſunt. Significat autem orationem, in qua uelut abutentes libertate, nobis autoritatem & fidem conciliamus. Quale eſt illud pro Ligario: Suſcepto bello Cæſar, geſto etiam ex parte magna, nulla ui coactus, conſilio ac uoluntate mea ad ea arma profectus ſum, quæ erant contra te ſumpta, &c. Item Lycurgi, Sed uos iudices, uos hæc facere debetis. Nam cum in ſententijs ferundis nocentibus remiſſe paratis, uos in forum ſtudium ad ſpectandum excitatis. Tale Roman. 15. Audacius ſcripſi uobis fratres ex parte, tanquã in memoriam uos reducens, &c. Gal. 4. Ergo inimicus uobis factus ſum, uerũ dicens uobis? Æmulantur nõ bene, &c.

¶ Apoſtrophe, Latinè auerſio, ſeu auerſatio. Cum ad aliquem conuertimus ſermonem, præter reliquam narrationis compoſitionem. Vt Scipiadas duros bello, & te maxime Cæſar. Nam ſine figura dixiſſet, & Cæſarem. Auertimur & ad Proſopopœias, ut: O leges Portiæ, Vel, cum interrupta oratione ſermonem ad aliam perſonam cõuertimus, ut cum iudici dico, & relicto iudice inuado aduerſarium, ut: Quid enim tuus ille Tubero gladius, &c. pro Ligario Cicero, Nultiplex eſt & maximam uim habet, quum perſonam imitatur in oratione, ueluti compellandi alicuius cauſa, ut: Vos enim iam ego Albani tumuli atq; luci, &c.

¶ Eſaias quoq; uſus eſt hoc ſchemate. Nam Apoſtrophis Hebræi familiarius utuntur quàm alij, ut Eſa. 1. cap. liquet: Dixerat enim prophera, Deſeruerũt Dominum, ſanctũ Iſraelis irritauerunt, poſt tergum aufugerunt. Et iam ſubito mutat perſonam, & preſentes arguit, epiphonemate mirè deſperabili. Cuius cauſa uos ultra corrigerem, ne quicquam omnia facturus? Quum ſubitò aliquod nouum crimen deſignaretis. Et eodem cap. Audite ergo principes Sodomorum uerba Domini. Pſal. 19. Tribuat tibi, &c. Lætabimur in ſalutari tuo, &c. Impleat Dominus, &c. Nunc cognoui, &c. Apoſtropha ſæpe cum proſopopœia coniungitur, ut Pſal. 4. Flij uiri quouſq; gloriam meam ad ignominiam, diligitis inane, inquiretis mendacium?

¶ Permiſſio uel conceſſio, Cum aliqua iudicibus æſtimanda relinquimus, aliqua nonnun-

nonnunquam aduersarijs. Esto ægram nulli quondam flexere mariti, &c. Placito ne etiam pugnabis amori? Item perfrica frontem & dic te digniorem qui fieres prætor, quàm Catonẽ. Tale est: Vobis iudices cogitandum relinquo, quid hinc respublica detrimenti acceperit. Est autem affinis communicationi. De qua figura suprà. Tali concessione amara in opere contrario, Abac. 1. usus est. Sanè, inquit, tu Domine iustus es, ita de te communis fama pronunciat. At ubi nunc iustitia tua? uti nos de quodam boni nominis, licet id factis parum testetur, dicere possemus. Assentior agis? Hoc ne boni uiri officium est?

¶ Tautologia, Iteratio, traductio, siue repetitio Latinè. Eiusdem uerbi aut sermonis iteratio. Vel, Cum idem uerbum aliquoties repetitur diuerso casu, cui uitio etiam Ciceronem obnoxium notat Fabius. quod dixit, Non solum igitur illud iudicium iudicij simile iudices non fuit, quamuis casu diuerso. Item, Qui nihil habet in uita, iucundius uita, is cum uirtute uitam non potest colere. Sunt qui plocen uocent. Ezech. 7. Nunc è proximo effundam iram meam super te, & consumabo iram meam in te, & iudicabo te secundum uias tuas, & dabo super te abominationes, Battologiæ genus est. Hæc inquam figura, quam Græci tautologian adpellant, in sacris literis frequens est firmitatis indicium, autore sancto patriarcha Ioseph. Gen. 41. ubi uisiones Pharaonis interpretatus, dixit, Quod autem uidisti secundò, ad eandem rem pertinens somnium, firmitatis indicium est, eo quòd sermo Dei fiat, & uelocius impleatur. Sic Psalm. 2. Qui habitat in cœlis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos. Psalm. Non sic impij, non sic. Benedicendo benedicam. Multiplicando multiplicabo semen tuum. Scriptura tautologias suas, et eas quidem crebras habet. Quamuis plura huiuscemodi, aliter in Hebraicis, aliter in grecis leguntur. Sic sententiæ sæpius repetitæ in Psalmis non sunt superuacaneæ, sed eiusdem rei repetitæ orationes, ad quam satis hortari & impelli non possumus: continuò nanq; timor carnis recursat, ideo toties hortamenta spiritus ingeminari necesse est.

¶ Antanaclasis, uel Antistasis, eiusdem uerbi contraria significatio. Aut est orationis genus, quum scilicet idem uerbum in contrarium sensum rapitur. Quemadmodum Plauti Euclio, Araneas, inquit, mihi ego illas seruari uolo. Loquuta erat anus de inani prorsus, præter araneas, domo. At senex, araneas intelligit thesaurum, qui anum latebat. Sic rex Ezechias Esaiæ 58. Scio, inquit, omnem uitam unam esse amaritudinem. Tu autem non ingratam rem mihi feceris, si amarissimam donaueris amaritudinem, id est, uitam, ut iam amaritudinem pro uita ponat. Item, Amari iucundum est, si curetur ne quid insit amari. Esaiæ illud simile cap. 59. est: Vnde à uobis defecit æquitas, &c. Quasi dicat. Nos defecimus à Deo nostro, iure igitur deserit nos æquitas. Fit & in talibus. Oppugnari pecunia potest uir bonus, expugnari non potest, Paulus ad Corinth. 4. ἀπορούμενοι ἀλλ' οὐκ ἐξαπορούμενοι. Talia sunt, ex oratore arator, ex theologo matæologus. Sed rarior istius figuræ usus est.

¶ Ellipsis, Latinè defectio, cum deest casus aliquis sermoni quò minus plenus sit, ut Vergil. 1. Italiam fato profugus, deest ad. Terentius in Eunuch. Ego ne illam, quæ illam, quæ me, quæ non? Et alibi. Tũ gnatum non, deest, obiurgasti? Græci uocãt anapodota, hoc est, non reddita. Vel cum non redditur uerbum, ut Galat. 3. Libertatem ne in occasionem carni, scilicet detis. Vel quum non redditur sententia sententiæ, quale hoc ad Roman. 8. Quod si Deus uolens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, pertulit multa animi lenitate uasa iræ adparata in interitum, & ut notas faceret diuitias gloriæ suæ erga uasa misericordiæ, quæ præparat in gloriam. Deest enim, quid tu diuini consilij causam quæris? quasi diceret, Siquidem ita uoluit glorificari, &c. quid ad te, quid ex aduerso respondes Deo? Nisi quis particulam ἀλλὰ in eo loco apud Paulum malit enantiomaticos, quàm synapticos exponere. Item Exo. 14. Mitte, quem missurus es. Quasi diceret Moses, quandoquidem (quod scio) missurus es, quem promisisti (benedictum scilicet semen) iam eundem mitte, in illius manu rem perfice, is idoneus & satis potens erit. Hæc figura Hebraica nanq; frequens est, ut in Psalmis uidere licet. Et Iob 21. Nunquid Deum docebit: deficit enim homo, uel aliquis. Et Dan. 5. Tu rex audi. audi non est in textu: intelligitur autem uel audi, uel scias.

¶ Aposiopesis, Latinè reticentia, obticentia, cum per iram uel indignationem orationis partẽ reticemus. Aut cum intra nos supprimimus ea, quæ dicturi uidemur: quod aut turpia, aut inuidiosa, aut alioquin nobis grauia dicturi sint, ut Vergilius primo,

Quos ego, sed motos præstat componere fluctus: tacet enim, puniam. Hanc figuram sæpenumero in sacris literis uidemus Psal.88. Si Dauid mentiar, semen eius in æternum manebit. Quasi dicat uideatur si Dauid mentiar, uel non cõmittam ut Dauidi unquã mentitus uidear. Ita & alibi, Quibus iuraui in ira mea si introibunt in requiem meam. Et Esa.5. Nisi domus multæ desertæ fuerint, &c. Hier.21. Sed nisi in desertum redegero. Et hunc colorem uides in Hosea 21. & ad grauitatẽ reprehensionis facere. Si Gilead molestiam, &c. hoc est, indubitato sentiunt res aduersas. Item Gen.15. Et Dominus ait ad eum, Suspice cœlum, numera si potes. Pulchra est hæc Aposiopesis, Sequi enim mox deberet. Et numerauit Abraham stellas cœli, dixitq; ad Dominum: Non possum numerare. Hæc omnia reticet historiæ scriptor, & responsum Domini subiicit 24.cap. eiusdem libri. Et alibi, Quid si mecum ire noluerit? Et Psal.4. Quousq; gloriam meam ad ignominiam? reticuit enim perducere conamini, aut quid simile.

¶ Hypallage, id est, submutatio, Est quoties oratio ordine rerũ conuerso effertur, Poetis familiaris, ut apud Vergil. Dare classibus austros, pro dare classes austris. Et Cicero: Non uidimus in urbe gladium uagina uacuum. Simile est illud Esaiæ 53. Pollutus non trãsibit per eam: pro, Qui in hac uita incedit, non polluetur, Hypallage & Allegoria est. Similiter & illud Esa.24. Lugebit uindemia uel mustum. Non enim luget mustum, sed homines qui illo gaudent, quum perit, lugẽt. Et alibi, Angustior enim erit lectus, quàm ut se ei quisquam aptare possit: pro, Non dabitur, ut quisquam sese quieti, aut ocio impendat. Item 60. eiusdem prophetæ: Lac gentiũ suges, pro, Ex gentibus adolesces. Item cap.16. Rigebam lachrymis meis Iazer & uineta Sabinæ, Poeticè rigauisse lachrymis sedicat, quæ deflebat. Per hypallagẽ uites fletu rigat, qui se lachrymis humectabat. Psal.83. uers.15. Et Psal.21. Pones eos sicut ignem qui comburit syluam, sicut flammam quæ incendit montes. Intelligendum tantum, ignem ponam, uel mittam in eos. Et alibi, Sol ponit pro umbra quæ sole fiebat. Esa.38. Nulla enim fieri potest Hypallage sine Synecdocha, quæ est Troporum fermè omnium fons.

¶ Amphibologia, Quando structuræ uitio, utro uerbum sit referendum dubitatur, quemadmodum Pyrrho oraculum respondit, ut Vergil. Aio te Æacida Romanos uincere posse. Hic utri uictoria promittatur, incertum. Hęc figura sæpenumero reperitur in sacris literis. Vt Esa.57. Amphibolus est sermo Hebr. Quoniam uentus, aut spiritus à me prouolat & flatum ego facio. Esa.57. Sed abest à me stomachus.

¶ Enantiosis, Contrarium Latinè dici potest, est figura, qua membra sententiæ inter se dissident, ut Esa.9. Hic proferendi imperij, seruandę tamen pacis finem nõ faciet. Disparata enim sunt proferre imperium, et seruare pacem. Terent. in Phorm. Quod dictũ, indictum est. Cic. Nam qui suis rationibus inimicus fuerit semper, eum quomodo alienis rebus amicum fore speres.

¶ Liptote, Latini diminutionem uocant, cum plus siquidem intelligendum offertur, quàm dicatur, ut Psal.22. uers.25. Dicitur tantum Deum Christi fui afflictionem nõ contempsisse, &c. sed intelligendum quàm glorioſè, quàm magnificè, ab ea ipsum adseruit, acin quantam dignitatem ea liberatum sustulit. Et Psal.139. Non est (inquit) celatum te os meum. Plus enim Vates significat quàm dicit. Significare nanq; uult, non posse non omnia in nobis summè Deo nota esse, ut cuius uirtute sunt omnia formata. Os dicit, sed uirtutem intelligit, quæ maxima in ossibus est.

¶ Anthropopathia, est figura, qua ueteres humanos affectus Deo, dum propria eius nobis incomprehensibilia sunt, tribuerunt. Non quod ille habeat in se, sed quia nostro hoc more loquitur scriptura: neq; aliter nos capere possumus, nisi signis & imaginibus nostro more utamur. Sic propheta Dauid, Deum sedentem, uidentem, animam substantiantem, in ira hostibus loquentem facit: quæ fictio personæ dici potest, quo humaniter dicta penitus sensibus insiderent. Talis uerò prosopopœiæ habetur Psalm.28. Ridebit eum, quoniam uidet quod aduenerit tempus ultionis. Eo sensu dicit alibi: Iurauit Dominus in dextera sua. Iratus est Dominus in populum suum, Et excitatus est, tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à uino. Ita dum Deus permittit perditos pro libidine sua ferri, & bonos diuexare, dicitur stare procul, auertisse se, dormire, & similia. Et huiusmodi sexcenta reperire licet. Nusquam enim similes locutiones non sunt obuiæ. Sic ueteres hanc figuram uocarunt, personæ fictionem.

¶ Vitanda Macrologia, id est, longior (ut ait Fabius) quàm oporteat sermo, ut

apud

apud Liuium: Legati non impetrata pace retro domum, unde uenerant, abierunt. Prium autem & peculiare est Hebræis eadem sæpe repetere, sed eleganter, neq; superuacaneè, neque absq; causa: sed ideo, ne aliò referatur sententia, ut Gen.13. Sed & ipsi Lot fuerunt greges ouium, & armenta & tabernacula, nec poterat eos capere terra, ut habitarent simul. Causam iam subnectit. Erat quippe substantia eorum multa. Iam iterum repetit, quæ superius dixerat. Et nequibant habitare simul. Macrologia, nõ tautologia. Ita uiuere, pro seruare et tueri. Esa.1. E conspectu oculorum meorum: propriè est macrologia Hebr. quum Latinus tantummodo diceret: E conspectu meo. Item pro refici & bonæ ualetudini restitui. Gen.42. Vt uiuamus & nõ moriamur. Esa.8. Et scribe in eam stilo. Est sermone iste Macrologiæ aut Pleonasmi generis. Satis enim erat dixisse: Audiui. Sed quũ per Macrologiam dicimus, Audiui hisce auribus: aut, Oculis meis uidi, iam crescit Macrologia & epidexei, id est est, commonstratione oratio.

¶ Epiclisis, quum duo membra sic comparata sunt, ut prius uerbum habeat à fronte, posterius autem à tergo, ut: Perdam sapientiã sapientium, & intellectum prudentium reprobabo, Esa.13. Et impiorum scelera uisitabo, &c.

¶ Paragmenon, quum in eadem dictione, sed affectu non significatione, immutata luditur, ut: liber libere agit, seruitutem seruit seruus, vvas das, vvat dat. Esa.14. Qua seruitum est in te dicit Hebr. Diuus Hieron. uertit, Qua ante seruiuisti. Sic enim pollent Hebr. quasi tu dicas: Qua seruituti coactus es subiacere.

¶ Catastrophe, Latinè conuersio. Est post contentionem conuersio ad propositum, Esa.48. Qui cognomento uocamini Israel, & de aquis Iuda existis, qui iuratus in nomine Domini. Id erat omnipotentiam & prouidentiam diuinam adserere, idola ludibrio exponere, quo cõmodius ab eis auelleretur gens Israelitica, & Deo suo redderetur. Item Esa.1. Post hac dabitur tibi nomen ciuitati iustitiæ, urbi fideli. Propheta illorum animos iterum ad spem erigit, quos ui increpationis deiecerat. Iste enim spei cardo est, ut si mores pessimos mutauerimus in aliquantulum tolerabiles, mutetur ira iudicis in gratiã: sin uerò pergamus esse sceleratissimi, nihil quàm ultimum excidium nos maneat.

¶ Epistrophe, Latinè dicitur reuersio, est figura quum duæ orationes idem uerbo ultimo loco repetunt, ut Esaiæ 38. Neque admirantur fidem tuam, & ilico: O rem admirandam, &c. Esaiæ 60. Proh filios degeneres. Item alibi 37.cap. Tu uerò ò rex: epistropha est ad Assyrium regem. Esaiæ 58. Tu ergo quisquis es uerus propheta, ex omni gutture clama. Prophetas alloquitur, quos singulari numero compellat, Esaiæ 54. Exalta igitur sterilis, quæ non paris. Totum caput Epistropha est ad nascituram aliquando ex gentibus ecclesiam. Vel quum in eadem uerba plures sententiæ desinunt. Tunc quoq; fas nobis Teucros armare fuisset, & Impius ante aras atque auri, cæcus amore. Hæc Iulius Ruffinianus.

¶ Hyperoche, Latinè elatio sermonis, est uehementia, aut summa sermonis ac stili elatio, aut exaltatio, quæ modum excedis, Esa.34. Nam omnis cœlorum exercitus tabescet. Vult enim uates, iram Dei incensam tanta esse efficacia, ut ne superi quidem nõ tabescant. Item Esaiæ 22. Quicunq; adpetet, nemo claudit. Secundum post regem imperium κατ' ὑπεροχὴν describit. Vel typum Christi fuisse permittimus. Esa.5. Caliginem, tristitiam, ac desperationem iuxta Hebr. uel Caligo cum desperatione sua.

¶ Epitasis, Figura est, quum uerbum uehementius pro minus uehementi positũ est, ut Gen.29. Videns autem Dominus quòd Iacob despiceret Liam. Verbum, despiciendi, hic nimis uehemens est: nam non odiuit nec despexit Liam Iacob, sed dilexit eam, sed neglexit, Er hat ir nit so vil acht, als der andern. Gen.27. Malach.1. Esau odio habui. Odire, pro negligere. Nam nihil odit Deus eorum quæ fecit. Sic in Euangelio: Qui odit animam suam, id est, qui negligit, qui contemnit seipsum propter Deum. Et Psalm.89. uersu 30. Epitasis est in eo, quod dicit, Vncti tui.

¶ Gnome, Sententia Latinè, dictum ad mores communes pertinens, estq; ueluti orationis ætiologia, quale est illud apud Terentium, Obsequium amicos, ueritas odium parit. Vel continens præceptum de moribus, aut dictum aliquo uitæ casu, ut apud Ciceronẽ, Vultu sæpe læditur pietas. Item, Posteriores cogitationes sapientiores. Huic simile est Gen.3. Non'ne si bene egeris, recipies: sin autem male, statim in foribus peccatum tuum aderit. Est generalis sententia, & apud omnes confessa, sed uehementior dum per interrogationem profertur. Esaiæ 3. Alienatio uultus eorum prodit eos: Propheta non

tam prospicientem calamitatē uidetur demonstrare, quàm Chria, hoc est, usitata, & uulgari sententia, uti: Omnes enim uultu prodi prædicant, id quod Poeta quæritur, Heu quàm difficile est crimen nō prodere uultu. Et similia multa. Huc pertinent apophthegmata, & qualiacunq; ueterū dicta, quæ uocant criseis, quale est dictum Catonis: Radices uirtutum amaras esse, fructus dulces.

¶ Auxesis, id est augmentum, est quum uerbo utimur, quod rei magnitudinem superare uidetur: ut pro conuiuari, debacchari. pro errato, scelus. Terentius: Seni fidelis dum sum, scapulas perdidi. Et Adel. Contriui in quærendo uitam atq; ætatem meam. Nunc exacta ætate, &c. Sic 1. Ioan. 3. Et scitis, quòd omnis homicida non habet uitam æternam. Nam hoc schemate dicimus occisum, qui sit læsus exanimatus, qui sit dolore affectus, & reuixisse, qui spem receperit. Item Psalm. 23. uers. 6. Insignis auxesis est in uerbo prosequentur. 1. Cor. 8. Si esca offendit fratrem meum, &c. Sensus est: Si idolothytorum esus fratrum quoquo modo offenderet, aut ad cultum idolorum pelliceret, non solum non edere uellem idolothyta, sed omnino nullas carnes, &c. Vel est catachresis. Et Esa. 9. Ipso spiritu labiorum suorum interficiet impium, id est, halitu, uirtute. Psal. 3. Tu domine clypeus pro me gloria mea, exaltans caput meum. Et 18. Iudicia Domini ueritas, iustificata sunt pariter, & desiderabiliora auro, &c.

¶ Pleonasmos, id est, superabundantia, fit quoties (inquit Fabius) superuacuis uerbis oneratur oratio, ut: uidi meis oculis: satis est enim uidi. Sic ore locuta est. Æneid. Terent. in Adelph. Hisce oculis egomet uidi. Psal. 3. Voce mea inuocabo, uel clamabo, cum satis uideri possit inuocabo. Scripturæ admodum familiaris est, sed nequaquam si sanctorum affectum consideres, uitium ei, quia minimè ociosus. Ioan. 1. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Psal. 73. Incenderunt igni sanctuarium tuum & 141. Voce mea ad Dominum clamaui.

¶ Energia, id est euidentia, manifestatio ab agendo (inquit Fabius) ducta, & cuius propria sit uirtus non esse quæ dicantur ociosa. Hanc uirtutem Græci qui lucem quam rebus addit, spectant, energeian: qui uerò mouendi efficaciam, ab opere energian appellare consueuerūt. Figura est quum res ita describitur, ut cerni uideatur, ut: Psalm. 33. Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipsum. Et 36. Vidi impium superexaltatum, ut Genes. 15. Mihi autem nōn dedisti semen, & ecce uernaculus meus erit hæres meus. Et Esaias, Carnem tuam non auerseris. Interna uis orationis. Quasi dicat, eum qui unum ex membris corporis tui est. Sic Syntomia quoq; nihil differt à superiori.

¶ Comparatio, nec alia est qua crebrius aut cōmodius utimur in amplificando. Nam quid non crescit aut minuitur cum alio collatum? Fit comparatio uel similium, uel dissimilium, ubi maiora minoribus, uel minora maioribus conferuntur, ut: Cic. An uerò uir amplissimus Publicus Scipio pontifex maximus, Tyberium Gracchum mediocriter labefactantem statum reipublicæ priuatus interficit. Catilinam orbem terræ cæde atque incendio uastare cupientem, nos consules perferemus? Ad similia pertinent Apologi, parabolæ, quales sunt Euangelicæ eicones.

¶ Prosapodosis, Latinè causæ redditio, oppositio. Hæc figura fit quando sententijs duabus, aut pluribus propositis, sua cuiq; ratio, uel posterius reddet, uel statim sub una quaq; sententia subiungetur, quibus posterior ratio subinfertur. Vide Rutilū Lupum de figuris. Cicero, Quæro igitur, unde iste tam pecuniosus factus sit? amplum patrimonium relictum est? At patris bona uenierunt. Hæreditas aliqua obuenit? non potest dici, sed etiam necessarijs omnibus exhæreditatus est, &c. Cicero in lib. 4. Rhetor. de Subiectione. Esa. 37. Tum enim fecisti cœlum & terram, &c. Elegans Prosapodosis, cur solus sit Deus cœli & terræ: nempe quod solus ea condiderit. Et 26. Mortui ergo tui uiuūt. Quasi dicat qui fiat, ut qui moriuntur in Domino uiuant: quia inquit, tu irroras rorē uitæ. Ponitur enim lux pro uita, quomodo & Latinis, quum dicunt, Tu mihi hac luce charior es. Item Esa. 1. Nullus exaudiam. Quia manus enim uestræ sanguine madent. Causæ redditio est quur nō sit aspectu & exauditio dignaturus. Manus uestræ, &c. Hoc est, Obruti estis omni flagitio. Sanguinem enim Hebræi capiunt pro crimine. Rapinæ ergo, circumuentioni, prædæ oppressioni, homicidio, ac omni uiolentiæ generi studere, adserit propheta. Item Esaiæ 51. cap. Hinc est ut omni tempore metuas, Prosapodosis est ualde elegans. Mortales reuereris, qui aliquando homines fuerunt: hinc est ut mortalia

metuas

metuas omnia. Item Gen.cap.6. Reddit rationem quur perditurus sit mundum. Quia corruperat omnis caro uiam suam.

¶ Hypotyposis, Est proposita quædam forma rerum ita expressa uerbis, ut cerni potius uideatur quàm audiri, Vel fit quum diligenter persequimur, circumstantias, &c. Cicero pro Milone: Si uideretis hæc picta, &c. Pingit enim Milonem in rheda penulatum, cum uxore & paruis liberis. Clodium uerò armatum, sedentem in equo, pugnantem ex loco superiore, &c. Ipse inflammatus scelere ac furore in forum uenit, ardebant oculi, toto ex ore crudelitas emicabat, &c. Mirè tractat hæc Cicero pro Milone, quæ facturus fuerit Clodius, si præturam inuasisset. Vide Fabium. Huic simile est Ezech.cap.37. Et ponã super uos neruos, & ascendere faciam super uos carnem, & obducam super uos cutem, & ponam in uobis spiritum, &c. Esa.54. Diduc q̃ longissimè funes tuos & clauis, &c. & eodem cap. eiusdem prophetæ, Ecce ego condo fabrum istum. His uerbis non uidetur aliud uelle, quantumuis diuturna armorum fabrica, quàm & uiolentos & arma eorum à se esse. Poeticè uerò, armorum hypotyposim, quomodo scilicet fabrefiant pro armis ponit. Quibus probat in sua esse potestate, ut uim uel arceat, uel ascisat. Et 33. Vos enim concipietis paleam, &c. mirabili quadam hypotyposi adumbrat incendiũ Iudah, Concipietis paleam, & stipulam parturietis, ait, pro, Similes eritis stipulæ. Siue per allegoriam, Eritis stipula, spiritus uester, &c. elatus ille & contumax ignis uice est. Deuorat enim uox ac perdit superbiam, 2. Cor.5. Quoniam Deus est, & iussit è tenebris lucem elucescere. Species est Hypotyposis. Et Dauid multis Psalm. more suo per hanc figuram canit, Psalmo octauo.

¶ Enallage siue eterosis, quum uoce eadem modice deflexa uarietatis nonnihil conciliatur. Enallage numeri est Psalm.8. Inimicum & ultorem, idem ualet quod inimicos & ultores. Item Psal.37. uers.3. dictum pro dicta, et, in te, idem est atq; de te. Esa.22. Parietes clypeis nudari, &c. Periphrasis & Enallage est. Parietis nudari, pro, clypeos de pariete auferri, Enallage est: Clypeos autem de pariete auferri, Periphrasis est, pro Clypeos sumi. Et alibi, Erit in combustionem & cibum ignis, pro, incendetur aut comburetur. Et 1. Ioan.3.cap. Mendacium pro mendace, res pro persona.

¶ Paragoge, adiectio est syllabarum. Illa quoq; frequens in scripturis. Vt in nomine salutis apud Hebr. nam cum ישרעת salutẽ significat, ponitur. Psal.3. ישרעתה adiecta una syllaba, & Dauid Kimhi significationem intendi putat, & huius aliquot exempla adducit. Sic & Psalm.110. Tu es sacerdos in æternum. In רבותי redundat, sicut & in מלבי istæ Paragogæ non infrequentes sunt in scripturis. Inuenimus enim omnes uocum adfectiones apud Hebræos quomodo & apud Græcos, ut in initio Libelli huius admonuimus.

¶ Paromologia, Latinè confessio, cum multa aduersario permisimus, unum tandem accusantes factum. Vsurpatur in cõiecturalibus, & potius argumentum quàm schema est. Nam congestis coniecturis docemus non effici ab aduersario quod uolebat, ut: Esto sanè fueris aliquando amicus, unà militaueris, sint aliqua tua in eum beneficia, quid tum? An non potuit dissilire gratia? Vel hoc fit, inquit Rutilius, quum aliquot res aduersario concedimus: deinde aliquid inferimus, quod aut maius sit quàm superiora, aut etiam omnia quæ possumus infirmet. Huic simile illud Esaiæ 17. esse uidetur. Esto enim populi (iuxta linguam sanctam) æquè ac multæ & enormes aquæ inundent: attamen protinus ut eos Dominus increpat, qui longissimè aufugiunt, &c. Alij Epidodo sin, hoc est, concessionem adpellant.

¶ Hanc Græci uocant Erotema, notior autem est, quàm quæ prolixè describi debeat. Vergil. Quis nouus hic nostris successit sedibus hospes? Hic per se quisq; obseruabit, quàm multiplicem uim admirationis, instandi, indignationis & similium adfectuum habet interrogatio, uocant Græci Pysma, quoties multa rogant: scriptura plena est huiusmodi interrogationibus.

¶ Copulatio. Repetendi forma, Vbi cum quadam significantia repetitur uerbum hoc modo, Sed tandem ad illum diem Memmius erat Memmius. Posterius enim notat eius iam ante cognitos mores, ut si dicam. In summa, Paulus erat apud Ananiam pontificem Paulus, quasi dicerem, erat sui similis, Græci uocant Plocen. Similis est Antistasis. De qua figura suprà, Vna salus uictis nullam sperare salutem. Sed de Ploce multa Fabius.

¶ Dicæologia est, cum causamur æquitatem, ut: Lapsus sum, sed adolescēs, & inter tales uersatus, inter quos non potuit non corrumpi. Tale est, Furor arma ministrat. Vocant alij Dianian, hoc schema. Et tale est ἀναγκαῖον apud Rutilium, ut: Amicum deserui, sed coactus legibus, cōseruaui amicitiæ fidem, dum per leges licuit, nunc ab illo alienauit me, non uoluntas, sed legum uis. Huic figuræ astipulari Paulus uidetur. 1. Tim. 1. Qui prius blasphemus fui, & persecutor & contumelios us, sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate, &c.

¶ Metamorphosis, Latinè transformatio dicit, quando fit transformatio rei, usi sunt hac creberrima prophetæ, Esa. 1. Et erubescetis super hortis quos elegeratis, cum fueritis ueluti hortus absq; aqua. Et erit fortitudo uestra ut fauilla stuppæ, & opes uestræ quasi scintilla: & succendentur utrunq; simul: nō erit qui extinguat. Perpende autem quàm eleganti metamorphosi utatur, quum lucos, hortos & delubra, stuppam facit: & autores atq; cultores eorum, scintillam. Quæ ubi coniuncta erunt, quid aliud quàm ingens incendium dabunt? Item 34. eiusdem prophetæ, Et conuertentur torrentes tui in picē. Quàm elegans autem est Vatis metamorphosis. Flumina in picem mutat: Humum autem in sulphur: quo inextinguibile urbis ac populi incendium maius faciat.

¶ Mimisis, Latinè imitatio, Est quum alterius gestum repræsentamus, aut recitamus uerba. Et ferè in eludendo posita est uersatur q; & in factis & in dictis. In factis sicq; est hypotyposei admodum uicina. In dictis, quale apud Terent. At ego nesciebam quorsum tu ires, paruula. Hinc est abrepta, eduxit mater pro sua. Soror dicta est, cupio abducere ut reddam. Et alibi. Quis tu es? quid mihi es? cur meam tibi? heus proximus sum egomet mihi. Huic simile est illud Dauidis Psalm. 3. Multi qui dicunt animæ meæ: non est salus ipsi in Deo eius. Et Exo. 5. Ne fortè nobis pestis aut gladius: est ad morem Ægyptiorum sermo. Et apud Paulum, Ne attingite ne gustate, ne contrectate. Hier. 51. uocat Dominus Babylonem, montem, non quasi humana quicquam firmi habeat, sed quod ipsa se Babylon tutam ac firmam instar montis propter opes existimaret. Esaia eadem ratione ipsam, montem editum adpellauit, à fastu scilicet & opulentia. Et Psalm. 12. Labia nostra à nobis, quis noster Dominus.

¶ Metathesis, Latinè trāspositio uel transmutatio quædam literarum, uel translatio (ut inquit Fabius) temporum, ut quod timbre dixit Poeta in decimo, pro timber, in quo metaplasmo mirum quomodo sint audaces Poetæ Græci. Ita & Esaiæ 46. Simul atque iussi induco, adduco, &c. Vide ut hæc tria אתי metastaticos lepide posuit, Vt iussi, ut adduco. sicut, Vt uidi, ut perij: pro, Vt uidi protinus perij: uel, Protinus ut uidi perij.

¶ Antistrophe, Latinè conuersio. Quoties argumentum uel orationem in aduersarium retorquemus. Vsus est Moses hac figura, Gen. 39. Cumq; audisset me clamare, reliquit pallium penes me, & fugit, antistrophon in Ioseph retorquet uersutissima mulier. Nam quæ pro defensione sua adducere potuit Ioseph, uertit ipsa ei in accusationem. Simili antistrophonte ferit Ioseph fratres suos eiusdem libri cap. 42. Hoc est quod dixi, exploratores uos esse: Quasi diceret, Hoc idem quo uos suspicionem repellitis, mihi maximè suspicionem auget, uos esse exploratores: nam hoc dolo usi estis, ut simul tot fratres ueniretis, ne quis suspicaretur uos esse exploratores.

¶ Ephexegesis, Latinè interpretatio, expositio prioris dicti. Est repetitio probationis eiusdem, & cumulus exabundanti, ut Psal. 7. Domine Deus mi, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis. & 20. Magna est gloria eius in salutari. Et 29. Dominus factus est adiutor meus. 36. 1. Cor. 4. Ne supra quàm scriptū est sentiatis, hoc est, ne plus quàm par est sentiatis de uobis ipsis, &c. Vsus est autem scribendi uerbo Paulus, pro, exaltandi, aut inflandi. Id quod sequens ephexegesis docet, qua se ad hūc modum declarat, Ne alius aduersus & supra alium infletur. Vide Fabium.

¶ Antiprosopon est, quando pro homine ingrato persona ponitur gratissima, ut Psalm. 78. Quia comederunt Iacob, & locum eius desolauerunt: pro gente enim quæ peccauerat, reuerendissimi patriarchæ nomen obiectum est. Compositum nomen ex anti contra, & prosopon persona.

DE

DE TROPIS.

TRopus, Est uerbi uel sermonis à propria significatione in aliam cum uirtute mutatio. Vel est dictio translata à propria significatione ad non propriam similitudinem, ornatus, necessitatis ue causa. Clarissimi Latinorum modum appellarunt. Vnde tropi Latinè, modi, uel mores nominari possunt. In tropo mutatur significatio, ut: progenies uiperarum: nam hic uiperæ non significant propriè (quod solent) serpentes, sed per tropum transumuntur. Sic cum Apostoli piscatores uocantur. Iam cognatum quiddam piscatores significant, non id quod antea propriè solebant. Tale est hoc apud Esaiam prophet. capite 32. Beati qui seminatis super omnes aquas, mittentes pedem bouis & asini. Quod si de propria significatione, seminandi, aquarum, bouis, asini, loquaris, quid erit absurdius? Nam per tropum loquitur de Apostolis Euangelium docentibus.

¶ Metaphora, est rerum uerborumq; translatio. In primis illustris & longè pulcherrimus tropus est, & uel Cicerone teste, uelut stella in oratione lucens. Transfertur uerò nomen aut uerbum ex eo loco in quo proprium est, in eum, in quo aut propriũ deest, aut translatum proprio melius est. Crux pro mortificatione. Item cribrare: Satanas expetiuit uos, ut cribraret. Psalm. Verumtamen in diluuio aquarum multarum, ad eum non appropinquabunt. Et 146. Qui alligat contritiones eorum, &c. Metaphora ab artificibus medendi. Et Psalm. 2. Qui exarserit. Hæc autem multis modis tractatur. Primùm deflexione, quoties uox è propinquo ad rem proximam deflectitur, ut uideo pro intelligo, Audire pro obtemperare, Sentire pro intelligere, Concoquere pro perferre, Despicere pro contemnere. Vide Erasmum in Copia Verborum. Idem quoq; in sacris fit literis, ut: Ioan. 6. Iesus autem uidit cogitationes eorum, id est, intellexit aut sensit. Et alibi, Videns autem Iesus. Item sentire pro cognoscere, Gen. 29. Sic etiam uidere pro cogitare. Quid uidisti, id est, cogitasti: est enim uidere oculorum, Gen. 20. & audire pro credere, Deut. 6. & intelligere, Gen. 11. & 22.

Ab animali ad inanimale.

Athlantis cinctum assiduè cum nubibus atris, Vergil. Pinniferumq; caput uento quassatur & imbri, Nix humeros infusa regit, tum flumina mento. Præcipitant senis, & glaciè riget horrida barba. Nam ut hæc animalis sunt, ita mons animam non habet, cui membra hominis adscribuntur. Huic simile est illud Amos 1. Exiccatus est uertex Carmelis. Homines enim non montes uerticem habent. Et Psal. 77. Aquæ parturierunt, commotæ sunt abyssi.

Ab animali ad animale.

Secunda species est, quoties à bruto animante ad animal ratione præditũ, fit trãslatio, ut: Typhin aurigam celeres fecere carinæ. Nam & auriga, & gubernator animam habent. Simile est Psal. 2. Quare fremuerunt gentes. Et: Dominus qui eripuit me, &c. Et Psal. 138. Si sumpsero pennas ante lucem. Nam & homines, & bestiæ, & uolucres animam habent.

Ab inanimali ad inanimale.

Pelagus tenuere rates, nec iam amplius ulla. Nam & pelagus & rates animam non habent. Aut si quis syluam scatere dicat, quod est fontium. Aut odium suppullulascere, quod est fruticum. Si quis orationem fluere dicat, ut fluctus & undas negotiorum. Eiusdem generis est, si quis collem uerrucã dicat, quemadmodum Cato. Vide Gellium lib. 3. cap. 7. Nam inanimato ad inanimatum transfertur. Simile est illud Zacha. 11. Aperi Libane portas tuas. Et: Qui perambulat semitas maris. Translatio est enim à ciuitate ad montem, & à terra ad mare, quorum nullum animam habet.

Ab inanimali ad animale.

Aut si fama mouet, si tantum pectore robur Concipis. Nam ut robur animam non habet, ita Turnus, cui hæc dicuntur, animã habet. Huic simile est illud: Auferã à uobis cor lapideum: non enim lapis, sed populus animã habet. Metaphora autem, aut partis

partis unius est, quas anacoluthas appellant, ut: Fluctuare segetes, non potest enim dici segetare fluctus. Et ut uerticem rectè transfers ab homine ad montem, ita non rectè cacumen ad hominem traduxeris. Aut antistrophe, uel quas etiam acoluthas uocãt, id est reciprocæ, siue communes, ut: pro gubernatore aurigam, ita pro auriga gubernatorẽ rectè dixeris, & remigium alarum. Nam & alæ auium, & alarum remigia dicuntur. Hic tropus & ad Deum fit multipliciter: A uolucribus, ut: Sub umbra alarum tuarũ protege me. Psalm. 16. A feris, ut: Dominus de Zion rugiet. A membris humanis, ut: Quis mensus est pugillo aquas, & cœlos ponderauit? Ab homine interiore, ut: Inueni Dauid filium Iesse uirum secundum cor meum. A motibus mentis humanæ, ut Psal. 2. Tũc loquetur ad eos in ira sua. Et Genes. 6. Pœnitet me fecisse. Et Zach. 8. Zelatus sum illud. Draco iste quem formasti ad illudendum ei: per draconẽ diabolus, per diabolum bonus angelus intelligendus est, qualis à Deo formatus est. Item Exo. 5. cap. Fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone & seruis eius, id est, uiles reddidistis & abominabiles, hoc est Pharao abominatur nos, & irascitur nobis. Paulus in Epistola ad Corinthios, hac Metalepsi in contrario sensu usus est, quum dixit nos Christi bonum odorem esse: odorem autem pro fama posuisse uidetur, &c.

¶ Metonomia, Latinè denominatio, transnominatio, Quæ est nominis pro nomine positio, cuius uis est, pro eo quod dicitur, causam per quam dicitur, ponere. Vel est quædam ueluti trãsnominatio, ab alia significatione ad aliam proximitatẽ translata. Psal. 2. Qui habitat in cœlis irridebit eos, &c. Et Gen. 19. Nunc cognoui, id est cognoscere feci te, quod timeas dominũ. Huius multæ sunt species: Per id quod continet, id quod continetur, ut: Nunc pateras libate Ioui. Et: Theatra plaudunt, prata mugiunt: dum illic homines plaudunt: hic boues mugiunt. Aut contra, per id quod cõtinetur, id quod continet, ut: Crateras læti statuunt, & uina coronant, pro poculis. Et Vergilius: Iam proximus ardet Vcalegon. Dum nõ ille, sed domus eius arderet. Psal. 46. Et uocauit terram, id est, homines terræ. Et 65. Iubilate Deo omnis terra & 104. Lætata est Ægyptus. Aut per inuentorem, id quod inuentum est, ut: Terent. Sine Cerere & Libero friget Venus. Et, Commixtam Vulcanus mittit ad astra fauillam. Vult enim per Cererem, frumenti inuentricem, intelligere panem: per Liberum, inuentorem uitis, uinum: per Venerem, libidinem: per Vulcanum, ignem. Aut contrà, per inuentum inuentorem demonstrat, ut: Vinum precamur, pro Libero, qui uinum apud Græcos inuenit. Item per efficientem id quod efficitur: sicut pigrum frigus, quod pigros homines faciat, Et timor pallidus, eo quòd pallidos homines reddat, ut: Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas, Regumq; turres, &c. Aut contra id quod efficitur efficiens, ut: Iungit equos auri genitor, spumantiaq; addit, Frena feris. Et spumantia frena dixit, cum utique non ipsa faciant spumas, sed equus, qui ea gerit spumus conspergat infusis. His similia sunt illa sacræ scripturæ, ut: Per inuentorem id quod inuentum est, ut si quis in sacris literis pro lege ponat Mosen 2. Corinth. 2. Quamdiu legit Moses, uelamen positum est super cor eorum, id est, lex quæ per Mosen data est, &c. Vel cum effectum pro efficiente ponimus: aut contrà, ut cruenta lex, lętum Euangelium. Item cum contentum continente significamus, ut: cados epotos, litera pro lege. 2. Corinth. 3. Litera occidit. Aut per id quod continet, id quod continetur, ostendit ut: Genes. 24. Effundens hydriam in canalibus. Aut contrà, ut: Accipe literas tuas. Neq; enim hydria effundebatur, sed quod in ea continetur: nec literæ in manus, sed charta quæ literis continetur, adsumitur. Et iterum, Et dimitte eam, & uadat, & aspicientes. Non enim arca, sed plaustrum qui continebatur, uel boues qui ducebat plaustrum ire poterant. Hæc & per efficentem id quod fit, & contrà per hoc quod fit, efficientem designat. Frequens est in literis sacris hæc figura. Genesis 42. Et uos ite & adducite fractionem famis domum. Per Metonymiam, fames uocatur frumentum, quo fami succurritur. Abducite uobiscum in patriam uestram annonam quam emistis. Et apud Hier. Omnis ciuitas exit obuiam.

¶ Antonomasia, Latinè pronominatio, Ea est nominis permutatio. Vel, quum definitionem, aut etymologiam, aut descriptionẽ pro aliquo nomine ponimus, ut pro Iunone, Saturnia: pro Homero, Poeta: pro Christo, Saluator aut Dominus: pro Paulo, Apostolus: pro Satana, princeps mundi: pro ira, bilem efferuescentem: pro ambitione dixit Ouid. Nec leuis ambitio perfusaq; gloria fuco. Pro auaritia: Magnarũue fames sollicitant opum, Diuum pater atq; hominum rex. Et ex factis quibus persona signatur.

Thalamo

Thalamo quæ fixa reliquit Impius. His similia sunt hæc, Gen. 23. Et sepeliam mortuum meum. Et Luc. 2. Annuncio uobis gaudium magnum, id est, Euangeliũ. Ioan. 12. Iam princeps huius mundi eiectus est foras, id est, Satan. 1. Pet. 3. Aduersarius uester diabolus circumit, sicut leo rugiens. Ioan. 21. Dixit discipulus ille quem diligebat Iesus, Dominus est, id est, Iesus. Dicit eis Iesus: Pueri, num quid obsonij habetis. Et flumen arescet. Flumen ponitur pro Nilo, & Nilus arescet. Quum Hebræi flumen nominãt, Euphratem intelligunt, Esa. Aqua fluuij. Hier. 2. Pro Euphrate. Item, Domum pro æde & templo, Esa. 44. Vt in domo mea sedeat. Sic Mar. 15. Rex Israel, Christum significat. Solet nanq; lingua sacra subinde hac figura uti, ut epitheta sola ponat, suppressis nominibus: fortitudinem pro uiris fortitudine præditis, quos suo more Dauid uiros fortitudinis uocat. Iniquitatem pro iniquis, ut scriptura loquitur pro uiris iniquitatis Psal. 189. Pro eo quòd diligebam eos illi odio me prosequebantur: ego autem oratio eram, id est, uir orationis, hoc est, orabam. Tropum hunc Beda in hunc modum diffinit, quod Antonomasiæ significatio in uice nominis posita sit, & accidentibus uidelicet, propriam significat personam, quæ tribus fit modis, Ab animo, à corpore, extrinsecus. Ab animo, ut: Magnanimus q; Anchisiades. A corpore, ut. Ipse arduus, altaq; pulsat sidera. Verg. 3. Extrinsecus, ut, Infelix puer, atq; impar congressus Achilli. His simile est illud Esa. 51. Ab animo, ut: Nunquid non tu percussisti superbum? A corpore, ut 1. Reg. 17. Vir spurius altitudinis sex cubitorum & palmo. Ab elatione enim animi diabolus hic intelligitur superbus. A quantitate corporis Goliat gigas significatur. Extrinsecus quæ sumuntur, in plures species diuiduntur. Descendunt enim à genere, ut: Nunquid omnib. uobis dabit filius Isai agrum? A loco, ut Matth. 26. Autorem seditionis sectæ Nazaræorum. Ab actu Ioan. 19. Qui autem tradidit eum, dedit eis signum dicens. Ab euentu, Matth. 21. Discipulus ille quem diligebat Iesus. Per hunc tropum aliquoties & Dominus ipse demonstratur. A genere, ut: Os anna filio Dauid. A loco, ut: Qui sedes super Cherubin appare. Ab actu, ut Iob. 5. Peccaui, quid faciam ò custos hominum? Hæc ille.

¶ Synecdoche, Latinè comprehensio, intellectio dicitur, quoties ex uno plura intelligimus, Romanus prælians. Aut à parte totũ ostendimus, Vt cum pro gladij uoce, utor mucronis adpellatione. pro belli nomine, gladij. Animam pro animante seu homine. Vergilius. Haud aliter puppes q; tuæ, puppes q; tuorum. Tale est illud, Si quis percusserit te in dexteram maxillam, porrige ei & sinistram. Quo uti q; monet Dominus, ut toti simus parati ad sustinendum. Mortui peccato, qui cœperunt mori. Sic dicimus exercitum esse cæsum, quia plurimi interfecti sunt. Et populum sanctum esse, quia aliqui sancti sunt. Aut contrà, ut: Et ingens à uertice pontus. In puppim ferit, excutitur pronus q; magister. Et, Gramineas, alij fontem q; magister ignem q; ferebant. Similiter in sacra scriptura. Aut contrà, ut: Tulerunt Dominum dixit, cum Domini corpus quæreret, &c. Aut enim totum à parte ostendit, ut: Verbum caro factum est. Et in Actis, Eramus uerò in naue uniuersæ animæ ducentæ sexaginta sex. Aut contrà, ut ibi: Ergo propter parasceuen Iudæorum quia iuxta erat, monumentum ubi posuerunt Iesum, Ioann. 19. uel quum continens pro contento sumitur: Epotos cados, pro uino epoto: uel prius, aut posterius ex quo cæteri intelligi possunt: ut concutere muros, pro oppugnatione. Oculi Domini super iustos. Vultus Domini super facientes mala. Sic Gen. 27. Curre ad boues, & accipe inde mihi duos hædos, simul pascebantur oues & hædi, sed quia potiores sunt oues & hædi, etiam caprinum pecus complexus. Item 35. Hi sunt filij Iacob, qui nati sunt ei, in Mesopotamia. Manifestum enim est, longè postea natũ Beniamin, cum transisset Bethel & appropinquaret Bethlehem. Sed quia potior erat numerus undecim filiorum Iacob, qui nati fuerant ei in Mesopotamia, ipsorum commemorationem scriptura complexa est etiam Beniamin, qui non erat ibi natus. Dani. 7. Rotæ eius ut ignis ardens, id est, in curru igneo. pars pro toto. Sic unum pro multis dicere, omnis scriptura frequens usurpat. Promiscue numero plurali & singulari utitur, Psalmo decimo, uersu tertio & quarto. Similiter Hebræi in numerum non recensent mulieres & filias: quum tamen inter eos & mulieres & filiæ sint. Sic est Synecdoche, quum Paulus primæ Corinthiorum decimo, patres mare transisse dicit, utique mulieres & pueri quoq; transierunt, sed in potiore parte intelliguntur. Matthæi tertio: Omnes uenerunt ad Ioannem, ut baptizarentur ab eo. Synecdoche est, harum autem locutionum plena est scriptura.

Epithe-

¶ Epitheton, Latinè appositum, quoties proprium nomen adiecto aliquo quasi uestitur. Vel est proposita dictio proprio nomini. Nam Antonomasia uicem nominis sustinet. Epitheton nunquam est sine nomine. ut: Turpis egestas, & Tristis senectus. O scelus abominandum, O deformem libidinem, ut, Pius Æneas, sæuus Hector, formosus Alexis. Apud Poetam, Dira Cæleno, Diua Camilla, Et, Alma Ceres. Et, Obscœnique canes importunæque uolucres. Tale est in Bibliis, ut Eccles. 45. Dilectus Deo & hominibus Moses. Et: Misericors & miserator Dominus. Et: Iustum Lot oppressum. Fit etiam Epitheton modis tribus, Ab animo, A corpore, Extrinsecus. His duobus tropis aut uituperamus aliquem, uel ostendimus, uel ornamus.

¶ Onomatopœia, Latinè nominis confictio soni imitatione. Clangorque tubarum. Vergil. Tinnire, balare, mugire, Tarantara, pro cantu tubæ, & reliqua quæ significandi gratia pro tempore fingimus, ut stridor ualuarum, rugitus leonũ, latratus canum. Inueniuntur hæ & in scripturis, ut 1. Cor. 13. Cymbalum tinniens. Et Esa. 41. & 56. Quasi tuba exalta uocem tuam. Et: Canite tuba. Et Hier. Nunquid circũdabis collum equi hinnitu? Et: Rugitus leonis. Et Iob 4. Vox leenæ. Esa. 56. Canes muti non ualentes latrare. Ad hunc tropum pertinere quidam existimant sibilos serpentum, porcorum grunnitus, cæterorumque uocem confusam animantium, quæ & ipsa in scripturis sanctis sæpius reperitur.

¶ Periphrasis, Circumloquutionem siue circuitionem nominãt autores. Quæ fit aut ornandæ rei causa quę pulchra est, aut uitandæ quæ turpis est, ut Verg. 2. Æneid. Et iam prima spargebat lumine terras. Tithoni croceum linquens Aurora cubile. Et: Nimio ne luxu obtusior usus. Sic genitali aruo sulcos oblimet inertes. Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris Incipit, & nox diuum gratissima serpit. Aut tegendæ rei turpis, ut: Placidumque petiuit: Coniugis effusus gremio per membra soporem. Aut si quis euersorem Carthaginis & Numantiæ pro Scipione dicat, ut Troiani belli scriptorem dixit Horatius pro Homero. Item si Mantuanus uates ponatur pro Vergilio, Venusinus poeta pro Horatio. Peripateticæ scholæ princeps, pro Aristotele: Stoicæ familiæ pater pro Zenone, Voluptatis assertor, pro Epicuro. Hæc figura & in sacris literis nõ est rara. Sic Iudic. 5. Qui ascendetis super nitẽtes asinas, id est, patricij & optimates estis. Itẽ, Qui sedetis in iudicio, id est, uos iudices. Et qui ambulatis in uia, id est, proletarij, uulgus et plebei, Gen. 49. Inuiderunt ei habentes iacula, id est, balistarij. Sic etiam Psalm. 20. Posuisti in capite eius coronam de lapide precioso, id est, constituisti eum regem & dominum dominantium. Esaiæ 22. & 27. Vallis uisionis est periphrasis urbis Hierusalem. Omnis uallis uisionis, uallis opima, Esa. 28. Ephraim, Tribunali præsidere, pacis est. Hostem uerò à muro arcere, belli. Item, Væ Ariel Ariel, id est, Hierosolyma. Puluerẽ pedum tuorum lingent, periphrasis est summæ humiliationis ac deditionis. Hostes tuos cibabo tuis carnibus: circumloquutio crudelissimæ ultionis. Item Paulus ueritatem splendide producit, cum ait: Scimus quoniã si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem habemus ex Deo, domum non manufactam æternam in cœlis. Fœditatem euitans, ut: Nam fœminæ eorum immutauerunt naturalem usum qui est contra naturam, Rom. 1. cap.

¶ Allegoria, Latinè permutatio. Tropus orationis est, quam inuersionem interpretantur, cum aliud uerbis, aliud sensu ostenditur, ac etiam nonnunquam contrarium. Prius, ut: O nauis referent in mare te noui. Fluctus, ò quid agis fortiter occupa portum. Totusque etiam ille Horatij locus, quo nauim pro republica: fluctuum tempestates pro bellis ciuilibus: portum pro pace atq; concordia dicit. Tale Lucretius, Inuia Pieridum peragro loca. Vergil. Sed nos immensum spacijs confecimus æquor. Et, iam tempus æquum spumantia soluere colla. Hoc est carmen finiri. Sine translatione uerò Vergil. in Buco. Certè equidem audieram, qua se subducere colles, Incipiunt mollique iugum demittere cliuo, Vsq; ad aquam & ueteris confracta cacumina fagi. Hoc enim loco præter nomen cætera propriis decisa sunt uerbis. Verum non pastor Menalcas, sed Vergilius est intelligendus. Huic simile est illud Matth. 3. Ventilabrum eius in manu erit, & purgabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum: paleas autem comburet igni inextinguibili. Hic totus locus est Allegoria quædam: nam aliud intelligi debet, quàm quod propria uerborum significatio poscit: nempe Christum iudicaturum esse, & sanctos seruaturum, perditurumque sontes. Item Ioan. 4. Leuate oculos uestros, & uidete

dete regiones, quia albæ ſunt iam ad meſsẽ. Hoc eſt, intelligite, quia populi ſunt iam parati ad credendum. Eſa. 2. Parabitur mons domus Domini, pro, inſtaurabitur & ſublimabitur, populus Iſraeliticus in Chriſto. Non ut ipſe populus magnus ſit futurus, ſed is qui de illo populo ſecundum carnem eſt. Item & dicatur Zion, populus meus es tu: Zion hic eccleſia eſt, quod in Pſalmis paſſim obuiam fit. Item Eſaias Allegoriam à torculari & uindemia tractat, quòd humiliationis, crucis & mortis Chriſti gloriam denotat. Talium in ſacris libris ſunt innumera. Species eius nominantur hæ, Ænigma, Parœmia, Ironia, Sarcaſmus, Aſtyſmus, Myſteriſmus, Antiphraſis, Charientiſmus.

¶ Ænigma, Obſcura quædam allegoria uel quæſtio magis uitium Fabio, quàm uirtus, cum dilucide dicere uirtutis nomine commendetur. Hinc, opinor, motus Diomedes, & uitijs & uirtutibus connumerat. Cuius exemplum aptiſſimum extulit Heſiodus Georg. 3. πλέον ἥμισυ παντός. Dimidium plus toto. Quod Plato libro de Leg. 3. exponit multis uerbis. Quæ omnia huc tendunt. Satius eſt ἀδικεῖσθαι, quàm ἀδικεῖν. Hoc eſt, Iniuriam pati quàm inferre. Eſt enim eiuſmodi oratio, è qua propter obſcuritatem nihil certi eſt colligere. Vel eſt obſcura ſententia per occultam ſimilitudinem. Vergil. Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo, Tris pateat cœli ſpacium non amplius ulnas. Mater me genuit, eadem mox gignitur ex me. Cum ſignificat aquam in glaciem conuerti, & ex eadem rurſus effluere. Tale eſt illud in ſacris literis, ut: Pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi eius in ſpecie auri. Cum ſignificet eloquia ſcripturę ſpiritalis diuino lumine plena, ſenſum uerò eius interiorem maiori cœleſtis ſapientiæ gratia refulgentem. Vel certè uitam ſanctæ eccleſiæ præſentem, uirtutum pennis gaudentem: futuram autem, quæ in cœlis eſt æterna cum Domino caritate futurã. In libris Iudicum ænigma Samſonis eſt de ſubacto leone. De comedente exiuit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo. Et in Euangelijs: Vbicunq; fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ: ſignificans aduolaturos ad ſe electos Chriſtus, tempore aduentus ſui. Ezech. 17. Item fili hominis pone ænigma, & narra parabolam. Aquila grandis, magnarum alarum, &c. Et Iudic. 9. Venerunt ligna ſyluarum. Et in eodem lib. De comedente exiuit cibus, &c. pertinet ad allegoriam, quia aliud dicit, aliud ſignificat. Item Ezech. 23. Duæ mulieres filiæ matris ſuæ fuerunt, quæ fornicata ſunt in Ægypto, &c. 4. Reg. 14. Carduus Libani miſit, &c. Hoc genus ſimilia in ſcripturis obſerua.

¶ Parœmia. Latinè adagium, dictum eſt celebrè aliqua nouitate inſignè. Vel accõmodatum rebus, temporibusq; prouerbium, ut: Lupus eſt in fabula. Terent. quum ſilentium moneat. De cuius ratione quid attinet dicere cum in omnium manibus ſint Eraſmicæ Chiliades, obſerua in ſacris libris, ſi qua occurrerint. Qualia ſunt 1. Regum 10. Num Saul inter prophetas? Modicum fermentum totam maſſam inficit. 2. Pet. 2. Canis ad uomitum rediens. Cecinimus uobis, & nõ ſaltaſtis. Item unde exit prouerb. Gen. 10. Quaſi Nimrod robuſtus uenator coram Domino. Idcirco dicitur in prouerbio: Venite in Eſebon, ædificetur & cõſtruatur ciuitas Seon, &c. 1. Reg. 27. Ab impijs egredietur impietas. Sermo dicebatur in ueteri prouerbio 2. Reg. 20. Qui interrogant, interrogent in Abela. Ezech. 16. Ecce omnis, qui dicit uulgò prouerbium in te aſſumet illud, dicens: Sicut ita & filia eius. Et cap. 12. Fili hominis, quod eſt hoc prouerbium in terra Iſrael dicentium: In longum differentur dies, ideo peribit omnis uiſio. A quibus exit prouerbium maledictionis. Hier. 21. Ponat te Dominus ſicut Acham & Sedechiam: quos rex Babylonis frixit in igne. Pſalm. 115. Omnis homo mendax. Acto. 9. Durum eſt tibi contra ſtimulum, &c. His parœmijs ſcriptura refertiſſima eſt, nonnulla in Tropis communibus latius explicauimus.

¶ Ironia, Illuſionem, ſimulationem, irriſionem uocant, quæ non ex uerbis, ſed uel pronunciatione, uel perſona, uel rei natura intelligitur. Vel, eſt tropus per contrarium quod conatur, oſtendens: ut Vergil. Æneid. 4. Egregiam uerò laudem, & ſpolia ampla refertis, Tuq; puerq; tuus, magnum & memorabile nomẽ. Vna dolo diuum, ſi fœmina uicta duorũ eſt. Terent. Heus tu bone uir, curaſti probè. Huic ſimile eſt illud. 3. Reg. 18. Clamate uoce maiore. Deus eſt enim Baal, & forſitan loquitur, aut in diuerſorio eſt, aut in itinere, aut dormit, ut excitetur. Et Amos 4. Venite in Bethel, impiè agite ad Galgalã, & multiplicate præuaricationem. Matth. 11. Et iuſtificata eſt ſapientia à filijs hominum. Mat. 9. Dormite iam & requieſcite. Et Hier. 46. Quia ſacrificium erit Domino, &c. Intelligit magnam cædem fore iuxta Euphratem: lepidiſſ. ironia Hebr. quòd eadem uox quę

ſacrificium, ſignificat etiam mactationẽ. Ecce duo gladij hic. Et reſpondit: Satis eſt. Ioan. 10. Si illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, uos dicitis me blaſphemare, quia dixi filius Dei ſum. Ioan. 6. Ecce rex ueſter. Actor. 25. Neſciebam fratres, quod pontifex eſſet. Gen. 3. Ecce Adam quaſi unus ex nobis. Eſa. 57. Quin iuſtitiam tuam, & opera pro dam. Pſal. 91. Sperauit in Domino, eripiat eum.

¶ Sarcaſmus, iocus amarulentus, atq; hoſtilis derisio, & plena odio: aut quũ uictor uictum irridet. ut Vergil. 10. En agros, & quàm bello Troiane petiſti, Heſperiam metire iacens, hæc præmia qui me. Et in ſacris Matth. 27. Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere: Si filius Dei eſt, deſcendat nunc de cruce, & credamus ei. Et: Aue rex Iudæorũ. Pſal. 21. Sperauit in Domino, eripiat eum, ſaluum faciat eum, quoniã uult eum. Hier. 23. Ecce ego reputabo uos onus eſſe: quaſi diceret Dominus: Onus eſtis ideo, & abijciam uos, quia planè onus mihi & moleſtiã adfertis. Et alibi: Vbi ſunt dij tui: uſq; ſurgant & liberent te in die afflictionis. Et: Quis ex omnibus dijs regionum, qui eripuerit de manu mea terram ſuam? Et ſcilicet Dominus, liberabit de manu mea Hieruſalem? Forma nanq; eſt Ironiæ. Geneſ. 43. Ecce magiſter ille ſomniorum uenit: cum acerbitate. Et ille, emphaſim habet, ille peruerſus ſcilicet.

¶ Aſtyſmus, Vrbanitas orationis, quaſi feſtiuitas. Vel longè petitus iocus eſt, adeoq; inexpectatus, de re aliqua abſurda, ut: Vergil. Eclog. 3. Qui Bauium non odit, amet tua carmina Meui, Atq; idem iungat uulpes & mulgeat hircos. Tale eſt, & illud Gal. 5. Vtinam & abſcindantur qui uos conturbant. Nec abeſt ab Aſtyſmo, id quod apud Ioannẽ eſt: Si cæci eſſetis, peccatum non haberetis. Poſitus eſt in ſcommate hic Tropus.

¶ Myctériſmus, Simulatus riſus, ſed tamen non latens, quòd Perſius naſo ſuſpendere uocat, in geſtu magis eſt quàm in uerbis. Nam myctér ſignificat naſum, fitq; cum naſum ſuſpendit, qui faſtidit aliquid. Tale eſt illud Exo. 14. Forſitan nõ erant ſepulchra in Ægypto. Subſannatio ualde amara & aceiba, cum indignatione in Deũ iaciunt. Eſa. 10. Viſitabo ſuper fructũ magnifici cordis regis, uel iſtum magnificum dicit Hebr. Exo. 10. Sic fiet, Dominus ſit uobiſcum, eſt ſermo cum naſo & ſanna: ſic fiat, Dominus uobiſcum, quemadmodum dimiſſurus ſum uos cum paruulis ueſtris. Et 1. cap. In hoc cognoſces, quòd ego ſum Dominus, eſt ſermo minax & ſeuerus.

¶ Antiphraſis, eſt unius uerbi ironia, ut quum ſtolidum ac pinguem, acutum dicimus, & bellum dicitur, hoc eſt minimè bellũ: Lucus, quod minimè luceat: Parca, quod minimè parcant. Item in ſacra ſcriptura, ut: Amicè ad quid uenisti? Et Gen. 38. Vbi eſt ſancta? meretricem per Antiphraſim ſanctã uocat. Sic benedicere, pro maledicere. Iob 2. & 3. Inter Ironiam & Antiphraſim hoc diſtat, quod Ironia pronunciatione ſola indicat, quod intelligi uult. Antiphraſis uerò, non uoce pronunciantis ſignificat contrariũ, ſed ſuis tamen uerbis, quorum origo contraria.

¶ Charientiſmus eſt tropus, quo dura reipſa, gratioſis uerbis molliũtur. Terent. Bona uerba quæſo, quum piſtrinum deprecaretur Dauus. Quod Plato de Repub. primo, euphemin dicit. Non admodũ abſimilis eſt antiphraſi, nempe cum dura molliorib. uerbis per iocũ notantur. Vt cũ interrogantibus nobis: num uos quæſierit aliquis? Reſpondetur, Bona fortuna. Exinde intelligitur, neminẽ nos quæſiſſe. Simile eſt illud Gen. 29. Non'ne pro Rachel ſeruiui tibi, quare impoſuiſti mihi. Vno enim uerbo iniuriã quòd patiebatur grauiſſimam temperantius loquens ſignificauit.

¶ Homœoſis, id eſt ſimilitudo. Eſt minus notæ rei, per ſimilitudinem eius, quæ magis nota eſt, demonſtratio, ut Pſal. 122. Ecce ſicut oculi ſeruorum, &c. Et ſicut oculi ancillæ. Huius ſpecies ſunt tres, Icon, Parabole, Paradigma.

¶ Icon, Imago uel comparatio, cum quippiam ad imaginẽ alterius rei quaſi deſcribimus. Vel perſonarum inter ſe, uel eorum quæ perſonis accidunt, comparatio: ut Vergil. 1. Æneid. Os humerosq; Deo ſimilis. Hic enim ad Dei imaginem, Æneam compara uit poeta. Simile eſt illud in ſacra ſcriptura Ioan. 1. Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi unigeniti à patre. Et Matth. 22. Neq; nubent, neq; ducent uxores, neq; enim ultrà mori poterunt, æquales enim angelis erunt.

¶ Parabole, quam Cicero collationem interpretatur. Ea eſt (inquit Beda presbyter) rerum genere diſſimilium cõparatio, ut: Qualis mugitus fugit cum ſaucius aram Taurus, & incertam excuſſit ceruice ſecurim. Simile eſt illud Matth. 13. Simile eſt regnum cœlorum grano ſynapis. Pſal. 1. Et erit ſicut arbor plantata, &c. Et 16. Sub umbra alarum

tuarum.

tuarum. Et Ioan.3. Sicut Moſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis. Sicut paterfamilias ſinit zizaniam creſcere ad meſſem uſq;, ita in eccleſia Chriſtus: nam id propriè dicitur parabola, cum in hunc modum alicuius uulgaris rei comparatione, noſtrum inſtitutum illuſtramus, ut Cicero pro L. Murena, Quod ſi portum ſoluentibus hi, &c.

¶ Paradigma, exemplum. Eſt propoſitio, ſiue enarratio exempli hortantis aut deterrentis. Horatius, ut Antenor potuit medius elapſus Achiuis Illyricos penetrare ſinus, atq; intima tutus? Deterrentis, ut, At nòn ſic Phrygius penetrat Lacedæmona paſtor. Lædeamq; Helenam Troianas uexit ad urbes. Simile eſt illud. Exhortantis, ut Iacobi 5. Helias homo erat ſimilis nobis, paſſibilis, & orationem orauit, ut non plueret ſuper terram, & non pluit annis tribus, & menſibus ſex. Et Matth.6. Reſpice uolatilia cœli, quoniam non ſerunt, neq; metunt, neque congregant in horrea, & pater ueſter cœleſtis paſcit illa. Et Pſalm.1. Et erit ſicut arbor plantata, &c. Deterrentis, ut: In illa hora qui fuerit in tecto, & uaſa eius in domo, non deſcendet tollere illa, & qui in agro ſimiliter non redeat retro. Memores eſtote uxoris Lot. Eſa. 19. Lege quæſo iſtum, &c. ut, Non ſic impij, ſed tanquam.

¶ Hyperbaton, Tranſgreſſio uel tranſcenſio quædam uerborum, ordinem communem perturbans, ut Vergil. Tres naues abreptas Nothus torquet in ſaxa, quæ ſaxa, in medijs fluctibus latentia, Itali uocant aras. Hæc Hyperbata in Paulo multa reperiuntur, ut interim per digreſſionem alteram ſententiam immiſceat, priuſquam unam cœptam abſoluat, & id ex affectu inſigni & uberi frequenter ſolet fieri ab Apoſtolo, ut Roman.3. oſtendit Iudæos nihil meliores eſſe gentibus, cum per diuina eloquia, Legem, ſcilicet et prophetas nihilo ſint gentibus incontaminatiores, quamuis in ſpeciem legem ſimulauerint. Et Eſaias. Et iſta ratione aufert omnem fructum peccati eius. Vel, Iſte omnis fructus, aut auferatur peccatum eius. Vides ut aufert interpoſita ſic ornatus gratia? pro aufert germen. Pſal.36. Ne æmuleris in eo qui proſperatur in uia ſua, &c. Et adhuc puſillũ, &c. Et filiæ Tyri, &c. Alij ſynchyſis dicitur Pſal.67. Si dormiatis inter cleros, &c. Cuius ſpecies ſunt: Diaclyſis, Synchyſis, Hyſteron, Proteron.

¶ Dialyſis, ſiue Parentheſis, Ordinis diſſolutio per interpoſitam ſententiam, ut: Æneas (quanquã & ſocij dare tempus humandi Præcipitant curæ, turbabatq; funere mẽs eſt) Vota Deum primo uictor ſoluebat Eoo. Æneas (neq; enim patriam conſiſtere mentem paſſus amor) rapidum ad naues præmittit Achatem. Iob 16. Etiam (ſi liceret) diſputare uiro cum Deo, & filio hominis cum proximo ſuo, per Parentheſin occurrit tacitę obiectioni. Et Eſa. 20. Qui mortui ſunt uiolenti homines, non uiuunt, &c. Mortuos & uiolentos iunxit Eſaias, uelut ſubiectum & adiectum, &c. Non uiuunt, ornatus gratia per Parentheſim interpoſuit. Tale eſt illud Apoſtoli ad Gal.2. Qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatum circũciſionis, operatus eſt mihi inter gentes. Et cum cognouiſſent gratiam quæ mihi data eſt. Iacobus & Cephas & Ioannes, dexteras dederunt mihi & Barnabæ ſocietatis. Sic ad Rom.1. promiſerat. Quæ incipit hoc loco & finit, ubi dicitur omnipotentia.

¶ Anaſtrophe, reuerſionem, inuerſionem aut peruerſionem rectè dixeris. Eſt uerborum tantum ordo præpoſterus. Vel eſt quando promimus ordine conuerſo ſententiã: ut mecum, ſecum: pro cum me, & cum te. Italiam contra, Pro contra Italiam, apud Vergil. in 1. apud Oratores & Hiſtoricos, quibus te uerbis: pro quibus uerbis. Tale eſt illud Iob 5. Quamobrem ego deprecor Dominum: pro, ob quam rem. Pſalm.23. Hic accipiet benedictionem à Domino & miſericordiam à Deo ſalutari ſua ſcriptura in uſu habet primò miſericordiam ponere, deinde benedictionem. Pſal.66. Deus miſereatur nobis, & benedicat nos.

¶ Diacope, Diaſtole, ſiue Tmeſis, Latinè ſeparatio, diſſectio: cum inter duo eadem uerba diuerſum ponitur aliquod medium, ut: Culpatus ne Paris diuum inclementi diuum. Et duc age, duc ad nos. &: Scis Proteus, ſcis ipſe. Vel, Cum ſcilicet dictionis compoſitæ iunctura ſoluitur aliquo interpoſito, ut: Talis hyperboreo ſeptem ſubiecta trioni, Cum ſeptentrioni dicendum fuiſſet. Et multum nebulæ circum dea fudit amictu. Hæc ſpecies licet in ſacra ſcriptura facilè non inueniatur, tamen habetur in Chriſtiano poeta, ut eſt: Hiero, quem genuit Solymis, Dauidica proles. hoc eſt Hieruſalem.

¶ Hyſterologia, uel Hiſteron proteron, eſt ſententia cum ordo uerbis mutatur. Vel,

quum id, quod (Petro Mosellano definitore) secundo loco fit, priorē in orationis ordine possidet. Torrere parant flammis, & frangere saxo. Et Vergil. primo: Post altos tetigit fluctus, & ad æquora uenit. Prius enim franguntur fruges, & postea coquuntur, & antè ad æquora uenit, & sic tetigit fluctus. Tale est illud Esa. 30. Tulerunt iumēta per uiā australem. Quū propheta antea prodidisset se scire quomodo usq; Zoanā & Hanesam penetrauerint, iam redijt ad itineris descriptionem, id quod Hebræis familiare. Et Psal. 23. Hic accipiet benedictionē à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo: prius enim Dominus miserando iustificat impiū, & sic benedicendo coronat iustum. Exo. 14. Iunxit ergo currum suum, & omnem populum suum sumpsit secum. Est Protysteron, prius pro posteriore, לקח pro, נחג sumpsit pro duxit, er nam, hoc est, er furt. Item 8. Fecerunt sic incantatores incantationib. suis, &c. Quomodo dicuntur feciſſe quod non potuerunt? Facere capitur pro conari & ordiri rem, ut facerent, posterius pro priori Hysteron Proteron est. Esa. 39. Sic & populus fœnum est.

¶ Hyperbole, Latinè superiectio uel excessus, autore Fabio, Dementiens est superiectio, ut quæ fidem non mereatur augendi, minuendi'ue causa. Vel est dictio fidem excedens augendi minnuendi'ue causa. Augendi, ut Fulminis ocyor alis. Niue candidior. Ocyor Euro uita nostra: apud Horatium dicitur, In cœlum scopuli. Minuendi, ut Tardior testudine, Vix ossibus hærent. Augendi. Hier. 31. Ad cœlum usq; peruenit, id est, ad excelsum, altum. Simile est illud Gen. 15. Faciamq; semen tuum sicut puluerem terræ. Terram lacte & melle manantem, qua fertilitas & abundantia terræ illius demonstratur. Item illud Psalm. 6. Lauabo per singulas noctes lectum meum, &c. Et 106. Ascendunt usq; ad cœlos & descendunt usq; ad abyssos. Sunt autem alia multa quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundū capere posse eos qui scribendi sunt libros. 2. Reg. 1. Aquilis cœli uelociores, leonibus ferociores. Minuendi, ut Leuit. 20. Terrebit te sonitus folij uolantis. Et Hier. Tren. 4. Nigrata super carbonem facies eorum. Item, Regio Sodomorum sicut hortus Domini prædicatur. Gen. 13. Ita æneum cœlum & terra ferrea: an non sunt Hyperbolæ? Sic in Esa. 7. Relictis in terra promittit butyrum & mel omnes comesturos. Et terram undiq; plenam fore spinis & tribulis: certè utrunq; Hyperbole est. Etenim lingua sancta, more ueterum sapientum, parabolis, allegorijs, metaphoris, alijsq; tropis quò Dei iussu & monita penitus in animis rudium figat, licentiosissimè utitur. Iudic. 7. Camelorū eorum non erat numerus. Abac. 2. Lapis de pariete clamabit. Iudic. 6. Instar locustarum uniuersa complebant. Faciamus nobis turrim, cuius culmen perringat usq; ad cœlum. Iob 16. Facies mea denigrata & facies conturbata, & adustione lachrymarum fœdata. Miram obnubilationem ac seueritatem, siue maximum fletum & iustitiam præ se ferre ostendit.

¶ Emphasis, Latinè denotatio, significatio, demonstratio, expressio, Siue cum latens aliquid unà significatur, siue expressior denotatio. Vel altiorem præbens (inquit Fabius) intellectum, quàm quæ uerba per seipsa declarant. Hæc cum multis fiat modis, hunc habet præcipuum, quoties fixum pro mobili ponitur, ut scelus pro scelesto, &c. Exod. 8. Nec hoc ad cor posuit Pharao: Emphasim habet, quasi dicat. Nec eum mouebat etiam tantum periculum. Et Gen. 30. Pertransibo per omnem gregem tuum hodie. Hodie, emphasim habet. Sed plena est passim scriptura, quamobrem duximus omittenda esse exempla. Psal. 23. Delicta iuuentutis & ignorantias meas ne memineris. Secundum misericordiam tuam memento mei tu propter bonitatem tuam Domine, in quo fecit intelligi non propter meritum meum.

¶ Allœosis, Latinè diuisio, separatio. Tropus est (Plutarcho autore) quo consuetus ordo siue ratio commutatur: cum scilicet propter affinitatem aliquam passionū Grammaticarum fit de una ad aliam saltus aut permutatio: paulò antè Theologi proprietatum communicationem uocabant. Est ergo allœosis desultus siue permutatio, qua de altera in eo natura loquentes, alterius uocibus utimur. Vtquū Christus perhibet filium familias à colonis trucidandum, cum filius familias diuinitatis eius nomen sit, pro humana tamē natura accipit: secundū enim istam mori potuit, secundum diuinā minimè. Quumq; inquam de altera natura prædicatur quod alterius, id eadem est allœosis, aut idiomatum cōmunicatio, aut commutatio. Sic Ioan. 1. Verbum caro factum est, & Deus homo factus est, per Allœosim dicunt. Et Ioan. 3. Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo. Et ibid. Sicut Moses exaltauit serpentem,

ita

ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in eum, habeat uitam, &c. Bis habemus hic filium hominis, sed non eiusdem naturæ significationis. Exaltatur & crucifigatur filius hominis, & est in cœlo filius hominis, qui nondum ascenderat.

¶ Anagoge, Ascensus est à uisibili ad inuisibilem. 2. Cor. 3. Nos autem retecta facie. A speculo ad Dei claritatem ascendens. Et 2. Corinth. 1. A sponsalijs ad animæ cum Deo desponsationem ascendit. Sic Esa. 38. subducitur prophera à Cyro ad Christum. Sic facit Ioannes anagogam ab aqua ad spiritum. 1. Corinth. 5. Expurgate uetus fermẽtum, ut sitis noua consperſio. Familiaris est scripturis tropus ille.

¶ Catagoge, Descensus à generali ad singularem. Et Catagogæ sumptæ sunt à diuinis hominibus: ut si quando aduersus fastuosissimum esset inuehendum, iam per Catagogen, id est, descensum ei tribuerent, quod Luciferi esset, ut Esa. 14. Adparet uulgarem fuisse apud Hebræos sententiam de casu Luciferi, etiamsi sacris de eo literis nihil aliud apertè significatum sit, quàm cecidisse eum æternis rudentibus alligatum, serpentis persona indutum, seduxisse primos parentes: at nunc insidiari non aliter, quàm ab exordio, &c. Sic in adducto cap. Esa. omnia Babylonio regi tribuuntur, quæ Lucifero competunt.

¶ Antiptosis est, quando casus pro casu ponitur, ut quum Lamed quod est signum dandi casus, ponitur pro Eth quod est signum accusandi, ut Exo. cap. 27. & Psalm. 115. Nam illud Lamed redundat, aut ponitur uice Eth, quod est dictu, datiuus ponitur pro accusatiuo. Et in Euangelio, Sermo quem audistis, non est meus.

¶ Catachresis, id est abusio, est quotiens aliena rerum nomina non habentibus commodantur, ut Psalmo 74. Omnia cornua peccatorum confringam, & exaltabuntur cornua iusti.

¶ Diaphoresis, id est, differentia, figura est per quam fit personarum differentia ut inter iustum & impium. Psalm. Mutuatur peccator & non soluet, iustus autem miseretur & commodat. Et rursus: Quoniam benedicentes possidebunt terram: maledicentes autem ei desperibunt.

¶ Diatyposis, id est, formatio, dispositio, expressio, figura est ubi rebus personis'ue subiectis, & formæ ipsæ, & habitus exprimuntur, ut habetur in Psalm. 30. Saluam fecisti de necessitatibus animam meam. Hæc conclusisti me in manus inimici. Statuisti in loco spacioso pedes meos. Miserere mei Domine quoniam tribulor. Conturbatus est in ira oculus meus, &c.

¶ Epexergasia, id est, diligentis figura, quæ fit quoties uni causæ duas probationes apponimus. ut Psal. 36. In diebus famis saturabuntur, quia peccatores peribunt, & inimici Domini mox ut honorificati sunt, deficient, &c.

¶ Epicherema, id est, conamen, ratio, approbatio, quæ fit quoties rem de qua agitur per exemplum aliquid probare contendimus. Psal. 26. Dominus illuminatio mea, &c. dum appropiant super me noc. &c.

¶ Epidiorthosis, id est, correctio, superioris rei cognitio, ut Psalmo 61. Salus mea, refugiũ meũ, non mouebor amplius, uel multũ: in quo significat se aliquando motũ.

¶ Epimone, id est, perseuerantia, assiduitas, quæ figura fit quando similia dicta crebra repetitione geminantur, ut Psalm. 12. Vsq; quò Domine obliuisceris me in seculum, usq; quò exaltabitur inimicus, &c. Et Psal. 28. Afferte Domino filij Dei, afferte Domino gloriam, &c. Psal. 1. Qui habitabit in cœlis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos. Psal. 18. Cœli enarrant, &c.

¶ Epitrochasmos, id est, supereffusio, figura quæ succincte ea quæ sunt effusius dicenda perstringit, ut Psal. 22. Dominus regit me, &c. in quo breuiter dixit quod in subsequentibus latius enumerauit. Et 69. Deus in adiutorium meum, &c. in quo uersu quę latius sentienda sunt, breuiter explicantur.

¶ Exetasmos, id est, exquisitio, quæstio, figura quum res plures diuisas cum interrogatione exquirentes singulis quæ conueniunt applicamus, ut Psal. 23. Quis ascendet in montem Domini, &c. Innocens manibus, &c. Et 14. Domine quis habitabit, &c. Qui ambulat sine macula.

¶ Hyperthesis, id est, Superpositio, superlatio, figura est, quum aliquam rem opinione omnium notam sententia nostra superare contendimus, ut Psal. 17. Et ascendit, & uolauit, uolauit super pennas uentorũ. Et 50. Lauabis me & super niuem dealbabor.

¶ Leptologia, id est, subtilis locutio, quando res singulę minutatim & subtiliter indicantur, ut Psal. 51. Dilexisti malitiam super benignitatem, iniquitatem magis quàm loqui æquitatem. Dilexisti omnia uerba, &c.

¶ Metriasmos, id est, mediocritas, quæ fit quoties rem magnam mediocri relatione proferimus, ut Psal. 30. Factus sum tanquam uas perditum. & 34. Ego autem quũ mihi molesti essent, induebam cilicio. Humiliabam, &c. 68. Ego sum pauper, & dolens.

¶ Parison, id est, æquale, quãdo duæ res ediuerso ponuntur, sed una magis eligitur, ut Psalm. 83. Melior est dies, una, &c. Et, Elegi abiectus esse, &c. Psalm. 91. Vir insipiens.

¶ Peusis, id est, interrogatio, ubi interrogatio fit, & responsio subsequitur, ut Psal. 4. Multi dicunt, Quis ostendit nobis bona? signatum est super nos lumen, &c.

¶ Prophonesis, id est, exclamatio, quæ fit quoties inter alia quæ loquimur ad Deum subitò, uel ad quempiam uerba conuertimus, ut Psal. 54. Veniat mors super illos, &c. Ego autem ad Deum clamaui.

¶ Hypodigma, siue exemplum, Esa. 1. cap. Cognouit bos possessorem, & asinus præsepe Domini sui, Luc. 10. Homo descendit ab Hierusalem in Iericho, &c. Matth. 20. Homo erat paterfamilias, qui plantauit uineam.

¶ Antistathmisis est retributio, Psal. 125. Qui seminant in lachrymis, inexultatione metent. Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua. Venientes autẽ uenient cum exultatione portantes manipulos suos.

¶ Somatopœia, id est, corporis factitio seu attributio, quãdo rebus incorporeis corpora tribuuntur, ut Psal. 84. Misericordia & ueritas obuiauerunt sibi, iustitia & pax osculatæ sunt. Num cum misericordia, & ueritas, & pax & iustitia incorporea sint, duabus gressum, duabus dedit amplexum, quod neq; constat esse corporeum.

¶ Syncrisis, est comparatio rerum atq; personarum inter se contrariarum, Psal. 19. Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri magnificabuntur. Psal. 25. Ne simul perdas cum impijs animã meam, & cum uiris sanguinum uitam meam. In quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus. Ego autem in innocentia mea ingressus sum, redime me, & miserere mei. Paulus ad Galatas Allegoriam appellat.

¶ Syndicasmus, est collatio, quando sibi aut personæ, aut causæ, siue ex contrario, siue ex simili comparantur, Psal. 11. Eloquia Domini, eloquia casta. Hic enim eloquia diuina laudantur, superius uerò sermo humanus arguitur, Psalm. 76. Deus in sancto uia tua, quis Deus magnus sicut Deus noster?

¶ Synchoresis, est concessio, quoties aliqua importunè desiderantibus cõceduntur, quæ ad utilitatem illorum pertinere non possunt, ut Psal. 77. Et manducauerunt, & saturati sunt, & desiderium eorum attulit eis, &c.

¶ Cat'antilexis, Latinè ad uerbum dicatur, Psal. 16. Exurge Domine, præueni eos, & supplanta eos, eripe animam meam, ab impio framea meam. Vno enim uerbo diffiniuit quid sit anima Christi, id est, framea patris, Luc. 7. cap. Fides tua te saluum fecit.

PRÆ-

PRÆFATIO AD LECTOREM.

SI cui animus est, sacras perdiscere literas, minimè ignorare debet, illas tribus contineri generibus, præceptiuo scilicet, historico, & prophetico. In præceptiuo, formas iudiciorum ciuilium præscribunt, in quibus discenda æquitas. Item purificationes ut decentissimè cum proximis uersemur, & à purificatione corporali, ad purgationem animorum transeamus, & sacrificijs nos & nostra offeramus, & multis sacrificijs ad unicum Christi sacrificium, & à multis sacerdotibus ad unum summum sacerdotem, etiam à tabernaculo manu facto ad cœlestia transeamus, ad Hebr. 8. 9. 10. In propherico quædam apertè sine typo, ita ut se offerunt contemplanda. Sed sunt plura quæ de Christo & ecclesia dicuntur, sed mediantibus ijs, qui typum Christi & ecclesiæ gesserunt. Attamen libro 2. Samuelis capite 7. quædam augustiora sunt, quàm ut Solomoni quadrent, & ea Christo appositè tribuuntur. In his etiam atq; etiam obseruandum quod in historia gestorum, quæ Christo & ecclesiæ conueniant, simul obseruandum quæ propria illis typis, quæ ue excedant typos, ut de perpetuitate regni non in Solomone & eius posteris, sed in Christo impletum. In historicò, à minoribus ad maiora procedendum, & à corporalibus ad spiritualia. Rom. 1. Vt Ægyptus mundum, Terra Chenaaz, regnum cœlorum: Mosche, Aharon, Dauid, Iosuæ, Adam, Noha, æneus serpens, Christum exprimant. Isaac, Gal. 4. electos: & Ismael, reprobos designet. Tria quoq; tempora unumquodq; habere. Præsens nempe, præteritum, & futurum. Præsens, ut illud Helisæi ad Giezi de acceptione muneris, & cætera. Futurum uerò fieri uerbo, uisione & opere. Ecce dies ueniunt (inquit propheta) dicit Dominus, & ponam domui Isael, & domui Iuda testamentum nouum. Ezechiel quoq; ita uaticinatur: Et facta est super me manus Domini, & cætera. Propheriza super ossa ista, & dices eis, Ossa arida audite uerbum &c. Gen. 22. cap. dicitur Abrahamo, ut unigenitum filium suum quem amore cõplecterur accipiat, uadatq; in terram uisionis, & sacrificet super unum montium qui demonstratus ei fuerit. Præteritum quidem uti illud Mosche Gen. 1. de omnium rerum commendatione, quomodo omnia facta sunt, quæ antea doctissimis etiã philosophis erant ignota, ipse cognouerit. Hoc quoq; scire eum oportet, sacram scripturam. Primò secundum literam intelligendam. Secundò iuxta Allegoriam, hoc est, intelligentiam spiritualem. Tertiò secundum futurorum beatitudinem. Etiam id summè obseruandum quod Augustinus in Genesi ad literam admonet, quod in libris omnibus sanctis intueri oporteat, quæ illi æterna intimentur, quæ facta narrentur, quæ futura prænuncientur, quæ agenda præcipiantur, uel moneantur.

CANONES CENTVM QVINQVAGINTA ET VNVS.

CANON PRIMVS.

NThropopathos, id est, humano affectu, seu anthropicos nullibi nõ loquitur Deus, sacra in scriptura, multifariamq; id facit, uel à membro, uel à sensu, uel à motu animali, &c. Rebus enim quæ in creatura inueniuntur, solet scriptura diuina uelut infantilia oblectamenta formare, quibus infirmorũ ad quærenda superiora, & inferiora deserenda pro suo modulo, tanquam passibus moueretur affectus. Quæ uerò propriè de Deo dicuntur, quæque in nulla creatura inueniuntur perraro ponit, sicut illud quod est ad Mosche Exodi tertio: Ego sum qui sum (uel ero qui ero) & qui est misit me ad uos.

2 *A membro.*

Psal. 10. Palpebræ eius scrutantur filios hominum. Et Psal. 33. Oculi Domini ad iustos & aures eius ad clamores eorum. Deut. 8. Vt ostenderet tibi quòd non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo quod egreditur de ore Dei. Esa. 45. Apud memetipsum iurauí dicit Dominus. Si egredietur ex ore meo iustitia. Psal. 33. Vultus Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum. Ezech. 1. Facta est super eum manus Domini. Lucæ 1. Et manus Domini erat cum illo. Psal. 17. Inclinauit cœlos & descendit & caligo sub pedibus eius. Psalm. 117. Dextera Domini excelsa, dextera Domini fecit fortitudinem.

3 *A sensu.*

Psalm. 32. De cœlo respexit Dominus, uidit omnes filios hominum. Item Psal. 3. Voce mea ad Dominũ clamaui & exaudiuit de mõte sancto suo. Psal. 21. Nec auertit faciem suã à me, & cum clamarẽ ad eum exaudiuit me. Gen. 8. Odoratus est Dominus odorẽ suauitatis. Iob 1. Sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi. Psal. 143. Tange montes & fumigabunt. Et 49. Nun quid comedam carnem taurorum aut sanguinem hircorum potabo. Ioan. 4. Meus cibus est, ut faciam uoluntatẽ patris mei qui in cœlis est. Item eodem capite: Ego cibum habeo manducare quem uos nescitis. Gen. 3. Audiuit Adam Deum deambulantem in paradiso post meridiem & abscondit se.

4 *A motu animali.*

Esa. 63. Conculcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea, & aspersus est sanguis eorum super uestimenta mea, & omnia indumenta pollui. Psal. 6. Domine ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me.

5 *A motu corporali.*

Sophon. 3. Propter hoc expecta dicit Dominus in die resurrectionis meæ. Psalmo 64. Exurgat Dominus & dissipentur inimici tui. Psal. 7. Exurge Domine Deus in præcepto quod mandesti.

6 *A passionibus animæ.*

Genes. 6. Pœnitet enim me fecisse hominem. Item 22. Tentauit Deus Abraham. Item eodem capite: Nunc cognoui quòd timeas tu Deum. Oseæ 4. Oblita es legis Dei tui, & obliuiscar filiorum tuorum. Sophon. 1. Scrutabor Hierusalem cum lucerna. Epheſ. 4. Ne contristetis spiritũ sanctũ Dei, in quo obsignati estis in diem resurrectionis.

7 *A passionibus corporis.*

Psal. 43. Consurge quare dormitas Domine, euigila quare proijcis nos in sempiternum. Psal. 77. Et excitatus est, tanquã dormiens Dominus, tanquam potens post crapulam uini. Item Psal. 120. Non dormiet neq; dormitabit, qui custodit Israel.

8 *Ab affectu.*

Mal. 1. Nunquid frater erat Esau ipsius Iacob dicit Dominus, & dilexi Iacob, Esau autem odio habui. Psal. 86. Dilexit Dominus portas Zion super omnia tabernacula Iacob. Zach. 8. Zelatus sum Hierusalem & Zion zelo magno.

A com-

9 *A communi gloria.*

Oseæ 2. Et desponsabo te mihi in æternum, & desponsabo te in iustitia & misericordia & miserationibus. Et desponsabo te mihi in fide, & scies quia ego Dominus. Rursusq; apud eundem prophetam eodem cap. Quoniam ipsa non uxor, & ego non uir eius, Hier. 31. Et dedi ei libellum repudij in manus eius. Item: Quoniam ego factus sum Israeli pater, & Ephraim primogenitus meus.

10 *A dignitate*

Psal. 96. Dominus regnauit, exultet terra. Psalm. 79. Qui sedes super Cherubim manifestare. Item Psal. 9. Sedisti super thronum qui iudicas iustitiam.

11 *Ab exercitio.*

Psal. 103. Qui tegis in aquis superiora eius. Amos 9. Qui ædificat in cœlum ascensum eius. Gen. 1. Et creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam, ad imaginem Dei creauit illum, masculum & fœminam creauit eos. Naum 2. Consummatū est ascendit insufflans in faciem tuam, Esa. 49. Ecce in manu mea depinxit muros tuos. A Domino enim hoc dicitur ad Israel. Item 5. cap. Et sepsit eam & lapides elegit ex illa, & plantauit uineam Soreck, & ædificauit turrim in medio eius, & torcular extruxit in ea.

12 *A loco.*

Esa. 90. Ecce Dominus ascendet super nubē leuem, & ingredietur Ægyptū. Illudq; Mich. 1. Ecce Dñs egrediet de loco suo (ac si diceret) de Hierusalē. Et descendet in furore & in ira magna, & calcabit super excelsa terræ. Dicit aūt Samariæ principes & potentes.

13 *A uestitu.*

Psal. 92. Indutus est Dominus fortitudinem & præcinxit. Item Psal. 44. Accingere gladio tuo, super femur tuum potentissimè. Item Psal. 103. Amictus lumine sicut uestimentum. Esa. 63. Quis est iste qui uenit de Edom, fuluis uestibus de Bosra? Sic, Formosus in stola sua gradiens in multitudine fortitudinis suæ. Item 11. cap. Et erit iustitia cingulum lumborum eius, & ueritas cinctorium renum eius.

14 *A moribus.*

Psalm. 29. Auertisti faciem tuam & factus sum conturbatus. Item Psal. 30. Ego autem dixi in stupore, proiectus sum à facie oculorum tuorum. Psalm. 73. Vt quid Domine repulisti animam meam.

15 *Ab habitu.*

Psal. & in Deuteronom. Cum firmum esse iuramentum quod iurauit, & perquàm ueritissima quæ locutus sit, huiusce modi locutione usus est. Quia eleuabo in cœlum manum meam & iurabo dextera mea.

16 *Interdum à tota uita.*

Et hoc bifariè, aliquando enim ab anima, & aliquando à corpore.

Ab anima quidem

Vt illud Esa. 1. Nouilunia uestra, & statuta tempora uestra, odit anima mea.

A corpore

Vt Oseas testatur. Caro mea (inquit) ex ipsis.

Canon 2.

¶ Odire aut proijcere & odorari quum dicitur, humana loquitur similitudine, ut nos adfectum Dei cognoscamus nostris sermonibus. Amos 5. Odi & proieci festiuitates uestras, & non capiam odorem cœtuum uestrorum.

Canon 3

¶ Dum uindictā Deus differt silere & dormitare & dormire dicit, Psal. 43. Consurge quare dormitas Dñe, euigila quare proijcis nos in sempiternum. Item Psal. 120. Non dormiet, neq; dormitabit, qui custodit Israel. Psal. 49. Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris, & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum, hæc fecisti & silui.

Canon 4.

¶ Iurat etiam quod non obliuiscar in finem operum eorum, Gen. 22. Per memetipsum iurauí dicit Dominus, quia fecisti hoc uerbum, & non pepercisti filio tuo charissimo. Quod quicunq; est ille qui ad Hebræos scripsit epistolam differens ait: Quoniam neminem habuit, per quem iuraret maiorem, iurauit per semetipsum.

Canon 5.

¶ Haud equidem putandum Deum diuinitatis mutare naturam, quum pro nobis,

nobis, aut angelus, aut ignis, aut borith nominatur.

Canon 6.

¶ Vbi decora & honesta sunt, ac pro meritò eorum qui ea sustinent, seipsum Deus facere profitetur. Vbi autem tristia & non digna Deo, dicit quidem fieri, sed non à se. Ezech. 5. Ideo patres comedent filios in medio tui, & filij comedẽt patres suos. Non enim dixit: Ego faciam, ut patres comedant filios in medio tui, & filij comedant patres suos. Quod autem decorum eorum, nec Dei maiestate uidebatur indignum, seipsum dicit facere. Sequitur enim: Et faciam in te iudicia, & uentilabo uniuersas reliquias tuas in omnem uentum, tale quid & in maledictis Deuteronomij inuenire poteris, præcipueq; capite 20. Glorificantes me glorificabo, qui autem me despiciunt, ad nihilum deducentur. Eos enim qui se glorificant, ipse glorificat. Qui autem eum despiciunt, non à Domino despicientur, uel deducentur ad nihilum: hoc enim sequebatur ut diceret, sed absolutè, Deducentur ad nihilum, non à Deo, sed pro meritis suis atq; peccatis.

Canon 7.

¶ De ore Dei quoq; procedere dicitur, & de utero & uulua, nõ quod Deus hæc membra habeat, sed quod nos naturam Domini per nostra uerba discamus. Esa. 55. Sicut erit uerbum meum, quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me uacuum, sed faciet quæcunq; uolui, & prosperabitur in his ad quæ misi illud.

Canon 8.

¶ Surgere etiam Dominus dicitur & euigilare de somno, quando consurgit in uindictam populi sui. Iuxta illud Zach. 2. Sileat omnis caro à facie Domini, quia consurrexit de habitaculo sancto suo.

Canon 9.

¶ Furorem, iram, obliuionem, & pœnitudinem ita in Deo debemus accipere, quomodo pedes, manus, oculos, aures, & cætera membra, quæ habere dicitur incorporalis & inuisibilis Deus. Non quo his patiatur perturbationibus, qui eas dono gratiæ suę extinguit in nobis, sed quo per nostra uerba Dei erga nos intelligamus ad fectum. Neque enim ira quę est ultionis libido, ita definitur in Deo ut in hominibus. Esa. 65. Isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die.

Canon 10.

¶ Mala quæ Deus fieri permittit, operà eius esse dicuntur, quia prohibere potest, idq; tamen minimè facit, Ose. 2. Ecce ego seducam eam & ponam illam quasi desertum. Esa. 63. Quare errare nos fecisti à uia tua, indurasti, &c. Roman. 1. Et tradidit eos Deus in reprobum sensum.

Canon 11.

¶ Sæpe id quod Deus potest, pro ipso opere solent accipere, Psalm. 103. Qui respicit terram, & facit eam tremere, qui tangit montes & fumigabunt. Naum 1. Increpans mare & exiccans illud, & omnia flumina ad desertum perdũcens. Iob 9. Qui dicit soli ne oriatur, & non oritur.

Canon 12.

¶ Nonnunquam nomen Domini pro ipso Domino ponunt, Psalm. Sciant quia nomen tibi Dominus, ac si diceret: Tu es Dominus. Esa. Ecce nomen Domini uenit de longinquo, hoc est, Dominus.

Canon 13.

¶ Consueuit etiam Deus aliquando tanquam ad unum loqui, quæ ad populum loquitur. Ios. 8. Ecce dedi in manus tuas regem Hai & terram ipsius, & facies Hai, sicut fecisti Iericho & regi, & prædam pecoris prædaberis tibi.

Canon 14.

¶ Comparare iram Dei, igni, gladio, aliisq; huiuscemodi sacris literis perquàm familiare est, Psalmo decimoquarto, Sagittæ tuæ acutæ potentissime. Item Psalmo 43. Accingere gladio. Abacuc tertio: Iaculorum tuorum ibunt in splendore fulgurantis hastæ tuæ.

Canon 51.

¶ Inuenimus quoque propriè locutionis esse genus, quod quidem humaniores literæ non possunt habere. Dicit enim Deus: Si esuriero non dicam tibi. Paulo; post non

non mutata persona idem ipse dicit: Immola Deo sacrificium laudis. Nos diceremus: Si esuriero, &c. Immola mihi sacrificium laudis, unde fit ut unus atque idem de se loquens, uelut alterius persona uideatur innectere, quod inter propria scripturæ diuinæ numeratur.

Canon 16.

¶ Euangelistæ interdum præoccupant rei gestæ tempus, paucis uno loco perstringunt, idipsum suo in loco latius aperiunt, ut Mar. 3. cap. inter cæteros Apostolos nominans Iudam Iscarioth, mox subiungit, Qui & tradidit eum, cum tamen Iudas tunc nõ tradiderat Iesum. At quomodo eum tradiderit 14. cap. demonstrat.

Canon 17.

¶ Quoties Euangelistæ narrant historiam & de eiectis dæmonijs loquuntur, uolunt illorum uerba ad literam intelligi debere, de uera & secundum rem ipsam facta dæmoniorum expulsione.

Canon 18.

¶ Paulus ille Giscalensis haud immeritò ab omnibus tum suscipitur, tum etiam honoratur. Nam quæ utilia & monitu suaſuq; sunt. nam Demosthenico stilo adornare nixus est, sed in insipientia, quicquid saluti hominibus esse potest, breuibus & simplicibus uerbis complexus. Id consuetudinis in nonnullis suis epistolis seruauit. Quod quum plures & ad plures in præfatione ponit, postea per totum corpus epistolæ unum disputantẽ inducit, ut illud quòd ad Gal. 3. In Christi fide nihil referre gentilis sit aliquis, an Iudæus, uir an mulier, seruus an liber. Idem ad Philemonem: Philemoni dilecto & cooperatori nostro & Aphiæ sorori, & Archippo cõmilitoni nostro. Sequitur enim, Gratias ago Deo meo, semper memoriam tui faciens in orationibus meis. Hæc iam non ut Paulus & Timotheus Philemoni, &c. sed ut solus Paulus ad solum Philemonem loquitur: Gratias (inquit) ago.

Canon 19.

¶ Personas quas commendat, triplici modo laudi prosequi solet. Ob famulatum nempe & Christum & sanctitatem. Rom. ult. Commendo uobis Phœben. Maxima uerò illa laus, cooperatos esse in doctrina & in tentationibus & periculis.

Canon 20.

¶ Furorem Paulinum ad Gal. 1. perpende, non dixit ut consueuit: Dilectis aut sanctificatis, & neq; ecclesijs Dei, sed Galatiæ.

Canon 21.

¶ Illud quoque in Paulinis epistolis obseruatu dignum. Loqui eum nanque aliquando quasi perfectis, quandoq; quasi perfecturis, hoc est, aliquando laudat, aliquando uituperat.

Canon 22.

¶ Animaduertendæ sunt etiam ellipses, maximè tamen in exordijs. Roman. 1. Ego Paulus seruus Iesu Christi, &c. quod quę sequuntur, postremò subinferatur, precor uel opto multiplicetur gratia uobis, &c.

Canon 23.

¶ Apostolus orationem incœptam aliquando nõ absoluit, eo quòd interloqui quędam consueuit, mox mutata sermonis forma redit ad id quod instituerat Gal. 2.

Canon 24.

¶ Hic mos ubiq; perquàm familiaris ei est, precationem cum admonitione & exhortatione ponere. Deus (inquit) autem pacis cum omnibus uobis, Amen.

Canon 25.

¶ Ad Philippenses quum scribit, non posuit nomen Apostoli, eo quòd ad eos scribat, qui sunt eiusdẽ honoris. Paulus (inquit) & Timotheus serui Iesu Christi. Ad Thessal. uerò tum nomen Apostoli, tum serui omisit. Paulus (inquit) & Syluanus & Timotheus ecclesiæ Thessalonicensium, etiam in secunda facit.

Canon 26.

¶ Conduplicat nonnunquam comparatiuum ad maiorem emphasim, ut plurimũ excessum significet, idq; iuxta Idioma sermonis Hebraici, Philip. 1. Multomagis melius.

Canon 27.

¶ Citra delectũ in omnib. epistolis, et seruũ Christi et apostolũ dei, ac è regione apostolum

lum Christi et seruũ Dei sese appellat. Tit.1. Paulus seruꝰ Dei, apostolus aũt Iesu Christi.

Canon 28.

¶ Vbiq; ferè scriptura diuina patrem adpellat Iehouah Deum, ut illud: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Et è contrario filium Adonai Dominum, ut: Propterea unxit te Deus tuus.

Canon 29.

¶ Varijs ex locis consarcinare de ueteri instrumento testimonia consueuit, uti illud est Rom.3. Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant. Psal.5. Venenum aspidum sub labijs eorum. Psal.139. Quorum os maledictione & amaritudine plenum est. Psal.9. Veloces pedes ad effundendum sanguinem, contritio & infœlicitas in urjs eorum. Et uiam pacis non cognouerunt. Esa.59.

Canon 30.

¶ Consueuit etiam diuus Paulus cum aliqua de re sibi tractanti, alia oportunè differenda incideret, & hanc ipsam transigere. Quemadmodum 1. Cor.11. quum de mensa Domini cœptus sit sermo, de mysticis tum incidente sermone etiam mystica disputat.

Canon 31.

¶ Ambiguitates colligit multas, nec tamen soluit, ut auditorẽ magis urgeat, & suadeat hæc ab homine comprehendi non posse, nec planè ulla cognitione teneri. Rom.9. Dices ergo mihi, Quid adhuc conqueritur, &c.

Canon 32.

¶ In multis locis diuinæ scripturæ & Apostolicis dictis sæpe comperies dictiones esse ociosas. Rom.5. & 7. Itaq; lex quidem sancta, &c.

Canon 33.

¶ Hanc quoq; diuina scriptura consuetudinem habet, ut unumquemq; uaticinationis suæ & sermonis prophetam nuncupet, sicut prophetę adpellantur Baal, & prophetæ idolorum, & prophetæ confusionis. Vnde & Apostolus Paulus, Poetam Græcũ prophetam uocat. Tit.1. Dixit quidam proprius eorum propheta, Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, uentres pigri, Hose.9. Sicut propheta insaniens, homo portans spiritũ, synonymos & malus & bonus propheta dicitur. 3. Reg.22.

Canon 34.

¶ Prophetæ diuersis uerbis eundẽ sensum explicare solent, Hose.11. Sicut mare transijt, pertransijt rex Israel, &c. Suprà enim dixit, transire fecit Samaria regem suum, quasi spumam super faciem aquæ, Ezech.19. Quare mater tua leena, &c.

Canon 35.

¶ Prophetæ etiam singulis uerbis atq; sententijs, quibus Israeli prospera & pro rerũ magnitudine, penè incredibilia promittunt, statim adscribunt. Hæc dicit Dominus omnipotens. Ac si dicerent, Ne putetis nostra esse, quæ spondemus & quasi hominibus minimè credatis, Dei sunt promissa quæ diximus.

Canon 36.

¶ Sub persona mulieris fornicantis idololatriã & fornicationem describere solent, Ezech.16. Ad omne caput uiæ ædificasti signum prostitutionis tuæ.

Canon 37.

¶ Hoc consuetudinis etiam eis est hysteroprota multa ponere. Inuenimus enim uisiones quasdam primò factas, ultimoq; completas: ac è regione, ultimò factas & primò completas, id spiritui sancto haud infrequens.

Canon 38.

¶ Consuetudo prophetarũ est quando loquuntur contra Babylonem, Ammonitas, Moabitas, Philistijm, & cæteras nationes multis sermonibus linguæ eorum abuti, & seruare idiomata prouinciarum.

Canon 39.

¶ Vsus prophetarum est frequenter per humanas consuetudines Dominum supplicare. Hierem. in oratione sua: Recordare Domine quid acciderit nobis. Nam recordare dicitur illi, qui nullius aliquando potuit obliuisci. At ita recordari postulatur, ut citò auxilium indigentibus conferat, & palàm faciat quod antea fuit occultum. Has enim Tropologias passim in scripturis diuinis inuenies, ut est illud Genesis nono: Recordabor fœderis mei. Exodi quoque sexto: Recordatus Dominus pacti quod pepigerat

cum

cum Abraham, Isaac & Iacob, siue illud quod Moschе ad deum dicitur eodẽ libro, cap. 32. Recordare Abraham, Isaac & Iacob.

Canon 40.

¶ Quod nequaquam regum & temporum ordo seruetur, haud ignorandum in Prophetis, maximeq; in Ezechiele & Ieremia: Nam quod iuxta historiã postea factum est, prius refertur: & quod prius gestum est, postea. Aliud enim est historiam scribere, aliud prophetiam.

Canon 41.

¶ Ea quæ facta sunt, tanquam adhuc sint futura, ac è regione, futura tanquã completa appellare. Ezech. 16. Et conuertam restituens eas conuersione Sodomorum.

Canon 42.

¶ Inuenitur quoq; nonnunquam ordo contrarius. In Genesi enim capite primo: Primum fiunt animantia, & extremus homo. Ierem. uerò capite 27. dicitur: Ego feci terram & hominem & iumenta, hoc loci prius hominem appellat, & postea quæ subiecta sunt homini. Esaiæ 64. Ecce tu iratus es & peccauimus.

Canon 43.

¶ Nonnunquam utũtur ambiguis uocabulis, sicut illud Hesaiæ septimo: Almah, id est, iuuencula, puella, uirgo.

Canon 44.

¶ Id frequens est apud Prophetas, ut impijs celent mysteria Dei, & pijs salutares dent consolationes. Vide Hesaiam capite septimo.

Canon 45.

¶ Aliqua in Prophetis ad amplificationem prophetiæ faciunt, quæ prophetia non sunt. Hos. 9. Da eis Domine. Quid dabis eis? Da eis uuluam sterilem & ubera sicca.

Canon 46.

¶ Omnes Prophetæ in saluatoris typum pleraq; gesserunt. Ierem. 11. Tu autem demonstrasti mihi &c.

Canon 47.

¶ Vsus Prophetarum est, ut prius personam, tempus, locumq; describant, & post modum dicere mysteria prophetiæ incipiant. Ezech. 1. Et factum est in tricesimo anno, in quarto mense, in quinta mensis.

Canon 48.

¶ Dum perquàm maximam tribulationem ostendere uolunt. Solem obtenebrescere, ac stellas de cœlo cadere dicunt. Christus quoq; hoc canone usus est.

Canon 49.

¶ Temporum enallage nullibi non utuntur, ut futuro pro præterito, Psal. Lauabo per singulas noctes lectũ meum: hoc est, Laui. Psal. In flumine pertrãsibũt pede. Hesa. Tanquam hirũdo clamabo, & ut columba sic meditabor. Præterito pro futuro. Psal. Ego ad deum clamaui, & Dominus exaudiuit me: hoc est, exaudiet me. Sequitur enim: Inclina aurem tuam & exaudi uerba mea. Futuro pro præsenti, Psal. Loquentur & dicent iustitiam.

Canon 50.

¶ Hanc etiam habent consuetudinem, ut per Tropologiam & Metaphoram historiæ exprimant ueritatem. Hos. 10. Ephraim uitula docta, diligere triturã, & ego transiui super pulchritudinẽ colli eius. Ascendet super Ephraim, Arabit Iudas, Confringet sibi sulcos Iacob.

Canon 51.

¶ Regula scripturarum est ubi manifestissima prophetia de futuris texitur, per in certa allegoriæ non extenuare quæ scripta sunt. Malach. 1. Non est mihi uoluntas, &c.

Canon 52.

¶ Prophetæ sic futurorum texunt uaticinia, ut præsens tempus ab eis minime deseratur. Malach. 1. Ab ortu solis usque ad occasum.

Canon 53.

¶ Mos prophetarum & iustorum omnium est, non solum pro ijs dolere qui sibi proximi sunt, sed etiam pro reliquis omnibus. Ierem. 9. Quis dabit capiti meo aquam & oculis meis fontẽ lachrymarũ. Rom. 9. Optabã ego ipse anathema esse à Christo.

Canon 54.

¶ Mos prophetarum est prophetias suis temporibus primum proponere,& ita ad ampliora credenda lectoris fidem alere & prouehere.Præmittunt enim rudia quædam delineamẽta in quibus exerceatur.Quum enim de terrena Hierusalem quippiam uaticinantur,aliam nempe cœlestem expectare iubentur.De qua Paulus ad Gal.4.& Heb. 12.dilucidè disputat.

Canon 55.

¶ Magnitudinem gaudiorum iubilis testari solent prophetæ,Zach.2.Lauda & exulta filia Zion,quia ecce uenio & habitabo in medio tui dixit Dominus.

Canon 56.

¶ Non infrequenter solent impatientiam humanam in sua persona exprimere, Habac.1.Quare non respicis super iniqua agentes, & taces deuorante impio iustiorem, & facis homines quasi pisces maris,& quasi reptile,non habens principem. Ita quoque sæpe legimus Apostolum uarias hominum in se recipere sentẽtias. Rom.7.Video autem aliam legem in membris meis,repugnantem legi mentis meæ,& captiuantem me in lege peccati,quæ est in membris meis.Et quasi insipiens sit,Philip.3.Fratres ego non arbitror me cõprehendisse,& ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Ac rursus quasi perfectus sit.Quotquot ergo perfecti hoc sapiamus. Cum utiq; non sit unius atq; eiusdem dicere,se ex parte cognoscere & esse perfectũ. Ac ne putes forsitã non esse Apostolicæ consuetudinis.sed nostræ, hoc est argumentũ quod ipse loquitur.1.Cor.4. Hæc autem fratres transfiguraui in me, & Apollo propter uos, ut in nobis discatis.

Canon 57.

¶ Mos est eis semper aduersis læta subiungere,& postquàm tristia deus fuerit comminatus,ad pœnitentiam eos quos terruit prouocat.Iuxta illud quod in Hesaia capite primo legimus: Væ gens peccatrix,populus plenus delictis,semen pessimum, filij iniqui:quumq; dixisset,Terra uestra deserta &c. Loquitur ad eos meliora ptomittens:Lauamini,mundi estote.Quomodo ergo in Esaia, quos seuera uoce terruerat,blanda oratione sustentat, ita quoq; in Amos fecit capite quinto,Summum in prophetis continetur,enunciatio futurorum,castigatio & consolatio.

Canon 58.

¶ Christus aliquando diuinitatis suæ gloriæ,aliquando nostræ naturæ quam suscipere dignatus est,loquitur affectibus,Ioan.8.Quid me persequimini hominem,qui ueritatem loquor uobis.

Canon 59.

¶ Locutio diuina distinguitur, cum aut per semetipsum loquitur, aut per angelicam creaturã ad nos uerba promunt. Quum per semetipsum loquitur de uerbis eius, sine uerbis & syllabis cor docetur.Quum uerò per angelum,aliquãdo uerbis sine imaginibus.Aliquando imaginibus & rebus sine uerbis.

Canon 60.

¶ Sermo diuinus aliquando de terrestribus ad cœlestia mentem eleuare. Aliquando de cœlestibus ad terrestria descendere solet,ut currus Heliæ de cœlo emissus & in cœlum iterum cum gloria eleuatus est.

Canon 61.

¶ Consueuit quoq; ex imitatione uel similitudine filios appellare,Ezech.16. Pater tuus Amorrhæus & mater tua Cethæa. Quia enim Iudæi imitati fuerant impietates Amorrhęorum & Cethæorum,inde parentes eos habuisse dicuntur,de quibus,per scelerum progaginem nascerentur, & cum quibus pro simili scelere damnarentur. Item pij,iusti,impij,diabolici,Chananæi,Amorrhæi,Gentes,idola,Sodoma,& Amorrha.

Canon 62.

¶ Mos scripturæ sacræ etiam est, ut ipsi qui scribunt, sic de se in illa quasi de alijs loquantur. Numeri 12. Erat Mosche uir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra.Ioan.19. Hic est discipulus ille quem diligebat Iesus. Hinc Lucas capite uicesimo quarto ait,quòd ambularent duo ex discipulis in uia,Cleophas & alius.

Canon 63.

¶ Plerunque de uirtutibus & uitijs agit,ut dum loquẽdo aliud exprimat, aliud tacendo innotescat.

Canon

Canon 64.

¶ Res aliqua fieri dicitur ſecundum alicuius diſpoſitionis accidentalis acquiſitionem. Teſte Rabbi Solomone. Deuter. enim cap. 21. de muliere gentili captura apud Hebræum uirum dicitur. Si uoluerit eam uxorem habere, radet cæſariem ſuam & faciet ungues ſuos. Ex quo liquidè patet, quòd fieri unguium, ibi accipitur pro diſpoſitione accidentali eorum. Item Dan. 4.

Canon 65.

¶ Sæpe multa nonnullos dicuntur, quæ de ſucceſſoribus eorum ad quos ipſe ſermo dirigitur, capiuntur. Gen. 49. Item Deut. 33.

Canon 66.

¶ Aliquando ex tempore, & aliquando ex loco cauſas deſignat, quas aperto ſermone non iudicat. Ex tempore, Ioan. 30. Hyems erat. Quid cauſæ fuit nomen hyemis adſcribere, niſi ut per qualitatem temporis, oſtenderet frigus cordis? Ex loco. Sicut carnali Iſraelitico populo deſcendente Moſche de monte, lex in campeſtribus data eſt, Exod. 19. Item Matth. 5.

Canon 67.

¶ Conſueuit aliqua tacere, quæ tamen neceſſariò ſubintelliguntur. 2. Reg. 5. Et dixit Dauid in die illa, qui percuſſerit Iebuſæum. Non fit hic mentio de præmio, & tamen ſubintelligitur, quod præmium eius foret, ut eſſet princeps militiæ. 1. Paral. 11. & 2. Regum 9. Et Miphiboſeth comedet ſuper menſam meam, quaſi unus de filijs regis.

Canon 68.

¶ Id moris quoq; ei eſt, ut cum aliquid narrat, interpoſita alterius cauſæ ſententia, ad ſuperiora ilicò redeat. Iob 5. Morientur & non in ſapientia. Suprà reproborum perditionem protulit, dicens: Quia nullus intelligit. Et de electis confeſtim adſcripſit: Qui reliqui fuerint, &c. Et hoc protinus quod eiſdem electis non conueniat, addit, Morientur, &c.

Canon 69.

¶ Hic quoq; ſcripturæ ſacræ mos eſt, ut in carne carnales actus interire, in ſpiritu uerò ſpiritualis conuerſatio ſalua fieri demonſtretur. 1. Corinth. 5. Tradere huiuſcemodi Satanæ.

Canon 70.

¶ Maximè in tranſgreſſione præceptorum per commiſſionem intelligitur omiſſio, ac è regione per omiſſionem commiſſio. Leuit. 4. Anima quæ peccauerit per ignorantiam. Et de uniuerſis mandatis Domini, quæ præcepit, ut non fierent, quidpiam fecerit.

Canon 71.

¶ Secundum ſtimulantes paſſiones plerunque ferarum nomina imponit hominibus, interdum canes eos adpellans, cauſa procacitatis. Equos ob luxum, Aſinos propter dementiam, Leones & Pardos cauſa rapacitatis & petulantiæ, Aſpides cauſa doli, Serpentes & Viperas cauſa ueneni & caliditatis. unde Luc. 3. Ioannes Iudæos audacter genimina uiperarum uocat.

Canon 72.

¶ Cognationis leges conſueuit ſcriptura uocare non eas, quæ ſecundum naturam conſiſtunt, ſed quæ deriuantur à uirtute uel uitio. Quibus nanq; ſe quiſq; conformem ſtatuit, horum filius uel frater adpellatur. Lucæ 3. Et ne cœperitis dicere, Patrem habemus Abraham.

Canon 73.

¶ Solenne quoq; eis eſt familiarium autores, nonnunquam promiſcuè omnes appellare duobus aut tribus nominibus. Vt Solomonem Idida, Oziam Azariam, Matthęũ Leui, Raguel Ietro, Obab Cyneus.

Canon 74.

¶ Id moris ei eſt quoq;, non ut ubique particulatim enarret, ſed cum generaliſſima, & ea quæ plurima complectuntur dicere cœperit, relinquat ſequentia ſtudioſis auribus perpendenda. Gen. 2. Iſte eſt liber generationis cœli & terræ. Vide quomodo totum ſermonem ad cœlum & terram conuertit, in illis omnia nobis contuenda relinquit.

Canon 75.

¶ A rebus contingentibus nomina locis imponere, ſicubi res contingant, cõſueuit.

Gen.3.Propterea lignum hoc,uocatum est lignum scientię boni et mali,quia circa illud obseruatio et transgressio mandati.Non enim quod homini scientiam dederit,sic uocatum est,sed quia per illud facta est transgressio mandati.Et ex illo postea intrauit scientia & erubescentia,ea propter sic adpellatum est.

Canon 76.

¶ Sunt multa recondita,quæ non facilè proferri ad uulgus possunt. Sicut apud Ezech.10.De Cherubim, de Deo, de illa magnifica uisione cap.1. Hæc enim & huiusmodi: Si non allegoricos interpretantur,uulgus percipere non potest.

Canon 77.

¶ Per arcum,gladium,scutum,currum,equum,aurum & argentum,& his quæ armis bellicis,ac terrenæ prouidentiæ conueniunt,solet omne auxilium humanum capere.Psal.43.Neq; enim in arcu meo sperabo,& gladius meus non saluabit me. Item Psalmo 19.Hi in curribus & hi in equis.

Canon 78.

¶ Nusquam scriptura sacra catalogum mulierum facit, neq; omnes uiros commemorat,succinctius nobis narrat,dicens quod generauerint filios & filias, & fato functi sint. Vnde Geneseos quarto legitur: Cain cognouisse uxorem,at nullibi dicitur Heuam peperisse filiam.

Canon 79.

¶ Aliquando in eadem figura uel gesta, uel dicta, etiam duæ res aliquid unum significant,sicut fideles significauerunt ligna quæ in arcæ fabrica coaptata sunt. Quomodo etiam in illa Euangelica similitudine de ouili idem ipse Christus est & pastor, & ianua,Ioan.6. Comedere,bibere,credere.

Canon 80.

¶ Perpetuus scripturæ mos est per carnem uocare carnales,sicut & uirtute præstantes carnis expertes nominat,ut Paulus dicit: Vos autem non estis in carne. Eo quòd despectui carnalia habebant.Gen.6.Eo quòd ipse carnes sint.

Canon 81.

¶ Neq; hoc prætereundum,nonnunquam secundum præscientiam scripturam loqui,ut Rom.9.Non solum autem hoc,sed etiam Rebecca ex uno conceperat.Sępissimè autem usu uenire solet,ut hi qui secundum præscientiam sunt in numero malorum,secundum iustitiam præsentem dicantur in numero bonorum, ut patet de Saule & Iuda Iscariothe.

Canon 82.

¶ Consuetudo Dei est,ut puniturus prius iudicet quã magna sint peccata, & quasi expostulans,etiam ipse satisfaciat nobis,& tunc tandem corripere incipiat. Gen.10.Ecce genus unum & labium unum.

Canon 83.

¶ Sæpe ex inæqualibus comparationes facit, ut magis defides & peccatores cõdemnet.Matth.12.Viri Niniuitæ resurgent,&c.

Canon 84.

¶ Solenne eis est uniuersalem perfectam,quo magis animis infideat,bifariã, nempe affirmatiuè & negatiuè ponere, Ioan.3. Qui credit in eum non cõdemnabitur. Item Mar.ult.Qui crediderit & baptizatus fuerit.Rom.1.Iustitia enim Dei reuelatur,&c.

Canon 85.

¶ Populus Israel typum gerit electorum,Rom.9.Quæ illi populo contigerunt,figura erant futurorum in Christo & ecclesia.

Canon 86.

¶ Solent etiam nonnunq; Dauidem, Solomonẽ, cæterosq; pios homines ad Christo accipere,Esa.55.Et feriam uobiscũ fœdus sempiternum,misericordias Dauid fideles.

Canon 87.

¶ Nulla diuersitas est in sexu, nam in Christo Iesu non est uir aut mulier, sed in eo omnes unum sumus,Esa.56.Beatus uir qui facit hoc.

Canon 88.

¶ Quemadmodum Romani numerant tempus secundum Olympiada, ita Iudæi secundum Iubileum.

Canon

Canon 89.

¶ Nonnunquam compositio uerborum fit, ita non ut res postulat, ut illud Danielis secundo: Tunc Arioth festinus introduxit Danielem ad regem & dixit ei: Inueni hominem de filijs transmigrationis Iudæ qui solutionem regi annunciet. Non enim statim introduxisse uidetur Danielem, ac deinde dixisse se inuenisse uirum qui tale mysterium possit explicare, sed postquam nunciasset, rege præcipiente, adduxisse.

Canon 90.

¶ Non inuenimus quenquam sanctorũ quod Deum cadens adorauerit. Sed quicunq; idola & dæmones resq; illicitas adorauerit, cadens dicitur adorare, uti apud Danielem capite 1. Si quis autem non cadens adorauerit, eadem hora mittetur in fornacem ignis ardentis. Et in Euangelio Matth. 4. Diabolus loquitur ad Dominum: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.

Canon 91.

¶ Vnum idolum pluraliter solet appellare, ut est illud in Exo. 32. de uitulo: Isti sunt dij tui Israel, qui eduxerunt te de terra Ægypti. Et in Regum uolumine 3. Reg. 12. Ieroboam ponens aureũ uitulum in Bethel, idola fecisse narratur. Et è contrario, multa dæmonia numero appellantur. Esaiæ 44. Inclinat se & adorat illud & uotum faciens dicit Deus meus es tu.

Canon 92.

¶ Aliquando angelos Deos & Dei filios, & deorum solet dicere. Dan. 3. Ecce egò uideo uiros quatuor solutos & ambulantes in medio ignis, et nihil corruptionis in eis est, & species quarti similitudo filij Dei. Nam mox subiungit: Benedictus Deus, Sedrach, Misach, & Abdenago, qui misit angelum suum & eruit seruos qui crediderunt in eum.

Canon 93.

¶ Vbicunq; tum apud Septuaginta, tum apud Latinos secundò ponitur, Dominus, Dominus. Primum nomen Tetragrammaton est, quod propriè ad Deum pertinet & ineffabile dicitur. Secundum commune, quod sæpe in hominibus inuenitur.

Canon 94.

¶ Notandum etiam in scripturis diuinis, quod semper mouentur pedes peccatorũ, Hier. 14. Quia dilexit mouere pedes suos. Et sanctis dicitur cum Mosche, Deut. 5. Tu uerò hic sta mecum. Psalm. 134. Laudate serui Dominum, qui statis in domo Domini in atrijs domus Dei nostri.

Canon 95.

¶ Et hoc in omnibus scripturis sanctis obseruare debemus, ubi uidetur aliqua similitudo esse sententiæ, non in omnibus eadem dici, sed uel subtrahi uel addi, pleraq;, & singulorum inter se uerborum discrepantiam habere rationem. Ezech. 2. & 18. & 33. Nunquid uolens cupio mortem iniqui dicit Dominus, nisi conuerti eum à uia sua mala & uiuere. Et in fine eiusdem capitis: Conuertimini & redite ab uniuersis impietatibus uestris, & non erunt uobis in tormentum iniquitates. Et 33. Iniquitates nostræ & peccata uostra super nos sunt, ibi enim ad eos sermo fit, qui uolunt agere pœnitentiam, & iustitia peccata delere, ut cum fiducia conuertantur, & pleno animo agãt pœnitentiam. Hic autẽ ad eos loquitur, qui magnitudine peccatorum, imò impietatum suarum desperant salutem, & dicunt iniquitates nostræ, &c.

Canon 96.

¶ Nonnunquam duplicare solent dictionem ad maiorem emphasim, Leuit. 7. Et caro quæ tetigerit quamcunque immundiciam non comedetur, sed igne comburetur, & carne ista omnis qui mundus uescetur carne.

Canon 97.

¶ Talis elocutio etiam reperitur, non inducta persona loquentium, scriptorem uerba interposuisse, Gen. 34. Et filij Iacob uenerunt de campo, & cum audissent compuncti sunt uiri & triste erat illis ualde. Non enim ait, Et dixerunt: sed hoc tacito uerba eorum dixit.

Canon 98.

¶ Valde hæc elocutio notanda est, ubi aliqua significantia earum rerum quas significant nomẽ adpellantur, Gen. 40. Tres fundi, tres dies sunt. Non dixit tres dies signifi-

cant. Inde est quod ait Apostolus 1. Corinth. 10. Petra autem erat Christus. Non ait: Petra significabat Christum. Item Ioannes est Helias.

Canon 99.

¶ Notandum etiam est, quod maximè necessarium uidetur, propter Euangelistarum narrationes, quomodo quum ea quæ dicta sunt, dicta esse narrantur, non eodem modo repetuntur, cum nihil sententiæ in diuersitate uerborum depereat ueritatis. Genes. 35. Duodecim fratres filij patris nostri, unus non est, pusillus autem cum patre nostro hodie in terra Chenaan. Nam quod dixerunt, dictum sibi esse à Ioseph & in terram mercamini, non inuenitur ab illo dictum. Sine mendacio autem dixerunt, quod ex uerbis, quæ dixerat, in eius uoluntate esse cognouerant. Neq; enim uerba sunt necessaria, nisi ad exprimendam & in audientium notitiam perferendam quantum possumus uoluntatem.

Canon 100.

¶ Fruitionem ipsius operis, ipsum opus dicunt, Psal. Audi in me exultationem & lætitiam. Hoc est fac mihi, Psal. Vt uideam in bonitate electos tuos. Item, Notum mihi fac uias uitæ, hoc est, fruere me fac uita.

Canon 101.

¶ Colloquentem populum facere inter se inuicem solet, tanquam ad ipsum alius diceret, Psalm. O Domine saluum me fac, ò Domine, bene prosperare, benedictus qui uenit in nomine Domini, tanquam unusquisq; ex populo ad omnem diceret populum.

Canon 102.

¶ Sæpe parabolis Metaphoricos utitur ad maiorem emphasim his quæ dicuntur, Psal. Ab excelso die non timebo, hoc est, à principio, seu ἄνωθεν, id est, desuper. Psal. Congregatio taurorum, &c. Hoc est, per quàm maxima.

Canon 103.

¶ Parabolas absq; similitudine proferunt, Psal. Deduxit me ex lacu miseriæ, hoc est, tanquam, uel sicut. Psal. Qui facit angelos suos spiritus: hoc est, tanquam spiritus. Item Gen. ult. Dan coluber in uia.

Canon 104.

¶ A membro opus demonstrant, Psalm. Iniquitas calcanei circumdedit me: hoc est, operis mei. Gen. Venite descendamus & confundimus linguas eorum.

Canon 105.

¶ Sæpius ex uerbis adfectum tentant abscondere, ut magis morum improbitas confirmetur, Psalm. 73. Dixerunt in corde suo cognationes eorum simul, Venite quiescere faciamus omnes dies. Illudq; Malachiæ primo in persona Domini ad sacerdotes: Vos sacerdotes qui despicitis nomen meum, & dixistis in quo despeximus nomen tuũ. Dominus quoq; hoc idiomate usus Matthæi 5. Qui dixerit (ait) fratri suo racha aut fatue, reus erit iudicio.

Canon 106.

¶ A communicatione actum demonstrant, Psal. 1. Beatus uir qui non abiit in consilio impiorum. Psal. Cum inique agentibus non ingrediar, hoc est, non inique agam. Hier. 15. Non sedi in consilio ludentium, hoc est, non lusi. Gen. ult. In consilium eorum ne ueniat anima mea.

Canon 107.

¶ Verba sensus, sacra in scriptura inter se confundi solent, Exodi 20. Et omnis populus uidebat uocem & lampades, & uocem tubæ, & montẽ fumantem, Gen. 42. Quum uidisset Iacob quia sunt escæ in Ægypto, unde utiq; absens erat. Quum uerò hic breuiter dicendum esset, quod populus uidebat uocem, & lampades & uocem tubæ ac montem fumantem. Attamen maior oritur quæstio, quum audiebat lampades & montem fumantem, quod pertinet ad sensum uidendi. Nisi quis dicat, nec tam breuiter dicendum fuisse, sed ut totum diceretur: Audiebat uocem & uidebat lampades & audiebat uocem tubæ & uidebat montem fumantem. Duo quippe genera uocis erant, & de nubibus sicut tonitrua & tuba, at per hoc melius in his quæ ad sensum audiendi pertinebant generalis sensus est positus, hoc est, uidendi. Quum breuiter totum uellet scriptura complecti, quàm ut in his, quæ pertinent ad uidendi sensum, subintelligeretur audi tus. Quo more nos loqui solemus, uide quid sonet, non autem audi quid luceat.

Canon

Canon 108.

¶ Quum sermo fit ad populum singulariter loquitur, quemadmodum plerunq; & ad ipsos Deus uel ductor ipsorum, Iosue 9. Israelitæ respondentes Gabaonitis dixerunt uide ne, &c.

Canon 109.

¶ Aliquando singularem numerum pro plurali & è contrario, pluralem pro singulari ponunt, quemadmodum de Herode mortuo legitur dictum, Matt. 22. Mortui sunt qui quærebant animam pueri. Et ut Mosche de Pharaone pronunciatum est, quia mortui sunt qui quærebant animam pueri.

Canon 110.

¶ Tropicos etiam ad hunc modum loquuntur, Gen. 22. Nunc cognoui quoniam tu diligis Dominum Deum tuum, hoc est, cognoscere feci. Psalm. 48. Exurge in occasum meum & uide, hoc est, fac uidere.

Canon 111.

¶ Mos est scripturæ sic ad partem loqui, ita ut nec reliquos prætermittere uideatur, Psal. 61. Sperate in eum omnis conuentus plebis. Nam hic non prætermittit potentes.

Canon 112.

¶ Etiam hoc obseruauimus ut quos Dominus liberare uult, post se ire præcipiat, Mar. 8. Redi retro me satanas, Psal. 63. Adhæsit anima mea post te.

Canon 113.

¶ Ad maiorem emphasim etiam ita loquuntur, Psal. 104. Misit Mosche seruũ suum & Aharon quem elegit ipsum. Sufficerat enim dici, Quem elegit: sed adscripsit, ipsum, ut hoc quoq; euidentius explanaret. Hæc elocutio perquàm crebro reperitur. Sicut est & illud: In quo habitauit in ipso.

Canon 114.

¶ Huiusmodi elocutio frequenter in scripturis sanctis inuenitur, maximè uerò in Psalmographis, Psal. 118. Fiat manus tua ut saluum me facias. Item Psalm. 129. Fiant aures tuæ intendentes in orationem serui tui.

Canon 115.

¶ Et hoc idioma eis perquàm familiare est, Psal. 126. Magnificauit Dominus facere nobiscum, hoc est, decreuit magnos nos facere.

Canon 116.

¶ A Membro actum seu officium conspicuum solent facere, Psalm. 48. Iniquitas calcanei mei circumdedit me, hoc est, officij mei. Gen. 27. Supplantauit me en altera uice.

Canon 117.

¶ Mos iste etiam est scripturarum, ut interdum futura præterito tempore declinent, Psal. 21. Foderunt manus meas & pedes meos. Esa. 53. Quasi ouis ad uictimam ductus est. Ibidem: Liuore eius nos sanati sumus. Idem cap. 70. Ab iniquitatibus mei populi ductus est in mortem.

Canon 118.

¶ Scriptura sacra sub uno uitio omnia comprehendere solet, & omnia charitatis opera sub una specie bonorum operum.

Canon 119.

¶ Sæpe plus uideri solet quod singulariter, quàm quod pluraliter dicitur. Nam plus accipitur quàm dicitur. Est illic miles, quàm sunt illic milites. Exodi 8. Et extendit Aharon manum suam super aquam Ægypti, & eduxit ranas, & educta est rana & operuit terram. Item Exodi 10. Ecce ego induco hac hora crastino die locustam multam. Manifestum est enim plus sonare. Locustam multam, quàm si diceret, Locustas multas.

Canon 120.

¶ Et hoc obseruandum est Apostolos & Apostolicos uiros, in ponendis testimonijs de ueteri testamento, non uerba considerare, sed sensum, nec eadem sermonum calcare uestigia, dummodo à sententijs non recedant.

Canon 121.

¶ Innoxia tanquã noxia sæpe solet dicere, Psal. Tibi soli peccaui, & malũ in cõspectu.

tuo feci. Ego in iudicium ueni in mundum, ut qui nõ uident, uideant, & qui uident, cæci fiant. Apostolus, Lex subintrauit ut abundaret delictum.

Canon 122.

¶ Solet quoq; aperire quod prius sub ænigmate dixit, Amos 9. Vidi Dominũ stantem super altare & dixit, &c. usq; ad medium.

Canon 123.

¶ Notanda breuitas est quam admirari in Vergilio solemus, Ionæ 1. Et dixerunt ad eum, &c. Interrogatur persona, regio, iter, ciuitas, ut ex his cognoscatur causa discriminis. Vergilius: Iuuenes quæ causa subegit ignotas tentare uias. Quò tenditis, inquit, qui genus, unde domo pacem ne huc fertis an arma.

Canon 124.

¶ Consueuit etiam huiuscemodi habere elocutionem, Gen. 37. Occiderunt hœdum caprarum. Psal. 113. Sicut agni ouium. Quasi posset esse hœdus, nisi caprarũ, aut agnus nisi ouium. Hoc Idioma latius declarauimus.

Canon 125.

¶ Nonnunquam duo substantiua se habent, ut alterum uim suam ubiq; conseruet. Alterum quasi quendam obtineat adiectiui locum & eius fungatur officio. Exo. 14. Et facta est nubes tenebrosa. Vergil. Molemq; et montes insuper altos imposuit: ac si dicat, Molestos montes.

Canon 126.

¶ Vbicunq; fœmina legitur & sexus fragilior, ad materiæ intelligentiam transferre oportet, unde & Pharao non uult masculos uiuificari, sed tantum fœminas, quæ materiæ sunt ucinæ. Et è regione, nullus sanctorum nisi per raro fœminas genuisse narratur. Solusq; Saphaat qui in peccatis mortuus est omnes filias genuit. Iacob inter duodecim Patriarchas, unius filiæ pater est, & ob ipsam periclitatur.

Canon 127.

¶ Quod nos solemus absolutè & neutraliter appellare, id est, hoc quæsiui, illud uolui inuenire. Hebræi fœminino genere pronunciant, sicut in Psal. 26. Vnam petij à Domino hanc requiram, pro eo quòd est unum.

Canon 128.

¶ Quædam uerba sunt apud Hebræos quæ & præteritum & futurum tempus designãt, ut illud ילין Septuaginta transposuerunt ἐκοιμήθη, id est, dormiuit & requieuit, & requiescet, & præteritum & futurum tempus significat. Vnde etiam Aquila & Theodotio (Hieronymo teste) quasi de futuro dicunt.

Canon 129

¶ Euangelistæ solent uerba referre loquentis, quemadmodum Latini per inquit. Matthæi 1. Sicut dictum est per prophetam dicentem, hoc est, sicut inquit propheta.

Canon 130.

¶ Opus ipsum rei alicui adsimilare consueuit, Psalm. Adsimilabor descendentibus in lacum, hoc est, descendam. Psalm. Homo uanitati adsimilatus est, hoc est, uanus est.

Canon 131.

¶ Solet etiam rem pro persona accipere. Esa. 38. Neq; enim aut inferi te canunt. Cauete ne iustitiam uestram faciatis coram hominibus.

Canon 132.

¶ Speciem quoq; pro toto genere accipiunt, ut ebrietatem pro omni luxu, Esaiæ 28. Et præsicera stupent.

Canon 133.

¶ Hebræi non tantum rationales, sed fermè omnes notas, tam aduerbiorum quàm coniunctionum in loco omittunt. Hier. 3. Audietur ergo undiq; uox, &c.

Canon 134.

¶ Habent etiam hoc familiare ut indefinitas, & præsertim impersonales orationes per uoces fœmininas efferant, Esa. 27. Quam quoq; mensuram miserit, pro quam quisque mensuram dederit.

Canon

Canon 135.

¶ Id consuetudinis eis quoq; est, maximeq; Apostolo, ut res per signa adpellant, ut præputium pro gentili, Circumcisionem pro Iudæo.

Canon 136.

¶ Nomen plurale cum pronominibus sæpe capitur pro singulari, Gen. 24. Et posuit manum suam sub femore Abraham dominorum suorum, id est, Domini sui. Genesis 40. Dominis suis, id est, regi.

Canon 137.

¶ A tertia persona ad primam transire mos scripturæ pluribus in locis est, Amos 9. Concidet eos in capite uniuersos ipsos & nouissimum eorum occidam.

Canon 138.

¶ Vbicunq; in prophetis uisio ponitur, non infertur quid uiderint, sed tantummodo quę dicta sint narrantur, Esa. 1. Vidi Dominum sedentem super thronum excelsum, & eleuatū, & Seraphim in circuitu eius. Audi cœlum & auribus percipe terra. Abdiæ 1. Auditum audiui à Domino, & legatum ad gentes misit.

Canon 139.

¶ Mos etiam linguæ sanctæ est patrem patris, id est, auum uocare patrem, sicut & nepotem filium, Exo. 18. Et uenerunt ad Rachuel patrem suum, id est, auum suum.

Canon 140.

¶ Quibus à prima ætate debebat uirtus claresce re, ex tunc nomina susceperunt, ut Noah, Seth, &c. Quibus autem postea debebat augeri, postea nuncupatio posita est, ut Paulo, Abraham, &c.

Canon 141.

¶ Solet scriptura plerunq; ita nominari in trinitate unamquamq; personam, ut etiam aliæ illic intelligantur. Ioan. 16. Ipse pater amat uos.

Canon 142.

¶ Pronomen in prima & secunda persona æquantur, Hier. 2. Qui dicitis ligno, pater meus es tu, & lapidi tu peperisti me.

Canon 143.

¶ Mos sacræ scripturæ admodum frequens est, ea quæ per euentum contigerunt, & ad aliud consecuta sunt exprimere, modo quodam causalitatis, tametsi nulla ibidem causæ ratio subsit, Ioan. 12. Cum autem tanta signa fecisset coram eis non credebant in eum, ut sermo Esaiæ impleretur quem dixit: Domine quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui reuelatum est?

Canon 144.

¶ Perpetuus canon scripturæ est quoties permutatim nunc plurali, nunc singulari numero utitur, congregationis personam adsumit, id quod in Psalmis frequentissimè fieri solet.

Canon 145.

¶ Hoc summè obseruandum quasdam esse uirtutes, quæ Christum diligunt, cum in aliis ipsarum uirtutum substantiam Christum soleamus accipere. Quod & frequenter inuenies in scripturis diuinis pro locis & oportunitatibus aptari. Inuenimus nanq; ipsum & iustitiam dici, & pacem, & uirtutem. Et rursum scriptum est in Psalm. Iustitia & pax osculatæ sunt. Et ueritas de terra orta est, & iustitia de cœlo prospexit. Quæ utiq; omnia & ipse est, & rursum ipsum dicuntur amplecti, sed & sponsus & sponsa nominatur, ut in prophetia scriptum est: Sicut sponso imposuit mihi mitram, & sicut sponsam ornauit me ornamento.

Canon 146.

¶ Diuinis in scripturis nihil interest, Vtrum charitas dicatur, an amor, uel dilectio, nisi quod in tantum nomen charitatis extollitur, ut etiam Deus charitas adpelletur, Ioanne teste: Deus charitas est (inquit) & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.

Canon 147.

¶ Palàm est multa uel ab Apostolis uel ab Euangelistis exempla esse prolata, & no uo testamento inserta, quę in his scripturis quas canonicas habemus nunquā legimus, in Apocryphis tamen inueniuntur & euidenter ex ipsis ostenduntur assumpta.

Canon

Canon 148.

¶ Moris est sacris literis Comœdiarum actos nonnunquam imitari quo magis textus narrationis expleatur. Singula etenim suo ordine scriptura complectitur, mysticis etiam adumbrat eloquijs.

Canon 149.

¶ Gen. 2. legimus hominem ad imaginem & similitudinem Dei factum, nimirum duos factos homines inferri uoluit. Primum, ut diximus. Secundum, à limo terræ factum. Diuo Paulo teste suis in epistolis, binos esse apertè & euidenter scripsit: Nam si is (inquit) qui foris est homo noster corrumpitur, sed ille qui intus est renouatur de die in diem. Item condelector enim legi Dei, &c.

Canon 150.

¶ Mos diuinæ scripturæ est, ex fine uerborum facere eorum principia intelligere, ut patet de exploratoribus quos misit Iosue, qui dixerunt: Quia dedit Dominus in manu nostra omnem terram, & etiam quia dissoluti sunt omnes habitatores terræ à facie nostra. Prouerb. 28. Dux deficiens intelligentijs multiplicabit rapinas, & odio habens auaritiam multiplicabit dies. Deficit hic, morietur. Vnde sic exponendus est uersus: Dux (carens) intelligentijs, & multiplicans rapinas, morietur (nempe in dimidio dierum suorum) & odio habens auaritiã, prolongabit dies. Hæc Dauid Kimhi in Radicibus.

Canon 151.

¶ Cum nomen aliquod ad quem pertinet non ponitur, necesse est, ut hoc dictum de summitate aliqua sentiatur. Ioan. 8. Si uos filius liberauerit, tunc uerè liberi eritis. Non enim ibi scriptum est Dei, sed tantum uocabulum purum sine aliqua adiectione sufficit.

DIVINÆ

DIVINÆ SCRIPTVRÆ PHRASES, PER BARPTOLEMÆVM VVESTHMERVM PHORZENSEM EX SANCTIS ET ORTHODOXIS SCRIPTORIBVS IN ORDINEM ALPHABETICVM CONGESTAE.

A

, Ab, Mem. Hebræis mos est præpositionem Mem, quæ significat Ab, Positiuis adiunctam facere Comparatiuos: neque alia Comparatiuorum forma apud eos reperitur. Non enim dicerent, Melior sum te: sed, Bonus præ te. Minor te: sed, Paruus præ te. Ex quo genere sunt & illa, Quia multæ filiæ desertæ: hoc est, plures. Et illud: Bonum est confidere: hoc est, melius est. Et alia innumera passim Sacra legenti obuia. Sic Mem enim Hebraica Præpositio ita significat De, ut quum dicimus, Deintus, deforis: pro intus, & foris. Itaque usus literæ Mem, seu præpositionis A uel Ab, Coniunctioni quoq; rationali æquiualere, apparet ex Psalmo 4. A tempore frumenti & uini sui multiplicati sunt. Et Psalmo 68. A templo tuo, quod est in Hierusalē tibi offerent reges munera: hoc est, propter templum.

Ad hæc inter alia significata, quæ quàmplurima habet hæc præpositio Mem, nō sem per De, sed aliquando Ad, significat: ut Geneſis 13. cap. Et profectus est ab oriente (Mikedem tantum potest ergo, quantum si diceres) ad eam regionem, quæ illi unde soluebat, orientalis erat. ut sit sensus: Profectus est Lot à Bethel Sodomam, uersus orientem. Et Esaiæ 24. Et punientur ad infinitos dies. Et cap. 42. Resonet laus eius ad fines terræ. Hic iterum Mem pro Ad, sumitur: id est, De finibus terræ: quū scilicet cognitio Dei usque ad terræ fines peruenerit: iam de finibus laus eius auditur.

A, Me. A Domino, pro cœlitus accipitur, ut Geneſis 19. Et pluit dominus super Sodomam sulphur & ignem à Domino, id est, cœlitus. Hic figura orationis considerandа est: Pluit Dominus à Domino. Sic ueteres locuti sunt, Ad Consulis, scilicet domum. Ad Iunonis, scilicet templum. Eamus ad me, id est, ad domum meam. Et contrà, Venimus à Consule, à me, pro à domo, uel Consulis, uel meà. Sic, À Domino, hoc est, cœlitus pluit Dominus. Similes locutiones Numeri 11. cap. Ventus egrediens à Domino, hoc est, de cœlo: ut exponit Asaph Psal. 77. Transtulit austrum de cœlo. Et, Numer. 20. Non transibis per me. Exodi 16. Sub luto maneat unusquisq; apud semetipsum. Item 2. Regum 2. Nunquid nosti quòd hodie Dominus tollet dominum tuum à capite tuo? pro à te, uel à præsentia tua. Et Geneſis 31. Caue ne loquaris cum Iacob à bono ad malum: pro, Caue ne aliud quippiam loquaris cum eo, nisi quod bonum est.

A Domino, id est nomine Domini, Luc. 1. cap. Quæ dicta sunt tibi à Domino, quēadmodum dicimus: Dic illi ex me salutem.

A uitta capitis ad calcei corrigiam, &c. Hebræi hoc schemate intelligunt quicquid est à capite ad pedes usque, totum scilicet à maximo ad minimum. Exemplum est, ubi Abraham regi Sodomorum dicit Geneſis 14. A filo subtegminis usq; ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus quæ tua sunt. Quasi diceret: Nihil omnino capiam, siue magnum sit, siue paruum, &c. Germanicè, Nit ein faden, noch ein schuoch riemen.

¶ *Abalienari*, Iurisperiti uocant res, quando ex proprio in alterius transferūtur dominium. Sic & Apostolus Colossenses ex Dei dominio in diaboli potestatem per errores & ignorantiarum tenebras translatos intelligit. Et uos, inquit, cum quondam eratis abalienati, & inimici cogitatione, seu mente in operibus malis, &c. à Deo scilicet, eratis inimici, nunc recepti estis in amorem: ac si dixisset penitus & toto mentis sensu abalienatos fuisse à Deo. Item Ephes. 2. Alienati à re publica Israelis. Abalienati à uulua

peccato-

peccatores, hoc est, à conceptione & ab utero matris, Psal. 57. Vide in Alienigena, infrà.

¶ *Abba, pater.* Ob maiorem emphasim nonnunquam diuus ille Paulus Chaldaicum nomen Græco consueuit adscribere, Rom. 8. cap. ἐν ᾧ κράζομεν, ἀββᾶ ὁ πατήρ, Id est, in quo clamamus Abba pater. Abba Chaldaico uocabulo & Græco nominat identidem πατέρα. Quo uocabulo, ut D. Erasmus ait, peculiare quiddam esse in ipso, quod & patres libenter audiunt, & pueri primum sonare discunt, Etty. Significat ergo conduplicatione ista, Pater pater, ardorem pectoris Christiani. Item 1. Corinth. 16. Quum plebem arguit, Syriaco. & Græco utitur. Si quis non diligit Dominũ nostrum Iesum Christum, sit anathema, maranatha, hoc est condemnatus, donec Dominus redeat.

¶ *Abbreuiare* pro cessare, Iudicum 10. cap. Et seruierunt Domino cuius anima abbreuiata est in labore Israel. Abbreuiatos dies dicit Chrysostomus esse, quos dies intelligimus non mensura, sed numero. Sicut enim longitudinem dierum (de qua dicit propheta: Domum tuam decet sanctitas in longitudine dierum) non per longos dies intelligimus, sed multos: Sic & Breuiati dies, non breues dies sunt intelligendi, sed pauci, definiti, Matth. 24. cap. Abbreuiabuntur dies, ut atrocitas tribulationum breuiata compendio rẽperetur. Hæc Chrysostomus in cap. Matth. 24. Homil. 49. Hinc Abbreuiati septuaginta apud Marcũ 13. cap. dicũtur definiti, destinati, certi. Sye sind schon geschnitten. Tametsi enim futurum erat, tamen ut facta recensentur, quia apud deum hæc iam facta erant. Sic Abbreuiati dies, hoc est pauci, ut suprà patuit.

¶ *Abbreuiatum uerbum, seu breue* Apud D. Paulũ Rom. 9. cap. Verbum em̃ consumans & abbreuians in iustitia: quoniam uerbum abbreuiatum faciet dominus super terram, hoc est, certam & firmam rem, id est, certissime faciet. Et istis per metaphoram usus est Paulus de Christo, quòd Deus breuem quidem, sed consumatum sermonem, id est negocium salutis, uel iustificationis in terram mittet: quod tale est, Dum per nos iustificari non potuimus, misit deus filium suum, ut omnis qui credit in eum habeat uitam æternam, Ioan. 3. & 6. Quemadmodum Deus abbreuiatum uerbum faciet de perdendo Israele, ita ad saluandũ breui uerbo utetur. Ita de Iudæis hoc loco loquitur Paulus, quasi diceret: statuit enim Dominus, qui iustitia est, impietatẽ uestrã (ut & apud Danielem est) excindere & consummare. Germani diceremus de indubitato excidio, kurtzumb man vvirt kurtz endtschafft mit euch machen.

¶ *Abbreuiatus animus* Denique reperitur, ut Num. cap. 2. Et tædere cœpit populum itineris ac laboris. Hebræus autem dicit, Et abbreuiatus autem fuit animus populi labore itineris, fatigatus cœpit destitui animo, uel despondere animum.

¶ *Abib* Apud Hebræos mensis matures centis frugis, siue tempus, quum fruges propendent ad maturitatem: etiam pro spicis aut frugibus accipitur: aliquando pro uere tempore. Nam uox Abib Hebræa, significat culmum, quando scilicet è culmo primum prodit spica: quod fieri solet mense Martio apud Palæstinos, Exod. 34. Mensis nouorum. pro maturitate frugum, apud Hebræos Iulius est.

¶ *Abycere,* Hoc uerbum idem apud Hebræos quod exponere, Genesis 21. cap. Et abiecit ipsum puerum subter unam arborem. Ita enim Latinius potuisset transcribere, Et exposuit puerum. Vnde infantes exposititi, qui ut pereant abiiciuntur à parẽtibus. Deinde Abiicere est relinquere, uendere omnia. Hyperbolicæ locutiones sunt, quibus utitur Dominus, ut nos à terrenis auocet, & ad cœlestia subleuet. Ne putemus neminẽ esse Christianum, neminem posse seruari, nisi uendat omnia: alioqui propheta non dixisset, Egenum uagumq; induc in domum tuam. Hic autem sermo est cum sequenti: Qui non odit animam suam: Qui non se abnegauit & crucẽ suam tulerit &c. Videre, Vendere, Abnegare semetipsum. Præterea Abiicere in terram, est inaniter loqui. ut 1. Samuelis 3. cap. Creuit autem Samuel & Dominus fuit cum eo, nec abiecit ullum ex omnibus uerbis eius in terram. Postremò, Abiicere oculum, ut est apud Matth. 5. capite, non est oculos cultro externo effodere, sed cordis cõcupiscentiam per fidem mortificare, quo mortificata erutus est oculus corporalis, ne aspectum mulierũ non scãdalizet. Prouer. 4. Et uerbum Abiiciendi, apud Mat. cum quadã emphasi positum est. Non dicit sepone, uel reconde: sed, Abiice, sicuti res noxiæ prorsus abiici solẽt. Quale est quod Esaiæ 2. cap. de idolorum cultoribus prædictum est, quòd sint idola argentea & aurea in die tribulationis Domini proiecturi, abiecturi. Denique Abiicere aliquem post tergum, est spernere aliquem, ut 3. Regum 14 cap. Post tergum me abiecisti, id est, spreuisti me.

me. Quæ loquendi formulæ prouerbiales sunt. Sic è puluere exaltari. 3. Regum 16. cap. Est è humili statu & conditione, in præstantiorem euehere.

¶ *Abies, Buxus, Pinus, Lybanus, Cypariſſus.* Hæ metaphoræ atq; ſignificationes omnino principes primatesq; ſignificant, qui rebus publicis bene præſunt, quod non uno loco in ſcripturis habeſ. Quomodo in Eſaia 60. cap. Gloria Lybani ad te ueniet: Abies & buxus & pinus ſimul ad adorandum locum ſanctificationis meæ. Item 1. & 2. cap. Nonnūquam & impij potentes huiuſmodi metaphoris notantur, ſterilibus arboribus & infructuferis quercubus & abietibus, tribulis & ſpinis aſſimilātur, ut ſæpenumero uidere licet in ſacra ſcriptura, præcipue in Pſalmis: ut Pſalmo 37. & infrà in tropo Arboris, audiemus. Item Abies eſt pernicies gentium. Eſa. 14. cap. Abietes quoque lætati ſunt ſuper te.

¶ *Abimelech*, Palæſtinorum reges uocabantur, uti reges Ægyptiorum Pharaones, Romanorum Auguſti & Cæſares: regum ſunt appellationes generales. Sic Abimelech erat apud Iudæos nomen generale regum illic alienigenarum. Nam & ſub Abraham erat Abimelech, & ſub Iſaac, & ſub Dauide, digniſſimum ſcilicet nomen illorum qui bene præſunt. Nam Abimelech interpretatur, Pater meus rex. Accōmodatum autem regibus nomen, quos patrum loco eſſe decet populo. Sed ferè fit, ut res non adſit, ubi egregia ſunt nomina & tituli inſigniores, ut Pſalm. 34. & 1. Regum 21. ubi rex, coram quo mutauit Dauid rationē ſuam & os ſuum & ſimulauit ſe furere, dicitur Achis: hoc erat regis nomen proprium: illud uerò generale regum illic alienigenarum. Sunt, ut dixi, apud Ægyptios. Nam ſub Ioſeph enim Pharao fuit, & quarta generatione ſub Moſe alius, & ſub Salomone alius &c.

¶ *Abire*, Hebræi pro furto uenereo utuntur. Geneſis 57. cap. Abijſti, & ampliaſti lectum. Hoc uerbum Latinis in uſu non eſt. Germanis autem, Er gieng vnd lag bey ir. Abire, Ingredi, Cognoſcere, Dormire, ſunt Hebraiſmi, ſignificantq; apud illos rem habere. Nam uerbo Ingrediendi, ferè ubiq; pro concubandi utuntur Hebræi, honeſtum actum coniugalem circumloquentes, Geneſis 16. cap. Ingreſſus eſt ad eam, & concepit. Simili tropo utuntur Hebræi, Cognoſcere mulierem, pro rem honeſte habere. Gen. 14. cap. Adam cognouit eam. Gen. 19. cap. Habeo duas filias, quæ nondum cognouerunt uirum. Dormire, Geneſis 19. 30. 39. cap.

Abire autem ad animam ſuam, locutio Hebræa eſt. noſter interpres, Quæcunque eum ferebat uoluntas. Septuaginta, Iuxta animam ſuam. 3. Regum 19. cap.

Abire deinde ad inferorum portas, ſiue domicilia, periphraſis eſt moriendi. Eſa. 38. cap. de Ezechia rege ægrotante: Ego dixi in dimidio dierum meorum, uado ad portas inferorum.

Abire iumenta & uolucres. Prouerbialis ac ſymbolicus ſermo eſt: nam ſignum extremæ uaſtitatis, ſeu deuaſtationis ſic inſinuatur. Hiere. 12. cap. Abeunt iumenta & uolucres, in prædam ſcilicet abiguntur iumenta: quin & uolucres abeunt, quod ſignum eſt extremæ deuaſtationis.

¶ *Ablactare*, Pro roborare, confirmare. 1. Samuelis 1. cap. Donec ablactetur puer. Pſal. 103. Sicut ablactatus ſuper matre ſua. Ablactio hinc confirmationem per tropum ſignificat. Sic Abraham ablactato filio Iſaac, conuiuium inſtruit, cauſæ teſtificandæ lætitiæ, quòd ſibi modo benedictionem ſeminis & poſteritatis ſtabilitam uideret. Gen. 21. cap. Sic & Oſeæ: Filiam ablacta: quæ adumbrat malum fore confirmatū & diuturnum. Simile quid Eſa. 65. quoque uidere licet.

Ablactari uerò à matre, elegans admodum homioſis, ſiue ſimilitudo eſt, quam uſurpat Pſaltes in Pſal. 130. Sunt Ablactati à matre ſua, &c. Vbi uates ſibi exitium quale ablactato puello, & materna iam educatione deſtituto, quàm certiſſimū imminet, imprecatur, ſi diuina ope ſpreta arrogantius de ſe ſentiat, immodiceq; ſibi placeat. Quare & alios ab hac peſte dehortaturus ſtatim adijcit: Speret Iſrael in Domino nunc & uſque in ſeculum.

Ablactati ſunt ergo ſimplices & adflicti, quibus ſubiunxit Deus aliquantiſper conſolationem. Eſa. 28. cap. Quem docebit ſcientiam, & quem faciet intelligere auditū uerbum propheticum: ſunt enim ignari, ut ablactati à lacte, & qui auulſi ſunt ab uberibus. Sic Chriſtus dicit: Pauperes euangelizantur. Euangelion non diſcitur, niſi ab adflictis & egentibus, quibus lac eſt ſubtractum, ut qui ſtimulis conſcientiæ mordentur. Cæteri

ebrij sunt: hoc est distenti alienis opinionibus, ut non possint Dei uerbum accipere.

¶ *Abluere pedes*, Est confiteri peccata, & quotidiana delicta, coram Deo gemendo & detestando agnoscere & confiteri, & subinde post lapsum ad deum accurrere per pœnitentiam. Ioan. 13. Nam lotum esse, est credere. Ablutio aliàs fit aqua, spiritu iudicij, spiritu ardoris, spiritu sancto, spiritu dei.

¶ *Abnegare semetipsum*, Aliud non est, quàm regenerari, sui existimationẽ nimiam deponere, sibi ipsi renuntiare, humiliari in conspectu Dei, corruptionem agnoscere genuinam & congenitam, mortificare Adamum ueterem, carnem nequam cum concupiscentijs obliuisci: mundum, & omnia quæ sunt in mundo: hoc est, sua bona ita despicere, ut & si auferantur, non tamen uocationem tuam & confessionem Christi negligas. De hac Abnegatione loquitur Matth. 16. cap. & Luc. 9. cap.

Abnegare Christum autem, est suis proprijs operibus, & non Christi misericordiæ & sanguini salutem suam tribuere, ut Ioannes ait, & abhorrere.

Abnegare denique alium, fratrem puta, aut seruum, aut alium quendam, est ipsum animo ita abijcere, ut prorsus non requiras, aut tua negotia negligas, etiamsi uideas ipsum uel cædi, uel uinciri, uel conculcari, uel etiam trucidari.

¶ *Abolere*, Pro relinquere. ut 1. Corinth. 13. At ubi factus sum uir, aboleui pueritia. posuit Paulus pro relinqui. Obliuiscimur senes rerum puerilium, imò quod in iuuentute uolupe & iucundum erat, id uel molestia uel stultitia uidetur senibus.

¶ *Abominari*, Est detestari. Hinc abominatio Dei, ut Deuter. 27. cap. Abominationem Domini, opus manuũ artificum: id est, quod detestatur Dominus. Et cap. 7. Abominatio est Domini Dei tui: id est, ab hoc enim maxime abhorret Dominus deus tuus. Item Abominatio Dei dicitur etiam in scripturis ira Dei, & peccata ad mortem, reatus damnationis. Prouerb. 11. cap. Abominabile Domino cor prauum.

Abominationes, seu offensiones atqui gẽtium. Exo. cap. 8. uocat scriptura Deos gentium. Et Ezech. 5. cap. Et in omnibus offensionibus tuis, & in omnibus abominationibus tuis. Colebant autem Ægyptij arietem, Apin, seu taurum, à quo abhorrebant Iudæi. Et Abominationes, seu offensiones & molestias, sæpius per contemptum scriptura idola, seu deos gentiũ appellat, ut nil offendat nisi calamitatem, dolorẽ, laborem molestiamq; ab illis referri, quum stulti homines salutem sibi ab eis sperent, ut Psal. 106.

Abominatio hinc oritur: id est, homo abominabilis, is autẽ dicitur in scriptura, qui relicto uero Deo ad idola confugit, & contempta ueritate, prophanas doctrinas amplexatur. Esaiæ 14. Ecce uos estis è nihilo, & opus uestrum ex clamore, abominatio eliget uos: id est, homo abominabilis.

Abominatio desolationis denique apud Matth. cap. 24. iuxta idioma sermonis Hebraici significat, Et intellexit dominus abominabilem & stupendã, tam ipsius dei iram desolationemq; , qua populum suum reliquit, quàm horribilem terræ uastationem, urbisq; obsidionem grauissimam.

¶ *Abortiuus*, Electus quisq; dicitur, ut inquit Gregorius. Vnde exponens illud Iob Aut sicut Abortiuum absconditum non subsisterem, hoc modo scribit: Abortiui qui ante tempus plenum exoritur, extinctus protinus occultatur, &c. Item, Abortiuum fœtum se appellat Apostolus 1. Cor. 15. Postremò uerò omnium uelut abortiuo uisus est & mihi: id est, hominem proiectitium, contemptum, & nullius propemodum uel frugis uel dignitatis. Germani pari schemate homines ignobiliores uocamus, vsz vvurfling, vsz schindling. Alij exposuerunt præmaturo partu ac infelici fidere natũ. Quemadmodum & Germani de infelicioribus dicere solemus, Der ist zu frue geboren. Vera enim uita ante conuersionem carens, à conuersione demum se infelicissimum fuisse sensit. Vide D. Ambrosium super hunc locum.

¶ *Abscondere* Variè sumitur, Hebræis nanq; est seruare & custodire, quemadmodum & Germani usurpamus, verstoffen oder verbergen, fuer halten. Sic Paulus Colos. 3. cap. Emortui estis, & uita uestra abscondita est in Christo in Deo. id est, seruata & custodita. Nam quæ abscõdimus, in hoc abscondimus, ut ea seruemus. Abscondere interdum pro discedere. Gen. 31. cap. Quum absconderetur uir à proximo suo. Septuaginta, Quum alter ab altero discesserit. Interim pro custodire, ut suprà auditum. Psal. 30. Abscondes eos in abscõsione uultus tui. Pro protegere. 1. Reg. 18. Et abscõdi de prophetis Domini centum uiros. Psal. 17. De absconditis tuis adimpletus est uenter eorum. Saturatos

ratos Iudæos dicit de immundicijs, quæ à Domino abſcondita: id eſt, noſcũtur eſſe prohibita. Vel de abſcõditis tuis: id eſt, de lege ueteris teſtamẽti, & de miraculis, quæ dominus Chriſtus in eis erat glorioſa diſpenſatione facturus. Abſcondita autẽ dei, & in malo & in bono uſurpantur. Pſal. 30. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te. Similiter hoc ſchemate utuntur Hebræi, ſicut Latini & Græci de rebus inanimatis, pro auferre & auelli. Auferri in inſulam aut regionem, pro recedi ab ea. Abſcondere, nonnnunquã pro abolere. 1. Eſd. 5. iuxta Hebræum. Item, Abſcõdere ſe, pro diſſimulare ſe uidere. Deu. 22. cap. Et præteribis, Hebræus dicit, Et abſcondes te: id eſt, diſſimulabis te eos uidere: hoc eſt, ſi uideris eos errantes à uia, non diſſimulabis te eos uidere. Abſcondere ſe ad fugiendum. Gen. 31. cap. Abſcondiſti te ad fugiendum, & furatus es me. Quaſi dicat, Cur clàm aufugiſti me neſciente, nec indicaſti. Atqui Abſcondendo abſcondere oculos ab aliquo. Leuit. 20. cap. Quod ſi abſcondendo abſcõderit populus terræ oculos ſuos à uiro illo qui dederit de ſemine ſuo Moloch, ut non interficiat eum, ponam &c. id eſt, Si populus terræ conuixerit & neglexerit occidere hominem illum, qui &c. Hebraiſmus eſt. Nam abſcondere oculos tuos ab ijs, qui male agunt, eſt diſſimulare & conniuere ad flagitia populi. Abſconditum ab aliquo, Leuit. quinto capite, eſt neſcire, ſiue quod occiſum, &c. & abſconditum fuerit ab ea, pro neſcierit eſſe immundum.

Abſcondere manum in ſinum, eſt captare ocioſum & iucundum genus uitæ. Prouerb. 19. Abſcondit piger manum ſuam in ſinu, nec ad os ſuum applicat eam.

Abſcondere faciem ſuam deus, legitur, cum hominibus quibuſdam, eorum exigentibus culpis cognitionem ſuam abſcondit, ſicut in populo Iudæorum nunc impletum uidemus, quia negantes filium dei, dei ſcientiam ita Iudæi perdiderunt. Ideo Abſcondere faciem, pro iraſci & non exaudire, & auferre iudicia beneuolentiæ: hoc eſt, quum deus non exaudit nos, uel etiam orationes noſtras, nec ullum beneuolentiæ ſignum exhibet, ſed meras afflictiones & mortes ob oculos ponit. Hiob 13. cap. Quare faciem tuam abſcondis? Micheæ 3. cap. Et abſcondet faciem ab eis tẽpore illo. Auertere faciem, idem ſicut econtrà, Oſtendere faciem. Illuminari uultum, eſt clementer aſpicere, fauere & bene uelle. Item Audire & Aſpicere faciem quoque, idem ſunt (Pſalm. 3. Aſpice in faciem Chriſti tui, & Numer. 6.) Sic ſuſcipere & non ſuſcipere faciem, pro exaudire, aut negare. Germanicè dicimus, Er hett mich nit angeſehen. Hebræi dicunt, Tuli faciem. Gen. 19. Et iam in hoc ſuſcepi preces tuas. Hinc in ſacris, illa uultus ſui illuminatio, qua conſolamur ubi remiſſæ iræ ſentimus refrigerium, crucis ſentimus exonerationem.

Abſcondi uerò denique à facie dei. Hebraiſmus eſt, Qui à deo proteguntur, à facie dei abſcondi dicuntur. Gen. 4. cap. Et à facie tua abſcondar. Pſal. alibi, Abſcondes eos à facie tua. à conturbatione hominum.

¶ *Abſit*, Vox eſt prohibitionis. Geneſis 18. cap. Prohibito ſit tibi: hoc eſt, ne ſit, aut ne cõtingat, ſiue deus auertat, aut prohibeat. Eſt autem abominationis ſermo, frequenter obuius apud diuum Paulum. Rom. 3. cap. μὴ γένοιτο: id eſt, ne ſit: ac ſi diceret, non eſt fas, non eſt iuſtum.

¶ *Abſoluta*, Idiotiſmus Hebraicorum uerborum eſt, ut ſæpius abſolutè ponantur, & ſui nominis accuſatiuum abſtractum includant, uel in nomen ſuum uerbale reſoluantur, ut Pſal. 4. In tribulatione dilataſti mihi: id eſt, latitudinẽ feciſti mihi. Fuiſti dilatator meus: hoc eſt, conſolationem mihi feciſti, quoties inuocaui in tribulationibus meis.

¶ *Abſtractum, pro Concreto.* Tropus eſt in ſacris, quo malitia pro malo, & ſcelus pro ſcelerato, ita etiam uenter pro uentri dedito, guttur pro gutturis ſtudioſo, uorantes pro uorare, accipitur. Sic Paulus ad Titum, Impios doctores, uentres pigri appellat, cap. primo. Ita ſcelera, uocantur ſcelerati homines. Gen. 19. cap. Ne & tu pariter pereas in ſcelere ciuitatis. Sic abominatio eſt, homo abominabilis. Eſaiæ quadrageſimo primo capite: Abominatio eliget uos.

¶ *Abſque præcepto.* Hunc in mod ũloqui conſueuerunt, dum infinitum atque inuſitatum aliquid eſſe exprimere uolunt. Eſaiæ quinto capite: Ea propter dilatauit infernus animam ſuem & aperuit os ſuum abſque peccato. Septuaginta: ullo relicto ſpacio: hoc eſt, immaniter, ſupra modum. Infernus autem dicitur habere animam, non quòd animal, iuxta errorem quorundam, ſed quòd uerbis humanæ conſuetudinis, rerum

insensibiliũ exprimamus adfectum, quod insatiabilis, & nunquam mortuorum multitudine compleatur.

¶ *Absque scientia*, Is modus loquendi Deuteronomij 4. cap. Ad fugiendum illuc interfectorem, qui interfecerit proximum suum absque scientia: id est, inscio. Septuaginta, *δι' ἀόκους*, inscius, imprudenti homicidio, cæde non sponte perpetrata.

¶ *Absynthium*, Doctrinam prauam & Pharisaicam denotat, qua purus fidei sensus turbatur & dulcor amarescit. Apocalypsis 8. cap.

Absynthio uerò inebriari, est omni dulcedine cibi & potus gulæq; solatio destitui, ratione & sensu. Threnorum 3. cap. Inebriabunt me absynthio.

¶ *Abyssi* Et profunditatis nomine, non solum maria, sed etiam alta flumina, atq; latius intelligit scriptura, & non raro pro uastitate aliqua immensa sumi solet, ut Psal. 36. & Psal. 71. dicuntur Abyssi terræ profunditates. Et de abyssis terræ iterum reduxisti me: id est, de uinculo ac tetra miseriarum uastitate, Vnde Ionas clamat: Abyssus uallauit me. Et Psal. 148. Dracones & omnes abyssi: hoc est, omnia monstra marina: & omnes abyssi: hoc est, cuncta aquarum receptacula. Et Psalmo 135. Et in omnibus abyssis. Gen. 7. cap. Fontes autẽ abyssi, sunt abyssi scaturigines. Ideo Abyssus, pro fundis & alueis accipitur. Est autem fundus terræ, qui sustinet aquam. Et aluei, qui teguntur aquis profundissimis. Psal. 105. Deduxit eos per abyssos, id est terram, tanquam per desertum. Basilius Magnus contra Manichæos: Vastissima aqua abyssus. & quæ transmitti non possit. Geneſis 7. cap. Abyssi magnæ: id est, copiosæ aquæ. Vide Augustinũ contra Faustum Manichæum lib. 22. cap. 10. & in Psal. 41.

Abyssus abyssum uerò inuocat. Psalmo quadragesimo secundo, locutio est. Abyssum uocat animæ calamitatem & infortunium: hoc est, calamitatem tanquam annulus annulum nectit ac inuitat, & alia tentatio aliam trahit adduntq;, Germanicè, Kein vnglück kompt nit allein. Aquarum inundationi passim in scripturis infortunia assimulantur. Hinc Dauid Psalmo decimo octauo memorat se torrentibus Belial fuisse examinatum & postea ereptum ex aquis ualidis. Et Psal. quadragesimo, eductum ex puteo, aquis perstrepente. Hinc Abyssi nomine Hebræis grauis tentatio uenit, ut suprà in adducto Psalmo septuagesimo primo: De abyssis terræ restituisti, reuocasti me. Vbi mala ipsa adflictiones multas & difficiles, abyssos terræ: id est, altissimas profunditates uocat, quia emergere ab illis humanis uiribus nunquã potuisset. Similes metaphoræ sunt, Psalmo centesimo trigesimo: De profundis clamaui. Et Psal. 68. Intrauerunt aquæ usque ad animam, Infixus sum in limo profundi. Eadem fermè & Ionas dixit, per totum caput secundum.

Abyssus præterea & in bonam & in malam partem, nonnunquam adiaphoros usurpatur. In bonam, Psalmo trigesimo quinto: Iudicia tua, abyssus multa. In malam. Psalmo septuagesimo sexto: Etiam commotæ sunt abyssi, adiaphoros autem ponitur. Geneſis septimo: Scissi sunt omnes fontes Abyssi, Geneſis primo. Est autem indigesta moles, quæ ibidem tum terra, tum aqua dicitur, & immensam uastitatem, teste Hilario Tomo secundo, significat. Item pro Inferis poni solet, ut Romanorum decimo capite, & Ionæ secundo capite legis. Et Psalmo decimo septimo. Nonnunquam pro Inferno, siue tartaro & loco perditionis quo diabolum relegendum, & Apocalypsis testatur cap. 20. Et uidere est Origenem in cap. 1. Exodi, Homilia prima, & in cap. 1. Gen. Homil. 1.

Abyssus accipit pro sacramẽtis, ac profundissimis sensibus & iudicijs dei, teste Hier. ut Psal. 35. Iudicia domini abyssus multa: id est inscrutabilia. Et Rom. 11. cap. Abyssos iudiciorum dei inconprehensibiles exclamat Apostolus.

Abyssus est etiam mysticus sacræ scripturæ sensus, quod Ezech. insinuat cap. 47. Mensus est mille cubitos &c.

Abyssus quoque cor hominis est, unde Hier. 17. cap. Prauum est cor hominis & inscrutabile. Et Esa. 29. cap. Væ qui profundi estis corde. Paulus item uocat cor hominis, abyssum tenebrarum. 1. Corinth. 4. Adstipulatur D. Augustinus in Psal. 41. Si profunditas est abyssus, putamus quod &c.

Abyssus ad hæc malitiæ est. Prouer. 18. Impius cum uenerit in profundũ malorum contemnit. Abyssus postremò inexhaustam felicitatem & rerum affluentiam significat, ut Ezechielis 31. Aquæ nutrierunt eam, & abyssus exaltauit eam. Hæc copiosa affluentia Assyrio euenit.

Accedere

¶ *Accedere*, Significat credere, & ſeſe deo dedicare. *Sic enim* Paulus per metaphoram utitur accedendi modo ad Hebræos undecimo capite, Oportet accedentẽ ad deum credere. Neque enim pedibus ad deum, ſed animo. Similiter primæ Petri ſecundo capite, Ad quem accedẽtes qui lapis eſt uiuus &c. Iubet credẽtes ad Chriſtum accedant: hoc eſt, Chriſto fidant, ſeſe per fidem ſanctificẽt, ut templum ac ſacerdotes dei eſſe poſſint. Hinc Acceſſus & aditus. Epheſ. ſecundo capite, Quoniam autem per illum habemus acceſſum utrique in uno ſpiritu ad patrem: hoc eſt, reconciliationem habemus. Accedimus ad deum puritate & ſanctimonia. Hebræorum decimo capite, Accedimus cum uero corde in plenitudine fidei &c. Accedimus denique ad deum per ſolum Chriſtum. Ioannis decimo quarto capite: Ego ſum uia, ueritas. & capite decimo: Ego ſum oſtium. Vide D. Cyprianum ad Quirinum lib. 2. cap. 26.

¶ *Accelerare*, Hoc uerbum reperitur apud Dauidem, Pſalmo uigeſimo quinto: Multiplicatæ ſunt infirmitates, poſtea accelerauerunt. Dum homines perditæ & extremæ impietatis, nihil cũctari ait, aut deliberare ſecum in turpi propoſito: ſed uelis remiſq; (quod aiunt) ruere in malefacta. Nam hoc eſt quod indicare uoluit his uerbis.

¶ *Accendere*, Pro deficere. Hoſ. 13. cap. Immolantes homines uituli accenſi ſunt. Alij, Oſculamini in uitulos tranſpoſuerunt. Septuaginta, defecerunt.

¶ *Accingere*, Pro circundare Pſalmo uigeſimo nono Aperuiſti ſaccum meum, & accinxiſti me lætitia. Septuaginta, Circundediſti, &c.

Accingere lumbos, eſt agere omnia ſtrenuè, & uirili animo aſſiduè eſſe in negotijs, domi & foris agendis. Accinge lumbos tuos: id eſt ſodes, ad opus accingere, paratus ac promptus eſto, quod iuſſi ut expedias. quarti Regum nono, & ſecundi Regum uigeſimo ſecundo capite. Et Hieremiæ primo capite: Tu ergo accinge lumbos tuos, quod eſt fortiter & audacter impijs reſiſtere. Et Chriſtus Lucæ duodecimo capite: Sint lumbi ueſtri præcincti. Hebraiſmus eſt, ſignificat accinctum & paratum eſſe, maxime ad iter, uel profectionem. Periphraſis ergo eſt uigilantiæ & ſtrenuitatis. Gegurtet ſyn, ſymbolum eſt, Geruſtet ſyn, vveg fertig. Item præcingere, ſuccingere lumbos, eſt mortificare uoluptates, corpus deo offerre. Quid eſt lumbos accingere? Libidines coercere, quod eſt continentiæ. E contrà lumbos diſſoluere regum, eſt eneruare, ut nihil dextrè agatur. Sic corporaliter ſuccingere lumbos, aliud non eſt quàm caſtitas. Sicut Eſa. 11. Iuſtitia, cingulum, lumborum eius & fides cinctorum lumborum eius. De hac ſpirituali cinctura Petrus loquitur in prima epiſt. cap. 1. Succincti lumbis mentis ueſtræ. Vide Tertullianum lib. 4. aduerſus Marcionem.

¶ *Acetum & fel*, Significant in ſacris literis maledicta, iniurias & traditiones humanas. Et Pſalmo ſexageſimo octauo: Et dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto.

¶ *Accipere*, Frequens uerbum apud Hebræos, utuntur enim hoc uerbo ſæpiuſculè pro adferre, adducere. Gen. 15. 23. cap. Mittet angelum ſuum ante te, ut accipias filio meo uxorem illinc: pro adferas, adducas. Iudicum 14. cap. Accipite mihi eam in uxorem: hoc eſt, adducite eam ad me, ut uxor mea ſit. In eum modum habes ſecundi Paralipo. 24. cap. Accepit illi duas uxores. illi, id eſt, alteri dedit duas uxores. ſic Nehemiæ 10 & 13. cap. Num. 11. cap. Et accipies eos ad tabernaculum teſtimonij. Septuaginta ἀξεις, Adduces.

Accipere, nonnunquam idem quod leuare, iactare, exaltare, magnificare, dilatare malum nomen, opprobrium, conuicium, blaſphemiam contra proximum ſuum, id quod ſolent inimici mutuò facere, maxime illi qui perſonati zelo dei & amore ueritatis, ut Pſal. 15. Et non opprobrium accepit. Et 23. Pſal. Qui non accepit (non iactauit, leuauit) in uano animam ſuam. Pro eligere. Deuteronomij primo capite, Et accepi capita tribuum ueſtrorum. Romanorum primo capite: Per quem accepimus gratiam & functionem muneris Apoſtolici: hoc eſt, adepti ſumus. Pro rapere. 1. Cor. 11. cap. Suſtineris enim, ſi quis deuorat, ſi quis accipit. Pro adferre. Exod. 20. Et accipiant ad te oleum. Pro emere. 21. Samuelis. 4. Venerunt uſque ad medium domus acceptores frumentorum. Eſt etiam contrahere nuptias & ducere, & in matrimonium conuenire, Leuitici 21. cap. Deut. 52. cap. Et accipere rem dicimus, pro obire rem, eamq; ſibi ſumere. Ioan. 3. cap. Non poteſt homo accipere quicquam. Mihi uero conceſſum non eſt cœlitus, ut aſſumam uires & honores Meſſiæ. Accipere aliquem, eſt dolo capere. 2. Cor. 11.

Accipere atqui iniquitatem, est ignoscere, Geneſis quinquagesimo: Obsecro accipe nunc iniquitatem fratrum tuorum. Septuaginta, Dimitte eis iniquitatem. Accipere misericordiam coram rege, pro accepit, legit interpres Latinus inuenit. Mox ibidem Accepit, seu retulit gratiam coram omnibus. Ester cap. 2. & 5.

Accipere spiritum sanctum, non eodē semper modo in scripturis usurpatur. Nam spiritum sanctum accipiunt aliquoties qui docentur, ita accipere spiritum sanctum significat doceri. Aliquoties accipiūt spiritum sanctū, quorum corda sensu cœlestium bonorum tanguntur: ita Accipere spiritum sanctum, est credere. Aliquoties accipiunt spiritum sanctum, quorum mentes confirmantur pacanturq; . Ita accipere spiritum sanctum significat tranquilla esse conscientia, ut in Galat. 3. cap. Scire cupio an ex operibus legis spiritum acceperitis, an ex prædicatione fidei. Rursus Accipiunt spiritū sanctū qui dona linguarum, sanationum ac uirtutum suscipiūt. 1. Cor. 12. cap. ta Actor. 8. cap. Vt acciperent spiritum sanctum &c. non significat iam primum credere, aut conscientiam assequi tranquillam, aut erudiri, sed augeri spiritum, & dono linguarū præcellere & uirtutes facere.

Accipere autem uultum, pro honorare accipit noster Interpres. 1. Reg. 25. cap. & 4. Reg. 4. cap. Acceptabili uultu, ubi noster Interpres, Honoratus.

Accipere, siue recipere personas & munera, est mirari, suspicere, ut eorum gratiam aliquid facias. 2. Par. 19.

¶ De *actione alicuius rei capita* tantum apud Hebræos commemorantur.

Hebræis ferè hunc esse morem, ut quum de actione alicuius rei mentionem faciūt, capita tantum & præcipua, quæ in actione dicta sunt, commemorent. Vt quum de diuo Baptista Euangelistæ scripserunt, quod prædicarit: O uiperarum proles, quis uobis uiam ostendet, qua uenturam effugiatis iram? Contenti fuerunt in signe istud prophetiæ acerbitatis memorasse, quo reliqua quàm acria & constantia fuerint, facile uideatur. Prædicauit multa multis D. Baptista: nimirum antequàm tantus ad eum fieret populi concursus. Sed priores Euangelistæ pauca in monimenta retulerunt. Ioannes autem paulò pòst uniuersam Euangelij summam ab eo prædicatam esse tradidit. Cicero uehementius, ac solidius scripsit orationem pro Milone, quàm egit. Vnde nobilis iste Milonis in Massiliam deportati uox, quam edidit, cum orationem potentius scriptam quàm dictam legeret, extat: Si sic egisses ò Tulli, non mäducaret barbaros Massiliæ pisces Milo.

¶ *Actiuis uerbis*, Hebræi non infrequenter, pro impersonalibus utuntur, ut Esaiæ 3. Non obligant, absolute impersonaliter ponatur, pro, non obligatur. Hoc est, tam deplorarum est uulnus, ut non sit obligandum. Obligare, pro alligari. Alligari enim Latinis dicuntur uulnera, quum etiam consuuntur. Hic autem negat propheta medelam mitem (nisi frustra) apponi posse.

¶ *Acuere*, Est assiduè inculcare. Deut. 6. cap. Et acues ea filijs tuis. Vbi enim quis leuiter lapsus, succedunt statim impiæ opiniones, quæ uel desperationem, uel contemptum dei adferant. hanc ob causam Apostolus, Vigilare & sobrios esse fideles iubet. Septuaginta, Et suadebis.

¶ *Acus foramen*, Angustias & adflictiones Euangelista Lucas appellat, Luc. 18. Facilius est enim camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare regnū cœlorū.

¶ *Ad*, Hebræi accusatiuis locorum creberrimè, non apponunt præpositiones, ut uidere licet in prophetis, præsertim in Esa. 26. cap. Nunquid glorificatus es? Elongasti omnes terminos terræ: id est, ad omnes terminos terræ. Romani autem in proprijs & appellatiuis paucis tantummodo seruant. Romam peruenit illius fama quidem dicunt, sed non dicent Omnes fines terræ peruenit fama eius, sed ad omnes peruenit. Deinde Ad, illa præpositio, pro supra, uel ultra. Leuit. 27. cap. Quòd si omnino uelit redimere ipsum, adijciat quintam eius partem ad æstimationem: id est, supra, uel ultra.

Ad, illa præpositio habet & illum Hebraismum. Ad cœlum: id est, in altum. Gen. 11. cap. Venite faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cœlum. Item ad, ualet pro De, ut Esaiæ quinto capite: Ad terram longinquam: id est, de terra longinqua.

¶ *Addere uerbo dei uel detrahere* sermonibus eius, est aliter sentire de dei uoluntate quam ipse tradidit in uerbo. Detrahunt igitur, qui non timent quantum debent, seu

qui

qui non credunt, quantum debent. Deut. 4. & 12. cap. Nec addas quicquam, nec minuas: hoc est, ne immutes sensum scripturæ. Et cap. 12. Omne uerbum quod ego præcipio uobis, illud obseruabitis, ut faciatis: non, addes super illud nec minues ab eo. Non quod tibi bonum uidetur facias, sed quod mihi. Traditiones hominum extra uerbum dei prorsus declarantur inutiles, ut tollatur præsumptio meliorum, quàm quæ Dominus iubet & statuit. Vnde & nostræ conscientiæ absoluuntur & libertati donantur, ut solo uerbo dei copulatis animabus nostris, hominum commenta negligamus, & quicquid à domino non perficitur, ut nothum & inutile repudiemus.

¶ *Adeps*, Vocabulum elegans Mosi & Dauidi, in Psalmis non infrequens, & quicquid est optimum in qualibet re, adeps dicitur. Ideo adipe & pinguedine, pro rerum abundantia, luxurie, copia sumitur. Deut. 32. Cum adipe granorum frumenti. Gen. 4. De apibus eorum: id est, de pinguioribus ouibus. Et Num. 18. cap. Medullam olei & uini: hoc est, adipem uini. Per adipem Moses intelligit quod optimum. Similiter Dauid per pinguia & adipea uocare, quæ intelligit optima, felicia, bonis omnibus referta, ut Psal. 63. Sicut adipe & pinguedine satiabitur anima mea. Adipem & pinguedinem, pro summis, sed spiritualibus delicijs dixit Psalmista. Psal. 17. Adipem suum concluserunt: hoc est, opes, facultates q; copiosas suis cõmodis reposuerunt. Et Psal. 73. Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum. Sic enim pro opimis bonis q; omnibus fortunæ abunde referris accipi uidemus. Pro lætitia quoque & gaudio, quemadmodum iecur pro amore, & renes, pro intimis animæ cogitationibus atque oblectamentis, sumi solent. Et Psalm. 147. Et adipe frumenti satiat te: pro similagine, pro candidissima & delectabili, & tritici medulla posuit. Voluit canere, tantam eius fore frumẽti abundantiam, ut tantum selectissima farinæ medulla uescerentur. Similiter Psal. 81. Et cibaret eum adipe frumenti, & à rupe satiarem eos melle. Per adipem enim fructus, id est medullam, & delicatissimi frumenti, atque mel è petra, omnis rerum delicatarum abundantia significatur. Magnam siquidem oportet eius soli felicitatẽ esse, ubi apes in petris mellificant. Simile autem est, Deuteron 32. Suggeret mel de petra, & oleum de scopulo rupis. Hyperbole est incomparabilis fœcunditatis, adeò ut in saxis proueniant, quæ aliàs uix in miti solo prouenire solent.

Adeps, postremò pro malitia & fastu. Psal. Adipem suum concluserunt. Vnde Moses Deut. 32. canit, Incrassatus est dilectus meus, & recalcitrauit: quasi dicat, Inde superbiunt & fastuosa contra deum & homines loquuntur. Et Psalmo 73. Præ adipe, inquit, egressi sunt oculi eorũ, id est, præ nimia pinguedine uix possunt uidere, obtegente faciei crassitudine oculos. A quo habitu præpinguis hoïs felicitatis successum describit.

¶ *Adiectiuum* & substantiuum disconueniunt in genere, numero & casu, apud Hebræos nonnunquam. Esa. 61. Vt uocentur dij innocentiæ, seu iustitiæ. Dij innocentes respõdet Hebraismo: quo adiectiuum, siue epitheton in genitiuo addunt subiecto, sine substantiuo, & dicunt: Innocentiæ dij, pro innocentes dij.

¶ *Adhærere*, Hebraico tropo, est amare, diligere, ut Psal. 62. Adhæsit anima mea post te. Et Paulus ad Romanos 12 scribens, odiẽtes malum, adhærentes bono: id est diligentes. Item Psal. 72. Mihi adhærere deo, bonum est.

¶ *Admirari*, In scripturis sacris nonnunquam pro laudare ponitur. Scriptum enim est de domino. Lucæ 7. cap. quòd miratus sit Centurionis fidem. Neque enim eum rei nullius ratio potuit latere, sed admiratio, pro laude posita est, eius cuius par in populo Hebræo non adparuerat, unde ipsa admiratio satis expositа est, quum dominus ait: Dico uobis nec in Israel tantã fidem inueni. Psal. 47. Ipsi uiderunt, sic obstupuerunt, conturbati sunt, seu admirati sunt: hoc est, laudauerunt.

¶ *Adnumerare*, Pro satisfacere: Ita quidam uertit. 1. Regum cap. decimooctauo. Adnumerauit: hoc est, satisfecit. Concludetur in manu mea: pro eo quod est, in deditionem ueniet, traderur mihi.

¶ *Adolescentiæ*, uel puellæ nomine, uirginem scriptura appellare consueuit. Idq; non solum in fœminis, uerum etiam in uiris sæpe signatum est, Iuuenes, inquit scriptura, & uirgines, senes cum iunioribus. Psal. 148. Ac rursus de puella loquẽs Moses, Deut. 22. quæ uirginitatem corporis uiolenter oppressa perdiderat: Si inquit, proclamauerit adolescentia, id est, uirgo. Deinde Adolescentia, pro anima usurpatur. Cant. 1. cap. Ideò adolescentiæ dilexerunt.

¶ *Adonai*, uerbum Hebræum est, & interpretatur Dominus, eo modo quo solus deus dicitur: sicut latria, quod uerbum Græcum est, & interpretatur seruitus, non quæcunque, sed illa qua tantummodo deo seruitur. Sicut Amen, interpretatur uerum, non ubicunque, & quomodocunque, sed mystica religione. Hæc Augustinus contra Faustum Manichæum.

¶ *Adorandi* uocabulum frequenter in Biblijs sacris, idem est quod prostrato corpore uenerari & reuerentiam exhibere prostratione corporis. Sic Mat. 1. Et prostrati adorauerũt illum, ut sit hæc adoratio, seu inclinatio, prostratione corporis exhibita reuerentia, uti regibus & summis principibus, in orientalibus regionibus solet fieri. Nostris enim tantũ genua flectũtur. Exigit nam deus in principe autem, uel rege, aut aliàs ex suo dono eximio hoïe coli. Quare in scriptura reges & præstãtes uiros adoratos: hoc est, exhibentes reuerentiam prostratione corporis sæpe legimus. Sic Iacob fratrẽ suum Esaũ septies adorabat in terram: hoc est, septies prosternebat se coram illo in terram. Ergo adorare quicquam pro deo: hoc est, uenerari tanquam autorem uitæ, impietas est. Sic Exod. 20. Et Deut. 5. cap. legitur uetitum, alienos deos, & statuas atq; imagines adorare: hoc est, se illis prosternere & inclinare, caput flectere. Non enim uult se in illis deus coli, sed in ijs rebus, quas ipse in hoc cõmendauit, eaq; ratione, quam ipse præscripsit.

Adorare autem in potestate constitutos, uel aliàs nobis à Domino singulari dignitate commendatos, debito honore prosequi, uel flectendo genua, uel prosternendo corpus uenerari, laudata officiositas est. Sic Geneſis 18. capite, de Abrahamo. Et incuruatus est coram eis. Dicitur enim adorare, incuruor aut inclinor. Nam & Lot angelos adorauit: hoc est, incuruauit se ante illos, demisit se in terram. Sic & in nouo Testamento. Matthæi octauo capite habet προσεκύνει αὐτῷ: id est, adorabat eum. Marci capite primo habet, γονυπετῶν αὐτῶ. hoc est, accidens ad genua. Lucas uerò 5. cap. πεσὼν ἐπὶ πρόσωπον: id est, cadens, siue prostratus in faciem. Hinc namque aperte colligitur, accidere ad genua, aut in faciem cadere, seu procidere, est se incuruare, manum osculari, inclinare reuerentiæ exhibendæ, supplicandiq; causa, uti regibus & primatibus fit, Quod Hebræis schaha, uel schahah dicitur, cum adorare Latinis plus significet, ut patebit, imò aliud ferè quod animi potius sit, quàm corporis.

Adorare, hinc quoque pro gratias agere. Genes. 22. cap. gratias agere significat, sed cum geniculatione, aut gestu decoro corporis, ut in Samuele crebrò inuenitur, cum gratiarum actione, aut deprecatione. Et Gen. 23. cap. Adorare populum terræ, & adorare coram populo terræ, sunt Hebraismi: id est, gratias egit cum geniculatiõe & gestu capitis, & genib⁹ flexis honorẽ impendere. Et Ioan. 9. Et adorauit eum. Et Act. 10. & in multis locis. Similiter pro honorare, quod fermè idem est. Gen. 37. Et adorabãt manipulũ meũ.

¶ *Adorationis* nomen sæpenumerò inuenies usurpatum pro cultu & tenore integra q; religione dei, id quod circunstantiæ facillime declarabunt. Sic sanè non nisi unus deus adorari debet. Ita. 1. Sam. 1. de Elcana: Et ascẽdebat uir ille de ciuitate sua, statutis diebus, ut adoraret & sanctificaret domino exercituum in Silo: hoc est, ut solennem deo cultum exhiberet, pietatem q; suam testaretur. Sic Sycharites illa muliercula dicebat domino Ioan. 4. Patres nostri in monte hoc adorauerunt, quo nihil aliud uoluit dicere, quàm in monte hoc patres nostri deum solẽniter coluerunt. Vnde illi Christus respondebat: Venit hora, cum ueri adoratores: id est cultores, patrem in spiritu & ueritate adorabunt: hoc est, colent. Eodem significatu scribit Lucas, uenisse Eunuchum illum Æthiopem Hierusalem, adoraturum.

Hic adorationis nomine cultum dei scriptura intelligit. Nam schaha Ebræum & Græcum προσκυνέω, quod significat incuruatione & inclinatione (ut suprà auditũ est) corporis reuerentiam pietatem q; animi testari. Id quoniã fieri solet in publicis precationib⁹ & supplicijs, totus & omnis ille cultus externus & intern⁹ dei, Adorare dici cœpit.

Animaduertendum hic quoque est, rarissimam esse apud Hebræos illam differentiam, ut alia Adorari dicuntur secundum Latriam, alia secundum Hyperduliam. Licet Latriam etiam Augustini tempore acceperint nonnulli pro cultu dei proprio, ut legis de Ciuitate dei lib. 10. cap. 1. & alibi. Addiderunt alij Duleiam cultum esse, qui excellẽtibus creaturis exhibetur, sed neutra diffinitio in sacris literis usurpari uidetur. Vide insuper D. Augustinum lib. uno, cap. contra sermonem Arrianorum. Quid adorare & honorare. Et Chrysostomum in cap. Ioan. 4. Homil. 32.

Adorare,

¶ *Adorare* postremò in spiritu & ueritate,&c.Io.4.cap.Spiritus opponit carni & rebus externis:comprehendit fidem,obedientiam,dona spiritus, animum regeneratum & timentem amantemq; deum.Itaq; religio nulli loco temporiue erit affixa:cultus dei non uersabitur in templis extruendis,in cibo aut uestitu ullo. Verus dei cultor erit quisquis per spiritum dei renatus,fide uera & spe firma deo inhæret,spiritu suo: id est conscientia syncera deo supplicat,& indiuulsè adhæret. Veritas autem opponitur umbræ & hypocrisi,comprehendit ipsam rem,ipsam integritatem, innocentiam, cæterasq; animi uirtutes sanas.Ideo religio non erit in typis, figuris,usuue cæremoniarum, quæ significationem habuerunt rerum futurarum,non erit in externa,quantumuis spectabili specie sanctimoniæ.Vere enim religiosus est, qui ipsis rebus cœlestibus affixus inhæret,qui integer est,innocens,se totum deo consecrat & offert.

Et hanc Adorationem accepit Ioan.pro ipsa fidei & pietatis in deum cura custodiaq;,quum inquit:Venit hora & nunc est,quum ueri adoratores,&c.

¶ *Adserere*, Hebræi hoc uerbo serè utuntur pro possidere, comparare, acquirere. Eo enim serè utuntur,quum loquuntur de restitutione in libertatem, quum statum & caput defendunt.Iurisperiti.Esa.11.cap.Adserere populi sui.

¶ *Adducere* Dicitur deus,quod locutus est,quando implet. Gen.18.cap.Vt adducat dominus propter Abraham omnia,quæ locutus est ad eum:id est,ut impleat dominus. Dese loquitur,in tertia persona:hoc est,ut impleam quæ promisi illi.

¶ *Aduena*, aptissima metaphora est,quæ competat in credentes uerbi,aduena.Nam quum cuncta deo committunt,animæ salutem, uitam,alimoniam,amictum,& omnia quibus necessariò indigent: nihil est cur de patria se uelit magnopere iactitare,sed magis exaltare se fateni à regno cœlesti,cuius ciues sibi esse uidẽtur, & domestici dei,ut ait Apostolus Ephes. De hoc tropo habes Gen.47.1.Par.29.Psal.118.& 38.1.Pet.2.

¶ *Adultery* nomine,quemlibet illicitum usum ueneris significandum intelligit scriptura.Matth.5.hoc est, & quicquid extra matrimonij legem admittitur. Coloss.3.cap. Et Exodi 20.Autor est Aben Ezra. Similiter Paulus,pro omni corruptela uti cõsueuit, quemadmodum adulteratum, quicquid corruptum est,dicunt.Hinc etiam adulterij & fornicationis,siue scortatiõis nomine solet creberrime sacra lectio,pro ingenti & turpi à deo defectione, proque magna perfidia poni,ut est uidere in omnibus prophetis,uidelicet idololatriam,siue cultum idolorum significatũ,ut Ezech.16.& 23.Et Esa.57.Dilatasti cubile tuum.Nam Hier.cultum quem dijs impendebant in montibus,syluis,ualibus, agris, speluncis & ad quercus Adulterium uocat.Sic cap.3. Per scortationẽ nihil quàm idololatriam intelligi uult, Adulterari & scortari,cui sunt similiora, quàm idolorum cultui luxuiq; ? Deserto marito, nouos concubitus quærit adultera.Relicto uero deo,noui quæruntur perfidis.Conculcatis honestate ac pudore omni cum omnibus libidinis genus peruadit scortum. Qui iustitiam prodideruntper omne luxuriæ genus grassantur. Hinc pro omni scelere scriptura, utitur ab Apostolo auaritia & transgressimpudentersio appellatur.

¶ *Aduocare*, Hebræi hoc uerbo utuntur interdum,pro consulere,iuuare,& defendere, quemadmodum & Latini Aduocãdi uerbum,in foro,pro defendendi, consulendi,iuuandi.Esa. 19.cap.Non est qui aduocet iustitiam.

¶ *Ædificare*, Pro instaurare & cõseruare,locupletare,dilatare accipiuntHebræi.Metaphora sumpta ab extructione domorum.Domus est familia,quæ non nisi liberis ædificatur & instauratur, ut Gen.16. Ingredere obsecro ad ancillam meam,si fortè ex ea ædificer.Septuaginta, Vt filios gignam.& Gen.30.cap.Ecce ancilla mea Biltha ingredere ad eam,ut pariat super genua mea,& ædificer.Sic Dauid 51.Psal.Vt ædificentur muri Hierusalem,inquit,pro seruentur ac sustineantur,reædificentur:prius enim ædificata Hierusalem erat.Hinc Ædificare domum est,sexum augere & familiam. Exodi 1.Et fecit eis domos.Non enim obstetrices fecerant sibi domos, uti consuetum est, quemadmodum Septuaginta transtulerunt.Sed deus fecit eis domos,non manu factas,sed quales Dauid describit:Domus Israel benedicite dominum,domus Aharon benedicite dominum.Sic & Nathan dicebat Dauidi:Annunciat tibi Dominus, quòd sit tibi facturus domum,id est, stabilem & perpetuã familiã.Esaias etiam dicit ad'Achas:Audite domus Dauid,Affines & cognatos prophetam uniuscuiusq; sexus domos appellans.Familiare enim est sacræ scripturæ,tribus & affines domos nominare.

Ædificare

Ædificare, deinde pro instruere & docere. Nam D. Paulus, ubi de pietatis instauratione & profectu loquitur, non illubens usurpat, ut Thessalon. 5 capite: Quapropter adhortamini uos inuicem, & ædificetis singulos, sicut etiam facitis. Et 1. Corinth. 3. pro docere & prodesse. Opus quod ædificatur, est ecclesia. Et Galat. secundo capite, Nam si quæ destruxi rursum ædifico. Et Romanorum decimo quarto capite: Et quem admodum non infrequens est in scripturis Ædificare, pro docere, poni: ita Destruere, pro euertere, confutare & argumentis dissoluere, in usu habet scriptura. Pro exaltare Ædificare capitur, Malachiæ 3. cap. Etiam ædificari, facientem iniquitatem. primæ Corinth. 3. Vnusquisq; autem uideat quomodo super ædificet. Ædificationem hoc loci, opera singulorum appellat.

Ædificare, postea pro creare. Gen. secundo capite: Et ædificauit dominus deus, &c. Pro munire, secundi Paral. decimo sexto: Et ædificauit Rama: id est, munitiones faciũt. Germanicè, Die stett buowen. Ædificare montem: id est, urbem ædificare in monte. 3. Regum decimo sexto: Ædificansq; montem, quam uocauit Schæmer. Paulus Ephes. quarto, Ædificationem posuit pro profectu: unde scilicet meliores reddimur: id autem fit cum in tempore & loco quid dicimus, sed si quis est bonus seruus ad ædificationem: id est, ad profectum.

Ædificare atqui super harenam, est in falsis spebus conniti. Matthæi septimo capite. Et Ezechielis 13. cap. Ad insulsum quod cadet, ad parietem ruinosum. Vtrobique enim spectat spei uanitas, siue in arenam ædificas, siue struis parietem sibi male cohærentem ac futilem. Obliniri parietem, est paries infirmus & nihili, qui sua mole in se subsidet. Etiam legibus uerboq; euangelij conscientias hominum extruere, siue erigere, ut Matthæi septimo, de ædificanda domo supra petram. Prouerbialis sermo est, In harena ædificans, quod in eos dicitur, qui negotium aggrediuntur inutile futurum. Similis parœmia est, Harenæ mandas semina. Significatur autem his omnibus, non tantum inanis opera, sed quæ simul cum detrimento aliquo fit coniuncta.

Ædificare autem supra petram, est qui per fidem Christo nituntur, uniũtur, & coniunguntur, ut eius uirtute crescant in omni iustitia. Atque ita Ædificandi uerbum exponunt Apostoli. 1. Pet. 2. Ephes. 2. cap.

Ædificare præterea Hierusalẽ in iniquitate, ut est apud Mich. 3. Significat magnificè ædificare, sed ex sudore & sanguine pauperum. Significatq; insuper contẽptum legis & euangelij, ex quo fit ut Hierusalem, id est populus dei, uiolentia, cædibus, & tyrannide administretur. Quomodo autem Sion in sanguine ædificata fuerit, habes regem Achas. 4. Regum 19. cap. & 2. Paralip. 28. cap. Et Michæam consule cap. 3. Ædificare in Zion sanguinibus.

Ædificare, & non destruere, interdum est in tam absolutam dignitatem prouehere, feliciterq; iuuare oneratos, ne pœnitudo ulla laboris unquam incidere queat, quemad modũ fit in his, quæ infeliciter cõtingunt, ubi quæ ædificata sunt, displicẽt, & rursus destruuntur. Hier. 42. Et ædificabo uos, & non destruam, & plãtabo uos, & non euellam.

Ædificantes hinc dicuntur, hi qui bona & salutari doctrina populũ informãt, instruũt, docent ædificantq;, ut 1. Cor. 3. & 14. Sic Psal. 117. Lapidem reprobauerunt ædificantes, plebis doctores, qui iudicabãt hunc lapidem, scilicet Christum, ad ædificium inutilẽ &c. Et Psalm. 10. Quoniam quæ perfeciſti, ipsi destruxerunt. Hinc Destructores, qui prauis doctrinis & opinionibus homines corrũpunt. Esa. 49. Venerunt destructores tui, destruentes te, & dissipãtes à te exibũt. Nam destruere, est contrà docere. Gal. 1. ut suprà.

Ædificari super Christum hunc lapidem, aliud non est, quàm ut omnes pariter fiduciam ac spem nostram inter nos mutuò connexam in Christũ ponamus. Sic 1. Pet. 2. Ad quem uiuum lapidem, scilicet Christum &c. Hinc Christiani, uiui lapides dicuntur. Item Ædificium spirituale, quod scilicet fide & charitate constat, dicitur.

Fuit Ædificans. Genesis quarto capite, pro ædificauit ciuitatem. Germanicè dicimus, Er vvasz ein hausz bauvver. Sic etiam diligere, Er vvas inn lieb. Et sic de alijs consimilibus.

Ædes populi, pro domo uulgi, ut translatio uulgaris habet, Hierem. 39. Et domum regis & domum populi combusserunt Chaldæi in igne. Nos publicas appellamus. Quasi dicat propheta, ut omnis redeundi spes abscindatur, iuxta prophetias, domus, palatia, mœnia, publica & priuata euertuntur.

¶ Ægyptus

¶ *Ægyptus*, mundum in scripturis sacris significari, nemo negare potest. Prophetarum mos est, ut regna mundi opulenta per Ægyptum, Æthiopiam & Libyam, quæ uel meridiem & occidentem Hierosolymis sunt, designent. Porrò Ægyptij soliti sunt suum magistratum Dyanistiam, præfectos autem uocare Dynastas: sic Candace commune nomen omnibus Æthiopum reginis, & Ptolemæus regibus. Id ita habere testatur Plinius libro uigesimo, capite decimotertio, & Strabo Geographiæ libro decimoseptimo.

In Ægyptum uerò redire, generali sententia, est redire ad ea, è quibus nos per gratiam suam Deus eripuit. Hierem. 42 capite. Item Ægyptij dracones & Leuiathan uocantur, Psalmo 74. Confringebas capita draconum, siue cœtorum in aquis. hoc est, Ægyptiorum, qui mordebunt populum Dei. Et capita draconis: hoc est, Principes Pharaonis. Et Esa. cap. 27. Pharaonem & Leuiathan & draconem appellat.

¶ *Æmulari* uerbum, quanquam frequenter idem sit, quòd imitari. Apostolus tamen familiarem eius habet usum, pro Inuidere, ambire, laborare zelotypia, cum amore, seu alicuius amore contendere & conniti. Et est duplex. Æmulatio Dei, ideſt odium in re amata, seu amor boni, & odium mali, in re amata secundum ueritatem. Altera hominum est, odium mali, in re amata, seu amor boni, & odium mali, in re amata, sed secundum speciem, ut Galat. 4. cap. Æmulantur uos non bene, ideſt excludere uos uolunt, scilicet à Christo & fiducia eius, in fiduciam legis incamerandos, ut ipsos æmulemini. Sic 2 Corinthior. 11. capite, Æmulor enim uos, Dei æmulatione. Et 8 capite, Zelus siue æmulatio, in bonam partem accipitur. Et ad Romanos capite 13. appellatur æmulatio, zelus amarus, ubi quis odium concipit contra eum, à quo propter scelera sua corripitur.

Æmulari porrò pro ultione capitur: ulciscitur enim, qui æmulatur. Numer. Deus æmulator & ulciscens Dominus. Nolens enim suos offendi æmulatur. & offendentes ulciscitur: ultus autem est uincendo mundum. Sic Esa. 42. Sicut uir belli excitabit æmulationem, Deut. 4. cap. Ignis consumens est, deus æmulator: id est perdet te, non aliter quàm magnus ignis, qui omnia uorat: est & zelotes qui non patitur riualem, uult solus summe coli. Et cap. 5. Æmulator, &c. zelotes. id est, qui in amore socium non fero, nec patior consortem amoris, sed solus uerbo amari & coli.

Ad Æmulationem deum prouocare: ut Deute. 30. cap. Ad æmulationem prouocauerunt eum in dijs alienis: id est, dederunt operam ut inuideret Deus dijs alienis: nam summo studio coluerunt eos: uel, non stetit per eos quin iraſceretur dijs alienis dominus, qui immutabilis est.

Æmulatio, pro ira. Psalm. 78. In æmulatione concitauerunt, ut Hebræus habet: hoc est, ad iram.

¶ *Ænigma*, Hebraicè חִידָה Prouerbiorum primo capite, Verba sapientum & ænigmata (ut Septuaginta uerterunt) Hebraicè uocatur obscurè dictum, quale fuit illud Samsonis: De comedente exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo. Iudicum decimoquarto capite.

Ænigmata, scripturis & prophetis admodum familiaria sunt, eò quod arcana, & nulli satis peruestigata rerum scientia in his lateat. Sic Psalmo 78. cantaturus Asaph beneficia & miracula, quæ Deus Israeli exhibuit, dicit se aperturum os suum parabolis, & eloquuturum ænigmata temporis prisci. Vocauit idem & Mascal, ideſt parabola, quod contineat graues & sapientiæ fœcundas sententias, quæ Miscle uocari soleat, ideo quod ferè collationibus constent. Vocat item Dauid Psalmo 49. parabolam & ænigma, eo quòd cum collationibus, quæ Hebræis propriè dicuntur Mescalim, tum terrioribus, præsertim hominibus huic seculo deditos, sententijs utatur. Sic & Prouerbiorū primo cap. Parabolæ, enarrationes, uerba sapientum, & ænigmata, pro eodem accipiuntur, grauioribus scilicet sententijs, quæ ferè & reconditi, & collationis aliquid habent, atque ideo enarrationem apud imperitiores requirunt. Esa. 14. cap. carmen de casu regis Babel, eo quòd audentiores translationes & hyperbolas poematum more, habet mascal, ideſt parabola à uate nuncupatum est.

Ænigmata intelligere, apud ipsum prophetam Danielem reperitur hæc loquutio capite octauo, Et intelligens ænigmata. Hoc loco Daniel, non parabolarum involucra & argutias disertè aperire, sed acutè peruidere qua parte, quibus ue modis at

dis ac uijs incommodare alium possis. Videturq; prouerbialiter dictum de acutis & uafris. Illis enim temporibus mos erat cum depositione aliqua proponere ænigmata & parabolas: qui autem soluebat, præmium depositum recipiebat: deinde quidam enim patiebatur à sapiente, audiebat à uicinis, En intelligētem ænigmata. Vnde in adagium abijt, de his qui ingenij acrimonia alios circumueniunt, quod ænigmata intelligant.

¶ *Aer*, Cœlorũ nomine usurpatur. Nam racia Hebraicè, expansum illud est quod Gen. 1. cap. legimus Deum condidisse die secundo, cœlos uocatum, & posuisse interstitium inter aquas supernas & infernas: id est, raras illas & subtiliores, eoq; in sublimi pendentes, & crassas graues q; , quæ infrà uel stagnant uel fluunt. Psal. 148. Sic uolucres cœli, uidelicet quæ in aere uolitant. Nam res sæpe uicinitatis nomina sortiuntur, ut suprà Gen. 1. & 4. Regum 2. de Helia. Et Ephes. 2. cap. Iuxta principē cui potestas est aeris. Sumitur hoc loco quoque pro infima illa regione, ut idem hoc loco polleat quod alibi mundus.

Aerem uerò uerberare, siue ferire, prouerbiali schemate dictum est à Paulo, pro frustrà & inaniter laborare: ueluti pugil nihil agit, nisi corpus attingat. Verum hæc eò tendit parabola, ut intelligamus non esse satis, quomodocunque nostro fungi officio, nisi demus operam, ut insigniter ac præter cæteros gessisse nos uideamur. 1. Cor. 9. Aerem uerberans, est operam ludere.

¶ *Æs, Lapis*. Per hæc insensibilia, corda signantur. 1. Cor. 13. Si linguis hominum loquar, & angelorum, charitatem autem non habeam factus sum uelut æs aut cymbalum tinniens. Ezech. 11. cap. Tollam à uobis cor lapideum, & dabo uobis cor carneum. In sacris literis in bonam & malam partem accipitur lapis. Pro homine, Esa. 44. cap. Et portas tuas in lapides sculptos. 1. Per. 2. cap.

Æs & ferrum calciamentum tuum, Hebraismus. Deut. 33. pro, In regione tua erunt metalla ferri & æris, quasi dicat quicquid calcaueris calciamentis tuis, erit ferrum & æs.

¶ *Æternum*, Propriè est quod nunquam incœpit esse: attamen semper fuit & erit, & est solus benedictus Deus. Perpetuum propriè est quod esse cœpit, sed nunquam desinet esse: quales sunt angeli & animi. Item olam Hebraicè, æternum Latinè ut transfertur, Tempus longum, continuum & indefinitum, usque ad naturalem rei præscriptæ terminum, secundum Hebræorum phrasim ponere consueuerunt. Exodi ca. 21. Et seruiet ei in æternum: hoc est, absque interuallo: & citra spem libertatis usque ad Iubilæum. Nam ultrà proferri seruitus nullo pacto potuit. Psal. 89. Quia dixi in æternum beneficia tua cum Dauide parata, stabilisq; futura sit in æternum, & quod fides mea cum illo, ut cœli sit in æternum constatura. Ibi absque fine significat, nemine refragante, ut ad alterum omnino seculum referatur: nam stante cœlo, ex hac uita migrauit. Fides igitur beneficentiæ in aliud seculum translata, defuncto supereſt. Adstipulatur & Rabbi Moses: ille scribit, dictionem hanc Æternum, non perpetuò Æternitatem, in sacris literis significare, sed durationem aliquam: quæ tamen aliquando rumpatur: permulta enim in Scripturis æterna promittuntur, quæ tamen breuissima temporum spacia obierunt. Sic promittitur Abrahæ, terram quam tum peregrinaretur, æternam possessionem semini suo futuram: promittitur Dauidi regni sceptrum perenne, in domo sua futurum, quod tamen celeriter receptum est, nisi fortè mysticè hæc interpretari uelis. Eodem modo Genes. 6. minatur se genus humanum in sempiternum aboliturum: quod per Noah reparatum est, qui eiusmodi minis non erit obnoxius. Hinc Ab æterno, Hebraicè meolam, reddit noster Interpres interdum antiquitus. 1. Reg. 27. cap. sic pro finito tempore, ut 3. Reg. 2. cap. Iosue 14. cap. Matth. 24. cap. In uitam æternam. Item Ioan. 5. Qui credit in me, habet uitam æternam. Hic enim Æternum, non pro annorum numero, aut longo tempore (ut aliàs sæpe olam) capitur, sed pro Perpetuò & æterno, quod finem nunquam habiturum est.

Æternus, pro uero prædicatore. Psal. 75. Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis. Æterni montes quoq; uel antiqui. Deuteron. 33. cap. qui ab initio mundi fuerunt, dicuntur.

¶ *Æthiopes* nomine pertinacia uenit, ut apud Hier. 18. cap. licet cernere: Si mutare, inquit, potest Æthiops pellem suam, aut pardus uarietates suas: & uos poteritis benefacere, quum didiceritis malum. Iudaicum populum pertinacem esse, & peruersitatem mutare nescientem, intelligit. Deinde Æthiopiæ nomine, regna opulenta designantur,

ut suprà

ut ſuprà Ægypti nomine patent. Æthiopia etiam allegorice præſentē mundum & gentilitatem deſignat, Pſal. 57. & Abac. 2. Tabernacula Æthiopum expaueſcent. Sic Æthiops adpellatur, qui penitus in uitijs eſt demerſus ac ſuffocatus.

¶ *Affligere*, pro abſtinere ſumitur: & afflictio, pœnitentia, quæ maximè fit per ieiunium, Gen. 30. cap. Per ieiunium affligat animam, Leuit. 16. cap. Affligetis, pro ieiunabitis. Et 23. Affligetisq; animas. Et Numer. 29. capite, pro ieiunare uſurpatur. Pro humiliare, Pſal. 115. Ego adflictus ſum ualde. Septuaginta humiliatus ſum, Pſal. 115. Ego adflictus ſum ualde. Septuaginta: Ego humiliatus ſum. Pertinet hoc uerbum Hebraicū ad omnem humiliationem mentisq; ſuperbiæ depreſſionem: et nitidæ ueſtes deponantur & de eſcis dematur, ut omnes prælatæ ac ſuperbæ actiones deprimantur. Item affligere cor ſuum, 2. Reg. 13. cap. eſt ſemetipſum excruciare, contriſtari, pectus ſuum ardere, breuiter ad ſummum turbari. Idem ferè cum illo quod eſt apud Eſaiam cap. 58. uidelicet affligere animam ſuam, &c. Item adflictiones frequenter uocari morbos & plagas, &c.

¶ *Afferre conſilium.* Eſt inire conſilium & conſultare ſuper negotio aliquo. 2. Regum 16. cap. Dixit autem Abſalom ad Achitophel: Afferte cōſilium, ut habet Hebræus Latinus: Inite conſilium, quid agere debeamus.

¶ *Affluere diuitias*, uel opes dicuntur, dum præter noſtram ſolicitudinem obueniunt, id quod fermè fit hæreditatem acceſſione, & munificentia amicorum. Nam ad ſummas diuitias citra malas artes euehi quempiam, hoc non uidetur ueriſimile. D Hieron. ait: Omnis diues iniquus eſt, aut hæres iniqui. Pſal. 62. & Pſal. 143. non reprobat opes, ſed oris uanitatem damnat, & dextram iniquitatis, quia qui hæc poſſident, beatos ſe prædicant, & abſtinent à malis artibus, quæ alibi prohibentur, Pſal. 33.

¶ *Agere* inique contra Dominum, eſt mutare cultum, & idololatriam inſtituere, Oſeæ 7. cap. Deuaſtabuntur, quoniam inique agunt contra me.

¶ *Agnoſcere* (Hebraico ſchemate) aliquē, eſt eius rationē habere, operiq; mercedem rependere, quæ locutio & Germanis uſitatiſſima eſt. Dicimus enim, Er hats nit erkēnt, pro eo quod eſt ingratus fuit, & de debita mercede fraudauit. Vſus eſt D. Paulus 1. Theſſal. 5. cap. Rogamus uos fratres, ut agnoſcatis eos qui laborant inter uos. Et 1. Cor. 16. cap. Agnoſcite huiuſmodi: id eſt, in honore eos habete. Sic non raro legimus in ſcripturis Deum ſuos agnoſcere, quod idem eſt, atque Deum illos, & ſuos habere, eosq; curare & tueri, ut Pſalmo 50. Cognoui ſeu agnoui omnia uolatilia cœli, hoc eſt, in mea poteſtate ſunt.

¶ *Agri* nomine intelligit ſcriptura familiam, ſeruos, ancillas, & omne patrimonium & fructus agrorum omnis generis, ut 2. Reg. 9. Et reſtituā tibi omnes agros Saulis patris tui, & tu comedes panes in menſa mea ſemper. Id eſt, reſtituam omne patrimonium aui (nam Saul auus Mephibōſeth fuit) tui Saulis. Item, Ager, Campus pro regione, Gen. 32. Terra Seyr in agrum Ædom. Septuaginta in regionem. Deinde Ager quoque pro hoc mundo uſurpatur, Matth. 13. cap. Agrum deniq; exterminare, Leuit. 25. dicitur, quando penitus à poſſeſſore abdicatur: id quod apud Hebræos fieri non potuit, ſed prędia uendebantur uſq; ad annum Iubilei, ſiue is propè, ſiue longè abeſſet. Agger uerò pro refugio. Pſal. 17. Domine petra, area et agger meus. Item agrum contriſtari, eſt agrum lapidibus obrui. 2. Reg. 3. Et omnem agrum bonum, dolore afficietis lapidibus.

¶ *Agni* nomine, manſuetudo in ſacris literis deſignatur, cui animal culo Chriſtus ipſe omnium paſtor princeps, innumeris ſcripturæ locis aſſimilatur. Hinc & prouerbia in ſcriptura naſcuntur, Agnus & Lupus paſcēt ſimul, apud Eſa. 65. cap. dicto nihil aliud quàm ſummam tranquillitatem pollicetur prophera: qua fruituri ſunt, qui Deo fidūt: quum hic dum conturbari aduerſitate nulla poſſunt, quò minus in Domino ſint hilares: tum iſtis quò neq; æſtus aut labor accedunt. Lupos efferas gentes eſſe, agnos autē fide cicuratos. Vide Eſaiam 65. cap.

Agni autem paſcentes iuxta ordinem ſuum. Apparet prouerbialem fuiſſe ſermonē apud Hebræos, quo ius atq; ordinem cuiuſq; ſeruandum fore ſignificent, Eſaiæ 5. cap. Agni paſcentur iuxta ordinem uel demenſum ſuum.

Agnus ſingulariter de Chriſto tantum dicitur, Ioan. 1. cap. Ecce agnus Dei. Alias etiam diſcipuli oues dicti ſunt & lex mundi, Matthæi 10. cap. Tanquam oues in medio luporum. Matth. 5. cap. Vos eſtis lux mundi.

Agnus, Hœdus, ut eſt apud Matth. 25. cap. Agnos, iuſtos: hœdos uerò, iniuſtos ap-

pellat Christus. Et statuet, inquit, oues seu agnos quidē à dextris, hoc est iustos, credentes: hœdos autem à sinistris, hoc est iniustos, incredulos, impios. Agnus denique perfectus, ut est Leuit. 23. cap. dicitur, qui absolutus est, nulla sui parte initiatus, sed integer, immaculatus mactandus.

¶ *Agon, Agonia* Græcis certamē, siue periculum, aut labor & sollicitudo, Col. 2. cap. Nam uos scire quantam sollicitudinem (agona) habeam de uobis. Agoniam appellat Euangelista horrorem illum & adfectionem, qua corripi solent homines iam instante atq; urgente graui discrimine, Lu. 22. ca. Et factus in agonia, id est, & correptus angore.

¶ *Aba seu Ab*, uox pauentium & lugentium siue uerbum angustiæ, qualis affectus fermè omnium sanctorum est, qui nihil de suis proprijs uiribus confidunt, Ioel. 1. cap. Aha quia propè est dies Domini. Et Hier. 1. cap. Ah Domine Deus, & non nouit loqui.

¶ *Ait*, Hanc orationem plerunq; ad finē alicuius sermonis uel sententiæ prophetæ adponunt & ad fastidium inculcant, sed sedulitas est nō oscitantia. Ait Dominus uel dixit, ut præcedentibus fidem ab autoritate Domini mittentis & mandantis concilient. Congruet igitur, & huiusmodi epilogulos ita exponamus uel intelligamus, ut pateat propter superiorum fidem positos. Sic inquam loquutus est Dominus. Hæc mandauit Dominus. Hæc præcepit, aut consimili auctario.

¶ *Alarum* nomine interdum uel eas quæ sub humeris latēt, accipit scriptura: uel pro defensione, aut propugnatione. sic Hier. 2. cap. Et sub alis tuis inuentus est sanguis animarum pauperum innocentum, Psal. 16. In umbra alarum tuarum absconde me. Hinc alas extendere, siue alam expandere super aliquem, metaphora est sumpta à uolucribus seu à gallina, quæ pullos suos sub alis suis fouet tuetur q;. Est etiam aliquem in tutelam suscipere, defendere & protegere, Ruth 2. cap. Expande alam tuam super ancillam tuam. Similiter Psal. 16. Pro diuina protectione & tutela, ut Psal. citato. Sub umbra alarum tuarum protege me. Sic & Christus, Mat. 13. Quoties uolui congregare filios tuos, quemadmodum congregat gallina pullos suos, sub alis suis. Alarum umbra uerò Dei sedere, est in misericordia, iustitia, spe & fiducia Dei sedere. Hinc spiritus ebrietas, hinc ubertas, hinc profluuia emanant gratiarum. Ab umbra alarum Dei seiungi & amoueri, certissimum damnationis signum est. Alarum similitudo in scripturis immensam Dei erga nos bonitatem demonstrat.

¶ Alas deinde extendere, apud Ezech. cap. 1. est Dei beneficia plausibiliter agnoscere & laudare. Alas remittere apud eundem, est impotentiam suam fateri, & humiliari sub potenti manus Dei. Alarum extensio nonnunquam populum & exercitum ipsum significat, ut Esa. 8. cap. Et erit extensio alarum eius implēs latitudinem terræ, id est, exercitus regis totam terram occupabit. Ita & Ezech. 17. cap. describitur rex per aquilam alis grandibus. Dan. 7. cap. describitur leo cum duabus alis, quæ significant populū & duas præcipuas gentes, quæ per uices regnauerunt Chaldæos & Assyrios, pardo quatuor alæ attribuuntur, celeritatē & uelocitatem in Alexandro Magno denotant. Alarum stre pitus apud Ezech. 3. cap. Pœnam accelerandum significant. Alarum uolatus, discursus signatur celerrimus ad iussa Dei perficienda, Esa. 6. cap.

Alæ duæ præterea in Cherubim super propitiatoriū sese respicientibus aduerso uultu: uel duo Cherubim sese superne contingentibus tum alis suis, & propitiatorium operientibus, in propitiatorium mutuis uultibus prospicientes: duo sunt testamenta uel uerba utriusq; testamenti. Quorum alterum est uerbum legis, alterum uerbum gratiæ, quæ inter sese etiam aduersa uidentur, dum lex peccatum auget, gratiam tollit, tamen in Christo conueniunt. Quia quod erat impossibile legi, Deus mittens filium suum, dam nauit peccatum de peccato, ut iustitia legis impleretur in nobis. Vmbra uerò fides ipsa uerbi Dei, caligo spiritualis anima in qua tuto latet, à facie uulturum & rapientium luporum. Cherubim dicti sunt quasi alatæ aues. Num ita Hebraicè dicuntur aues, uel uenti: ut cognoscamus ex ipso nomine diligentiam angelici ministerij, Psal. 17. Heb. 1. cap.

Alæ adhæc terræ, pro cardine, extremitate & terminis terræ seu orbis, Esa. 24. Ab ala terræ cantica audiuimus. Et Iob 38. cap. Vt apprehendas alas terræ, id est, extrema orbis, Ezech. 7. cap. Finis super quatuor alas, id est, terminos terræ, hoc est, super omnem terram. Præter hæc & in malam partem accipitur, ut Hier. 49. Expandet alas suas. Item sub alas confugere, est sub tutelam & defensionem Dei confugere, Ruth 2. cap. Vt sub alas eius confugeres. Et ideo alas Deus dicitur habere, pro eo quod more auis electos

suos

ſuos tanquam pullos ſub ſe colligit, fouet, & ab inſidijs diaboli, & malorum hominum protegit.

¶ *Albus* hoc nomen Leuit.cap.13.pro colore uſurpatur.Ipſa, inquit Moſes,mutauit capilli albedinem.Translatio uulgaris,Et capillorum mutauerit aſpectum.

¶ *Alienus, Alienigena* ſcripturæ ſacræ conſuetudo eſt, impios ac peruerſos Iſraelitas interim alienos,interim gentes appellare,ut Eſa.1.& Pſal.10.Alienati ſunt improbi,errauerunt ab utero: hoc eſt, ſimul atq; nati ſunt, à uerò Iſraelis ſemine degenerauerunt. Hinc de Hieruſalem Dominus per Ezech.16. cap. dixit: Origo & generatio tua è terra Cenaan, pater tuus Amorræus, & mater tua Cethea. Ad hunc ergo modũ arbitror per conuitium uocatos gentes,qui carne Iſraelitæ erãt, gentium autem impietatem & inamantes Deum, crudelitatem animo & moribus referebant, ab Dauide in Pſalmis iure alieni,alienati,alienigenæ nominantur. Hinc filij alieni ſiue alienati ſunt in ſcripturis, qui de ſorte & familia Dei eſſe debeant, uerum potius mundani homines,& ex operibus iuſtitiam quærentes, qũi tamen ſe filios & populum Dei gloriantur: de quibus Eſa.2.cap.Filios enutriui & exaltaui,ipſi autem ſpreuerunt me,&c.Et Pſal.143.Et ex manu filiorum alienorum,quorum os loquutum eſt uanitatẽ. Pſal.17.Alieni mentiti ſunt mihi, filij alieni inueterati ſunt.Eſa.85.Sicut çſtas in ſiti tumultum alienorum humiliabis. Aliquando pro impio, Eſa.25.Palatium alienorum ut non ſit ciuitas. Septuaginta ἀσεβῶν,id eſt,impiorum.Significat etiam eum qui non eſt ex ſacerdotium genere,licet ſit ex Iudæis.Num.18.cap. Alienigena,id eſt,qui non fuerit de tribu ueſtra.Et Leuit.22 ca. Alienigenam uocat, qui non fuerit de genere ſacerdotali. Iterum cap.eod.Numer.Intelligit alienigenam ſiue alienum aut externum,nempe eum qui non ſit de ſemine Aaron.Item Hebræi,interdum Alienigenam commixtionem uocant,uidelicet quicquid ex gentibus ſe Iſraelitis immiſcuerat & cum eis è captiuitate aſcenderat,ut Eſdræ cap.13.habetur. Adhæc alieni pro hoſtibus,ut Eſa.Eam ipſam inquam alieni deuorãt.& cap.24. per alienos hoſtes populi Dei intelligit,alienos ab inſtitutis Dei,moribus & uita,& omnes qui à Dei timore & reuerentia ſunt,Pſal.54.Alieni inſurrexerunt aduerſum me.

¶ *Alienum* non rarò dicitur quod non eſt inſtitutũ à Deo, ſic Alienus ignis, dicitur illatus eſſe tabernaculo, diuerſus nimirũ ab eo quem accendere iuſſerat Dominus. Aliena dicitur mulier in Prouerbijs,quam non conceſſit Dominus.

Alienos deos poſtremò uocat,quæcunq; alia ſibi colenda,ſtulta hominum ſuperſtitio fingit. Hinc primo Decalogi cap. Non ſint tibi dij alieni iuxta uel præter me. Alieni ergo dij ſunt quos nos ipſi fingimus, quos Deus nobis non conſtituit tutelares, à quibus pendentes auxilia poſcamus. Alienus Deus erit, quod propriè & naturaliter nõ eſt Deus cui confidimus,à quo dependemus in proſperis & aduerſis.

¶ *Alius* hoc uocabulum pro nouo ſubinde reperitur, Eſa.65.cap. Et ſeruos ſuos uocabit nomine alio,id eſt nouo.Septuaginta καινόν, Act.17.Regem dicentes alium eſſe Ieſum,hoc eſt,nouum.Pro proximo,Rom.2.cap.In hoc quod iudicas alium.

¶ *Alma* Hebræis non quamlibet adoleſcentulam, ſed Virginem, quæ iam matura eſt uiro & partui apta,ſed innuptam adhuc ac uelut domi abſconditam, ut uirgines ſolent,antequam nuptum elocentur, ſignificat: qualis Rebecca erat,quum Iſaac ſponſa peteretur.Ea tum alma dicebatur, ut legimus Geneſ.24.& ea quæ uiolata eſt in campo. Ita uocatam & Mariam ſororem Moſis legimus, cum à filia Pharaonis iuberetur, nutricem recepto infantulo Moſi adducere, quando certè admodum puella fuit. Sic & Eſa.7.cap.Ecce uirgo concipiet & pariet filium,Hebræus almam uocat. Similiter & Matthæus hac uoce uſus eſt cap.1. Hebræi in uno loco de corrupta exponunt. Prou.30. cap. Vbi legitur de uia uiri in adoleſcentula,ſed his nihil obſtat.

¶ *Alpha & ω.* Apocal.ult.cap.Ego ſum alpha & ω,hoc eſt,ego ſum rerum omnium ſumma.Omnia proficiſcuntur à me,uelut à fonte,& ad eundẽ omnia referuntur,tanquam ad fœlicitatis portum.Nam alpha α Græcis prima litera eſt,ω magnum poſtrema. Non diſſonat ab iſto adagio: Prora & puppis, ſummam conſilij noſtri ſignificamus: propterea quod à prora & puppi,tanquam à capite et calce pendeat tota nauis.Et illud Theocriti in Encomio Ptolemæi: Primus & ultimus, ac medius. Item Vergilij illud: A te principium tibi deſinet. Quaſi dicat Ioannes,omnia proficiſcuntur à me tanquam à fonte,&c. Sic pietas, ſtudiorũ noſtrorũ prora & puppis & foſſa & uallum eſſe debeat.

¶ *Altare* pro Deo ſæpe accipitur,Iudicum 2.cap.Altaria eorum ſubuertetis.Interim

altare pro mensa Domini ponitur. Denique pro corde hominis, Matt. 23. cap. Altare ergo (inquit Origenes in Matth. Tract. 25.) quod uotum sanctificat, est hominis cor, quod principale habetur in homine. Hæc ille.

¶ *Altera contra alteram*, pro eo quod est, Mutuo, uel uicissim mulierem ad mulierem, Amos 4. cap. Et per apturas exibitis altera contra alteram. Septuaginta contra inuicem.

¶ *Altum sapere*, Roman. 11. cap. Noli altum sapere: Altum sapere dictum est superbire. Quod alio loco è contrario satis ostendit, Rom. 12. cap. ubi ait: Non alta sapientes, sed humilibus consentientes. aperuit utique nihil aliud se dixisse alta sapientes, quàm superbientes.

Altum esse, est cruce tectum esse, Prouerb. 24. cap. Altior est sapientia quàm ut stultus assequatur. Thesauri enim Dei cruce sunt absconditi. Stultus non amat crucem, sed fugit, ideo non assequitur sapientiam.

Altum denique Paulus Rom. 8. usurpat. Nec altitudo, nec inquit, profunditas. Profunditatem, gehennam. Altitudinem uerò, regnum cœlorũ uocat. In Altum reuerti, regredi, Psal. 7. Et propterea ad Altum regredere, est conscendere tribunal, est suum iudicium, suam potestatem, suum officium, suum ministerium resuscitari, hoc est, in altitudinem reponere, reuertere apud Dauidem.

¶ *Amarum facere os*, pro non credere, Iosuæ 1. cap. Omnis uir qui amarum fecerit os tuum, hoc est, qui nõ crediderit tibi. Septuaginta, Qui tibi inobediens fuerit, seu potius incredulus, Numer. 20. cap. Non intrabit (scilicet Pharao) in terram, quam dedi filijs Israel, eo quod amarum fecerit os ad aquas contradictionis, Deuter. 1. Et amarum feciſtis os Domini Dei uestri. Item 9. Et amarum feciſtis os Domini Dei uestri. Ad hæc Amarum mihi ualde de uobis. Hebraismus, ubi noster interpres, uestra angustia magis me premit. Septuaginta uerò ita legunt, Adflictio est mihi ualde super uos. Sensus is fuerit: Vestro magis quàm meo exilio crucior, Ruth 1. cap. Vide Exodi 1. cap. Amaricare uitam populi.

¶ *Ambulare* penitiore significatu apud Hebræos est, qui à uia recta discedit, in calles{que} labitur tortuosos, Psal. 1. Beatus uir qui non ambulauit in consilio impiorũ, Matthæi 10. cap. In uiam gentium ne abieceritis, 4. Reg. 16. cap. Et ambulauit in uia regum Israel, 2. Paralip. 2. cap. Et non ambulauit desiderabilis, Gen. 17. Fac teipsum ambulare coram me, septuaginta cum Iesu Syrach, & D. Paulo transposuerunt. Optimè ages coram me, hilariter enim affectus sum, & ita ut oportet egregiè fungi officio rectoq{ue} gere re significat. Quasi ad hunc modum diceret, Conuersatio tua sit ad uoluntatem meam, operam da, ut mihi placeas: uult enim Abraham ad nutum suum ac uoluntatem suam facere, Psal. 104. Deambulabo in conspectu Domini in terris uiuentium. Hinc Ambulare sicut & ingredi notum est more scripturæ metaphoricos, idem esse quod uiuere seu conuersari, ut Psalm. 14. Qui ingreditur sine macula, id est, qui conuersatur absq{ue} omni dolo, siue innocenter & iuste uiuit. Psal. 83. Sic apud Esaiam 6. cap. conuersationem & opere Ambulare significat, Qui ambulant innocenter. Et Psal. 100. Rom. 8. Nihil damnationis his, qui non secundum carnem ambulant, id est, non carnaliter secundum concupiscentiam, & iuxta præscriptum carnis uiuunt. Hinc est quod uia in scripturis dicitur, quicquid legimus, quicquid uiuimus, & quoquo conuersamur. Denique omnia quibus studemus, siue bona, siue mala, ut Psal. 1. Quoniam nouit Dominus uiam iustorũ, & impiorum iter peribit. Ambulare pro colere, Deut. 4. cap. Qui ambulauit post Baalpeor, Gen. 48. cap. Ambulauerunt patres mei, id est, uacauerunt cultui Dei. Pro custodire, Ezech. 5. cap. Et in præceptis mes non ambulastis. Pro, proficere, Philipp. cap. 3. Obseruate eos qui ita ambulant.

Ambulare in mirabilibus super se, hoc est, quod uulgo dicunt nimis alte uolare, tractare rem supra uires, & sic periculum incurrere, Psalm. 131. Domine non est exaltatum cor meum.

Ambulare uerò in uijs Domini, nihil aliud esse scribunt patres, quàm in cunctis nostris & cogitationibus, & actionibus seruare iustitiam, quàm perfectam mandatorum Dei obseruantiam, & cultum esse diffiniunt.

Ambulare post Dominum, est abijcere fiduciam omnium operum humanorum, & sola Dei gratia ac bonitate niti & fidere. Nam qui credit filium Dei, factum uictimam pro peccatis suis, hic nullo suo opere nitetur.

Ambu-

Ambulare Dominum in medio populi sui, est omnium ac singulorũ necessitatibus consulere, adesse prudentia, dirigere in agendis, gratiam largiri uicissim fidelibus suis, & eam agnosci à gratis sibi credentibus, Leuit. 26. cap.

Ambulare, agere, conseruari coram siue cum Deo, uel in conspectu eius, est uelle placere ei, innocenter uiuere, ad nutum & uoluntatẽ Dei agere. Et ut certo Dei fauore gaudere, ita uicissim flagranti eius studio teneri, Quemadmodum Enoch & Abraham ambulauerunt. Id quod solum petit Deus à nobis Gen. 48. Deus in cuius conspectu ambulauerunt patres mei. Est enim elegans Hebraismus, significans sese diuinæ uoluntati attemperare. Sic Gen. 17. Ambula coram me, & esto perfectus, id est, integer esto. Conuersatio tua sit uoluntati meæ consona, studе ut mihi placeas. Ita uiuito in hoc mundo, ut quæcunque egeris, mihi grata sint, daq; operam ut uiuas inculpate, Germanicè, du vvirst dich vvol tragen vnd halten vor mir. Et cap. 5. Ambulauit Enoch cum Deo: pro, rectè, inculpateq; uixit & diuinam uitam egit, studuit ueræ pietati atq; innocentiæ: nam sic homo rectè coram Deo aut cum Deo ambulat.

Ambulare cum Deo ex aduerso, est iactare titulum populi Dei, corde autem & animis longè à Deo separatis, Leuit. 26. ca. Si ambulaueritis mecum ex aduerso, ambulabo & ego uobiscum ex aduerso. Currere cum Deo idem est, est cum timere ac sincere colere, ut infrà patebit.

Ambulare secundum spiritum, ut Paulus Rom. 8. cap. adhortatur, est monitis fidei obtemperare. & carni ferocienti frenum imponere, hoc est, uim carnis & rationis humanæ abnegare & mortificare, & à solo spiritu pendere.

Ambulare secundum carnem seu uersari est totum carnis imperio subditum, & à spiritu Dei alienum esse, hoc est, omnino carnis cupiditates sequi, cõtempto spiritus imperio, Gal. 5. cap. quod est iuxta rationem & præscriptum humanum uiuere & uersari.

Ambulare adhæc toto & perfecto corde cum Domino, hoc est, uerè & rectè & sinceriter uitam suam ad uoluntatem Dei instituisse, alios autem corde duplici & imperfecto, 4. Reg. 20. orat Ezechias ad Dominum. Obsecro Domine, &c. Ita 4. Reg 10. cap. Iehu ad Ionadab, ait: Nunquid est cor tuum rectum in corde meo sicut cor meum cum corde tuo?

Ambulare in luce, Ioan. 3. cap. est credere: Contrà, in tenebris ambulare, est in Christum non credere, Ioan. 12. cap. Qui ergo in Christum credunt, in luce ambulãt. In Christum credunt, qui opera tenebrarum abijciunt, Rom. 13. cap.

Ambulare cum patribus suis, est in aliud seculum sequi præcessores, quod fit, cum uitam morte commutauerimus, 1. Par. 17. cap.

Ambulare ante faciem, est sibijpsi absentem non esse, Eze. 1. cap. Et unumquodq; eorum coram facie sua ambulabat.

Ambulare per uiam uenti, est mania annunciare & mẽtiri, Mich. 2. cap. Si fuerit quispiam, qui ambulat per uiam uenti. Septuaginta: spiritus statuit mendacium.

Ambulare in anima, hoc est, ut Ezech cap. 1. Qui ambulant in uoluntate cordis sui, Eccles. 6. Melior est aspectus oculorum ambulante in anima. Elegantius uerò Symmachus (teste Hieronymo) transtulit, Melius est prouidere quàm ambulare ut libet, hoc est, Melius est iuxta sensum cuncta agere, qui animæ est oculus, quàm uoluntatem cordis sequi.

Ambulare sicut gentes, est quemadmodum Apostolus Rom. 1. cap. dicit, cognoscere Deum, attamen non sicut Deum glorificare aut gratias agere, Ephes. 4. cap. Non uos amplius ambulare sicut & reliquæ gentes.

Ambulare in uetustate literæ: de quibus loquitur Paulus Roman. 7. cap. quorum corda spiritus sanctus non animauit amore legis: sunt autem duplices, qui in uetustate literæ uersantur, Alij hypocritæ nondum onus conscientiæ sentientes, qualis ille, Lucæ 18. cap. Alij sentientes onus conscientiæ, & ignorantes fidei, qui operibus & satisfactionibus se iustificare conantur. Proinde literæ sunt primũ fictæ pœnitentiæ: deinde etiam dolor conscientiæ sine fine misericordiæ Dei.

Ambulare post desideria carnis, est perinde atq; solent bestiæ, secundum proprium sensum ac libidinem uiuere. Sic enim ait Petrus, Maximè uerò ambulantes post impura carnis desideria, & in Epist. Iudæ.

Ambulare in latitudine, est conuersari spiritus libertate & conscientiæ tranquillitate,

& ſancta quadam uoluptate cordis,& mente ſine diſceptatione: iſtuc Dauid uocat Ambulare in latitudine, Pſal.118. Hebraiſmus & ille obſeruandus, Ambulabant ſecundum quod ambulabant, pro quo noſter legit, Huc atq; illuc uagabantur incerti. Septuaginta, Ibant quocunq; ibant. Item, Non ambulauerunt in uia eius, hoc eſt, haudquaquam uixerunt, quemadmodum pater eorum, 1.Reg.8.cap. Item Ambulare poſt peccata, pro peccare, der bieberey nach gehn, 4.Reg.13.cap.

Ambulatio, poſtremo pro fluxu & abundantia, 1.Sam.14. Et uenit populus in ſyluã & ecce ambulatio mellis, & nemo reducebat manum ſuam ad os ſuum. Hoc loci etiam reducere pro admouere uſurpatur.

Ambulare in portis inferni, eſt uerſari in latibulis ſepulchri cum mortuis, Eſa.38.

¶ *Amen* uox Hebraica eſt, quæ apud Hebræos eum habet uſum, ut per eam confirmemus, quæ antea dicta ſunt. Amen nanq; nomen deductum à uerbo Aman quod firmum eſſe ac ſolidum ſignificat: unde & Emeth, id eſt, ueritas, & Emunah, id eſt, fides deducitur. Approbantes & confirmantes auditum ſermonem, ea uoce apud Hebræos utebantur, & accinebatur Amen, amen: quod ſignificat, firmum ſit firmum: uel ſiat & fiat. Septuaginta γένοιτο, γένοιτο uerterunt. Sic cum imprecatio eſſet lecta in mulierẽ adulterij infamatam, lex cogebat ipſam reſpondere, Amen. Num.5.cap. Item quum recitabantur deuotiones contra tranſgreſſores legis Dei, reſpondebat item populus, Amen, Deut.27.& 1.Par.16. Nehem.8.& Pſal.72. & Pſal.89. ferè eiſdem uerbis, quibus Pſal.39, finit, ſic enim habet, Laudetur Dominus in ſeculum Amẽ & amen, id eſt, fiat & ita fiat. Geminatio hæc confirmationem intendit. Ergo Amen uox Hebræis peculiaris particula eſt formula iurantis, confirmantis, concedentis, optantis conteſtantisq; ueritatẽ. Hinc toties legitur repetita à Domino, & qua libenter uſus eſt, ut eſt uidere apud omnes Euangeliſtas. Et ideo ut maximè uoluit hac uoce ſignificare id fore certum ac eſſe indubitatum, quod dixerit. D. Hieronymus in Matthæum, Amen inquit, ſignaculum eſt orationis dominicæ: quod Aquila interpretatur fideliter, nos uerè, poſſumus dicere. Et ſanè uidetur Emeth Amen adijci, quo ſpes noſtra confirmet, uotaq; illa noſtra omnia certo iam impetrata eſſe quando Deus pater cœleſtis ſe nos exauditurũ ſanctè recepit, qui cum ſit ueritas æterna, fallere poteſt neminem. Vulgarem uerò quoq; fuiſſe uoculã confirmandi & obſignandi preces publicas, imprecationes fauſtas & infauſtas, ut Deut.28. cap. Nehem.8. Hier.11. cap. & eum fuiſſe morem, ut ad prælegentis uerba tota eccleſia reſponderit Amen. Et Paulus aſſerit non poſſe aliquem reſpondere Amen, id eſt, confirmare quæ prædicata ſunt, niſi intellexerit prædicationem.

Tres uoces in ſumma ſunt Hebræis familiares, quibus precantur rebus ſuis fœlicitatem, incolumitatem, tranquillitatem, ſalutem, pacemq; ac ſucceſſum. Sælah, id eſt, ſemper, Et ſcholem, hoc eſt pax: & Amen, id eſt fiat. Atq; hæ frequenter in ſacris literis inueniuntur, præſertim in Pſalmis, in quorum fine aliquando eſt Amen, quod eſt apud Latinos Etiam. plerunq; affirmantis ſiue approbantis eſt, Apocal.cap.1. Sælah, id eſt, ſemper: quo dicto optatur ſucceſſus ac omnium rerum perfectio, & adimpletio ante dictarum rerum.

¶ *Amicus* Hebraicè Ahab, pro deceptore, Thren.1.cap. Verus enim amicus & fidelis (ut ſcriptura teſtatur) protectio eſt fortis, medicamentũ uitæ et immortalitatis. Vnde patet quod hoc loco per Antiphraſim iſte Amicus dicatur, qui deceptor eſſe probetur. Vocaui amicos meos, ipſi deceperunt me. Pro ſocio & altero, Exodi 21.cap. Et percuſſerit quis amicum ſuum.

¶ *Amor* hoc uocabulum reperitur apud prophetãm Hieremiam pro gratia & fauore, Hier.2.cap. Quid bonam oſtendere uiam tuam ad quærendum amorem.

¶ *Anathema* D. Hieronymus ait Iudæis hanc peculiarem uocem eſſe, & extremã deteſtationem ſignificare, Et apud Hebræos ab exterminio & internitione nomen habet Herem, quaſi dicas excidium & panoletria, aut ſi malis internitio, noſtri excõmunicationem, maledictionẽ & execrationẽ dixere. Sic in Leuit.27. legitur: Omne quod Domino conſecratur, uel omne anathema quod cõſecrabit quis Domino ex omnib. quæ habet. Vox Hebrça Herem, pro qua Anathema tranſtulimus, locũ habet quum ex pacto internitionis hoſtiũ, aut ex cõditione euerſionis alicuius urbis, homines, aut ſpolia deuouebantur Deo, Num.11. Iudic.11. Ioſ.6. Deut. Herem deducitur ab Haram, id eſt, occidit. euertit, deſtruxit. Hoc enim uotũ ferè cõcipiebatur ab Iſraelitis, ſub internitionis uel euerſionis

sionis conditione, ut: Si Ammonitas deuicero, eum qui mihi primus occurrerit tibi offeram in holocaustū. Herem idem ualet, quod omnis res, quæ deuota est Domino Deo uel ad usum sacrum uel ad internitionem, ut patet Leuit. ult. & Deut. 7. Anathema esse. Id est, ne sis Deo abominationi, sicut & ille populus à quo idola cœperis.

Huius uerbi usus frequens est in Mose. Inuenies nanq; quod dicitur cōtra Hiericho: Et anathematizabis totam ciuitatē Christo Deo tuo. Vocantur enim eo nomine apud Hebræos, quæ ex aliqua maxima causa Deo deouentur, neq; licebat unquam ea contingere, Num. 18. Et inualuit apud nos omnis consuetudo, quæ in hodiernum diem durat, ut Anathema dicatur, quod certo loco suspensum, & hoc plerunq; in bonum sonat, & est interdum oblatum Deo. Sic interdum qui oblatus est diabolo, nec ultra regionē salutis inhabitat, sed alienus à Christo, &c.

D. Paulus hac uoce usus, Rom. 6. Optarim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, hoc est, optarim abdicari à Christo, relegari, reijci, uel alienū esse. Etenim homines sacri, quorū capita dijs inferis deuota erant, dicti sunt Anathemata. Nos dicimus Germanicè, verbandt, verschickt, verstossen, enterbt, verflūcht. In Galatis posuit eandē uocem pro deuoto & execrabili detestando q;. Illud (inquit cap. 1.) deuotum sit, execrabile, detestandum abominandum q;. Docet esse Anathema quicquid non in Euangelio, atq; sermonibus Apostolorum contineatur. Et 1. Cor. ult. Qui non diligit Dominū Iesum sit Anathema, maranatha. execrationis ultimæ nomen. Vide & consule Lector Budæum in Comment. linguæ Græcæ, multa nanq; & ea lecta & iucunda & digna de hac uice Anathematis scripsit uir ille doctissimus.

¶ *Ancillæ* nomine minores urbes, uiculi & castella apud Hebræos ueniunt, Naum 2. cap. Et ancillæ eius minabantur. Vel intellige captiuas mulierculas iuxta D. Hieronymum. Et quidam Hebræorum per Ancillas intelligunt principum & nobiliorum uirorum uxores, in seruitutis coactas conditionem, atq; in exilium abductas, quæ prius molliss imè uixerunt. Item Ancillæ & Serui nominibus, sodales & domestici intelliguntur, Esa. 14. Et possidebit domus Israel super terram Domini in seruos & Ancillas.

¶ *Angelus* commune uocabulum omnibus qui mandata Dei perfecerunt, & à Deo mittuntur, siue spiritus illi cœlestes sint, siue prophetæ aut Apostoli. Et si etymon spectes, significat legatum & nuncium: quo nomine & propheræ angeli Domini exercituum appellantur. Sunt enim missi à Deo oratores qui mundo Dei uoluntatem exponant, ad Hebr. 1. Et Malach. 2. de officio sacerdotis scribitur. Et Haggæi 1. Dixit Haggæus, angelus domini populo dixit: Ecce ego uobiscum, &c. Et Lucæ 9. Iesus mittebat angelos ante faciem suam in uicos Samaritanorum. Ita quicunq; mandata Domini perferunt, & uerbum eius annunciantes Angeli eius sunt, legati, ministri publici siue nuncij Dei, ut patet 1. Cor. 11. Iubet mulierem uelamen habere super caput, propter angelos: Vel angelum dixit Apostolus pro iusto.

Angeli deinde nomē generaliter pro spiritu capitur, Matth. 8. Dico enim uobis, &c. Et Paulus ad Hebræos cap. 1. Nusquam enim angelos assumit. Intellexit omnem inuisibilem, subtilem aut spiritualem substantiam. Porrò quoties pij aliquē magnopere laudant, uocant eum Angelum Domini 2. Reg. 19. & 14. Vnde idem ad Gal. cap. 4. Mal. 2. Contra quando quis ad extremum usq; perditur, audit filius Belial. Heliseus appellat regem Israel filium homicidæ, 4. Reg. 8. Item pro spiritu hominis bono uideas sæpissimè usurpari hoc nomen Angeli, pro hominis deuotione, pro spiritu hominis sancto.

Angeli similiter pro dæmonibus dicuntur, 1. Cor. 6. Angelos, dæmones intelligit in malam duntaxat partem per Synecdochem. Præterea per Angelū Satanę, 2. Cor. 12. (persona pro re usurpata) intelligit Paulus omnes aduersitates, & omnia mala quę nobis accidunt: cōmune nimirū modum sequutus, quicquid aduersitatū & periculorū accidit, aut diabolū uocant, aut ex diabolo esse existimant. Sic & 1. Cor. 6. nomine Angeli diabolum intelligit. Et Matt. 25. Rom. 8. In bonam partem uerò uocatus est filius Dei per Esaiam angelus. Et Psal. 33. Circūdat angelus Domini in circuitu timētes eū, & eruet eos.

Angeli etiā dicunt filij Dei, iuxta Bernardū, ut diuinæ gloriæ participes, & expressio rem imaginis Dei similitudinē in se habentes, Iob 1. Et erat dies ueniebant q; filij Dei. Alij reddunt, ministri Dei, sunt etiam prophetarū ministri. Sicq; & uigiles apud Danielem 9. dicuntur ad significandum, quod singula facta explorent ac cognoscant.

Angelis postremo tribuuntur facies, alæ ac pedes, quamuis reipsa incorporei sunt. At-

que faciei & oculis ulm cognitiuam. Pedibus, opera eorum quibus coram Deo ambulant & conuersantur, ac sedulum ministerium & alacrem obedientiam. Alis, in cuncta discursum uelocissimum capimus, quomodo & poetæ suo Mercurio tribuunt. Vide Esaiam cap. 6.

D. Ioannes Capnion, qui fuit conterraneus meus, fœlicissimæ memoriæ incomparabilis eruditionis uir, talem diffinitionem adfert. Angelus est suppositum uiuum, rationale, hymnisonum, immortale. Hæc ille.

Angeli, inquam, creaturæ sunt, spirituales substantię, ministri, & ut propheta Dauid ait, flamma ignis. Nam Angeli reuera non sunt flammæ corporeæ & uisibiles, sed diaphonia, pulchritudine, puritate, ui, agilitate & celeritate flammam referunt. Hinc & Seraphin nomen, proculdubio ab ardore indepti sunt.

¶ *Anguli* nomine, principem seu primorē populi intelligit Hebræa lingua, ut 1. Samuelis 14. cap. Accedite huc omnes anguli populi.

¶ *Animæ* uocabulo, multa in sacra lectione significat. Capitur enim sæpenumero pro ipsa uita seu corpore animato & anima ipsa quæ in sanguine est, & in quantū corpus uiuificat atq; negetat, ut Leuitici legimus, Anima, inquit, omnis carnis in sanguine est. Et Hiob 1. Animam eius non tangas, id est, uitam. Gen. 37. Non interficiamus animam eius, Matth. 10. cap. Et illud: Qui amat animam suam, pro amore uitæ capi debet, Deut. 12. Num. 35. 1. Ioan. 3. Gen. 19. Salua animam tuam, Germanicè, fryste oder errette dein leben. Ideo Animæ nomine, etsi uim illam scriptura solent significare, qua uegetamur & sentimus, nonnunquam tamen & pro uentre illud usurpat, ut Esa. 5. cap. Propterea dilatatur infernus animam suam, hoc est, uentrem & distendit os suum, absq; modo. Et capite 19. In simili somniantis se edere, cuius cum euigilarit anima, id est, uenter, uacuus est.

Anima insuper pro cadauere siue mortuo, Leuit. 21. cap. Super anima nullus uestrū contaminet sese in populo suo. Pro uictu, Deut. 24. cap. Qui animam suam apposuit tibi, quia animam suam caperet in pignus, id est, uictum suum. Quasi dicat, caperet id unde sibi quæritat uictum.

Anima uiuens pro anima uiua siue homine uiuo, qui morte interit, 1. Cor. 15. cap. Factus est primus homo in animam uiuentē. Nam sic Genesis habetur, Omnem animam uiuentem, Hebraismus, pro omnia animantia uiuentia Et Gen. 1. Anima uiuentis reptile, pro reptilia uiuentia. Sicq; legis, ut non semper pro humano spiritu accipiatur, sed etiam brutis attribuantur, quæ uegetantur & enutriuntur. De anima iumenti legis Leuit. 24. Qui percusserit animal, reddet uicarium, id est, animam pro anima, hoc est, iumentum eiusdem precij restituat.

Anima ita in sacris frequenter dicitur homo uiuens, edens, bibens, dormiens, faciens aliquid. Hinc Animalis homo ψυχικός, naturalis uel carnalis ab anima. Nam homo, quatenus dei spiritu renatus nō est, non solū corpore caro est, sed anima quoq;. Caro enim per se nihil cogitat. Et affectus carnis in anima sunt, nō in carne. Et ut Paul. 1. Cor. 3. hominē uocauit animalē, id est, naturalē siue carnalem. Hinc quoq; Animale corpus & spirituale corpus. Animale corpus, uiuū illud est quod Adamo protoplasto dedit Deus, & q̄d operante Deo nobis cōfertur per natiuitatē carnalem: scriptum est enim, Factus est Adam in animam uiuentem. Spirituale autem corpus illud est quod ipse Dominus Iesus primitiæ dormientium à morte excitatus, gessit, spirituq; suo omnium fidelium corpora uiuificabit, ut & ipsa sint spiritualia futura & conformia corpori dominico, uiuentia iam perpetuò in gloria, potentia, ac omnium rerum perfectionem habita.

Animæ & uitæ adhæc in hoc mundo, comprehenduntur omnia desideria carnis, ut sunt gloria, uoluptas, quies, & id genus alia. Item, Secundum Animam suam, Deut. 23. Quantum, inquit tibi placuerit, Hebræus legit, secundum animam tuam saluando te. Id est, pro desiderio tuo, ad saturitatē usq;. Pro tota humanæ personæ substātia. Hier. 38. Viuit Dominus qui fecit nobis anima. Seu persona uiuente, Gen. 12. Et animas quas fecerant in Haran, uel personas quas acquisiuerāt, ut de seruis in domo natis, aut pecunia emptis intelligatur, Et Gen. 14. ca. Da mihi animas, id est, homines captiuos. Et Gen. 36. Omnes animas domus suæ. Id est, omnes homines domus suę, oēs domesticos, Leuit. 5. Pro mente religiosa & illuminata à Deo, 1. Pet. 2. Abstinete à carnalibus concupiscentijs quæ pugnant aduersus animam. Item, Anima de populo terræ, Leuit. 4. Si peccauerit

anima

anima per ignorantiam, de populo terræ, ut faciat quicquam, &c. Hebraismus est, pro, si quis è plebe per ignorantiam peccauerit faciendo quicquam.

Animæ præterea percussione percutere, Deuter. 19. Percutiat cum percussione animæ, &c. Id est, lethali uulnere. Animam pro anima, Deut. 19. cap. Sed animã pro anima. Id est, eam pœnam ab eo exiges, qua affectus fuisset is, in quem dixit falsum testimoniũ si conuictus fuisset. Pro corpore humano, haud raro in scripturis, ut Esa. 49. Ad cõtemptibilem animam. Homo pollutus anima, id est, polluto corpore. Anima mortua, ideſt, homo mortuus. Anima quoq; pro pecoribus & iumentis, Gen. 12. cap. Hinc Anima uiua, pro animalibus uiuis accipitur. Et generaliter tam ad bestias quàm ad feras atq; iumenta refertur, Gen. 1. Producat terra animam uiuam, quod uiuit in sensibus, & etiam animantia, Germanicè, Ein lebendiger leyb, quod corporaliter uiuit cum tota substantia. Anima pro sanguine, Gen. 9. cap. Verumtamen carnem cum anima sua, suo sangui ne non comederit. Hic uocat animam sanguinem, quia sanguis est sedes ipsius animæ. significat enim sæpe apud Hebræos animarum uitam quæ sanguine & halitu continetur. Anima eius ligata est ad animam istius. Et adhæsit anima eius cum Dina, Genesis 34. Cui affine est, quod Gen. 44. ut iam citaui, scribitur. Vtrunq; pro eo, quod nos dicimus. Habet illum longè charissimum. Er hat syne sinn gar vff sy gevvorffen. Eodem pertinet, 1. Reg. 18. Conglutinata est anima Ionathan cum anima Dauid, id est, ipse Ionathan dilexit eum ut animam suam, id est, ut se ipsum.

Animas autem facere, est gignendis liberis operam dare. Et dicitur de utroque sexu scire animas aliorum, hoc est, quid alijs in animo sedeat nosse, Exodi 23. Anima mea coram te honorabilis, 4. Regum cap. 1. Pro quo noster interpres ponit, Noli despicere animam meam, &c. Honoratior tibi uidear quàm cui, quod peto, deneges. Animam non tollet, noster interpres. Non uult perire animam, id est, uitam 2. Reg. 14. Tollere animam pro neci dedere, uulgatissimum est. Anima preciosa coram te, id est, quod parsi sti uitæ meæ, 1. Reg. 26. & 4. Regũ 1. cap. Sit preciosa anima mea coram te, &, noli despicere animam, &c. Septuaginta legunt: Honoretur anima mea, &c. Anima mea magnificata est in oculis tuis, 1. Reg. 26. Id est, Magni me fecisti: Anima mea omnis adhuc in me, hoc est, uiuo adhuc, nondum expiraui, 2. Reg. 1. cap. Anima tua erit custodita in custodia uiuorum. Cuius Idiotismi sententia hæc est: Perire non poteris, custodiente Domino uitam tuam cap. 25. Mox occurrit contrarium, Anima hostium proijcietur in manu fundæ, hoc est, peribit. Anima mea cõturbata est, hoc est, omnis illa, qua uiuo, & sentio, ex mortis memoria, pœnarumq; horrore summè deiecta, & consternata, quemadmodum & illud de Christo intelligi oportet, Tristis est seu mœsta est anima mea usq; ad mortem. Quo loquutionis genere extremam significauit animi mœstitiam, qua nõ potest alia excogitari maior aut etiam æqualis: perinde ut cum nos in nostrate lingua dicimus. Ich bin vff den todt vervvundt. Et animi mentis ue dolores tanto superant cruciatus corporis, quanto mens carne præstantior est.

Anima pro uoluntate Gen. 23. uel animo capitur. Si est inquit, in animabus uestris, ac si diceret, si placet uobis, si uobis cordi est, si uobis est in animo. Psal. 105. Vt erudiret principes suos in anima sua, id est, pro uolũtate sua. Et Psal. 11. Odit anima eius, pro animi adfecti Gen. 27. cap. Et benedicat mihi anima tua, id est, ut tibi ex animo benedicam, quemadmodum tibi ex animo bene uolo ac cupio, ita tibi benefaciam Gen. 32. Salua facta est anima mea. Anima Hebræus pro animo legit, hoc est, iam quieto & parato sum animo, iam omnibus curis, omnium metu liberatus est animus meus, Germanicè, Ietzund ist myn hertz alles vnmuts los. Sic Animam egredi, uel cor exire, schema est Hebraicum, pro concidere, examinari, Gen. 24. Et exijt cor eorũ, et obstupuerunt, Germanicè, Im empfiel hertz vnd mũt. Hinc est quod in sacra scriptura tribuitur animæ appetitus & nausea, iuxta illud, Num. 21. Anima nostra nauseat super cibo isto leuissimo. Et Leuit. 26. cap. Abominabitur uos anima mea.

Anima, uita, & spiritus differũt in hoc: Nam Anima significat ipsam substantialem uitã, qua corpus subsistit in rerũ natura. Vita uerò conuersationẽ, seu res gestas in corpore per animã. Quemadmodũ & in nostra uernacula, licet eodẽ uocabulo, leben, tamen multum discreto sensu utimur, quando de naturali uita & operibus eius loquimur: ut Psal. 7. persequatur inimicus animã meã, id est, occidat Absalom & Achitophel animã meã, hoc est, me totum hominẽ, nec sit qui me saluet à persequente. Sequitur, Et cõprehendit

hendat & conculcet me in terra uitam meam, id est, uniuersa quæ uixi, seu uiuendo, aut uita gessi, conculcet in terram, id est, destruat & deijciat, conturbet, despectui habeat, ut non sim ultro aliquid in oculis & auribus, ac memoria hominum.

Spiritus uerò hominis est, qui potest separari, & à corpore, & à sanguine, ut illic: In manus tuas commendo spiritum meum. Item animæ sunt, quæ ad naturam pertinent. Spiritus uerò ea quæ supra naturam, Esa.26. Anima mea desiderat te in nocte, &c. Sed & in spiritu meo in præcordijs meis, &c. Et quia anima hanc uitã significat, fit ut nonnunquam pro uita spiritus accipiatur, sed metaphorice, ut uidere est in Psalmis.

Anima interdum pro flatu, Hiob 41. Anima eius carbones inflammabit. Item corpus, penis, iumentum denotat Esaiæ tertio. Et pectoralia animæ, id est, desiderij quod essent desiderabilia. Pro uiro ac quolibet homine, Geneſis decimoquarto: Et dixit rex Sedom ad Abraham da mihi animas, & suppellectilem tu capito. Septuaginta, uiros. Anima mea, anima tua, locutio Hebræa est, solent Hebræi dicere: Anima mea, pro ego ipse: Anima tua, pro tu ipse, Psal.41. Sic, Anima mea præparata ad te Deus. Hier.21. Et erit ei anima sua in spolium.

In animum suam loqui, id est, sic loqui, ut uerba per iugulum redire cogantur. Aut, certo capitis discrimine loqui, 3. Regum 2. cap. Ad animam suam fugere, noster interpres, fugere: animas tantum suas saluare cupientes, hoc est, uitæ fuga consulere, 4. Regum 6. In animalibus suis euntes. Item, Euntes in animas suas, hoc est, animæ prodigi magna uitæ pericula subeunt. 2. Regum 13. & 1. Paral. 11. Anima mea moriatur, hoc est, ipse, quantus sum mori cupiam, &c. Num. 16. cap. Anima amari, Interpres noster, animo concitati. Secus uerò 1. Reg. 22. cap. ubi pro tristibus accipitur. Item 4. Regũ 4. cap. Pro iracundis 1. Reg. 30. cap. Anima amara, von hertzẽ betriebt, Grauis spiritu, schwermietig, pro quo posteriore Hieron. reddit, infelix nimis 1. Reg. 1. cap.

Anima eius abbreuiabatur, noster interpres reddidit, doluit. Legũt septuaginta quoque doluit. Sensus legitimus est, ægrè tulit populum suum tanta laborare calamitate, Iudic. 10. cap. Deo attribuitur non raro tam humanus affectus, quàm humanorũ mem brorum usus, tametsi neutrum horum in ipsam diuinitatem cadit. Porrò eadem ac totidem uerba habes, Iudic. 16. cap. Quo loco noster uertit: Defecit anima eius, nimirum Samsonis. Septuaginta legunt illic, animo defecit.

In tota anima diligere Deum, Deut. 30. cap. In toto corde tuo, & in tota anima tua: id est, ex animo, & ex toto affectu, integro & sincero. Anima patris ligata est cum anima filij, Geneſis 44. Ex huius anima dependeat. Hebræus, legata sit ad animam eius. Id est, quum unice eum diligit. Chaldęus paraphrastes uertit. Anima eius tam dilecta est illi sicut anima sua. Anima interim pro desiderio, cupiditate & libidine accipi solet scriptura, Psalm. 27. Ne tradas animas tribulantium me. Et Psalm. 78. Vt peterent escas animabus suis.

Animam atqui adfligere, est ieiunare, humiliare, castigare corpus & in seruitutem redigere, Leuit. 16. Vide suprà Adfligere.

Super Animam ligare, est se aliquid obstringere, idq; seueriter, ut uoto aut iuramento. Num. 30. cap.

Animum aduertere, est delectari aliqua re, Prouerb. 29. Princeps qui animã aduertit.

Animam ponere & resumere, Ioan. 10. cap. Locutio est. Quasi dicat Christus nõ moriar inuitus ut cæteri mortales, qui quum moriuntur, non possunt sua uirtute resurgere aut reuiuiscere. Ego non moriar, nisi uolens, & dum mortuus fuero, mea uirtute resurgam. Solus Christus hanc potestatem habet, & sese & alios iterum excitet ad uitam. Quicunq; excitantur mortui, per ipsum excitantur, Mar. ult. cap. Quod ultimo die omnes resurgemus, eius potentia fiet, ipse enim est primitiæ dormientium.

Animus rectus in sacris dicitur, cui undecunq; coeunt partes, ac in obtemperando diuinis iussionibus consentiunt. Psal. 33. Nam rectos decet collaudatio.

Animam effundere, est laxatis dolori habenis omnes simul affectus, & omnem animi æstum, & quasi ipsum cor quærẽdo effundere. Sic animã suam effundebat Hannah mater Samuelis, quando oppressa ægritudine ob sterilitatem & æmulæ insultationem, cum lachrymis suam miseriã Domino queritur, eamq; leuari oraret. 1. Sam. 1. & Psal. 6. Hæc recordatus sum & effudi in animam meã, quod est dilatare intus cor, anguſtiam animi depellere, capere cõsolationem, &c. Et Psal. 62. Effundite coram illo cor uestrum,

hoc

hoc est, omnem animi uestri æstũ ipsi laxatis dolori habenis quærimini, unde certa consolatio petitur.

Animam suam in uano accipere, est apud semetipsum gloriari, & sua iustitia fidere, seq; putare aliquid esse, quum nihil sit, unde Psalmo 13. Qui non accepit in uano animam suam.

Animam ampliare, est corpus amplum habere, & absq; termino capax esse, Esaiæ 5. cap. Ampliauit infernus animam & aperuit os suum absq; lege. Quo tropo multitudinem indicat morientium.

Animus humiliare, est castigare corpus, Esa. 59. cap. Humiliauimus animas nostras, & non aspexisti. Vide suprà adfligere.

Animam in limum deprimere, est morti proximam esse, similitudine mutuata ab homine in terram prostrato, cuius uenter terræ iam hæret. Sic Psal. 44. Depressa est anima nostra humi, id est, mors in proxima, terræ affixus est uenter noster.

Animum in manum habere, ponere: Aut in manu animam ferre aut portare, Hebraismus est significans uitam in discrimen adducere, uaria discrimina subire, tentare multa, in periculis uersari, & omnem mouere (ut aiunt) lapidem, Iob 13. cap. Quare animam meam, &c.

Animam semper in manibus gestare aut habere, eundem sensum cum superiori habet, hoc est, pro continuo illam uitæ periculis esse expositam. 1. Samuel. 28. cap. Dixit Phitonissa ad Saul: Posui animam meam in manu, id est, propter te subij uitæ periculum. Et Psal. 118. Anima mea in manibus meis semper, id est, semper periclitor, & uitam periculis expono.

Animam ex inferno exaltare, et in foueam descendere, uulgati admodum hi modi loquendi sunt in Psalmis, ut 18. 22. 28. & 29. canit Dauid exaltationem sui, subductionẽ ab inferis, & uiuificationem ab inferis, seu à descendentibus in foueam, uocat: indicans se morti fuisse uicinum, & iam inter sepeliendos, quos adpellat, descendentes in foueam, numeratum.

Animæ meæ dicere, idem autem est apud Dauidem quod de anima mea. Sic Gen. 12. cap. dicebat Sara uxor Abrahã. Dic mihi, frater meus est. id est, de me ita dicis. Et eodem lib. cap. 16. Interrogauerunt uiri uxori eius, id est, de uxore eius.

Animam mori, non semper intelligit scriptura mortalem, sed adflictioni ferè obnoxiam, Ezech. 18. cap. Animam suam in sinum matrum effundere, id est, uotum & desiderium, Hierem. Thren. cap. 2.

Animam attollere, seu eleuare ad aliquam rem, est eam desiderare, & inhiare auide, Deut. 24. cap. Attollit animum suum, &c. Item, Animam tollere, fermè eodem significatu reperitur, est alicuius rei desiderio teneri, sibi aliquid certo polliceri, & desiderare aliquid. Hier. 30. cap. Ne efferatis animas uestras.

Animam percutere, est letale uulnus infligere, ut moriatur, hoc est, hominem occidere, Gen. 27. cap. Deut. 19. cap.

Animam quærere, est insidiari uitæ hominis siue insectari uitam ad perdendum, Hieremiæ uidere licet cap. 11. Et Matthæi 2. Qui quærebant animam pueri. Synem leben nach stellen.

Animam seruare an occidere, dixit iuxta sanctæ linguæ proprietatem Mar. 2. cap. pro eo quod est, hominem seruare uel occidere. Animam perdere, Mar. 16. est uitam huius seculi despicere, & eam calcare, in quibus hic mundus uitam & ueram beatitudinẽ collocat. Id certè non aliud est quàm semetipsum abnegare, sibi renunciare, & patienter ferre missas calamitates, quo facilius conatus carnis nostræ confringamus. Alibi uocat animam odire.

Animam amare, est sua quærere, gloriam, honorem, diuitias, cordis desiderio acquiescentes, crucem fugientes, ea quæ in mundo sunt sectantes.

Animam inquirere, interdum est animam seruare. Psalm. 142. Alioqui inquirere animam, ut suprà pro uenari ad mortem usurpatur.

Animam Dei assumere, id esse aiunt Hebræi, atq; iurare per animam Dei, Psal. 24. Et in illo Decalogi, quod uerti solet, Ne assumes nomen Iehouæ Dei tui in uanum. Idem autem est, quod, nihil falsi per nomen Iehouæ adfirmes. Exo. 20. Hier. 51. & Amos 6. Et iurauit Iehouah per animam suam, id est, per seipsum.

Anima

¶ *Animalium* nomine designantur principes & potentiores, qui & præ fœlicitate huius seculi, incrassati dicuntur, ut Psal. 21. Circumdederunt me uituli multi, tauri pingues obsederunt me. Et alibi Dan. 8. cap. Imperatores & magistratus, arietibus & hircis adsimilantur. Decet enim ductores gregis, & multum refert qui'nam in acie sint. Terribilius enim est agmẽ ceruorum præeunte leone, quàm agmen leonum si ceruus antecedat, ut Lacedęmoniorum rex dicebat. Facile populi, sicut arietem oues suum ducem sequuntur. At si illi per petras abeunt, non raro & gregem præcipitant. Item animalium nomine homines censere patet. Vide Cyrillum lib. 3. Thesauri, fol. 56. iuxta Heruagij æditionem. Et Dauid, Nolite fieri sicut mulus.

¶ *Annus* pro die & tempore, sed certo ac destinato frequenter apud Hebræos accipitur, quo Deus uisitat nos aut per gratiam, aut per pœnam. Luc. 4. & Hier. 23. cap. Annus uisitationis, istud tempus constitutum significat, quo illos ultio diuina adfligere statuerat. Et Ioan. 17. Qui erat summus sacerdos anni illius, hoc est, tunc temporis. Hinc & Lucas sumpsit capite 4. Annũ Domini uocat tempus et diem, quo Deus uisitat nos aut per gratiam, aut per pœnam. Quasi dicat, Iam tempus adest quo per me homines apud Deum gratiam inueniunt. Annus in quo per gratiam suam fecit Deus mortales.

Annus ideo Domini acceptabilis aut placabilis, gratiæ tempus seu nouum testamentum est, iuxta Esaię uaticinium. uocat autem annum cap. 61. non diem, ut significet duraturam gratiam in perpetuum. Annus placabilis ille, ad adflictas & pauidas conscientias pertinet, in quo anno iubileo uocantur ab eo hi, qui credunt ei, & acceptabiles fiunt Deo, hoc est, omne ab aduentu primo eius tempus usq; ad consummationem, in quo ut fructus, eos qui saluantur acquirit. Vide Origenem in Num. cap. 16, 17. Homil. 9. Et Iræneum aduersus hæreses Valent. & similium lib. 2. cap. 28.

Anni adhæc nomine, breue tempus quoq; significatur & comparatur, assimilaturq; annis mercenarij. Nam annus mercenarij, est breue tempus spacium. Annus enim mercenarij prolongationem non admittit, sed mox finito anno, ejicitur mercenarius. Item Anno in anno, pro quo Latinus interpres, per singulos annos sæpe in Bibliis reperitur. Anni dierum Genes. 41. Post duos annos Hebraicè legitur, post duos annos dierum. Id est, post duos annos integros & perfectos. Hebraismus annum ad annum colligere aut addere, est obseruare certos annos, Esaiæ 29. cap. Væ qui additis annum ad annum. Hebræus dicit colligitis, quasi dicat, obseruatis adhuc certos dies.

¶ *Annunciare*, Resipit hoc uerbum Hebraicum ingenium. Hebræi enim annuncian di uerbo creberrimè utuntur, pro deprędicare, collaudare, gratias agere, profiteri, agnoscere, confiteri atq; celebrare, Deuter. 26. cap. Profiteor hodie coram Domino Deo tuo, quod ingressus sum in terram, quam iurauit Dominus daturam patribus. Professio ergo est gratiarũ actio, agnitio & collaudatio pro datis beneficijs. Græci habent ἀναγγέλλω quod est, Annuncio: in utraque lingua. Sic Paulus 1. Corinth. 11. cap. Mortem Domini καταγγέλλετε (est enim translatitium, Hebræis imperatiuis uti pro futuris, & contrà) hoc est recoletis, agnoscetis, gratias & hymnos referetis. Sic & 1. Petri 2. Vt uirtutes eius annuncietis, qui ex tenebris, &c.

¶ *Antecedens pro relatiuo pronomine* usurpare, hoc frequens est Hebræis, ut Gen. 1. cap. Ad imaginem Dei creauit illum. Est repetitio cum eleganti Hebraismo, pro, ad similitudinem sui creauit illos. Et cap. 5. Gen. Ad similitudinem Dei, pro ad similitudinẽ suam. Gen. 8. Vicesimoseptimo die mensis. Et decimoseptimo die mensis. Hebraismus, Antecedens loco relatiui, pro, decimoseptimo die eiusdem. Sic paulò pòst, Decimo mense prima die eiusdem, apparuerunt. Et Exodi 24. cap. Ascende ad Dominum, pro, Ascende ad me. Antecedens est pro relatiuo. Et Leuit. 1. cap. Offeratis oblationem uestram, pro, offerat eam. est enim personæ & numeri mutatio, & antecedens pro relatiuo.

¶ *Antichristi* nomine, non hominem quendam singularem in nouissimis temporibus, apperente die iudicij proditurum intelligit sacra scriptura: sed totam illam congregationem malè docentium ac contra uerbum Dei, sub prætextu Christi plebem, gregẽ exercitumq; Dei seducentium. Deniq; quisquis sapientiæ, iustitię, sanctificationi, doctrinæ & uerbo Christi resistit uerbo uel opere, uelut ipse Dominus, Matth. 12. Et Lucæ 11. exposuit. Nihil enim aliud est Antichristus quàm aduersarius Christi. Christus omnia ad gloriam patris facit, & ueritatẽ amplexatur. Antichristus sua quærit contempta gloria Dei, mendacijsq; suum imperium statuit, pollicetur sanè spiritualia, sed tantum externa

terna docet,& ad hypocrisim facientia. Character Antichristi ueriſſimus eſt, quærere libertatem carnis & ſectari commoda propria ſub Christi & Euangelij prætextu.

Aiud eſt eſſe Pſeudochriſtum,& aliud Antichriſtum. Antichriſti multi ab initio regni Christi,uſq; in hunc diem fuere:nempe quotquot unquam docuerunt,quo abduci homines ab eo potuerint.Pſeudochriſti autem proprie fuerunt,qui ſeipſos pro Chriſto uenditarunt,ut ex Iudæis aliquot uenerunt,cæteri qui fuerunt errorum autores, rectius Pſeudoprophetæ,quàm Pſeudochriſti uocantur.

¶ *Antichriſti nomenclatura.* Antichriſtum ſcriptura diuina, multis nominibus diffamat,Iam enim abominationem deſolationis appellat, ut Matth.24. Iam dicitur Aper de ſylua.Pſal.79. Alienus.Ioan.10.Amās ſomnia.Eſa.16.Aduerſarius. 2.Theſ.2.Beſtia. Apocalyp.13,16.17.cap.Pſeudo propheta.Apoc.19.cap.Behemoth,Hiob 40.Beel.Hier. 5.Belial.2. Corinth.6.Coluber.Hiob 26.Cauda.Eſa.9. Cetus in mari.Eſaiæ 27.Clibanus. Oſeæ 7.Culmus.Oſeæ 8.Cedrus.Ezech.27.31.Canis neſciens ſaturiratem.Eſa.56. Canis mutus,ibid.Contemptibilis.Abdiæ 1.cap.Canis.Pſal.21. Draco.Apoc.12.Eze.26. Decore perfectus.Ezech.28.Dux & notus,pditor.Pſal.54.Diabol⁹incarnatus,excelſus. Eſa.2.Exactor.Hiob 39.Exprobrās & obloquens.Pſal.43.Fur,Ioan.10. Filius perditionis.2.Theſs.2.Iniquus.Homo peccati,ib.Fera ſingularis.Pſal.79.Filius ſapientū.Eſa:9. Paſtor ſtultus,& Idolū,Zach.11.Fraudulētus, Homo doloſus.Pſal.42.Herodes. Act.8. Impudens facie.Dan.8.Inſipiēs.Pſal.13.Inimic⁹,manus dei.Pſal.18.Iniuſtus.Pſal.35.Inimic⁹ & ꝑſequens,Pſal.43.Inimicus in ſancto,Pſal.73.Incircūciſus,immūdus.Eſ.57.Lupus.Ioan.10.Matth.7.Ezech.22.Item exercitus Antichriſti deſcribitur.Ezech.39. ſub nominibus Gog & Magog,& Apocalyp.20. cap. quoque ſub hoc nomine Eſa. 53 dicuntur & plurimi.Et 54.Faber flans in igne prunam.& Apoc.20 cap. dicitur ſedere ſuper quatuor angulos terræ,& numerus eius eſſe ſicut arena maris , & quod circumeat caſtra ſanctorum & ciuitatem dilectam. Act. 20. cap. Latro. Ioan.10. Hier.2. Leuiathan, Serpens tortuoſus.Eſa.27.Lucifer.Eſa.19.Leo rugiens .1. Petri 5. Meretrix Babylonica. Apocal.17.19.Hier. 3.Ezech.16. Mercenarius, Mendax.Ioan.8. & 10.Miſer. Eſa.16. Neſciens & indoctus, neſciens ſaturitatem, neſciens latrare. Eſa.57. cap. Perdens multos in mendacio.Eſa.32.Percuſſor.Eſa.14.Paſtor diſpergens.Hier.2. Puluis.Eſa. 16. Rex filiorum ſuperbiæ,ibid.Superbus & impius. Pſalmo 9.Speculator, cæcus.Eſa.56. Semen peſſimum,Eſa.22.Simon. Actorum 12.Virga dominantium uidens uana.Quanquam optime Lector,nonnulla nomina allegorica ſint & translatitia aliqua etiam quæ Antichriſto,cum capite ſuo diabolo & membris eius,omnibus impijs & iniquis cōmunia.

¶ *Aperire,* Geneſis 3.cap,non de ſenſibilibus oculis dicit,ſed de ſenſu mentis.Quia poſtquam mandata tranſgreſſi ſunt,deus ea ſentire fecit,quæ antè,ob ſingularem illius in ſe beneuolentiam,non ſentiebant:igitur quum audieris, quòd aperti ſunt oculi eorum,hoc eſt cogita,quòd fecit nos poſtea nuditatē ſentire,& auferri gloriam illam, qua ante eſum fruebantur.Quod autem hæc ſit ſcripturæ conſuetudo,audi eam dicentem, Nam quum ancilla ſanè dominā fugiens,erraret,& poſito iuxta abietem puero,à longe conſideraret illius mortem, inquit: Aperuit deus oculos Agar, non quòd antehac non uiderit,ſed quòd mentem eius excitarit.

Aperire autem os,eſt libere agere,& uelut autoritatem habere,& docilem ſe exhibere ad audiendum uerbum domini,quod deinde alijs perſuadeat, ut prior ipſius calefcat ſpiritus,qui poſſet inflammare alios. Ezech.2.Iubetur propheta Aperire os:hoc eſt, obedire.Aperi os tuum,inquit,& comede,quæ ego do tibi.

Aperire os,deinde pro petere & accipere.Pſal.81.Sic nanq; ait:Dilata(Hebræus dicit Aperi)os tuum, quod idem eſt,ac pete quiduis & accipies,& implebo illud:nulla nanq; bonorum poſſunt inopia laborare dediti deo.

Aperire os & linguam in gutture,atqui locutio meditatam & non tumultuariam,in labijsq; natam orationem ſignificat. Sapientum enim eſt Aperire os, ſtultorum & imprudentium os,ſemper patulum habere: nam ſine iudicio omnia nugantur & effutiunt.Iob eſt uſus hac locutione,cap.33.

Apertio oris, eſt diſertè quod ſentias dicere,nihil obticere.Eſt quoque extrema pericula minitari,ut apud Hiob 16.& Pſal.21.Aperuerunt os ſuper me.Hinc apud Iob 16. Aperire os ſuper adflictū , quod extrema mala,ſeu pericula minitari. Et, Exatiari eodē cap.eſt uoluptate propter proximi incommodum affici. Hinc Exatiātur mali,ſi pij ad-

figantur:exaturabuntur rursus omnes creaturæ in iudicio domini,propter impiorum perditionem,ut Esais ait:Erunt ad satietatem uisionis omni carni.

Aperire lacum & effodere,est innocentem perdere,sanguinem effundere proximi, ut Iudæi Christo fecerunt, de his impijs, Psal.7. & Prouerb.1. Aperire ad hæc uuluam membra genitalia,ita Rumpere rupturã,Hebraismi sunt. est facere mulierem fœcũdam & parere,Sic Geneſis 29 Videns autem dominus quòd despiceret Liam, aperuit uuluam eius:id est fecit eam grauidam,dedit ei liberos. Hinc Apertura uuluæ,seu matricis, est primogeniũ esse.Exodi 13.& Num.3.cap.Qui aperit uuluam, pro primum nasci.Et Numer.18.Quicquid primum erumpet è uulua.Hebræus legit, Quicquid aperit uuluam:id est,omne primogenitum nasci.

Aperiendo aperire manum pauperi. Deut.15. nec contrahes manum tuam à fratre tuo paupere,sed aperiendo aperies manum tuam ei:sed accepto mutuo, dabis ei sufficientiam inopiæ eius,quo indiguerit. Aperire denique lumbos,est symbolicus sermo,& pro infirmare robur, exarmare, ut nihil superſit uirium:hoc est infirmum & imbellem reddere.Esa.45.Et lumbos regum aperiam Septuaginta,Fortitudinem regum cõfringam. In contraria significatione lumbos accingere, robur & agilitatem dare in agendis rebus, ut suprà audiuimus in uerbo Accingere.

¶ *Apis* nomine,omnes qui lingua blandiuntur,& latenter ex malitia feriunt,intelliguntur.Psal.117.Circumdederunt me sicut apes,& exarserunt sicut ignis in spinis. Apium præterea labor & opus: hoc est, mel & fauus, pro quacunq; re,quæ uoluptatẽ nobis, siue in escuẽtis delicatioribus, siue in quauis re alia delectabili afferre solet,ponitur,Psal.19.Et dulciora super mel & fauum.

¶ *Appetendi* uerbo honestè utimur,quemadmodum eius usus in scripturis non infrequens est:nempe,non pro ambiendi impudentia,sed pro illo animi ardore, quo ecclesiæ dei cupimus prodesse,ut 1.Tim.3.cap. Item pro sedula in rebus sacris diligentia, qua fit ut ecclesia dei nos qui eruditioni,innocentiæ & pietati ueræ inuigilamus ultrò ad ecclesiastica uocet ad officia:quæ sanè Apostolus & in 1.ad Corinth. 12.capite, & ad Ephes.recensuit omnia.

¶ *Apprehendere disciplinam*, Aliud non est quàm subdere se regẽti,acquiescere meliora monenti,Sic Psal.2.Apprehendite disciplinam,est se subijcere regi Christo, & eius disciplinam atq; castigationem recipere.

Apprehendit triturator uindemiatorem. Leu.26. cap.sensus est: Tãta erit agrorum ubertas,ut homines uix sufficiant metendis frugibus & legendis uuis. Similiter legimus Numer.cap.32.Peccatum apprehendet uos:id est,dabitis pœnas pro eo.

Apprehensio manus, est admirabilis & terribilis prophetiæ illustratio. Esa.8. cap. Sic dixit dominus ad me,sicut apprehensio manus & eruditiuit me,ne irem in uia populi huius.D. Hieron.transposuit,forti manu, Septuaginta secutus qui, ἰσχυρᾷ χειρὶ reddiderunt,Ezech.1.cap.Facta est super me manus Domini.

¶ *Apparere*, hoc uerbum specialiter aut de angelis aut de Deo scriptura tenere consueuit, ut quod non potest uideri, apparere dicatur. Sic enim habes, Apparuit Deus Abrahæ ad ilicen Mambræ.Nam qui ante non præsentatur sed repenturo uidetur aspectu,apparere memoratur.Hæc Augustinus Paulinæ de uidendo Deo.

Apparere in conspectu dei, Talibus loquendi modis infirmitate nostræ consulitur, qui difficulter admodum cœlestia capimus,Hebr.9. cap.

Apparere deniq; & respondere(apud Iob cap.40)ex turbidine quid sit.uariant Theologi.Alij turbidinem,magnam uocem dicunt,ut uocem aquarum multarum,quæ ex turbidine processerit:& turbinem,tempestatem dicũt, sicut tonitruum factum est Christo,Ioan.12. ita & Iob uocem audiuit, cap.39.

Apparere ante faciem domini autem,est totum conuenire, dicitur etiam uidere faciem domini, Exod. 23. Ter in anno apparebit omne masculinum tuum ante faciem Domini Dei tui.

Apparatio gloriæ dei postremo,pro glorioso aduentu iudicis Christi,uulgari idiotismo posuit Paulus ad Titum cap.2.quem magnũ deum & seruatorẽ mundi appellat.

¶ *Appellatiua,pro propriis* ponere per Synechdochen frequens est Hebræis,ut Exodi 19. uoces pro tonitruis ponunt. Speciale pro generali. Cuncta herbam agri percussit grando, pro omni eo ponitur quod crescit. Sic eodem cap. Lignum pro arboribus frugiferis,

frugiferis. Der hagel hatt alles holtz im feld vbel zerſchlagen. Sic Gen. 45. Os Ioſeph, pro ipſo Ioſeph, & ſæpe alàs.

¶ *Applicare manum ad os*, Eſt laborare. Prouer. 19. Abſcondit piger manum ſuam in ſinu, ad os ſuum non applicat eam. Applicare fœtorem ad nares: id eſt, odorem malum iuxta Rabbi Dauid Kimhi Ezech. 8. cap. Et ecce ipſi applicarent fœtorem ad nares, eſt nihil aliud quàm idola adorare. Septuaginta, Et ecce ipſi extendunt & ramum quaſi ſubſannantes. fœtorem malum, ſuffitum idolothytum intelligit, quin graue olet piis naribus, & pudorem & ignominiam incutit, non aliter atq; crepitus uentris. Vide D. Hier. Deniq; & Hiob cap. 31. inter cęteras uirtutes & hoc habuiſſe ſe dicit, quod nunquà aſpiciens cœlum & ſolem, & lunam, & aſtra fulgentia, oſculatus ſit manum ſuam: hoc eſt, adorauerit creaturas.

¶ *Apponi, ire, colligi ad populum uel ad patres*, Hebraiſmus eſt perpetuus, hoc enim ſchemate frequenter utuntur Hebræi, non ſemper pro morte corporis, aut ſepultura: Nam hoc per Mah ſignificant. Neq; credentium, ſeu ſanctorum corpora in unum locum ſemper cõportari potuerunt: ſed Apponi ad patres uel populum, ipſis ſignificat potiſsimũ in fide, & religione parentũ decedere, moriq; ut plurimũ in ea fiducia, quam patres & maiores ipſi habuerũt. De fide ergo & religione patrũ loquuntur hoc ſchemate, in qua animæ piorum requieſcũt & gaudent in ſinu Abrahæ collectæ, quemadmodum Chriſtus uocat hunc locum. Lucæ 16. cap. De hac appoſitione Hebræorum, paſsim in libris Moſaicis, & Regum libris, ut Gen. 25. 35. Appoſitus eſt ad populũ ſuum: hoc eſt, in fide cultu & religione ſuorum parentum, fato functus, ſiue mortuus eſt, Septuaginta, Et appoſitus eſt ad genus ſuum. Populus enim aliquando pro genere uſurpatur. Sed ſepeliri in ſepultura maiorũ, non idem eſſe Apponi ad patres. Dauid enim 2. Sam. 2 cap. non ſepultus eſt cum Iſai patre, ſed in noua ſepultura, & tamen dormiuit cum patribus ſuis iuſtis & ſanctis quò ad animam immortalem.

Appoſuerunt ad malefaciendum, idiotiſmus eſt, pro perrexerunt malefacere.

¶ *Apoſtoli* nomine ſcriptura illum intelligit, qui ore negociũ agit, quod in mandatis accepit, & ore aliquid nũciat. Nõ tabellionẽ ſed legatũ Græci intelligunt. & qui rem uerbis proponat & agat, Latinè oratores uocamus. Quare rectè Germani interpretantur, Ein zvvelffbott, unum de duobus illis apoſtolis, ſiue legatis intelligẽtes. Idcirco Petrus in ſua Canonica 1. epiſt. ait, Apoſtolus ſum Ieſu Chriſti: id eſt, in mandatis habeo à Ieſu Chriſto, ut de hoc eodem Chriſto prædicem Apoſtolus Ieſu Chriſti. Tale mihi uidetur, quale ſi dixiſſet præfectus prætorio Auguſti Cæſaris, Magiſter exercitus Tiberij Imperatoris. Hæc D. Hieron.

¶ *Apoſtolorum nomina* uaria ſunt. Aliquando enim dicũtur Eccleſiæ principes. Pſal. 44. Iudices. Matth. 9. Eſa. 1. cap. Architecti & ædificantes 1. Cor. 3. & 14. cap. Nubes. Eſa. 19. cap. Piſcatores hominum, Matth. 4. cap. Hier. 16. Boues, 1. Cor. 9. Prouer. 14. Sal terræ, Matth. 5. Lux mundi ibid. Philip. 2. Arietes gregis dominici, quorum diſcipuli filij arietum uocantur, Pſal. 28. 46. Cuſtodes, ut Eſa. 42. Agricolæ. unde parabolam, de homine plantante uineam ſuam. Docti non ad mundum, ſed ad regnum cœlorum, Matth. 17. Vox dei, ut Ioannes de ſe teſtatur, Columbæ, Eſa. 96. Columnæ eccleſiæ, Gal. 2. cap. Seminantes. Eſa. 32. Speculatores, Ezech. 3. Prophetæ 1. Cor. 14. Diſpenſatores myſteriorum dei. Et miniſtri. 2. Cor. 4. Dilecti multum. Adiutores in Chriſto 1. Cor. 3. & 1. Theſ. 5. Laborãtes in domino 1. Tim. 5. Inſignes inter Apoſtolos. Probati in Chriſto 1. Theſ. 1. Nuncij, Clangor tubæ, Eſa. Vinitores 1. Cor. 9. Deuoratores, Eſa. 30. Legati: id eſt, miſſi dei, Pſal. 5. Exodi 22. 1 Cor. 8. Pedes & Euangelizantes apud Eſaiam & Paulum, Dauidẽq; Reges, principes populorum, Pſal. 67. Muſtum, Eſa. 63. Victores, Anguli, Claui, Arcus belli, Exactores, Concordes & Gigantes, Tauri, Calcantes in torculari, Eſa. 5. Montes & Colles, Eccleſiaſtes id eſt, concionator, Eccle. 1. Apoſtoli, Rom. 10 & 2 Cor. 2 Presbyter, id eſt, ſenior. 1. Timothe. 5. Epiſcopus ad Titũ 1. cap. Acto. 20. Angeli, Malach. 2. Hagge. 1. Eſa. 33. Matth. 11. Marci 11. Vide Auguſtinum de Ciuit. dei lib. 2. cap. 21.

¶ *Appropinquare* pro ire. Ionæ cap. 1. Et appropinquat ad eum gubernator, Septuag. ἤγγικε. Item pro Coire, Gene. 20. Appropinquant ad eam. ſeptuaginta, Nõ tetigerat: latine, non fuerat congreſſus cum ea. Appropinquans deus dicitur, Deut. 4. Appropinquantes ſibi, hoc eſt, fauorabiles.

¶ *Apud*, hæc præpoſitio ualet interdũ quod ſub. 1 Cor. 6. cap. Iudicari apud Iniuſtos,

& non apud ſanctos, id eſt, Chriſtianos. Latinus dicit: Sub iniuſtis & ſub ſanctis. Horatius, Et adhuc ſub iudice lis eſt. Itē ualet etiā & uſurpatur pro cū, ut Ioan. cap. 1. Et uerbū erat apud Deū, Mar. 6. Nō'ne & ſorores eius, hoc eſt, nobiſcū ſunt, & nobiſcū cōuerſant.

¶ *Aquæ* uocabulum multis alijs & diuerſis ſenſibus quām pro materiali uel elementali aqua in ſcripturis uſurpatur. Interdum uerbum, uirtus, efficacia, conſolatio, gratia Dei, cœleſtis illuminatio & infuſio ſeu afflatus ſpiritus ſancti, Hoc nomine Aquę denotatur, ut Eſa. 12. Haurietis aquas &c. Sicut Ioan. 5. Qui credit in me, dicit ſcriptura, flumina aquæ uiuæ de uentre eius fluent. Euangeliſta interpretatur, hoc autem dixit de ſpiritu quem accepturi erant credentes in eum. Et Ioan. 3. Ezech. 36. Ioan. 4. Et 1 Ioan. 5. cap. Per Aquam intelligimus cœleſtem doctrinam & ſapientiam, idq; ob puritatē, & quod reficiat ac fluat. Eſa. 55. ſic clamat, Omnes ſitientes uenite ad aquas. Et Zach. 14. In dieb. illis exibunt de Hieruſalem aquæ uiuæ: doctrinam euangelicam ſignificans. Aquæ interim pro ſacra ſcientia, Eccleſiaſt. 1. Aqua ſapientiæ ſalutaris potabis eos. Quandoq; in ſcripturis perſequutiones, mala, anguſtias mortis, deniq; negocia ſecularia ſignificant, ut Pſal. 17. Et aſſumpſit me ex aquis multis. Et illic, Saluū me fac Deus, quoniam intraverunt aquę uſq; ad animam meam. Et Pſal. 63. Tranſiuimus per ignem & aquam, hoc eſt, per uaria pericula mortis & peccatorum. Hinc oriuntur duplices Aquæ, ſcilicet ſuffocationis, de quibus Pſal. 23. In diluuio aquarum multarum, id eſt, tribulationum, tentationum. Et Pſal. 17. & 143. Alteræ refectionis, unde ſitim leues ne pereas, quarum meminit, Pſal. 22. & Eſa. 8. Et ſunt Aquæ ſalutares, nimirum uerbum Dei, doctrina euangelica & promiſsiones Chriſti, quibus animæ æſtuantes adflictæq; cōſcientiæ multo deſiderio refrigerantur. Eſt enim doctrina eiuſmodi quo cor hominis ſimul à cupiditatibus ſeculi refrigerat, & amore Dei inflammant. Aquæ ſalutares dictæ, quia unæ ipſæ ſalutem pręſtare poſſunt. Vnde Petrus apoſtolus aiebat: Domine ad quem ibimus, uerba uitæ æternæ habes: de quibus Eſaias 12. cap.

Et quemadmodum ſunt quædam Aquæ euangelicæ quas dat ſpiritus ſanctus, unde & ſpiritus uel ſpirituales uocentur. Ita ſunt & Aquæ turbidæ Ægypti, hoc eſt, ſeculariū diſciplinarum & humanæ traditionis, quarū mentionem facit Eſa. cap. 19. Et deficient aquæ. Prædicit enim aquarum carnis uel carnales ceſſaturas, imò perituras hominum doctrinas impias, ubi auditum fuerit uerbum Dei.

Aquæ nōnunquam etiam populos ſignificant. Vnde Eſa. 2. cap. Fluent ad eum omnes gentes. Vbi imaginari licet populum quaſi flumen accedere. Sic Eſa. 8. cap. Adducet Aquas multas, regem Aſſur, & omnem gloriam eius intelligit. Et Apocalypſis 17. cap. Aquæ quas uidiſti, populi ſunt & gentes. Cæterum non ſolum fluxus decurrentiū populorum, uerumetiam bonorum mentes fidei prædicamenta ſequentium exprimuntur, Eſa. 3. Beati qui ſeminatis ſuper omnes aquas, Pſal. 78. Vox Domini ſuper aquas. Item, Aquę pro luctu & ſemine. Eſa. Audite me domus Iacob, qui de aquis Iuda exiſtis, id eſt, de ſemine uel ſtirpe Iudæ. Aqua item ſignificat copiam & copiæ ſymbolon eſt, ut alibi, Scientia domum opplebit terram ſicut Aquæ &c. Etiam opera furtiua & abſcondita Aquæ dicuntur, Prouerb. 32. Aquæ futuræ meliores ſunt.

Eſt etiam Aqua baptiſmi munda, Ezech. 36. Aſpergam uel effundam ſuper uos Aquam mundum, & mundamini ab omnibus ſordibus ueſtris. Aquas Siloah autem Eſa. 8. cap. regem Dauidis, ſecundum quod regnum Chriſti ſpirituale ac æternum adumbrant. Nam iſtiuſmodi Aquæ lento curſu fluentes, optime quadrant Chriſto, qui mitis ac humilis apparuit, Matth. 11. cap. Et manſuetus uenit in carnem. Zach. 9.

Per Aquam & Flumina, ignem & flammam, omnia tentationum genera, omniumq; tribulationum ſeu adflictionum magnitudinem accipimus, Eſa. 43. locus clariſſimus eſt & Pſal. 65.

Aquarum inundationi, ſeu Aquis inundantibus, paſsim ſcripturis ſacris infortunia & prementia pericula aſsimilantur, quæ mortem & metum homini intentant, quū uideat ſe non poſſe illas euadere, iam ingruentes examinant. Graphice uerò admodū ea ſimilitudo deſcripta legitur ab initio Pſal. 69. & Pſal. 18. Vim hoſtium Dauid, quam alibi per torrentes Belial ſignificat, & pericula quæ intentabant, Aquis ampliſsime inundantibus, & ſuam ab illis liberationem aquarum depulſioni ſimilem facit, Pſal. 18. Memorat ſe torrentibus Belial fuiſſe examinatum, & poſtea ereptum ex aquis ualidis. Et Pſal. 40. eductum ex puteo aquis perſtrepente. Et uide Acto. 2. Pſal. 69.

Similiter

Similiter Aquæ effusio & decursus, quæ nihil aliud est nisi inundatio in sacris literis adnihilationem, interitum & rei utilitatem sonat, ut patet Iosue 27.1. Samuelis 14. Psal. 21. & 57. Ad nihilum deueniet tanquam aqua decurrens. Germanice zu nichts vverden Item hostes per infestam Aquarum uim significari, ut supra patuit, Psal. 17. Item Aquarum inundationes et flumina rapidissima pro uitiorũ profluuijs accipiuntur, Psal. 124.

Aquę adhæc appellatione aerẽ, & alia tenuia elemẽta quoq; cõtineri, Gen. 1. cap. Congregentur aquæ. Item Aquæ cœnacula Dei. Psal. 104. Dicit Deum cœnacula sua posuisse in aquis, intelligẽs nubes. Sic Psal. 18. pro densis & atris nubibus dixit obscuras aquas. Nam ea omnia, ex quibus prȩcipue diuina potentia mortalibus demonstrantur, e nubibus uenisse. Inde Psaltes illas, Dei cœnacula, Psal. 18. uocat eas latibulum dei, Psal. 104. etiam uehiculum. Sic alibi ferri eum alis uentorum, nempe indicibili pernicitate.

Aquæ præterea infideles, sicut deficientes, ubi enim solatio hominibus esse deberent æstu solis pressis deficiunt, Hiere. 16. cap. Aqua mendax, ut est apud Hiere. 15. homines mendaces signat. Facta est mihi ut aqua mendax. Vide D. Augustinum.

Aquam turbare, est omnia inquietare insanis bellis, Ezech. 32. cap. Et conturbabas aquas p edibus &c. Hæc turbatio Aquarum bellorum motus. Aquæ abscondi, in scripturis dicuntur, quando in glaciem indurescunt, & aquæ amittunt liquiditatem, Iob 48.

Aqua frigida Iordanis, quia Ioannes baptizare solitus est, & legem & doctrinam legis significat, quę legis doctrina hominum non inflammat, nec amorem cordis operatur, sed ut illa corpus, ita lex animũ facit horrere, ita planè dilectionem ac uoluptatem Dei, & eorum quæ præcipit, extinguit, facitq; manifestum nobis, quàm pugnet cor nostrum, cum omni iure bono & honesto. Sic Ioannes baptizauit aqua, & populo indicauit cor frigidum, ut ad mandata Dei instrueret.

Aqua fellis uerò, tribulationem & amaritudinem significat, Hiere. 8. cap. Et potauit nos aqua fellis, quia peccauimus Domino, Omnes potantur aqua fellis, quibus euangelij gratia non innotuit. Hinc Aqua fellis & Absynthium Hiere. 9. cap. suppliciũ significant, quę amaritudo in circuitu conscientiæ cognoscitur, aliàs dicitur uermis & ignis, attestante Esaia cap. 66.

Aquas fundere super manus alicuius, periphrasis est ministri 4 Regum 3 cap. Qui aquas fudit super manus Eliæ, hoc est qui minister fuit Eliæ familiarissimus.

Aquæ peccati, Numer. 8. sunt expiatoriæ & lustrales, quia immissus fuit cinis rufæ uaccæ, quæ pro peccato sacrificabatur, ut Numer. 18. cap.

Aquam dimittere, est linguam in fluxum eloquij relaxare, Prouerb. 17. cap. Qui dimittit aquas caput est iurgiorum.

¶ *Aquilarum* nomine insidiatores spiritus exprimuntur, Hiere. 4. Velociores sunt persecutores nostri Aquilis cœli. Aliquando terrena potestas figuratur, Ezech. 17. Aquila grandis magnarum alarum. Interdum subtilis sanctorum intelligentia & contemplatio, uel uolatus dominicæ ascensionis exprimitur, Apocalypsis 4. Animal primum simile leoni. Secundum, simile uitulo. Tertium, animal habens faciẽ quasi hominis. Quartum, animal simile Aquilæ uolanti. Item in similitudinem Aquilæ uolantis cum impetu. Deut. 28. cap. Id est citissime & celerrime. Habent sacræ literæ uarias similitudines ab Aquilarum natura sumptas.

Aquilæ alas accipere, pro indefatigabili quadam & propemodũ cœlesti uirtute, iuxta illud, Qui sperant in Domino mutabũt fortitudinem, assument pennas ut Aquilæ, uolabunt & non deficiunt. Et alibi in Psal. Renouabitur ut aquilæ &c. Aquilis iustorũ animæ comparantur, teste Ambrosio, Lucæ 17. cap. Et D. Hieron. in Matth. cap. 24. Ibi aquilæ, id est, sancti, ubi corpus Christi. Aquilæ etiam uocabulo potestas terrena significatur, iuxta illud Ezech. 17. cap. Aquila grandis magnarum alarum, id est, Nabuchodonosor rex Babyloniæ. Et Hoseæ 8. Item, Nabuchodonosor dictus aquila, ob uelocitatem. Quasi aquila ait propheta, super domum Domini.

¶ *Aquilonem* frigidum uentum & siccum & impetu quodam ac strepitu insolentẽ, ac frugibus infestum, perspicuum est malum significare. Ideò quum spiritus initia Ecclesiæ Christianæ turbulentos quosdam hostes habitura indicat, qui orientem curent opprimere, Hierosolymam & montem Sion ait esse latera Aquilonis, in quæ uidelicet ille potenter impingat, leguntur hæc Psal. 47. Hiere. cap. 1. Ab Aquilone nubes magna, Propheta indicat se terribile iudicium Domini aduersus Hierusalem cognouisse.

Aquilo diabolus est, qui ut torporis frigore gentiũ corda constringeret, dixit. Esa. 14. Sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis.

Aquilonares uenti cœlum serenare frigensq; asperius inuehere, solent. Prophetico more dicit: Ecce quàm turbulenta tempora aderunt. Per Aquilonem captiuitatem. Hiere. 3. cap. Et ibũt simul de terra Aquilonis, id est, à captiuitate. Aquilonares enim sunt gentium typus generalis. Ab Aquilone fere semper, & non ab ortu uel occasu solis aduersa aduehi legimus, Zacha. 6. cap. Requiescere fecerũt spiritũ meũ in terra Aquilonis.

¶ *Araneæ opus* admodum frequens in sacris literis: scita enim allegoria est, quum spiritus sanctus in Araneæ tela, opere nimirum laborioso, parumq; frugifero, spectandũ in multis locis scripturæ proponit. Atque adeo, si quis impiorum sudores, quos in cõgerendis opibus, & infinita uanitate alia profundunt, rectè secum contempletur: inueniet impium ueluti araneum, labore inani diffluere, & in ipso suo conatu totum perire. Sic legis in Esaia cap. 59. Psal. 38. 89. Iob 8. cap. Aranearum tela fiducia eius. Araneæ hic hypocritas designant.

Araneæ telam texere, est in re friuola, nulli usq; frugis infinitum, atq; mixtum capere laborem. Hoc prouerbio usus est Esa. cap. 50. Araneæ telam texunt. Notum fuit hoc adagium & Hebræis, quum scilicet magnifici isti sibi blandiuntur, quasi rem arduam inuenerint ac perfecturi sint, deinde in spongiam exeunt omnia siue dum friuola strenue sectantur &c. In Aranearum telas erit uitulus Samariæ, Oseæ 8. cap. hoc est, fragmenta & sarmenta propediem erit uitulus ille uester Deus Samariæ. Vel secundum Hieronymum, ut Aranearum fila dissoluuntur, ita is uitulus redigetur in nihilum.

¶ *Arabes* multis nominibus describũtur in sacris scripturis pro latissima regione sua, ut uarijs locis dicatur Arabia felix, petrea, deserta, Ismaelitæ, Agareni, Cedareni, Saraceni, Traconitidis portio urbs Aser, Nomades quoq; & pascua sectantes, latrocinia quoq; Cedar Aquilonaris, Thema australis & Gebalitica.

¶ *Arare* in scripturis sumit pro crucẽ & tribulationes, molestias ferre & pati, ut Psal. 129. Super dorsum meum arauerunt peccatores. Eo tempore prouerbialis sermo erat, sicut nunc dicitur, Fabam cudi in dorso, longo uulnere macerari. Et Esaias usus hac metaphora cap. 28. Nunquid tota die arabit: intelligit crucem & afflictiones per quas homo uerbo Dei, hoc est, semini uerbi. sicut ager per arationem semini suo parabitur. Arare atqui interdũ, est admonere (iuxta Hoseæ 10. cap.) populum Confringere sulcos, est cor aptare, Hoseæ 10. cap. Arabit Iudas, confringet sibi sulcos Iacob.

¶ *Arboris* parabola in nouo ac ueteri Testamento admodum frequens. Nam uix alia re natura & ingenium, siue bonorum, siue malorum, æque luculenter atq; perspicue exprimitur. Boni siquidem omnibus fructuosi sunt, fructiferis igitur arboribus persimilis. Mali sibi tantum uiuunt, & sua ferè commoda, non nisi aliorum parant incommodis: interim tamen plus alijs in hoc seculo ualere putantur, eoq; nõ modo sterilibus uerum etiam pungentibus spinis: sæpe autem grandioribus quoq;, sed in frugiferis arboribus, at quercubus atq; abietibus assimilantur. Malorum fugacem, & inanem felicitatem, quæ in speciem multo maxima atq; diuturna uidetur. Psal. 37. exprimit imagine arboris altæ radicatæ atq; frondosæ, sed quę ilico euanuerit. Potentiam malorum scriptura passim similitudine Cedrorum exprimit, maliciam uero & nocendi studium. Spinarum atq; tribulorum: sterilitatẽ uerò, uineæ post diligentẽ cultum ferenti labrusca.

Contrà, uitis, oliuæ, & paluræ imaginibus, sanctorum fertilitatem, hoc est, bene merendi de omnibus studium & successum, morumq; summam suauitatem. Cedrorum altitudine, certã eorum felicitatem & gloriam. Rosarũ & Liliorum, doctrinã et saluificã famæ odorem, adpellat. De hac parabola Arboris habes, Numer. 24. Psalm. 92. Hierem. 17. Ezech. 47. cap.

In Genesi autem legimus Deum creasse lignum non arborem, et Hebræorum consuetudo est lignum pro ipsa arbore ponere, Gene. 1. & 2. cap. Et in eadẽ lingua pro fructa ponitur. Arbor uitæ, pro uitalis, Gene. 2. cap,

¶ *Arca* est ecclesia Dei, quæ audit uerbum Dei, in qua sunt animantia masculi & fœminæ, & insuper Noha cum suis. Sunt enim illic credentes, & non credentes, mundi & immundi, Gene. 6. cap. Areę nomine fortitudo, robur, uirtus, magnificentia comprehẽditur, & gloria Dei dicebatur: propterea quod ex ea per suam caliginẽ nonnunquã & per responsa, uirtutem & magnificentiam præsenter exhibebat, ideò fuit symbolũ potentiæ

tentiæ,& bonitatis ac prẽsentię diuinæ,Psal.78.de quo Psal.3.& 24.& alibi. Arca inquã sacramentum fuit præsentiæ Dei,typus ecclesiæ Dei,quæ etsi lignea sit,nihilominus deaurata est.Ecclesia enim nunquam à peccatis,quoad uiuit,libera,ab ijsdem tamen purgata,Hebr.9.cap.

Arca fœderis Dei nomine appellata.3.Regum 9.cap.Ingredietur rex ille gloriosus. sic Arcam uocauit eo quod Dominus promisisset se inter Cherubim habitare,hoc est, preces orantium audire & optata respondere.Hinc & Esa.3.cap.eadem uocatur Dominus uniuersæ terræ.Et 2.Regum 16.de ea scribitur.Cuius nomẽ uocatur,nomen domini Zebaoth habitat inter Cherubim super eam,Numer.1.Cum Arca proficiscebatur dicebat Moses:Exurge Domine,& dissipentur hostes tui,fugentur abs te osores tui.Et quum reponeretur,dicebat:Reuertere Domine ad myriades millium Israel.Vt hic ergo Moses Dominum uelut Arcæ insidentem,cum illa exurgeret,& rursus resideret,alloquutus fuit,ita Dauid Psal.24.quum inferendam templo Arcam dicere uellet,ut plenius Dei beneficium exprimeret,dixit ipsum Dominum illud ingressurum.Erat siquidem Dominus pollicitus populo dignationis suæ præsentiam peculiariter super illa se exhibiturum.

Arca Noe autem designat fœdus bonæ conscientiæ cum deo:etenim olim Deus per Arcam cum Noe fœdus percussit,se illi placatum Deum fore,Genesis 6.& 1.Petri 1.3. Quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe,quum fabricaretur Arca,&c.Aream testimonij uocat Moses Exodi 30.cap.in qua testimonium diuinæ uoluntatis duabus tabulis comprehensum ponebatur.Præterea testimonium posuit pro arca testimonij.Et Exodi 38.Arca fœderis.Deut.31.Qui portabãt arcam fœderis Domini,id est quorum munus erat portare humeris suis arcam in qua erant illæ tabulæ continentes conditiones fœderis Domini.Arca fortitudinis,Psal.132.Tu,& Arca fortitudinis tuæ,hoc est diuinæ uirtutis & regni.sicut Psal.110.Sceptrum uirtutis ubi Deus potenter regit,auxiliatur,defendit & exercet diuinam uirtutem suam pro salutę hominum exaudiendo eos,remittendo peccata,consolando mundo contra hostes.

¶ *Arcanum* pro consilio,Psal.88.Deus inclytus in arcano sanctorum nimio.Septuaginta *ἐν βουλῇ*,id est,in consilio.Pro templo,Ezech.7.cap.Violabunt arcanum meum.Septuaginta, Violabunt uisitationem meam.Arcana uerba more Hebraico significant ineffabiles & sublimes res,uidelicet uisiones & reuelationes,2.Cor.12.cap.Et scio huiusmodi hominem siue in corpore siue extra corpus,nescio.Quoniam raptus est in paradisum,& audiuit Arcana uerba,quæ non licet homini loqui.

¶ *Arcus*, pro fortitudine,robore,intentione,uiribus q; sæpe usurpatur,ut apud Hoseã cap.1.Arcum conteram,hoc est fortitudinem confringam & robur.Et Psal.44.Non enim in arcu meo sperabo.Arcus Israel & Ionathas robur uirorum belli arcum nominant.Adstipulatã Hieremias his uerbis cap.51.Apprehensi sunt fortes eius,elanguit corũ arcus,Psal.10.Posuisti ut arcũ æreum brachia mea.Et 43.45.Pro potẽtia usus est Ezech. 34.Et percutiam uel confringam arcum tuum.Porrò eos qui languent,& degenerant à uiribus maioribus,Arcum prauum appellat scriptura,ceu infirmiorem quàm ut possit sagittas excutere,ut Psal.dicitur de Iudæis,& Hiere.51.cap.Pro celeritate pœnarum, Psal.7.Nisi conuersi fueritis,gladium suum uibrabit:Arcum suum tetendit,& parauit illum.Per gladium enim,pœnarum acerbitatem:per arcum uerò,celeritatẽ intelligi uult Eutymius.

Arcus nonnunquam insidias,fraudes,astutias q; malorum exprimit denotat q;,Psal. 36.Et extenderunt arcum suum,id est,aperto marte,et insidijs impetunt pauperem.Gladius autem apertam inuasionem ac persecutionem signat.Enimuero gladio pugnat, ui manifesta inuadit.Secundo iudicij dies,Psal.59.Vt fugerent à facie arcus.Nam Arcus idem est quod gladius,framea,id est,æterni iudicij & æternæ mortis,& seueritatis diuinæ uerbum & sententia:ut suprà Psalmo 7.adducto patet.Tertio,sacra scriptura,Psal. 7.Quarto promissio seu res promissa,Abacuc 3.cap.Suscitans suscitabis arcum tuum. Item Arcus populum significat:sumus enim Arcus Domini,quando incedimus pura fide & uerbum habemus.Quando ergo per nos pugnat contra impios uel infideles, tunc sumus ei arcus & sagitta,Hoseæ 7.Facti sunt quasi arcus dolosus,hoc est,prorsus abalienauit se à me populus,ut non possim eis uti contra impios.sed ipsi iam impij ex pijs facti, adeò ut opus esset alijs,quibus pro arcu uterer.Arcus ergo dolosus est,

qui nihil ualet,est quasi arcus qui non ferit,& frustra intenditur,Esa.49.Hoc est minantem iaculum,sed non torquentem,ut & Prouerb.13.& Hoseæ 7.cap.Et apud Dauidem Psal.78.Versi sunt ut arcus iaculantis.Alij legunt Arcum eiaculantem sagittas: alij,dolosum.Et hic putant dolosum & fallentẽ Arcum dici,qui ilico uertatur, ut aliud feriat quàm expectatum fit.sic filios Israel alios quàm promiserint,quàm ab eis expectatum sit,sese exhibuisse.

Arcum tenere & legem,ut Amos 2.Tenens arcum non stabit,pro sagittario ponitur. Tenens uerò legem,pro legis perito usurpant,Hiere.2.cap.Et tenentes legem meam ne scierunt me.Apostolus hoc idiomate usus est Tit.1.Tenacem eius qui secundum doctri nam est fidelis sermonis.Arcus Iridis,misericordiæ symbolum.

¶ *Ardentes* spiritus sanctus Psal.7.uocat insipientes & impios ardentes:nimirum quia odio,liuore,& maleuolentia in bonorum perniciem perpetuo flagrant.Sagittas suas,inquit,ardentibus effecit.& Psal.94.Intelligite ardentes in populo.Ezech.21.cap. Et dabo te in manu uirorum ardentium.

¶ *Area* ecclesiam Dei significat,Matth.3.Vbi D.Chrysostomus Homilia 3.in Matthæum,Area,inquit,est ecclesia,horreum autem regnũ cœleste,ager uerò hic mundus. Per Aream intelligit populum Israelis:per Horreum,regnum Dei:per uentilabrum,sermonem regni:per triticum,electos ac ueros Israelitas:per paleas,reprobos & incredulos:per ignem qui extingui nequeat,supplicium impiorum,& incredulorum.Item Area apud Matth.non unus aliquis angulus religionis,sed totus terrarum orbis denotatur.

¶ *Arenæ* uocabulum non inuenustum est,& Hebræis familiarissimum,quo quum rei alicuius copiam maximam,numerositatem & multitudinem ostendere ac significare uolunt,plerunque Arenæ assimilant comparantq;,ut Gen.22.cap.patet.Benedicam, inquit, tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli,& uelut Arenam quæ est in littore maris.Et Esa.10.Iudic.7.cap.Cameli autem innumerabiles erant,sicut Arena quæ iacet in littore masis.Et cap.5.Tot erant Midianitæ in terra,ut Arenæ maris essent similes.Et Abacuc.1.cap.Captiuos ceu arenam colliget,id est,immensam copiam.

Arena interdum pro inconstantia & idololatria,Matth.16.Ædificantes super arenã: nam petra constantia fidei,rectè & inconstantia infidelitatis Arena uocatur,id est idololatria,quæ per uarias idolorum culturas semper dispersa est.Aut certè super arenam ædificare,id est,carnales homines ac infideles,Arenosæ terrę cõparantur increduli.Item Arena Matth.7.cap.est hypocrisis illa,qua ex nomine Christiani dicti,Christũ ore quidem dominum uocamus,factis autem negamus.Arena maris,in scripturis quoque grauitate celebris. Arena denique est, quocunque extra deum nituntur mortales, Matth.7.cap.

¶ *Argentum* pro pecunia & possessione, Exodi 21.cap.Quia argentũ eius est,Hiob 31.Si fructum eius comedi absque Argento.Esa.55.Omnes sitientes uenite ad aquas,est emite absq; Argento.Hinc Hebræi dicũt,plenum Argentum,pro digno Argento,pro precij pondere ac mensura Gen.23.cap.Pecunia digna,uel Plenum argentum tradunt mihi coram uobis in possessionem sepulturæ,das es vverd ist,oder vverschafft ist.

Argento passim in scripturis quoque utuntur diuini homines,pro uerbo & nitore eloquiorum Dei,fidei,doctrinæ sinceritate & puriore uita.Nam sicut Argentum purissimum,quod & ueteres purum putum nominarunt,defecatum,probatũ & septies purificatum est.Ita uerbum Domini omnis uanitatis expers,purissima imò ipsissima ueritas corda credentium probat,purificat,consolidat,sibiq; consimilia reddit,ut non nisi purissima quæq; & quæ sunt in cœlis sapiant ac desiderent,ut Psal.11.Eloquia Domini casta,argentum igne examinatum,probatum terræ,purgatum septuplum.

Aurum & Argentum,& Æs & ferrum regna insinuantur,ut Danielis 7.cap.Num hæc metalla in magna hominum æstimatione sunt,eò scripturam potentiam regnorũ lubentius huiusmodi materijs comparat & adsimilat.Item sub Argento interdum omnia aurea & argentea uasa intelligimus,& res cæteras,Exodi 22.cap.

Argento aliquando significatur gratia,Prouerb.10.cap.Argentum electum lingua iusta.

Argentum in scoriam uertere,& uino aquam admiscere,est deprauare cœleste uerbum,atq; eos impostores significat,qui iudicij puritatem auaritiæ adfectu adulterant,

Esa.

Esa.1.cap. Argentum tuum est scoria factum,caupones tui miscent uino aquam,id est, adulterant uerbum Dei.Et quemadmodum Argenti uocabulo pij cum eorum operibus constantibus significantur.Econtra etiam impij de quibus Argentum reprobū uocare eos,dicitur.Vide Rabanum de sermonum proprietate.

¶ *Arguere* est disertè edicere,ostendere,probare,conuincere argumentis,protrahere in lucem,& ob oculos sic denicq statuere peccatum,& citra figuram palàm explanare,ut intelligat quo cum agis quàm egerit turpiter.Matth.18. Vade & argue eum inter te,& ipsum.Et Ioan.16.Arguet mundum,id est,palàm conuincet mundum atq protrahet in lucem.Paulus 2.Timoth.4.Argue,id est,protrahe in lucem,tenebriones.Idem ad Hebr. 11.cap. Argumentum eorum quæ non uidentur. Nam ἐλέγχω, est conuincere & causam aliquam sic protrahere,ut reo nihil superstit,quo se terreatur,sic Ioan.8.cap.Christus de semetipso,Quis ex uobis arguet uel conuincet me peccati erroris ue. Et Paulus ad Titum 1.cap.Oportet,inquit,episcopum ita eruditum esse,ut posit contradicentes conuincere.Rectissimè ergo Chrysostomi interpres.quod nos argumentum, ipse conuictionem uertit.

Argui ad hæc & Corripi,hæc duo uerba in sacris sæpe differunt,simulq componuntur,ut Apocalypsis 3.cap.Ego quem amo,arguo & corripio,siue castigo,ut corripi sit castigare,siue disciplinare.Et quod Argui,sit reprehēdi:Corripi, sit reprehensum percuti, patet Psal.6.Domine ne in furore tuo arguas me,&c.

Argui,in furore Dei,nihil aliud est quàm erubescere,cōfundi,& ream inueniri coram æterno iudicio Dei conscientiam hominis,Psal.6.

Corripi in ira quoq nihil aliud est,quàm conturbari,intentari scilicet mortem & infernum,Psal.2.Tunc loquetur ad eos in ira sua,id est,arguet & reprehendet & in furore suo conturbabit eos,id est corripiet.Et 1.Regum 2.cap. Dominum formidabunt.Et multa similia in scripturis habemus,quibus ista uehemens confusio & conturbatio cordis, tam in sanctis describitur,quàm super impios prædicitur,ut illi humiliati adfligantur & deprimantur.Et sic uult Deus ut omnes homines salui fiant.

¶ *Argumentum* scriptura interdum pro signo aliquo sumit,per quod fides fit rei alioqui dubiæ,ut uidere licet ex Actis Apostolorum cap.1.Quibus & præbuit(ait Lucas) seipsum uiuum post suam passionem in multis argumentis.id est signis:Hebraico more dixit,pro per multa argumenta.Item Argumentum ad Hebræos cap.11. non est tale quale finiuit Fabius.Argumentum esse rem quæ alterius probationi adhibentur:sed Argumentum,certum indicium est,experimentum & cognitio certa,& adeò certa,ut de cognitii natura nihil prorsus dubitemus , quippe ipsa ueritate sic conuicti , ut nihil supersit quod impediat, ein eigentliche vvussen vnd gruntlichs ergriffen,ἐλέγχω enim est conuincere,& causam aliquam sic protrahere,ut reo nihil supersit quo se tueatur,sic enim ipse Christus hoc uerbo usus est, de spiritu sancto in Euangelio loquens,Arguet mundum,hoc est,protrahet in lucem & euincet,ut suprà auditum est.

¶ *Aridus* pro terra.Ionæ cap.1.Qui fecit mare & aridam,hoc est terram.Gen.1.Et uocauit Deus aridam terram,Lucæ 23.Quod si humido ligno hæc faciunt,in arido quid fiet,hoc est,si frugifero hæc faciunt,infructuoso quid facient?Exodi 15.cap.Et erit aqua quam sumes de flumine sanguinis sui per aridam,uel potius super aridam,id est,super id quod aridum.

¶ *Ariel* Hierusalem dicitur propter altare templi,quod Ezech.43.sicut uocatum.Est autem apud Hebræos Ariel,idem quod leo dei. Nam sicut leoni mane & uesperi datur uitulus uel agnus,ita & in altari Hierosolymitano mane & uesperi offerebatur agnus anniculus,sicut præcipitur Exodi 29.cap.

¶ *Aries* pro duce & principe,& Arietes pro principibus,magistratibus & doctoribus sumi solent,qui populorum duces sunt,quemadmodum illi ouium.2 Regū 11.cap.Et tulit centuriones in arietes,Ezech.21.Ad ponendū Arietes super portas.Et Dauid 8.cap. adsimilat regem Persarum ac Medorum arieti.Aries unus stabat ante flumen.Et dico, uidi Arietem petentem cornu.Et uersu 20.Aries quem uidisti habentem duo cornua,reges Medorum & Persarum sunt imperatores ac magistratus,in Ariete & hirco figuratur,ut & suprà etiam auditum.

Aries impletionum appellat Moses Exodi 29.cap.qui immolabatur in consecratione summi sacerdotis,Arietes filij Basan.Deut.30.id est,educati in regione Basanitide, come

est

dit, ſubaudi Aries quoq; Chriſtum ſignat, quem Abraham immolauit.

¶ *Arma* more Hebraico uocat Moſes Gen.27.cap.inſtrumenta: quod declarat, quum dicit, pharetram. ſic ait Moſes: Sume arma tua & pharetram. Per Arma cœleſtia adiutoria: per ſcutum uerò protectio demonſtratur, Pſal.34. Apprehende arma & ſcutum, & exurge in adiutoriũ mihi. Eſt etiam humana repugnatio, Pſal.65. Ibi confregit cornua, arcum, ſcutum, gladium, & bellum.

¶ *Aromata*, odorem uirtutum et orationum ſuauitatem fragrantiamq; deſignant, teſte Ioanne Apocalyp. Quæ ſunt orationes ſanctorum.

¶ *Arundinis* nomine, leuium & inconſtantium hominum ad quamlibet occaſionẽ uacillatio, rerum item quarumlibet reciprocatio & inconſtantia denotatur, ideo inconſtantiæ ſymbolum eſt, Matth.11.cap. Num.3. lib. Regum 14.cap. de regno Iſraelis loquens prophe ta, percutiet, ait, Dominus Iſraelem, ſicut cum Arundo mouet in aqua. id eſt, ipſum regnum nihil habebit firmitatis ſtabilitatis ue, ſed continuis bellorum motibus concutietur. ſic & Baculus Ægypti, 4. Regum 18. Eſa.35.cap. Notatum & nomẽ Arundinis, hoc eſt, inconſtantiæ & prouerbijs & Germanis uſitatum uocabulum. Hinc ſignificat doctrinam humanam, omni uento opinionum agitatam. At Ioannes uox clamantis in deſerto, ut non eſt ueſtita mollibus, ita nec Arundo uacua et uento agitabilis, ſed plena & ſolida ac ferrea, Matth.11.

Arundo deinde ſplendorem gloriæ temporalis. Et Arundinetum, uitam ſeculariũ denotat, Sapientiæ 3. Fulgebunt iuſti & tanquam ſcintillæ in arundineto.

Arundinis feras deniq; malos principes & antiſtites, nempe crudeles & diros impioſque ſcriptura appellat: nimirum qui in umbra calami, ut inquit Iob, in locis humentibus dormientes, ad omnem uentum doctrinæ mouentur, & ſordibus ſuis gaudent, errantes in ſolitudine: poſtremo ſummo ſtudio conantur, tauris & uaccis coniunctæ, id eſt, potentibus huius mundi, opprimere Dei eccleſiam & prorſus extinguere. ſic enim Pſalres ait: Increpa feras Arundinis, cõgregatio taurorum cum uaccis populorum, ut excludant eos, qui probati ſunt argento. Arundinem non conterendã & confringendam, Matth.12.cap. Quaſi dicat, Comparietur noſtris infirmitatibus, infirmam fidem non extinguet, ſed fouebit: non premet nos potentia ſua, ſed humaniter nos ſuſcipiet.

¶ *Aſcendendi* uerbo uarie utuntur Hebræi, pro creſcendi, augeſcendi, adoleſcendi. Hiere.46. Qui tanquam flumen aſcendit. Aſcendere item pro euaneſcere, & perire, abſumi & confici, & per metalepſim. Nam quę euaneſcunt plerunque Aſcendendo in aerem uertuntur: ut fumus, cum in altum aſcendit, uidetur euaneſcere, & in nihilum recidere, idẽ Aſcendere, ſolet pro euaneſcere & abſumi, et non tantum gradatim in altum aſcendere iuxta phraſim Hebræam. Eſa.5.cap. Aſcendet, more Germanico, das gadt im feiir vff, hoc eſt, euaneſcit & perit igne. Iudi.20. Aſcendit tota ciuitas in cœlum, hoc eſt, oppidum incendij flammis uſq; ad nubes ferebat, in cinerẽ ſoluebat. Et Hiere.48. Ciuitates aſcendũt, per ſyntheſim, hoc eſt, exuſtę ſunt. Sy giengẽd im feiir vff. Et Gen.19. Cum aſcẽdiſſet aurora, urgebãt angeli Loth, hoc eſt, cũ aurora iã abſumpta eſſet, ac abijſſet. Et Num.16. Vt aſcendant à tabernaculis Coræ, hoc eſt, ut ſeparentur & abeant, & Leuit.1.cap.

Aſcendere pro abire, deſinere, ceſſare interdum, ut 1. Samuelis 14, Aſcendit Saul, nec perſecutus eſt Philiſtęm: deſiit enim perſequi Philiſtęos. Item ſurge, Aſcende obuiã nuncios regis Somron. Septuaginta. Vnde Gen.35. Surge aſcende Bethel, & habita ibi.

Aſcendere atqui lectum, eſt ægrotare. Deſcendere è lecto, eſt conualeſcere 4. Reg.1. De lecto quem aſcendiſti nõ deſcendes. Aſcendere pugna.3.Reg.22.cap. Et aſcendit pugna, id eſt, deſiit pugna, Sic utuntur Germani, Es gadt vff, hoc eſt, nihil ſupereſt.

Aſcendere cogitationes ſuper cor, apud Ezech.cap.38. in deteriorẽ partẽ ſonat. Aſcendent, inquit, uerba ſuper cor tuum, & cogitabis cogitationẽ malam, id eſt, ad adfligendũ pios occupatã. Hinc Aſcenſiones ſpiritus ueſtri, Ezech 11.cap. Noſter uertit, cogitationes cordis ueſtri. Eiuſmodi aſcẽſiones in corde notat Pſalmus quoq; 85. Et in Euangelio dicit Dominus, cogitationes aſcendũt in cordibus ueſtris, Eſa.65. & Hiere.3. legis, Aſcendere ſuper cor. Et Ezech.36. Aſcendere ſuper labiũ linguę. Eodem reſpicit quod ait Apoſtolus ex propheta: Nec in cor hominis aſcendit. 1. Cor.2. pro cogitauit.

Aſcendere in cœlum, Ioan.3.cap. ſignificat eleuata mente ſcrutari & indagare res cœleſtes. Aſcendere ſuper collum robuſtum apud Hoſeam cap.10. eſt premere & cogere, nõ permittere liberum, ut Ephraim inuitus ibit in Aſſyriam, ſed cogetur ui.

Aſcende-

Ascendere uel Equitare super leuem nubem, est uisitare uelociter sicut in cœlo nubes de regione in regionem transit, Esa. 19. Ecce Dominus equitat: & alibi inuenies Psal. 67 Qui ascendit super occasum dominus nomen illi. Idem est quod ascendere super leuem nubem.

Ascendere dominum in excelsum, ut Psal. 7. est immissam ultionẽ amouere. Ascendere autem in ruinam aut fractionem, est resistere prophetantibus ex corde suo, Ezechielis 13 cap. Non ascendistis in irrupta res &c. Ascendere, pro surgere, Gene. 35. surge ascende Bethel & habita ibi: Ascende obuiam nunciorum Somron.

¶ *Asinorum* nomine aliquando stultorum pigritia, Deut. 22. Aliquando immoderata petulãtium luxuria, ut propheta Ezech. 23. testatur. Quorum carnes sunt, ut carnes asinorum: Aliquando gentilium simplicitas designatur, Matth. 21 cap. dicitur Dominũ super Asinam sedisse, Moses ait Deut. 22 ut suprà: Non iunges bouem & asinum, quasi diceret: Fatuos sapientibus non socies. Item asini, gentiles credentes.

¶ *Aspergere*, est prædicare, annũciare Esa. 53. cap. Verum sic multas gentes asperget. Et 1. Petri, 2 cap. quoq; aliud non est, quàm prædicare Christum, in hoc sanguinem suũ fudisse, ut pro nobis apud patrem intercedat.

Aspergi uero sanguine Christi & obedire uerbo dei, Christo quoq; esse subiectum: perinde est atq; credere. Paulus utitur alia forma loquendi. Saluos nos fecit, inquit, per fidem in Christum, quoniam fides est, quæ efficit, ut Christo eiusq; uerbo simus obedientes atq; subiecti. Aspergere hyssopo, est sanguine Christi mundare & lauare, euangelioq; consolari, Psal. 51. Asperges me domine hyssopo.

Aspicere uerbum est, quo declaramus gratiam, fauorem aut beneficium quasi indignis nobis contigisse, Græcis est ἐπισκέπτεσθαι, Aspicere inspicere, ut Lucæ 1. cap. Sic fecit mihi Dominus in his diebus, quando uir aspexit: &c Psal. 137. Humiles aspiciet, excelsum à longe cognoscet, id est, pauperum miserebit, superborum non item. Exprimit gestum miserentis, neq; multum differt à uocabulo misericordiæ. Sic etiam promisit Dominus se uultum suum conuersurum ad Israelitas, si legis, siue obseruantes fuissent, Leuit. 26. In uultu uoluntatis indicium est. Vnde & Latini beneuolo aspicere uultu, pro saue re & approbare dicunt. Verg. Olli subridens hominum sator atq; deorũ. Vultu quo cœlum tempestatesq; serenat. Sic & Psal. 11. Vultus eius aspiciunt, id est, fauent. Cuius contrarium est, Auersari, auertere oculos, faciem.

Aspicere deinde pro frui, Esa. 38. cap. Non ultrà aspiciam hominẽ, hoc est, non fruar. Et 19 cap. Vltra non aspiciam homines, hoc est, non fruar aut conuersabor. Pro attendere, Psal. 14 Dominus de cœlo aspexit.

Aspicere iniquitatem in aliquo. Deut. Numer. 23. Non aspexit iniquitatem in Iacob, neq; uidit calumniam in Israel Dominus &c. Id est, Deus peccatum Israeli non imputauit, propter fidem: peccat quidem fidelis, sed statim condonatur ei peccatum. Aspicere deniq; post cor suum, & post oculos suos, est sequi cogitationes cordis sui, & cõcupiscentiam oculorum suorum. Numer. 15. cap.

¶ *Aspis, Basiliscus*, diabolus dicitur, quia & acta, & aperto Marte, si permittitur, eos inuadet: propter illud dicitur Aspis, Basiliscus, ut Psal. 91. Super Aspidem & Basiliscũ ambulabis & conculcabis leonem & draconem. Nam Draco & Catulus leonis quoq; dicitur, ut alibi audiemus infra.

Aspis serpens aut anguis in Aphrica gignitur, cuius quidem ictui nullum extat remedium, uocatur ab autoribus Aspis somniculosa, quod somnum lætiferum percussis immittat, Rancori ac oblocutioni comparari in Psal. 14. & Rom. 3. cap. uidemus: Venenum Aspidum sub labijs eorum. Nam rancor in uase, sicut id totum inficitur & putrefacit, ita in animo aliquo miserrimo positus, cor ipsum totum, in quo sedes est animæ, corrumpens, ad os tandem peruenit: ubi linguam aggressus, eam contaminat: unde necessariò uomitus quidam ater obtrectationis erumpit, à quo quidem illi, qui audiunt, facile inficiuntur.

Aspidum siue Basiliski deniq; oua incubare, sunt prouerbiales orationes. Coruum incubare siue excludere, pro rem insigniter malam parare, Esa. 59. Oua aspidum repererunt. Est figuratus morsus in studia hypocritarum sicut Matth. 3. progenies uiperarum uocantur. Quasi dicat propheta: Quid facitis, inquit, cum uestra doctrina facit amarulentissimos homines, qui nihil sciunt, quàm alios iudicare, calumniari & persequi.

Astutia

¶ *Astutia*, In bono scriptura ponit sæpiusculè, unde illud Matth.10. Estote astuti ut serpentes. Et illud Prouer.1.cap. Vt & innocentibus det Astutiam: quanquã & apud illos, Romanæ linguæ disertissimus dixerit, neq; illi tamen ad cauendũ dolus aut astutia deerant. Astutiam in bono: sed apud illos rarissimum, apud nostros frequentissimum est. Et in malo, quod in paradiso erat serpens prudẽtissimus omnium bestiarum. Sic & 1.Cor.3. Qui comprehendit sapientes in astutia ipsorum. Et Ephes.4. de Astutia seductorum, improbam astutiam designat: tamen sæpenumero bonam & salutarem Astutiam, ac solertiam significat, ut Prouerb.1.cap. auditum est. Ad dandum paruulis & simplicibus astutiam. Qua pueri possunt insidias Satanæ, & sophistarum eius intellige re. Matthæi 10. Vide Basilij Magni concionem in initium Prouerb. Salomonis.

¶ *Assumere aliquem*, Est consolari, docere, fouere, sustinere, ut Rom.14. Si quis inter uos nondum solidus & firmus fide fuerit: hoc est, nondum intelligat se quocunq; tempore quibuslibet uesci posse, aut qui adhuc diem præ die eligeret obseruandum, eum Assumite: hoc est, hunc alite, donec proficiat. Et ad Roman. cap.15. Assumite uos inuicem: in eadem significatione. Idq; exemplo Christi, qui nos hostes & peccatores assumpsit. Assumptio nostra, gloria dei est.

Assumere laudem, est exauditionis beneficium celebrare & gratias agere, uel prisco rum beneficiorum memoriam allegare coram domino inter orandum. Hierem.11.cap. Et ne assumes pro eis laudem.

¶ *At*, Antitheseos nota est, quam Hebræi plerunq; omittunt, ut Esa.1.cap. Israel nihil sentit. Neq; solum istam, uerum etiam similitudinis etiam & relationis, quemadmodum in propheris patet. Quem morem, ut fermè omnes alios Paulus tenuit.

¶ *Atramentum* uocat Paulus 2. Corinth.3. literam, non humanas tantum traditiones, sed legem diuinam planeq; omnem doctrinam, quatenus audit, cognoscitur, tentatur à ratione siue spiritu uiuificante. Sic enim dicit Paulus: Non atramento, sed spiritu dei uiuentis 1.Cor.3. Tabulæ saxeæ sunt humanæ uires, sine spiritu dei uiuificante. Atramentũ enim est, quod illinitur saxo, cogitatio uel simulatio boni operis. Tabulæ cordis carneæ, sunt receptacula uiua spiritus sancti, omnes uires cordis, & uegetantis, omnes uires humanas. Estq; accepta hæc collatio ex Ezech. 10.cap. De hoc tropo fusius suo loco dicemus.

¶ *Auaritiæ* nomine, omnes furti & impostura species ueniunt, & in se habet, continetq; usuram, rapinam, uiolentiam, iniuriam: nam hæc ferè simul sunt in his qui pecuniæ studeni. Rom.1.cap. Quippe qui impleti sint omni iniustitia, uersutia, auaritia. pleonexia enim dicta est, à πλέον ἔχειν: hoc est, à plus habendo, cum quis fraudatis cæteris, plus occupat, quàm iure sibi decidat. Vide Budæum in Cõment. Græcæ linguæ. Et Lucam 12. cap. Philargyria Auaritia, proprie dicitur studiũ pecuniæ. Pleonexia amplius quiddã, est studium plus corradẽdi (quàm par sit) esse alienos mores nostros uult Christus. Auaritiam D. Paulus Ephes.5.cap. idololatriam appellauit, & adulterium Iacobus uocauit cap.4. quòd quemadmodum omnes idololatræ praue de deo sentiunt, & uanitate mentis suæ decepti, simulachra deo suo, uergunt in cultum & monimentum, sic omnis auarus impietate sua abductus, pecuniam ueluti idolum complectitur.

¶ *Atrij* nomine adũbrauit spiritus sanctus uniuersitatẽ ecclesiæ. Sic enim ipse exponit, Psal.64. Beatus quem elegisti, & assumpsisti, inhabitabit in atrijs tuis: hoc est membrum erit ecclesiæ tuæ, seu omnis illi felicitas est, quem selegit, sibiq; adiunxit deus, ut in atrijs suis habitet. hoc est, fide integra inter sanctos cœli ciues uitam degat.

¶ *Audire*, Verbum est Hebræis familiare, pro credere, & corda suscipere, usus est Ioannes cap.9. pro credere. Et non audistis: idem pollet ac si dixisset, & non credidistis. Quid igitur uultis id iterum audire? Ecce posterius audire accepit simpliciter, prius pro credere. Deut.6. Vt audiamus & opere impleamus. Audi Israel: id est, corde suscipe, & crede omni uerbo dei, eiusq; promissioni fide. Lucæ 11.cap. Maria audiebat uerbum illius: hoc est, credebat Christi uerbis, & diuinæ eius promissioni fidẽ habebat, conferens nimirum uerba ipsius in corde suo. Hinc & Audire à deo, proprie est credere uera esse eius uerba.

Audire, nonnunquam pro intelligere, agnoscere capit scriptura. Genesis 42. Et ipsi nescierunt quia audit Ioseph. Esa.36. Populus iste, qui in muris est audiat: id est intelligat. Exod.14.cap. Audierunt quòd dominus uisitasset filios Israel. Aliquando pro ob

temperare

temperare,obsequi,obedire,morem gerere,acquiescere,exaudire usurpant Hebræi sicut & Latini,ut Genesis 22.cap.& 34.Audisti uoci meæ,pro eo quod Latinus legit,Obedisti uoci meæ.Sic alibi scriptura Marci 4.cap.Et,Oculi uiderunt,id est,intellexerunt,& aures audierunt,id est,obtemperauerunt.Et,uos uidistis & audiuistis quæ Dominus fecit in terra Ægypti.Iosue 1.cap.In omnibus quæ audiuimus ad Mosen sic audiemus te.Septuaginta,Auscultemus tibi.Hiere.34.pro consentire accipit.

Audire autem uocem,plerunq; idem est,quod discere,id quod in Mose & prophetis usitatissimum est.Vnde uocem Domini audire,significat eius uoluntatem discere.Audire uerba Dei,esse ex Deo,credere in deum,& si qua sunt similia.

Audire afflictionem alicuius,Hebraismus est,ut Gen.16.cap.Eò quod audierit Dominus afflictionem suam,id est,propterea quod exaudiuit orationem tuam quam fecisti quum affligereris.

Audire te faciam,idiotismus est,pro eo quod est,dicam tibi 1.Regum 9.Eiusdem formæ est Videre te faciam,id est,ostendam tibi.Item,Exire te faciam,id est,educam te. sunt id genus innumera.Audire Deum nos.1.Ioannis cap.5.est sese nobis & promptũ & benignum impendere,& prorsus talem qualem se nobis fœdere astrinxit.

Audiri iudicium è cœlo,usus est Dauid Psal.77.Deum iudicium è cœlo audiri fecisse,hoc est,plane cœlestem et diuinam referens uirtutẽ,exhibuisse,quale utiq; illud erat, quod in Sennacherib & suos exercuerat,ut & quo Ammonitarum exercitum strauit regnante Iósaphat.2.Paralip.20.sic Dauid ait:E cœlo fecisti audire iudiciũ,terra tremuit & timuit.

Audire eruditionem aut disciplinam,est audire increpationem,quod quum fit,confitemur nos iusto dei iudicio adfligi,Prouerb.4.Audi fili paternam auditionem siue castigationem.Et sæpius in sententijs Salomonis est uidere.

Audiendo atqui audietis,sciendo scietis,castigans castigauit,morte morieris,& id genus ἀναδιπλώσεις, id est,conduplicationes,Hebræis sunt familiares.Sed uariam uirtutem habent:nonnunquam uerò diligentiam,uehementiam,ceu certitudinem designant,ut Esaias ait.Diserte audietis.Sic & Gen.2.Morte morieris,id est,certe certissimeq; morieris.Et Genesis 15.cap.Cognoscendo cognosces,quasi dicat Dominus.Certe scias,certissime scias,id futurum ut semen tuum peregrinum sit in terra,& hic certitudo significatur.Audiẽdo audire,est clare audire & intelligere,Esa.6.cap.Audite audiendo,& ne intelligatis:& uidete uisionem,& non cognoscite.Consueuit autem scriptura hoc schemate idiomatis,aures obturatas & incircuncisas,audireq; dedignantes,ad audiendum excitare,Iob 13.cap.Audite audiendo uerbum meum,& narrationem auribus uestris.Matth.Qui habet aures audiendi audiat,Hiere.5.cap.Audi populе stulte.Esaiæ 1.cap.Audire facere.Esaiæ 30.Audire faciet,id est,celebrem reddet.

¶ *Auditus* hinc apud Hebræos significat omnem rumorem,famam,doctrinam,prædicationem,& quamlibet auditionem passiuam,hoc est,quum tu quid audis,pro eo enim quod Latinus diceret:Ego audiui,dicit Hebræus,Ego auditionem audiui,Esa.11. Neq; ad auditionem siue famam,&c.& cap.28.Auditio & auscultatio,pro eo quod ipsi audiebant,sed nõ credebant credentibus.Sic Ebræi pro re audita aut fama utũtur.Fitq; insuper ut Auditus siue Auditio,Tropo linguæ proprie utatur spiritus pro ipso uerbo uocis,Esa.53.Domine quis credidit auditui nostro?id est,uerbo quod nos prædicamus audiendũ.Sic Abacuc 1.cap.Domine audiui auditionem,id est,uerbum tuum audibile & timui.Sic etiam Esaiæ 28.Quem docebit scientiam,& quem intelligere faciet auditũ? Sic Paulus ad Galatas 3.cap.dicit.Hoc solum à uobis uolo discere,an ex operibus legis spiritum accepistis,an ex auditu fidei:Pro ipso sermone qui auditur,ut sit auditus fidei,id quod uerbum fidei auditum.Et Paulus Rom.10.cap.Quis auditui nostro.luciclius est,Quis credidit uerbis nostris,uel,Quis credidit auditis nobis.Acto.10.Abdiæ quoq; cap.1.Auditum audiuimus à Domino.Breuiter,Auditus capitur Ebræis pro eo quod quis prædicat,& quod auribus hauritur,seu Auditus pro ea re quam audiuerunt prophetæ & apostoli reuelante spiritu Dei quam deinde ipsi prædicant,Ioan.1.cap.Hieremias quum euersionem Babylonis pulchris & per quàm elegantissimis uerbis depingit,hoc schemate usus est pro multitudine.Et ueniet in anno auditus,& post hunc annum auditus,& iniquitas in terra,& dominator super dominatorem.

Auditus Dei dicitur in sacris,quod uel aspirat in corde uniuscuiusq; sanctorum,uel

ſonum uocis peruenire ad Aures eius facit, loquutus homini deus dicitur: ſic & quum nota ſibi eſſe iudicat, quæ unuſquiſq; uel loquitur, uel agit, Audiſſe ſe dicit.

¶ *Auertere*, ſeducere eſt, & uelut perdere cor, ut cum quis amentia fertur. Sic auerſa trix Iſrael ſubinde uocatur, quod labefactato, profligatoq; corde ſit. Et Eſa. 17. Et iuit auerſus à uia cordis ſui, Ezech. 38. cap. Id uerbum ad cor attinet. Auertere aurem, eſt cõtemnere obedientiã, uelle ignorare quæ dei ſunt, ueritatem non credere, uerbum dei abijcere, Prouerb. 28. Qui auertit ſiue declinat aures ſuas ne audiat legem, &c. Auertere faciem, idem eſt quaſi abſcondere ſiue conturbare. Nam ſicut non poteſt non lætificare facies Domini, dum reſpicit nos, Pſal. 4. Signatum eſt lumẽ uultus tui ſuper nos, &c. Et alibi: Illuminet uultum ſuum ſuper nos, ita rurſum non poteſt non conturbare auerſa à nobis, ut Pſal. 29. Auertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus. Auertere atqui uultum, et firmare aut intendere in loco, idem pollent, quum utrunq; fit per indignationẽ, Hiere. 3. Non enim auertã uultũ tuũ. Auertere oculos deniq;, eſt nõ exaudire, Eſa. 1. Auertã oculos meos à uobis. Auertere inimicũ, requietũ facere ſuper humũ. &c.

¶ *Auferre ſeu finire* pro perdere, Pſal. 25. Ne auferas cum peccatoribus animam meã. Septuaginta, ne perdas. Zephoniæ 1. cap. Hieronym. ad hunc modum reddidit, Congregans congregabo omnia à facie terræ. Melius tamen finiendo finiam. Septuaginta, defectione deficiat. Auferendi adhæc, ſiue Tollendi uerbum, Hebræi nonnunquam, ut in Eſaia cap. 4. idem eſt quod colligere, addere, & cõſarcinare, potiusq; id ſignificat, quàm è medio tollere: adeò Hebræi propẽſi ſunt ad metalepſes, quamuis eruditè eis utantur. Quum hi, qui ſoluturi ſunt à loco aliquo, aut aliquò quid abiecturi, ſarcinas primùm colligũt, aut ea quæ abiecturi ſunt: fit ut priore utantur pro poſteriore, puta uerbo Colligendi, pro uerbo Auferendi. Plutarchus hunc tropum inter ſynecdochas numerat.

Auferre malum è medio, ſiue tollere. 1. Cor. 5. cap. dixit Paulus pro eo quod eſt excludere, aut euitare conſortium, ſocietatemq; illius declinare. Auferre innoxium ſanguinem, Deut. 19. Et auferes de Iſrael noxium ſanguinẽ ut bene ſit tibi. id eſt, expiabis peccatum ſanguinis innocentis: tolles de Iſrael effundentem ſanguinem innocentem. Sanguinem innocentem, pro interfectore innocentis poſuit.

¶ *Auſter* ferè in bonam accipitur partem, Abacuc 3. cap. Deus ab Auſtro ueniet, & ſanctus de monte Pharan. Canticorum 4. Exurge Aquilo & ueni Auſter, hoc eſt, recede & abi & ueni Auſter. Pro Ægypto, Dan. 11. cap. Et confortabitur rex Auſtri.

Per Auſtrum interdum ſpiritus ſanctus exprimitur, Canticorum 4. cap. Surge Aquilo, & ueni Auſter, perfla hortũ meum, & fluent aromata illius. Et Iob. Et interiora Auſtri hic feruor ſpiritus ſancti deſignatur.

¶ *Aui* nomine apud Hebræos pater uenit, propter rectam lineam, ut patet Gen. 29. Vocat Laban filium Nachor, quum eſſet filius nõ Nachor ſed Bathuelis, & Nachor auus erat Laban, non pater. Et apud Danielem cap. 5. uocatur Nabuchodonoſor pater, quamuis auus fuerit. Sic namq; ait Daniel, Et in diebus patris tui. Et mox, Et rex Nabuchodonoſor pater tuus. &c. Neq; id rarum in ſcriptura.

¶ *Auris* pro homine ſicut & Oculus 1. Cor. 2. Quæ oculus non uidit, nec Auris audiuit. Pro intellectu, Lucæ 8. cap. Qui habet aures audiendi audiat. Pro dementia, Pſal. 9. Præparationem cordis eorum audiuit auris tua. Pro iudicio. Zachar. 5. cap. Hic oculus eorum in omni terra, ſumpta metaphora à ſagittarijs, qui uno oculo ferire ſolent, ut certius ſcopum attingant. Aures tinniſe, prouerbialiter dicitur pro conſternari & obſtupeſieri in graui & horrenda, 1. Samuelis 3. cap. Vt quicunq; audiuerint, ambę eius aures tinniant. Aurium tinnitum experiri idem eſt, pro minis terreri aut conſternari, Hiere. 19. cap. Aurium tinnitũ experietur, pro minis terrebitur. Aurem autem ad correptionem reuelare, eſt cognoſcere ex flagellis peccata, ut ſciant peccata ſua, & pro illis ſe corruptos. Iob 36. Et reuelat aurem ipſorũ ad correptionẽ: & dicit, ut redeant ab iniquitate.

Aurem perfodere. Pſal. 40. Omnium Hebræorum ſententia idem eſſe atq; Aures alicui aperire, & ad auſcultandum alicui adaptare. Id quum fit, totum ſe homo Deo addicit, & omne corpus alioqui uoluntati Dei rebelle, ad obſequium eius formatur atq; inſtituitur. Fortaſſe Dauid alluſit ad illud quod præceptum legimus de ſeruo Hebræo, qui in anno remiſſionis ſeruitutem libertati prætuliſſet. Eius enim Aurem iuſsit Dominus per herum oſtio uel poſti affigi, in ſignũ ſeruitutis ſempiternæ, Exodi 21. cap. Hinc Aures perfodere, ſymbolica oratione eſt in ſeruitutem mancipare & addicere, Pſalm.

40. Per-

40. Perfodisti mihi aurem, id est, addixisti me in seruum sempiternum.

In Aurem & Tenebris dicere, significat, ut ubique terrarum narrent Apostoli. Quod auditis in Aurem, prædicate super tecta: & quod auditis in tenebris, dicite in luce. Nõ intelligit, quasi præcipiat relictis foris & triuijs, eos super tecta debere prædicare: sed cum dicit, Super tecta, & in luce fiduciam & libertatem publicè prædicandi insinuat.

In Aurem ponere, est inculcare & significare, ut Exodi 17. cap. Ponite in auribus Iehosua, Lucæ 9. Ponite uos in aures uestras. Symbolica loquutio & Pleonasmus est Hebraicus. Aures enim carnales sunt, per quos doctrina & disciplina in animum influit. Aures ergo pro corde, & memoria ponuntur. Quasi diceret: Ponite in cor uestrum, recondite hæc in memoriam, nolite obliuisci, ne finatis uobis hæc excidere.

Aures usurpat scriptura ut fidei & obedientiæ instrumenta sunt, adeoq; & per Metalepsim Aures pro ipsa posuit obedientia Exodi 21. cap. Psal. 40. Hebr. 10. Sic Auricula dextera symbolum habet obedientiæ, fidei, audiẽdi uidelicet uerbi Dei, Ioan. 18. & Matthæi 26 cap.

Præterea, Qui habet Aures ad audiendum, audiat. Epiphonema uulgare admodum in historia Euangelica, quo perpetuo auditorum animos attentionem diligentem excitat, Matth. 11. cap.

In Aurem loqui, Hebræis, palam, Latinis clam uerò dicere, Genesis 23. cap. Et respondit Ephron ipsi Abraham, & cunctis (dicit Latinus) audientibus, qui ingrediebantur portam ciuitatis, &c.

In Auribus aliquorum loqui: Modus loquendi Hebraicus: Latinè, Narrauit illis hæc omnia quæ illi dixerat Deus, Genesis 20. & 50. In Auribus Pharaonis, Hebraismus, pro Pharaoni loquutus, & narrauit illi omnia. Aures ad audiendum, Deut. 29. Oculos uidentes, uel Oculos ad uidendum. Id est, Oculos uidentes. Sicut suprà auditum est in Euangelio, Qui habet aures ad audiendum. Id est, aures audientes.

In Auribus uestris, pro uobis audientib⁹, Deut. 5. Quæ ego loquor in auribus uestris.

Similiter, In Auribus eorum, quoq; pro illis audientibus, Deut. 31. cap. Audientibus illis, siue in Auribus eorum. Id est, audientibus eis, quasi dicat, clara uoce, non subimissa.

In Auribus populi, Gene. 23. id est, audiente populo terræ. Et Exodi 11. cap. Dic nunc in Auribus populi: id est, dic itaq; audiẽte populo. Vel: Dic igitur populo Hebraismus. Sic Auribus tradere alicuius, Exodi. 17. cap. Et trade Auribus Iosue, id est, Inculca ipsi Iosue quod, &c. Item, In Auribus domini displicere, Numer. 11. cap. hoc est, grauate dominus audiuit, tulitq; ægrè.

¶ *Aurora* nomine doctrina euangelij uenit, Esa. 8. cap. Nõ erit eis matutina lux quę illuminat, serenat & consolatur mentes. Aurora deinde ecclesia dicitur, quæ à peccatorum suorum tenebris ad lucem iustitiæ permutatur. Vnde et hanc sponsus, Cant. 6. miratur dicens: Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens.

Aurora præterea mens est, quæ peccati sui tenebras deserens, ad lucem iam erumpit æternitatis. Iob. Si subitò apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis.

¶ *Aurum* pro fide & charitate Psal. 12. Aurum deinde pro oleo. Zach. 4. Quæ euacuant à se aurum, oleum purum instar auri. Item pro uino dilucido & mundo, Hiere. 51. cap. Calix auri puri Babel in manu Domini. Item pro sapientia, Apocalyp. 2. cap. suadeo tibi emere à me aurum ignitum. Et Psal. 71. Et dabunt de auro Arabiæ. Item Aurũ & Argentum simul sumpta, pro sermone & sensu accipiuntur, quæ quum à deo hominibus data sint, ut uel loquantur uel sentiant Deum, & laudent creatorem suum, illi abutuntur hoc munere in idolorum simulationem, iuxta illud Hoseæ 2. cap. Et Argentũ multiplicaui eis, & aurum fecerunt Baal.

Aurum adhæc iustos ipsos & fidei opera durantia, ut ita dicam. Aurum atq; etiam diuinæ sapientiæ præstantiam & æternitatem denotat. Item aurum citra fidei nostræ discrimen, & nõ ineptè quidem, charitatem fraternam depingit: ipsa enim, teste Paulo in Corinthijs, omnia suffert, quemadmodũ et Aurum pluribus incõmodis dispar est, multo magis quàm cætera metalla, de quo Psal. 67. Et scapulę eius in pallore auri. Illic enim portat hæc colũba spiritualis onera fratrũ, peccata, miserias, ignominiã, infirmitates, & quæcunq; non sunt in spiritum sanctum, ut sic adimpleat legem Christi, Gal. 6. cap.

Auro quoq; purioris fidei homines & constantes notantur, ut 1. Cor. 3. Item, Aurea & Argentea uasa apud Paulum 2. Timoth. 2. significant uiros bonos & pietati consecra-

tos: at lignea et testacea significant peruersos homines. Aurũ ab Aquilone uenire, Hiob 37. cap. Ab aquilone aurum ueniet, hoc est, aer mundus & purus, Rabi Abraham: serenitas cœli, instar coloris auri quæ incipit ab aquilone.

Aurum & Lapides pretiosos pro diuinis eloquijs usurpari constat, Psal. 19. Desiderabilia super Aurum, & Lapidem pretiosum multum, hoc est, id omne quod appetere solent homines quod principale sit ad obtinendas diuitias atq; inter cæteros principatum significat. Auri deniq; typus regiæ dignitatis & administrationis, Matth. 1. cap. Obtulerunt Aurum, thus & myrrham, Nam per Aurum & Argentum regna insinuabãtur & adumbrant.

¶ *Azyma*, puritas & simplicitas doctrinæ, & uerbum euangelij est, quo sic reficiuntur credentium corda, ut uires accipiant, calceati in præparationem euangelij pacis. Sic Paulus adhortatur credentes ad agni esum 1. Cor. 5. cap. Epulemur itaq; in azymis, id est, lætemur propter diem domini reuelationemq; euangelij pacis. In Azymis sinceritatis & ueritatis. Quasi diceret. Ideo gaudendum est nobis, quoniam expulso ueteri fermento, doctrina Pharisæorum. Et mortificata carne, cõtigit noua lux quædam nobis, quæ hoc efficit ut nunc synceriter ex animo, sedulòq; gaudeamus, non simulate, sed uerè, sed ex corde & ex animo. Azymorũ panum esus itaq; admonet nos, ut semper abstineamus à fermento impiæ doctrinæ, & impuræ uitæ.

Azymi panes, Christi redemptoris nostri puriſſimam humanitatem intelligunt omnes orthodoxæ fidei patres, quod eam scilicet puram & castã ex sancta & semper uirgine Maria sine omni fermento humanorum adfectuum assumpserit. Item Azymorum dies, ponuntur pro paschate, ut Lucæ 22. & apud alios Euangelistas.

B

Baal & Baalim in Hebræo plerunq; dij uani atque simulachra gentium, eò quod sint domini eorum qui colũt eos. Est enim Baal dominus, magister & maritus, & ut quibusdam uidetur Hebræis, commune nomen deorum gentilium. Nam Hebræi uidentur ista uoce indifferenter uti pro omnibus Gentium idolis, Ad hunc modum seruierũt Baalim, hoc est, omnigenis idolis Gentium. Hinc ponitur pro omni idolo, ut nomine Baal in genere omnem idololatriam significari rarum in sacris scripturis non est. Non enim uocabulum Baal tantum dominum significat, sed ferè accipitur pro adamato, sicut in germanico uocabulo uocemus, Ein bulen, cum significamus inhonestum amorem, ut est apud Hoseam uidere. Vide & Hieremiam cap. 9. & D. Hieronymum in Hoseam cap. 2. Et hoc quoque potissimum nomine, quod Bel siue Baal, siue malis Latinè loqui, Belus, primus apud Assyrios fuerit rex, cui statua est consecrata, à quo ritu deinceps in uulgus idololatria irrepsit: ut nunc à capite totum idololatriæ denominetur corpus, Psal. 105. Rom. 1 cap. Baalim masculinum est, Astaroth fœmininum: & uidentur his uocibus, ut dixi, significari, dij deæq; gentiũ. 1. Samuelis 7. Scriptura passim fœdis nominibus nominare consueuit, quo magis ab illorum cultu auocet. Molestias uocant Hebræi idola, per contemptum scilicet, ut ostendant nihil nisi calamitatem ab illis referri, quum stulti homines salutem sibi ab eis sperent, Psalmo 106. Plura de Tropo idoli.

¶ *Baalzebub siue Beelzebub*. D. Hieronymus iudicat idem esse Beel, & Baal, & sonare Hebræis idolum & Zebub muscam, quasi dicas, idolum muscæ. Vel Baalzebub, hoc est, magister uel dominus muscæ. Fuit autem idolum spurcissimum Accaron urbis Philistinorum, quemadmodum scriptum est in 4. Regum capite 1. Et hoc idolum fuisse Accaronitis, qui sunt quidem in regione Iudeæ, sed impij, ut patet 4. Regum cap. 1. Ite consulite Beelzebub deum Accaron. Et quod significat magistrum seu principem muscarum, aut præcipuam muscam. Iudæi hinc uocauerunt principem dæmoniorum, & malum dæmonem Beelzebub, hoc est, dominum muscarum: uel quod Hebræi seu Iudæi iudicauerint idolum in Accaron fuisse, maximè omnium abominabile: uel quod dæmones sint ueluti muscæ. Sicut enim harum examina circumuolitare solent capita nostra in æstate, & molestiam inferre, ita illorũ exercitus semper nos circũdant, quærentes quem perdant ac deuorent. Item certum est Iudæos per conuitium Beelzebub intellexisse hominem diabolicum, magum, & ex diaboli consortio scientem quidem, sed

eundem

eundem Deo & hominibus abominabilem.

¶ *Babylon* Hebræis confusionem significat. Babylonem Assyriorum urbem, ad ripas Euphratis sitam fuisse perhibent historiographi. Perspicuum est autem colluuiem hominum perditissimorum allegoria scripturæ iudicare, & omnino qualem Philippus ille Macedo instituit Poneropolim, in quam perfidos omnes, perituros, & quicquid est fecis huiusmodi, relegauit. Item Babylonia & Assyria pro toto orbe et uicinis nationibus ponuntur in sacris.

¶ *Babylonis nomina sunt hæc.* Desertum maris, Esa. 21 cap. Onus deserti maris. Mons pestifer, Hiere. 51. Ecce ego ad te mons pestifer, ait dominus. Orbis, Esa. 13. Et uisitabo su per Orbis mala, & contra impios iniquitatem eorum. Vrbs maxima à Plinio & Pompo nio Mela uocatur, & Chaldaicarum gentium caput. Nam ita obtinuit principatum, ut propter eam reliqua pars Assyriæ et Mesopotamiæ Babylonia sit dicta. Mons exaltatus dicitur, Terra Aquilonis, Plena auro, Profundum.

¶ *Baculi* nomine potentiam, potestatem, tyrannidem, regnũ, imperiumq; Baculo significare scripturis per quàm familiare est. Sic rex Ægypti baculus arundineus appellatur, Esa. 39 & 14. 10. Contriuit dominus baculum impiorum. Baculus autem panis capitur pro sustentatione corporis. Sine pane corruit mortalium genus, non aliter ac claudus ablato scipione, Ezech. 4. Contero baculum panis in Hierusalem. Septuaginta firmamentum. Nam hoc est Baculum panis conterere, nempe, inediam ciborum & annonam, penuriam aquæ immittere. Similiter Virgam & Baculum pro uirtute & sustentaculo ponunt Hebræi, ut dicant: Omnis baculus panis contritus est. pro, nullus panis supersit, Leuitici 16. & 26. Cum confregero apud uos baculum panis. Vbi Chaldæus habet sustentationem cibi, Hiere. 48. Baculus fortis, uirga præclara, Psal. 105. Omnem baculum panis fregit, id est, omnem famem, annonam compressit. Ita quum uolũt Hebræi dicere, Omnis commeatus, annona, omne frumentum, omnis copia panis, dicant: Omnis substantia, robur, imò omnis baculus (ut suprà) aut uirga panis: Oseæ 11. cap. Consumptus erat baculꝰ eius. Vel, Consumetur uirga eius, pro, absumetur omnis uis panis eius. Per Antonomasiam enim Baculum pro ui & copia panis Esaias accipit, propterea quod aliàs Baculum panis uocare soleat uim annonæ. Deinde peculiare est Hebræis ut Panis uocabulo omnem commeatum & annonam intelligant, Aquæ uerò potum. Id autem fermè quoties coniuncta sunt Panis & aqua. Aliàs non itidem, sed in loco. Baculus interdum pro diuinatione, Hoseæ 4. cap.

In Baculo transire atqui tropus est qui habetur Genesis 32. In Baculo meo transiui Iordanem: Quo tropo intelligunt Hebræi nudum, pauperem & inermem eum transisse Iordanem. Metaphora sumpta ab eis, qui bello capti, nudi & inermes, post se relictis omnibus armis et machinis amandantur, Germanicè uocant Am stab uffgeben, oder mit blosem stecken dauon ghon. Tenuis enim & pauper in Mesopotamiam uenerat, diues & locuples in patriam reuertitur. Et is locus facit ad intelligentiã huius quod in Marco capite 6. dicit Christus, Ne uidelicet Apostoli quid præter uirgam tantum in uia gestarent, quum tamen in Matthæo, eis baculo interdixisset. Vult enim Christus utrobique ut nudi, & inermes expediti legationem & prouinciam hanc obeant. Symbolum ergo paupertatis est baculus, etiamsi quis non gestet baculum. Sic etiam Germanicè dicimus, Der ist am bettelstab kommen. Sich an stab uffgeben, hoc est, ad extremã paupertatem uenit & pauper euasit.

Baculus porrò arũdineus, & Aranearum tela comparantur fragilitati humanæ: nam fortia quæque in mundo, quid aliud sunt, quàm Baculus arundineus? cui qui innixus fuerit, intrabit in manum eius, Esa. 36. Similiter pro fiducia humana capitur illud apud Hiob 8. cap. Domus araneæ fiducia eius.

Baculus roboris rex est in regno, Ezechielis 19. cap. Nam Nabuchodonosor populũ contriuit, et in nihilum redegit, ablato rege Sedechia, qui per baculũ roboris intelligitur.

Baculus uigilis apud Hieremiam cap. 1. est symbolũ pœnæ, der vvechter kolb. Hebræi cum Septuag. exponũt Baculus amygdalinꝰ, eò quod acceleratura sit ultro sicut amygdalus nomen accepit: ab accelerando dicitur, eò quod præ aliis floribus floreat.

¶ *Baltheï* appellatione seu uocabulo, regni administratio & gubernatio uenit. Esa. 45. Ponam Baltheum in lumbis tuis, et tradam tibi administrationẽ regni, ante quàm cognoscas me. Baltheus auro ornatus, militare insigne est, quo significari solet strenui-

tas in obeundo suo munere, ut nihil frigide & segniter agat, Apocalyp. 1 cap. Sic et Christus multis scripturæ locis, strenuus antagonista in uindicando è manibus aduersariæ potestatis suo populo prædicatur, Psal. 45. 93. Esa. 11. Baltheum uerò militibus adimere, timidos illos & fugitiuos ostēdit. Lumbos aperire inimicorū Esa. 45. est infirmos & imbelles facere, ita ut repugnare nequeant, & sint effœminati. Proinde in scripturis Euangelicis, accingi lumbos, strenuitatis symbolum est. Et quemadmodū Baltheum uel zonam non aperire, strenuitatis ac roboris signum est. sic Baltheum uel zonam militi, ignominiosum est. Vnde et Scipioni Africano (quamuis falso delato) fraudi uertebant aduersarij, quod solutus & fluxus sectaretur balneas: quod militem, & eò magis ducē sem per instructum esse oporteat & accinctum. Hinc & nobis mandat dominus, ut lumbis simus semper accinctis, ad opus euangelij expediti. Esa. 5. Neq; soluetur uel aperit baltheum lumborum eius. Vide in tropo zona.

¶ *Baptismus* uox petita à Græcis, Latinis est tinctio, & Baptizare tingere, quo uerbo libenter utitur Tertullianus, Nam *βάπτω* significat intingo, & *βαπτίζω* immergo, & per Tropum abluo ac lauo. Est autem Baptismus actio sacra diuinitus instituta, qua dei populus aqua in nomen domini tingitur, qua tinctione in gregem Christi, & ordinem in nouandorum spiritu, recipiuntur, qui tinguntur, & habetur signum Christianorum. Adpellatur hæc tinctio, signum pœnitentiæ & mortificationis carnis atq; regenerationis, Ioan. 3. cap. Nisi quis renatus fuerit ex aqua. Marci 3. cap. & Rom. 6. Col. 2. cap. 1. Cor. 15. Quum baptizamur, & Ioannis et Christi baptismo baptizamur, id est, mortificamur: & mortificatis remittuntur peccata. Cæterum Ioannis officiū propriè est prædicare pœnitentiā, Christi propriè est remittere peccata, Marci 2. cap. Baptizari ergo, est in nomē Domini cōsignari & inseri in auxiliū, potentiam & gratiam dei, nomine dei nominari, id est, de familia eius censeri. Et Baptizari in nomine domini, est ex cōmissione & iussu domini tingi. Et quum Baptizari aliud non est quàm perfundi, aut tingi aqua, ergo Baptizari baptismate (ut habetur Matth. 20.) est adfligi, pati, cruciari, nam adflictiones in sacris etiam per aquas & aquarum inundationes significantur, ut suprà habuimus. Vsurpatur similis loquutio apud nos in nostrate lingua. Dicimus enim, Dem ist ein bad uber thon, der musz baden, oder das bad usztragen. Hoc est, paratum est illi malum, quod in ipsum effundetur. Hinc Baptismus crucem siue calicem passionis dominicæ & mortem eiusdem signat, Marci 10. capite. Potestis baptismo, quo ego baptizor, baptizari? id est, supplicium mortis sufferre? Et Lucæ 11. capite, Baptismo habeo baptizari, & quo modo coactor usque dum perficiam, id est, patiendum mihi est pro salute generis humani, id quod summè desidero. Per Baptismum symbolicos intelligit passionem & mortem. Hoc autem nouum nō est, quod passionem suam Christus poculum, calicem denique & baptismum appellet. Frequens enim mentio est Babylonici calicis in prophetis, quo significarunt adflictionem, calamitates, clades strages; inferendas per Babylonios.

Baptismi uocabulum non semper pro aqua uel supplicio tantum capitur, sed pro doctrina & baptismo simul, pars pro toto: sic sæpius Baptismus pro tota religione accipitur. 1. Petri 3. capite. sic Marci 16. Hinc & Matth. 21. cap. Per Baptizari, totum catechizari et ecclesiæ incorporari est. Sic Actorum 19. capite. In quid ergo Baptizati estis? vvie seind ir dan berichtet vvoryn? At illi dixerunt: In Ioannis baptisma, &c. Non inquit, in quo baptizati estis, sed in quod doctrinæ genus imbuti estis? Sic Actorum 18. capite, Apollon duntaxat sciuisse baptismum Ioannis, id est in doctrina Ioannis fuisse institutum. Hi ergo ad doctoris morem, & ipsi Ioannis baptismum, id est, doctrinam iactant, Ioannes inquit, baptizauit baptismum pœnitentiæ: exponit qualis fuerit doctrina Ioannis. Hinc apparet Baptizare sæpiusculè pro docere accipi, ut Marci capite 1 Baptizantur omnes, hoc est erudiebantur, docebantur in Euangelio, quod & apud rebaptizantes conuincitur. Et Marci 11. capite pro toto negotio doctrinæ & baptismi quod gerebat Ioannes. Et cap. 1. Baptizabat omnes, pro toto negocio quoq; euāgelio sumitur, quemadmodum & D. Petrus in epist. ubi dicit baptisma nos saluos fieri. Ideo & pro fide accipitur 1. Petri 3. Cuius signum referens baptismus, nos quoq; nunc saluos reddit, non depositio sordium carnis. Nam sola fides nos saluos reddit. Nec mirum hoc est, aut inusitatum Apostolis, ut scilicet signum pro signato accipiant, Paulus enim cum crebro id faciat, apertè tamen in Romanorum epistola.

Ergo

Ergo hæc suprà enumerata non de Baptismo aquæ, sed baptismo doctrinæ sunt intelligenda. Sic illi duodecim Actorum 19. cap. respondent Paulo se Ioannis baptismo tinctos esse, id est Ioannis doctrina imbutos. Sumitur pro omni functione & actione institutione q̃ Ioannis. 1 Cor. 10. cap. Omnes baptizati in mari rubro, hoc est, docti, instituti, informatiq̃. Ioan. 3. cap. Christus baptizauit, hoc est docuit. & cap. 4. Christus nõ perfudit & intinxit aqua.

Baptismi nomen præterea accipitur pro emundatione, per Metalepsim, Hebræorum cap. 6. Nam in nono capite palàm est Apostolum baptismata prorsus in hanc accepisse partem, dixisseq̃ ista uelut iustificationis carnis, usq̃ ad tempus correctionis imposita. Item lotio externorum, Marci 7. cap. Baptisma calicum & urceorum. Item Baptismus pro communicatione 1. Cor. 10. cap. potest accipi. Et omnes, inquit, in Mosem baptizati sunt. Nam baptismus participes nos morti Christi facit. Theodoretus ὑ κοινωνίαν, id est, societas, communicatio.

Baptizari in Christum uel in mortem eius, nihil aliud est quàm initiari, astringi, ad id quod pristinæ uitæ mori atq̃ nouam in fide uitam per Christum debeamus uiuere, Rom. 5. cap.

Baptizare in nouo Testamento ferè pro initiare & inaugurari accipitur, ut Marci 16. cap. Baptizate eos, id est, initiate eos Christo, atque inserite in nomen patris, filij & spiritus sancti, id est, in cognitionem, potentiam & uirtutem patris, filij, & spiritus sancti, eos aqua & doctrina inducite.

Baptizari spiritu sancto & igni, Matth. 3. Intelligit autem per spiritum sanctum omnes cœlestes thesauros, omnia Dei excellentia ac salutaria dona, quę in nos transfundit dominus, sicut transfudit in Apostolos Actorum 1 & 2. cap. Nam Baptizare est transfundere & conferre. Ignis symbolum est purgationis & amoris. Nam in lege Numer. 31. dicitur, Omnem rem quæ uenit per ignem, traducetis per ignem & purgabitur. Et Psalmo 66. Porrò tritissimum est in sacris & prophanis literis ignem usurpari pro amore. Baptizat ergo Dominus igni, id est purgat nos, confert nobis remissionem peccatorum & amorem Dei & inter nos mutuam. Hic est qui corda nostra spiritu suo transformat, igni rapit ad cœlestia.

Baptismus, in summa, in scripturis quadrifariàm sumitur. Primò actionem istam externam, qua in aquam immergimur, significat. Matthæi 3. Ioannes baptizabat in Enon prope Salem, ibi enim erant multæ aquæ &c. Secundo pro illustratione hominis interna, qua spiritus ueritate attracti Deum agnoscimus, & illi firma fide constantia adhæremus, accipitur, ut Actorum capite primo colligere potest. Ioannes baptizauit aqua, uos autem baptizabimini spiritu sancto, post hos dies non multos. Nam ignis baptismus nihil aliud est, quàm donum spiritus sancti. Igne enim solus Christus baptizat, Solus enim confert spiritum sanctum. Tertio Baptismi uocabulo externam humanæ salutis doctrinam, & externam illam, quæ per aquam fit, corporis ablationem, scriptores sacri intelligunt, quod ipsum Ioannis Baptistæ uerbis demonstrari potest, qui inquit, Ego baptizo aqua &c. Constat non solum baptismum illis, qui nondum fidem edocti erant, collatum fuisse, uerumetiam doctorem egisse & uerbum Domini annunciasse. Quarto Baptismi uocabulum pro externo tinctionis signo simul & fide hominis interna, pro baptismo, inquam, ignis & spiritus, id est pro toto Christo uel uniuersa Christianæ religionis & salutis administratione accipitur: quod ipsum ex Petri uerbis patet 1 Petri 3.

¶ *Basan, Carmelus, Libanus*, regionem uberem & montibus consitam designant. Nahum primo capite, Infirmatus est Basam, & Carmelus, & filios Libani elanguit. Et crebro templum quod erat inclitum atque sublime Libanus adpellatur. Zach. 11. Aperi Libane portas tuas & concedat ignis cedros, Ezech. 17 cap. Venit ad libanum, & tulit medullam cedri.

¶ *Barba, Eiulatus, Lachryma, Caluitium, Saccus.* Hæc non pœnitentiæ sed miseriæ Iudicia. Nam Barbæ & Capitis rasura signum fuit apud Iudæos adflictionis & calamitatis, Esaiæ 15. cap. Et super Medeba Moab eiulabit, & in omnib. capitibus eius caluitiũ, omnis barba detõsa. In triuijs suis accinxerũt saccũ. Vnde quũ Paulus uoti se reũ simularet, tonsus est. Ex hoc constat patriũ illis morem fuisse in luctu caput radi, barbam tonderi.

Barba enim ornamentum erat uiri, hodie apud nos lugentes fouent barbam, & comã negligunt, apud Iudæos uero luctus signa erant.

¶ *Barbari* nomine intelligunt Hebræi omnem linguam, quæ non est Hebræa. Sicut Germani omnes extraneas linguas uocant vvelsch. Psal. 114. De populo barbaro: intelligit populum Ægyptum. Hinc omnem sermonem ignotum pro tempore ecclesiæ Pauli Barbarum uocabant, ut uidere licet. 1. Cor. 14. Si ego nesciero uirtutem uocis, ero ei cui loquar barbarus, id est, ignotus & qui mecum loquitur barbarus. Nam ueteres Barbarum appellabant quicquid erat peregrinum: Deinde uox deflexa est ad uocis & sermonis absurditatem. Offendit enim sermo peregrinus imperitos, etiamsi concinnior sit nostrate. Postremo cœpit accommodari, & ad mores feros atq; asperos. Olim Græci illi primum Hellenes dicti, cæteros omnes barbaros appellabant. Homerus Cares, ob peregrinum & absurdum linguæ sonum βαρβαροφώνους appellat. Et Ouidius apud Getas agens, sic inquit Barbarus: hic ego sum, quia non intelligor illi. Et Plautus ait se uertisse barbare Græcam fabulam, quam in Latinum sermonem transtulerat. Item Græcus & Barbarus pro qualibet gente. Rom. cap. 1. Græcis & Barbaris, ac mox Iudæo primum & Græco.

¶ *Battologia* est, quum sine mente & spiritu ore tantum innumera uerba euomimus, hanc Battologiam reiecit ac damnat Christus. Matth. 6. quia oratio uera nihil aliud est, quàm eleuatio in Deum, ut Exodi 14. cap. de Mose & de Anna 1 Regum 1. cap. Quæ oratio partim fidei est signum, partim mendicitas quædam pro nostra necessitate.

¶ *Behemoth* significat omnes ingentes & immanes bestias, sicut Leuiathan omnes immanes beluas piscium, sed sub illis describit scriptura & præsertim Iob. 40 cap. potestatem & potentiam diaboli & familiæ eius, turbam scilicet impiorum & Antichristi. Est autem Behemoth Hebræum nomen pluralis numeri, cuius singulare est behemah Latine animal aut bestiam significans, Behemoth uero multitudinem animalium terrestrium, aut si mauis ingentes bestiarum moles, Græcus uertit θηρία, id est, feras.

¶ *Belial*, dictio in scripturis frequens Hebræis, dicitur significare maliciam, scelus, rem prauam, licet ferè ubiq; iniquitas transferatur, idq; impropriè. Vnde filij Belial, id est, maliciæ, nihili & perditi homines, uiri Belial dicuntur, Deut. 15. & Iudicum 14. Germanice, Bœse bubend die keyn nutz sind. Dicuntur filij Belial, qui semper ex aduerso nituntur, quicquid omnibus placet, hoc displicet illis. Sic & Hebræi per Belial hominũ peruicacem, & qui est perfricta fronte, quasi absque utilitate, uel absque iugo legis diuinæ uox Hebræis componitur. Etymologiam habet à Bli, id est, non, & Iaal, id est, proficit, ut qui ad nocendum alijs tantummodo uiuunt. Inde impositum est, & diabolo nomen Bli Iaal, quem Belial dicimus. Sic alibi pro Belial, homo apostata legitur, ut Prouerb. 6. cap. Videtur quoque Paulus uocem Belial posuisse 2 Corin. 6. pro ipsa Satanæ siue diaboli uoce. Certe Hebræis dicitur de rebus nihili, uel iniquis, ut Psal. 101. Non ponam in conspectu oculorum meorum uerbum Belial. Item de hominibus inutilibus nequam (ut suprà citatum est) & diabolicis, sensu, timore Dei rationeq; carentibus, lose leichfertige menner vnd leutte. Sic & Semeius Dauidem regem in exilio uersantem legis uocatum Belial filium, hoc est, hominem impiũ, bonis legibus aduersum, hostem publicæ honestatis, uiolentũ, & iniquitatis assertorem constantissimũ. Plura uide apud D. Hieron. in Epist. Pauli ad Eph. Postremo de torrentibus iniquitatis, & fluminibus Belial, unde Psal. 18. sunt enim persequutiones, impetus & exercitus dæmoniorum, & quotquot iugum Christi detractant.

¶ *Bellum deum fluere*, est iniqui uitam districtis sententijs desuper ad interitum urgere, Hiob 20. Est etiam superbientia contra se corda percutere.

Bellum ex aduerso, & post tergum contra se. Septuaginta à fronte & à tergo. 1. Paralip. 19. Eodem capite accipitur saluare, pro eo quod est in prælio laboranti suppetias ferre. Belli facies est ad me, ante & retro. Vbi noster Hieronymus Bellum ex aduerso. Ad Bellum egredi, Numer. 1. cap. Id est, quotquot obire possunt militiam.

¶ *Benedicere*, Hebræis est Barach, & uarie utuntur, quod Latinus dicit Benedicere. Tropus satis elegans, Hebraicæq; linguæ familiarissimus. Aliquando autem idem est, quod beatum, felicem, prosperum ac fortunatum reddere: ut Genesis 12 cap. Faciam te in gentem magnam, & benedicam te, id est, beatum & fortunatũ te reddam: ich vvil dich gluckhafftig machen, beschereñ, berathen, reich begaben. Et 28. Det quoq; tibi

Bene-

Benedictionem Abrahæ, id est, feliciter & saluum faciat te. Nonnunquam scripturæ Benedicere, idem est quod commendare, laudare, dona optare, bene loqui, & precari, Genesis 14. Et bene dixit, id est, laudauit et ueritatem eius commendauit. Et Genesis 26. Et benedicat anima mea, id est, ut tibi ex animo benedicam quemadmodum tibi ex animo bene uolo ac cupio, ita tibi benefaciam. Et 24 cap. Et imprecantes prospera sorori suæ. Hebræus dicit. Et benedixerunt eam, Sie hand sie segnet vnd begnadet. Benedicere interdum est idem quod locupletare, fœcundare seu fœcundum reddere, multiplicare, augmentare uim gignendi. Nam cum Dicere sit Deo, idem quod facere, sicut scriptum est: Ipse dixit, & facta sunt, sequitur Benedicere, esse benefacere: sic Genesis 1 & 9. Benedixit Deus Noah & filios eius, & dixit ad eos: Crescite & multiplicamini &c. Benedixit inquam, id est, fœcundos reddidit. Erat enim Noah seminarium & noui & futuri seculi, Gene. 28. Benedixit ei dominis & creuit uir: Latinus dicit. Et locupletatus est. Et Psal. 131. Venationi seu annonæ benedicam, & pauperes eius saturabo panibus. Et Numer. 6. cap. Benedicat tibi Dominus. Vnde usitata est scripturæ hæc forma sermonis, Da mihi bene dictionem &c. Id est, da mihi boni aliquid, cibum, uictum, uestes. Quomodo & Paulus piorum eleemosynas datas ecclesiis difficili tempore uocat Benedictionem. 2. Corinth. 9. Benedictio, hoc est, dei fauentis Domini, quod ab ipso benedicente & largiente accipimus.

Benedicere præterea pro magnificare, donare, efferre positum reperimus, ut Genesis 2. cap. Benedixit diei septimo, id est, magnificauit, donauit, celebrauit, hunc septimū diem singulari laude extulit. Pro benefacere ac honorare, Genesis 12. Benedicam benedicentibus te uel tibi: Germanice, der dir gutz thut. Pro mandare, quod solemus abeuntibus & eis quos amandamus, hoc est, extremum ualedicere, simul'que fausta omnia imprecari, Germanice, Ein abscheid machen, genaden oder gesegnen. Optare aut precari bona, prospera abeuntibus, Actorum cap. 1. Nec plura loquutus, benedixit, id est, ualedixit suis, & cœlos ascendit. Gene. 28. Et Rebecca uocauit Isaac. Pro laudare deū, et gratias ipsi agere. Vnde pluribus locis scripturæ utrunq; pro eodē usurpatur, id quod claret ex Matth. 14. 26. Mar. 4. Lucæ 14. cap. Græci Benedicendi uerbum, pro lætandi atque gratulandi interim accipiunt, ut Iudicum 8. Si ergo recte & absq; uitio egistis cum Hieroboam & domo eius, hodie lætamini, Hebræi Barach, Græci uero εὐλογηθέητε. Pro amice compellare, & magnifica polliceri. Gene. 48 cap. Deus benedixit mihi, id est, magnifica recepit, & præstitit quoq;. Pro salutare, Genesis 47 cap. Benedixit Iacob Pharaonē, pro salutauit enim, salutemq; imprecatus est ei. Pro prophetare, Gene. 9. Benedictio enim Noah nihil aliud est quàm prophetia, Gene. 32. Non dimittam te nisi benedixeris mihi, hoc est, agnoscas me uictorem, uictumq; te fatearis. Latinus herbam dare & manus dare dicit. Cicero: Ad extremum det manus, unicuiq; se patiatur.

Benedicere atqui pro laudare, gratulari, collaudare & gratias agere, Genesis 14. Melchisedech collaudauit Abraham (solebant enim non modo Romani, sed & reliqui populi loco gratiarum actionis eum pro publica concione laudare, qui se pro publica salute obiecisset discrimini) & dixit, Benedictus Abraham de excelso, Et Genesis 47. Introduxit Ioseph patrem suum, & statuit eum coram Pharaone. Iacob enim benedixit Pharaonem, id est, salutauit, collaudauit regem, ac gratias pro tot beneficijs egit. Et Genesis 27 cap. Benedicens illi, dixit, Tu es filius meus Esau. Similiter Psal. 104 pro prædicare, quod idem est quod laudare, Benedic, inquit, anima mea Domino, hoc est, prædica, seu lauda si quid boni in te est, adscribe. Sic & Psal. 49. Benedici positum est, pro rerum copia affici, pro gratias agere & laudare. Quia, inquit, anima eius in ipsius benedicetur. Hinc 1. Corin. 10. Benedictionis poculum siue calix, hoc est liberalitatis & munificentiæ, quo benedicimus & laudamus beneficentiam, quo gratulamur de morte Christi saluberrima, quo & gratias agimus Deo patri per Christum: ut Benedictionis calix siue poculum, idem quod gratiarum actionis. Græci habent εὐλογίαν, Hebræi Barach.

Contrà, Benedicere per Antiphrasim, idem est quod maledicere. Talis enim mos apud ueteres fuit: tam inuisæ illis enim erant blasphemiæ, ut eas suo uocabula nominare abhorrerent, idq; per contrarium uerbum nonnunquam exprimerent. Sic Iob 1. cap. Ne benedixerint filij mei, hoc est, maledixerint, uel impudenter ingrati fuerint, & ad iracundiam prouocauerint, ut Chaldæus habet. Et 4 Regum 21. hanc contrariam

significa-

significationem habet. Sic & nos Germani morbos, quos maxime abhorremus, honestis nominibus appellamus, ut leprosos, die guten leute, tactos paralysi uel apoplexia tactos bono. die das guot hat troffen. Laborantes chrysipila, habentes pulchritudinem, sie hand die schœn.

Benedicere deum autem, est eius magnalia confiteri, Psal. 105. Benedic anima mea domino, domine deus meus magnificatus es uehementer. Benedicere Deum cœli, est gratias agere, Danielis 2 cap. Et benedixit Deum cœli: Benedicere nomen Domini, est illi per psalmodiæ gratiam supplicare, Psal. 144. Exaltabo te Deus rex meus, & benedicam nomen tuum in seculo & in seculum seculi. Benedicere Deo excelso Gene. 14. pro gratias illi agere de uictoria data Abræ. Et 24. cap. Benedicens domino deo, id est, gratias agens domino deo. Benedicere in opera manuum tuarum, Deut. 1. cap. Hebraismus fuit tibi in omnibus quæ gessisti consilio suo, non tuo. Benedicat tibi deus, Hebraismus elegans, Numer. 6. Id est, det tibi Dominus copiam omnium bonorum temporalium & spiritualium. Hoc enim significat Benedictio apud Hebræos.

Benedicere ad hæc benedictionibus cœli, desuper, benedictionibus abysi iacentis deorsum, benedictionibus uberũ & uuluæ, Gene. 49. Id est, habitabit in terra fertilissima ob frequentes pluuias & rores de cœlo, agros irriguos, & copiosos frugum prouentus. Fœlix erit præterea gregum & liberorum copia. Abyssum uocat mare. Quasi dicat, Dabit tibi tempestiuam & opportunam pluuiam. Alludit ad nubes quæ excitantur sursum è mari. Benedicere alicui quomodo dicatur deus, Exodi 12 cap. Benedicite mihi. Chaldæus paraphrastes, Orate pro me, Ne scilicet moriar. Et Deut. 24. Benedicat tibi. Id est, bene precetur tibi. Benedixit deus animalibus, Gene. 1. Hoc est, dedit illis fœcunditatem uerbo suo. Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi. Gene. 12. cap. hoc est, fauebo amicis tuis: at de inimicis tuis sumam uindictam.

Benedicere panibus, Exodi 23. Vt bene dicam panibus & aquis tuis. Id est, dabo tibi cibum & potum cum magna abundantia. Benedicere fructui, uentris tui Deus, Deut. 7. Id est, fauebit liberis tuis, tuebitur liberos tuos, magna copia prouenire faciet frumentum tuum, uinum, oleum &c. Benedicere postremò in nomine domini, Deut. 10. cap. Id est, ut bene precaretur populo, inuocato nomine domini.

¶ *Benedictionis* nomen frequens in sacris literis, pro eleemosyna, Rom. 15. cap. usurpatur. scio enim quod quum uenero ad uos in plenitudine benedictionis euangelij Christi uenturus sum. Aliquando λογίαν, hoc est, collectionem appellat. 1. Cor. 16. cap. De collectis autem erga sanctos. Conuentum autem adpellat collectionem. Nam apud Hebræos gratuitum aliquod beneficium etiam benedictio dici, 2 Cor. 9. ut supra commemoratum est. Et studium inquit, uestrum prouocauit complures, græce benedictionem hoc loco, ait, uult intelligi beneficentiam, non manum motam. Nam ante λογίας, id est, collectiones eleemosynas uocauit, hic easdem εὐλογίας uocat à λέγω, colligo, uelut à bona benigna q̃ collectione, dictam. Poterat ergo εὐλογία uerti munificentia, largitas, collatio liberalis.

Benedictionis nomen sæpenumero pro munere & dono. 4 Regum 5. Et nunc accipe obsecro Benedictionẽ à seruo tuo. 1. Samuelis 30. cap. Ecce uobis benedictio de præda inimicorum domini. Et 1 Samuelis 25. cap. Ait Abigail: accipe benedictionẽ, hoc est, munus oblatum. Geneseos 33. cap. Sume benedictionem quam tibi attuli. Et Paulus ad Corinth. εὐλογίαν, pro dono, ut dictum est, alicubi usurpat.

Benedictionem Malachias propheta cap. 2. sacerdotium adpellat. Et maledicam, inquit, benedictionibus uestris. Per diuinam gratiam enim acceperunt. Pro subiectione, ut Esa. 36. cap. Facite mecum benedictionem, id est, subijcite uos mihi. Item Benedictionem dei in scripturis frequentissime legimus esse beneficentiam ac liberalitatem. Nam in Dicere (ut supra enumeratum est) in deo sit quod facere, consentaneum item erit Benedicere, benefacere intelligi. Vnde illud, Benedicens benedicã tibi, & multiplicabo te. Hinc & illæ tam crebræ cœlitus patribus factæ in lege antiqua Benedictiones Abrahæ, Isaac & Iacob, Ioseph item. Hinc rursus translatũ putant quid ad homines, ut superioris Benedictio pro bona imprecatione, felici q̃ omine accipiatur, Psal. 3. Domini salus, et super populum tuum benedictio tua.

Benedictionis uocabulũ interim ꝓ multiplicatione, Gene. 1. cap. usurpat et alibi. Psal. 106. 144. profectũ et multiplicationẽ sonat, ut: Imple omne animal benedictione, ut sit quas

quasi eleemosyna, & beneficium Dei. Est enim beneficium Dei, beneficentia eius. Sic legimus quoq; de Ioseph, quod Deus benedixerit illi in omnibus, id est, rem suam augmentauerit, multiplicauerit, beneficia præstiterit. Hinc Hebræi Benedictionem pro copia & opibus accipiunt, Gene. 3. & Deut. 12. cap. Benedictionem, id est secundum opes tuas. Et Genesis quoq; pro abundantia cap. 1. Et benedixit animalibus. Id est, dedit fœcunditatem illis uerbo suo. Hinc Benedictionis nomine filiorum procreatio & generatio uenit. Dei enim donum est, non munus humanæ naturæ ut Gene. patet. Et Benedicam ei uel eum. Est præterea reperire quod Benedictionis nomen in multis scripturæ locis passiue accipitur, Genesis 12 cap. Eritq; benedictio. Sic enim Hebræus habet. Quod noster dicit, Erisq; benedictus. Sic Esaiæ 19 cap. Israel in medio terræ benedictio, cui benedixit Dominus. Et 65. cap. Quomodo si inueniatur gratiam in botro, & dicetur, ne dissipes illud, quia benedictio sit.

Benedictio & misericordia, Psal. 24. Accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo, sicut sæpe aliàs, in Deo idem sunt atq; idem significant: cumulum donorum, quibus gratis cœlitus dicamur. Item pro gratia & beneficentia, Esa. 36. Facite mecum benedictionem, id est, hanc apud me gratiam ineatis. Benedictio insuper pro omni felicitate & prosperitate ponitur in corde, animo & fortunis. Execratio siue Maledictio, pro omni sterilitate, calamitate & miseria siue infelicitate, ut Deut. 28. & 11. cap. En propono in conspectu uestro hodie benedictionem & maledictionem. Id est, felicitatem & infelicitatem &c. Hinc Benedictionis uocem omnia felicia & bona à Deo nobis concessa ueniunt, ut Psalmo 3. Super populum tuum benedictio tua, hoc est, Tu Deus populum tuum tibi fidentes, seruare soles bonisq; cumulare.

Benedictionis nomen reperitur quoque etiam in malum positum, ut pro uerborum suauitate noxia, & blandiloquentia ipsa, quibus corda simplicium seducuntur à uia ueritatis. Sic paulus Rom. 16. cap. adhortatur eos obseruandos, qui per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium.

Iam ex superioribus luce clarius est, quid sit in Benedictionibus seminare, nempe simpliciter, generaliter & large benefacere, eleemosynas abundanter erogare, & bona nostra ubertim fratribus nostris communicare, ut & ipsi de Benedictionibus metemus, opima præmia fidei nostræ reportantes. Sic enim in contextu Pauli præmittitur: Qui parce seminat, parce & metet. Est & benedictio spiritualis, quæ æterna ac cœlestis dicitur, qua Deus pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos omni benedictione, Psal. 22. Quoniam dabis eum in benedictionem in seculum seculi. Suntq; bona & dona cœlestia, ipsaq; spiritus sancti uaria charismata, quibus in Deo & erga proximum indies magis atque magis proficimus atque crescimus: nimirum fide per dilectionem sese exercente.

¶ *Benedictus deus*, familiaris & communis Tropus scripturæ est, idem est quod laus & gratiarũ actio sit domino: nam sic benedictus deus, sic sanctus, qua benedicit & sanctificat. Et Paulus exorditur epistolam ad Ephesios, Benedictus deus, id est, sit laus deo, gratias ago deo, Psal. 33. Benedicam &c.

¶ *Benefici*, Celebre fuit Hebræis, duces & principes suos Beneficos, siue seruatores uocare, ut in Euangelistis uidere licet, præsertim Lucæ 22 cap. reperies, ubi Christus ipse dicit, eos qui in potestate sunt, beneficiorum nomina sortiri. Et Esa. 13. cap. Ingredietur portas beneficorum. Quales etiam Romani Patres patriæ adpellabant, dum id uirtute meruissent. Nam duces siue principes adhoc præsunt, ut beate ac feliciter iuuat populus. Vsurparunt id uocabuli sibi Reges quidem Ægyptij, Euergetes dicti. Gaudebant enim salutari Benefactores. Sic habet Lucas cap. 22. Et qui potestatem habent in gentes & subiectos, εὐεργέται uocantur, nimirum munifici ac benefactores. Aliàs liberales sunt Prouerb. 11. cap. Beneficus animam suum ablactat. Hinc etiam Misericordes, & est apud Lucam, & apud Matth. 5. Eritis igitur uos perfecti: perinde est ac si dixisset, eritis Benigni, uel beneuoli, Et quod Hebræi Hasidim, id est, benefici quod significat accumulate benefaciendum esse propensos, singulariq; studio copiose demerendum. Nam qui raro ac egregio beneficio se affectũ à domino uel homine uoluit significare, eũ memorat scriptura dicere solitũ, Fecit mecũ misericordiã, quod tamen perinde est, atq; effecit me singulari beneficio, magnifice suã erga me beneuolentiã declarauit, iuuit egregie. Hinc quoque Benefacere, pro beneficio afficere, Mar. 3. Et Beneficentia idẽ quod misericordia. Beneficentia

neficentiã & Eleemosynam nouo ueluti more χάριν appellat Paulus 2. Cor. 8. cap. Ex gratia enim emergit beneficium, sed & ipsa misericordia gratia quædam est. Nam Beneficentia bonorum operum nomine sæpiuscule in scripturis intelligitur. Est & proprie Beneficentia Dei redundans, et ut Apostolus dicere solet, Diuitiæ diuinæ bonitatis. Et Oseæ 2. & ut infra patebit. Benefacere gressum, id est, bene ingredi. Idiotismus Hebraicę linguæ. Alibi Beneficium, misericordia, pietas, probitas & sanctitas appellatur.

¶ *Bestiarum* nomine regna, imperia, reges, potentes, ut Assyriorum & Persarũ adumbrantur, Esa. 56. Omnes bestiæ agri uenite. Et 43. cap. principes, in genere mundi denotant, ut patet quoq; Danielis cap. 6. & 8. Et omnes bestiæ non stabant coram ipso, id est, nulla regna obstare regibus Persarum poterant. Bestiæ uero agri, salutem interdum in literis sacris significant, ut Esa. cap. 43. Glorificant me, inquit, bestię agri. Interdum uerò Bestijs agri adsimilantur tyranni & milites, Iob 5. cap. Bestiæ terræ Geneseos 4. cap. intelliguntur feræ, ut animalia quæ carnibus nescuntur, ut lupi, leones. Et uocem Bestiarum (inquit Augustinus de Genesi ad literã) omne irrationabile animal generaliter significare. Vide ipsum Augustinum.

Bestiæ feræ, dictæ gentes sunt, quia semper meditabantur bella, sanguinem effundebant, Esa. 11. cap. Et habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo ambulauit. Bestiæ autem cicuratæ, gentes efferas in Biblijs significant, in mansuetudine uerbum fidei suscipientes, aggregantes se unitati ecclesiæ. Bestijs obijci habebatur tempore Pauli maximum suppliciorum, ut etiam patet ex Daniele. Et 1. Corinth. 15. Si secundum hominem cum bestijs depugnaui, hoc est in capitis discrimen conijcere. Olim solebãt damnati bestijs obijci, ut liquet ex historia Danielis. Fortasis per supplicium istud præsentissimũ intellexit maximum capitis discrimen, quale fermè illud fuisse conijcimus, cuius mentio fit in Actis cap. 19.

¶ *Beneplacitum* seu uoluntas pro amore usurpari uides, Psal. 147. Beneplacitum seu uoluntas est Domino super timentes eum, & in eis qui sperant in eo. Neq; in tibijs uiri beneplacitum erit ei. hoc est, Non illius inquit amor in his transitorijs.

¶ *Beth* In significat Hebræis, quod & Ablatiuo & accusatiuo iungi potest, ut Lucæ cap. 1. In prudentia uel in sensu iustorum, Hebraismus est, pro in prudentiã iustorũ, בְּ pro בְּ. Et Beth idem quod per, Psal. 31. In iustitia tua libera, id est, per. Psal. 38.

¶ *Bibere*, hoc uerbum apud Hebræos tantum nonnunquã significat, quantum alijs rapere, spoliare, ad se trahere. Sicut Abacuc cap. 1. de Nebucadnezar ingentẽ bibulũ arguit & culpat, ut qui omnes terras, ebibat, spoliet, expilet. Ecõtrario Abacuc 3. cap. & alibi Bibere idem significat quod aduersa pati, & infundere, aut propinare tantum quantum punire, torquere, adfligere, ac nullis non plagis adficere. Hinc Psalterij commune uerbum profluit. Calix domini, & Calix eorum plenus sulphure, Esa. 51. cap. Feces bibere et exugere, est exantlata esse omnia mala. Similiter Bibere poculum, est perferre malũ, adfligi & cruciari. Nam & in Euangelio legitur: Pater si non potest hoc poculum transire à me, nisi bibam illud, fiat uoluntas tua. Hic enim sensus est, Quando ita comparatum est, ut non possim liberari à malis, & morte impendente, adeoq; patiendum sit omnino: age, fiat quid fieri debet. Ergo bibere poculum, symbolum est passionis: sicut Baptizari, ut patet in Luca 12 cap. superius de hoc disseruimus.

Bibere itaq; de eodem poculo, poni uidetur, pro eo quod est mali esse participem, malisq; communibus esse obnoxium, Matth. 20 cap. Translata uidetur loquutio uel à bibendi certaminibus, uel à confœderatione quam poculis prælibutis & mutuo porrectis cõfirmabant, uel alijs qui metuant uenena. Meminit huius prouerbij Eras. in Chiliad. 1. Cent. 8. adag. 81. Bibere quoq;, idem est quod credere, quemadmodum Edere hoc significatu quoq; usurpatur, Geneseos 4. Ioan. 6. & 7. Si quis sitit, ueniat ad me & bibat. & 4. cap. Omnis qui biberit. Hic aperte aqua gratiam spiritus sancti significat. Hæc aqua uerè reficit & consolatur, hæc sitim carnis extinguit, ariditatem cordis humectat & fœcundat. Hic Bibere nihil aliud est quàm credere, accipere testimonium Christi.

Bibere autem summam destillationem, est consumare passionem, quam nihil relinquitur. Sicut autem Christus propter nos passus, crucifixus, quicquid prædictum de eo, consummauit, & satis pro peccatis nostris fecit, ita Deus populum suum cruce hic purgat & calicem adflictionum epotandum propinat, ut innouetur de die in diem & post hac in perpetuum gaudeat. Cæterum quamdiu nondum fuerimus mortui mundo,

semper

semper bibimus calicem iræ, inter filios iræ reputati. Et quãdo magis nos premit Babylonis tyrannus postquam subditi sumus, tanto plus bibimus. Eporamus autem quãdo mortui sumus mundo, & tunc sequitur consolatio & resurrectio.

Bibere atqui calicem, furoris domini idem est, pro ultionem diuinam ferre Hinc ortum adagiũ apud Hebræos Esa. 51. cap. Eleuare &c. Adhæc Bibere sanguinem hostilem plenam & ad animi sententiam perfectam uictoriam scriptura solet significare, ut Numer. 23. cap. ubi Balaã de Israele sic uaticinatur: En populus sicut leo attollet se, nõ nocebit, donec uorarit prædam, & sanguinem cæsorum biberit. Et Psal. 110.

Bibere postremò uinum iniuriæ, nihil aliud sonat, quàm humanum uerbum, & huius uerbi fructus, est facere rem aliorum damno, Prouerb. 4. cap. Et uinum iniuria rum bibent, hoc est delectari humanis & impudicis uerbis.

¶ *Bilingues* dicuntur Paulo 1. Timoth. 3. cap. incõstantes, uani, futiles, leues et mendaces, adulatores & palpones. Ministros itidem compositos, non bilingues, &c. hoc est, aliud stans, aliud sedens loqui. Duos parietes de eadem dealbare fidelia. Ex eodem ore calidum & frigidum efflare.

¶ *Blandus* nonnunquam idem quod dolosus, Psal. 11. Frustra loquuntur unusquisque proximo suo labijs blandis. Septuag. labia dolosa.

¶ *Blasphemare*, est uituperare & execrare aliquid, ut quum Christianum quis institutum uituperet & execretur, tanquam malam hæresim et errorem. Sic ea quæ Christus dixit, quum ipsi muertunt. Sic Blasphemia, est rationibus diuina uelle discutere, ita nihil commune habet humana ratio collata diuinis. Blasphemia est, si homo suæ autoritati & dignitati usurper, quod solus Dei est: aut si quis temeraria conuicia & maledicta congerat in Deum, in uerbum & in legem Dei, & autoritati diuinæ legis resistat. Nam Blasphemia græca uox est, idem ualens atq; maledictum, & conuitiũ, qua scilicet de aliquo dicuntur, quę flagitiosa sunt & probrosa, qua fama proximi læditur & nigratur, qua aliquid execramur ac detestamur.

Blasphemia autem est non simplex peccatũ. Neq; enim quoduis peccatum Blasphemia est: quæuis uerò blasphemia peccatum est. Peccatum est quicquid delinquitur contra iustitiæ rectitudinẽ. Peccatũ est quicquid cõtra doctrinam ueritatis delinquitur. Blasphemia uerò est, quando non solum contra quod rectum & æquum est delinquitur, sed etiam uituperatur illud, contra quod delinquitur. ut, filius qui patri non in omnibus obedit, peccat, nondum tamen illum blasphemat, nisi & conuicijs eum proscindat. Adulterium, peccatum est contra iustitiam matrimonij. Non tamen mox Blasphemus est in matrimonium Dauid Adulter, quia licet in matrimonium Vriæ deliquerit, nõ tamen matrimonium execratus est. Atq; hoc est quod Christus cum dixisset, Omne peccatum, &c. Matth. 12. cap.

Blasphemia in filium, de qua Matth. 12. cap. scribit, est quæ in illum per ignorantiam committitur, & conuicijs ueritatem insectantur per errorem & ignorantiam, ut qua à Pharisæis dicebatur Samaritanus, homo peccator, filius Ioseph, Galileus, seductor propter humilitatis formam. Nam istis nõ petebatur factum aliquod apertum spiritus sancti, sed Christi humilitas, qua tegebatur filius Dei. Sic Paulus in Christum & ecclesiam Dei blasphemus ueniam inuenit propter ignorantiam. 1. Timoth. 1. cap. Et Christus in cruce: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Blasphemabant Christum ut seductorem ac seditiosum, uerum per ignorantiam hoc faciebant, tantum pertinebat ad personam hominis Christi, atq; ideo remissibile erat. Istis adhuc aditus est ad resipiscentiam & spem ueniæ, & pro illis orandum est. Non enim peccant ad mortem. ita & Actorum 3. cap. Itaq; Blasphemia in filiũ hominis remissibilis, est quæ in humilem Christi personam, per ignorantiam & errorem committitur. Blasphemia in spiritum sanctum, de qua Marci cap. 3. legimus, non taxari quoduis peccatum in spiritum sanctum. Nam alioqui in spiritum sanctum peccant, quotquot prædicationi gratiæ Dei resistunt, etiam ignoranter, quibus tamen non denegatur pœnitentiæ locus, ut apertè uidere est Actorum 7. cap. Vbi Stephanus persecutoribus suis hoc objicit: quod sint duri ceruice & incircuncisis cordibus, & quod semper spiritui sancto resistant, & tamen postea cum lapidaretur, pro eis orat. Sed hoc est peccatum ad mortem, ut Ioannes uocat, & in spiritum sanctum, conuitium in agnitam ueritatem, & cognitã scienter & prudenter contra conscientiam, propter inuidiam obstinatamq; malitiam blasphemare, ita ut iustus sis apud

temetipſum in ſuo corde & conſcientia, quod res ita habet, & aliter eſſe nequit: attamen impiè audes dicere, & contrà cõtendere hoc uerum nõ eſſe, nõ eſſe à Deo, eſſe peruerſum, eſſe à diabolo, & blaſphemias nõ ſolum agnouiſti penes temetipſum, ſed & illum apud alios, nimirũ ueritatis alũnos profeſſus es, ut erant Iulianus, Porphyrius, Alexander Ærarius, & alij multi, de quibus ſunt duo loci in epiſtola ad Hebræos cap. 6. et 10. pro illis non eſt orandum, quia peccant peccatum ad mortem. 1. Ioannis 5. cap. Quaſi etiam impunè liceat ueritatem oppugnare. Hoc eſt uoluntariè peccare poſt ueritatẽ confeſſam. D. Auguſtinus finalem impœnitentiam & obſtinatã gratiæ Dei impugnationẽ peccatum in ſpiritum ſanctum uocat, & quod ſit irremiſsibile.

¶ *Bonus* pro honeſto, Gen. 15. cap. Et tu ibis ad patres tuos in pace, ſepelieris in ſenectute bona, id eſt, prouecta. Et Gen. 17. cap. In ætate, uel ſenectute bona, id eſt, honeſta & prouecta ætate. Vtuntur enim hoc loco Hebræi, quemadmodum Latini, bona pars, pro magna pars, Germanicè, Er vvas ietz guts alters. Alſo ein guten hauffen gelts, groſs und uil gelts. Sic Gen. 25. cap. Mortuus eſt in ſenectute bona, prouectæq; ætatis, & plenus dierum. Vel tu ibis ad patres, &c. Ire hoc loci ad patres, pro mori uſurpatur. Pro pulchro, Exodi 2. cap. Et uidit eum quia bonus ipſe. Septuaginta, elegantẽ. Bona Apoſtolus Gal. 6. Victum & ueſtitũ quæ homines inter bona numerãt, adpellauit. Communicet aũt qui catechizat ſermone ei qui ſe catechizat omnibus bonis. Pro gloria, Exo. 33. cap. Ego tranſire faciam omne bonũ meum. Pro iucũdo, Heſter, Quum bonũ eſſet cor regis. Pro pingui uſurpant Iudæi, Gen. 18. Vitulum tenerũ, & bonũ. Tenerũ pro delicato & pingui ponit Moſes, ſic etiam bonum. Mos certe ſcripturæ eſt, etiam ſpecioſos corpore bonos uocare, Gen. 6. Videntes filias hominũ, quia bonæ ſunt. D. Auguſtinꝰ de Ciuitate dei, lib. 15 cap. 23. Pro magnifico & pretioſo, Gen. 24. Et omne bonũ domini ſui in manu eius, id eſt, quicquid erat pretioſum & magnificum in domo domini.

Bonus adhæc Hebraicè Haſid, hæc uox bonũ, & animo præditũ demerendi quoslibet, etiã inimicos. Sic mater Samuelis, cap. 1. Cuſtodit hæc pedes bonorũ ſuorũ. Et Pſal. 37. Tales boni deo curæ ſunt, hoc eſt, uiri boni propẽſi animo, bene mereri de omnibus etiam hoſtibus. Teſtatur etiam Pſal. 4. Interpres ubiq; ferè misericordiã uertit. Interdum etiã ipſum beneficiũ ſignificat. Hos etiam Bonos dei uocat Dauid Pſal. 3. id eſt, ex deo natos: quo ſignificat neminẽ nerè bonũ eſſe, qui non ſit Dei, hoc eſt, ex ſpiritu Dei renatus, eoq; quantus eſt deo deditus: & rurſus, neminem dei eſſe, neminem populo eius iuſtè accenſeri, niſi qui honeſtati ſtudeat omnium uſibus ſeſe conſecrans.

Bonum pro cõmodo, laudabili, placito, optato, quieto, non aũt pro bono ſiue honeſto quod opponit uitio ſiue malo. 1. Cor. 7. cap. Ein fein ding, ein herlich hubſch ding. Bonum eſt homini mulierẽ non tangere, Gen. 1. Non eſt bonũ hominẽ eſſe ſolum, hoc eſt, Non eſt cõmodum, non decet, Germanicè, Es taugt nit, ſther nit vvol, es ſchickt ſich nit. Et Gen. 19. cap. Hebraicè, Facite eis quod bonũ eſt in oculis ueſtris, vvie es euch am aller bequemſten und geſchickſten dunckt, id eſt, quæ uobis placent. Ea forma Hebræi utuntur, quum probare alicui rem & ſignificare uolũt. Item, Hoc eſt bonũ, illud malum in oculis meis, vvie es ſich euch am aller bequemſten und geſchickſten dunckt, quæ uobis placent. Bonum pro melius, Matth. 18. cap. Bonum eſt tibi, &c. Bonum opus, id eſt, beneficium aut officium. Ein dienſt. Bonum pro optimo & præſtantiſsimo, Marci 9. cap. Bona res eſt ſal. Et Ioan. 12. cap. Bonum opus, pro beneficio more ſcripturæ accepit Chriſtus, Germanicè, ſie hatt mir guts gethun.

Bonum atqui idem quod precioſum. Bonus dies idem eſt, quod dies ſolennis. 1. Samuelis cap. 25. Quia in die bona uenimus. Bonas facere uias ſuas, id eſt, abſq; crimine uiuere, innocenter cõuerſari, &c. hoc ſcripturæ rarum nõ eſt. Bonum eius loquebantur, pro quo noſter interpres laudabãt eum, Germani, Redten ſein beſtes. ſcripturæ idiotiſmus eſt. Item, Hoc eſt bonũ, illud malum in oculis meis, pro placet, illud diſplicet mihi, Pſal. 4. Is Hebraiſmus frequẽs eſt, Gen. 16. cap. Hebræi enim nõ habẽt uerbũ Placet, ſed eius loco utunt bonũ eſt, etc. Carent quoq; uerbo Habendi, pro quo utunt Eſt mihi, eſt tibi, &c. Bonus oculus deniq; Prouer. 22. cap. Latinus interpres facit hunc pronũ ad miſericordiã, &c. Græcus hilarẽ datorẽ, &c. Contrà, malus oculus, Prouerb. 23. cap. hic ponit noſter inuidus oculus, nimirũ idem quod Græcus, βάσκανος. Atq; hinc Matth. 20. cap. Oculus nequã. 1. Reg. 18. cap. legit, Factus eſt oculus Saulis (in) Dauidem. Vbi nos, Nõ rectis oculis Saul aſpiciebat Dauidẽ, Germani reſpõdemus huic hebraiſmo, quoties de

iracundo

iracundo dicimus, Er hatt ein auge vff im. A bono ad malum nihil loqui, Geneſ. 31. cap. Venit aũt Deus ad Laban Syrum in ſomno, nocte illa, & dixit illi, caue ne loquaris cum Iacob à bono ad malũ, hoc eſt, Caue ne quicquã aſpere loquaris contra Iacob. Bonas facere lucernas, eſt bene cõponere, hoc eſt, quicquid immũditiarum oleũ ellychniũ contractũ, remouere & repurgare, Exod. 30. cap. Quod bonum eſt in oculis noſtris facere, Gen. 16. cap. Fac illi quod bonũ eſt in oculis tuis, pro, fac illi quod tibi libet, uel utere ea ut libet. Item, Bonum uiſum in oculis eius, Gen. 45. cap. id eſt gratiſsimum fuit Pharaoni et ſeruis eius. Bonum Ægypti ueſtrum erit, Gen. 45. id eſt, feraciſsima pars uniuerſæ regionis Ægypti, ueſtra erit. Bonum domini ſui erat in manu eius, Hebraiſmus, Gen. 24. ſingulare pro plurali, id eſt, pretioſa quæq; domini ſui in poteſtate illius: præterat omnib⁹ rebus domini. Aut, ſecum deferebat de pretioſiſsimis quibuſq; domini ſui.

Bonis Dei populum dei ſaturari, eſt ſpiritualibus ſpiritualia cõparari, mentẽ uirtutibus & zelo pietatis impleri, ut nihil dulcius ſapiat beneplacito dei, & eloquijs legis diuinæ. Item poſtremo A bonis, pro à malis. Solet enim ſcriptura diuina quando de deo aliquid dicitur melioribus uti uerbis, Pſal. 30. Os meum cuſtodiam, obmutui & ſilentio tacui à bono, Septuaginta à bonis.

¶ *Bonitas*, iuſticiæ & uirtutis uel fidei nomine ſignificatur, qua iuſtè & fideliter, nẽpe ut ſi decet, et è re eſt proximorum, agit. Soleт uerò in Pſalmis præcipuè, quanquam et in alijs diuinæ ſcripturæ libris ueritas uel fides, cum benignitate & cõmoditate cõiungi. Et enim qui Chriſtianũ ſe profiteẽ, ſimul benigne agere cum quibuſuis, quos poſsit, iuuare pollicetur. Si igitur uerus ſit, & fidem colat, hinc ſuæ profeſsioni, et aliorum de ſe expectationi ſtudebit ſatisfacere, eoq; fide optima & quàm benigniſsimè agere cum quibuſlibet, dabit operam. Hinc ergo quod nemo uir bonus habetur, cui non ſit ante omnia cordi fides, & bonitas in deum, ita non niſi ab homine mutatis nominibus exprimi poteſt, transferunt. Proinde ſiue iuſticia, ſiue fides, ſine qua alia uirtus dei dicitur, nihil aliud ea eſt quàm ipſius bonitas, qua & iuſtè & fide optima & benigniſsimè cum omnibus rebus, uti & dei nomenclatura pollicẽt, maximè aũt in credentibus agit. Hinc Bonitas ſiue Benignitas animi, propenſio ad benemerendũ de quopiam, quam (ut Eraſmus ait) nõ ineptè uerteris Indulgentiam, Rom. 11. cap. Hinc Bonitas pro benignitate & humanitate in ſacris literis. Item Diuitiæ bonitatis. Ita Diuitiæ ſapientiæ, id eſt, Abundans ſapientia, ſunt Hebraiſmi. Bonitas & Veritas obuiabũt, &c. Pſal. 83. Nihil niſi ueritatis, bonitatis, iuſticiæ & pacis frequentiam & abundantiam, hac proſopopeia ſacri uates canere uoluerunt.

¶ *Boum* nomine & hebetudo fatuorũ, & uita bene operantiũ exprimitur, Prouer. 7. cap. Quaſi bos ductus ad uictimã, Deut. 25. Non obligabis os boui triturãti. Et bos nõ infrenãdus. Eſt gnome prouerbialis, quam 1. Cor. 9. cap. copioſe explicat. Nam boui triturãti os obligare uel infrenare, eſt mercedem mercenario & uictum abnegare. Habebant enim Iudæi nonnunquam cõductitios boues. Salomon quoq; præcipit, ut noſtri gregis curam habeamus. Sic Paulus 1. Timoth. 5. cap. dicit: Legem nõ propter boues, ſed propter nos ſcriptam, ut non negemus mercenario, operario & in primis uictum uerbi miniſtro de ſuo miniſterio. Nam Boues triturantes dicuntur ac nominãtur à Paulo. Etiam allegoricè poteſt ſignificari, ne prohibeatur doctori uerbum liberè prædicare, quo deuorent ſtipulas & paleas, id eſt, conuertant impios homines, & Chriſto incorporent.

Boues deniq; uendere & columbas, eſt dona ſpiritus ſancti uendere pecunia & ſua quærere in eccleſia, & nõ quæ Ieſu Chriſti, ſed omnia faciũt ut ſubiectos populos deuorent, Ioan. 2. Vide D. Auguſtinũ et D. Hieronym. Quid ſit columbas & boues uendere.

¶ *Brabeum* comprehendere apud D. Paulum cap. 9. 1. Corin. eſt omnia gnauiter & ſtrenuè fieri. Iubet enim Paulus ſedulos nos eſſe.

¶ *Brachij* uocabulũ in ſacris literis potentiã, uim, uirtutẽ, opes, robur et maieſtatẽ deſignat, ut Iob 40. cap. Si habes Brachiũ ut deus, ſi tam potẽs es atq; deus ipſe omnipotẽs, & in cuius manu & poteſtate ſunt omnia, Hiere. 48. cap. Cornu cõfringetur, & brachiũ cõteretur, quo tamen idem ſignificatur, Eſa. 51. cap. Et brachiũ, id eſt, potẽtia Domini cui reuelata eſt: Neq; enim cognoſci poteſt diuina potẽtia, iudiciũ & miſericordia, niſi reuelauerit pater. Plura Pſalmo 78. Generaliter pro omni re cui innitimur, Pſal. 43. Brachiũ eorum nõ ſaluabit, id eſt potentia carnalis, ſed dextera tua, hoc eſt, tua fortitudo, auxiliũ tuum, Pſal. 59. 17. & 37. & Pſal. 36. Brachia eorum conterentur, Prouerb. 31.

Brachium pro principe, Deut. 33. cap. Quasi leo requieuit, repitq; brachiũ & uerticem. Similis leoni habitabit, rapiet brachium & caput. Hoc est, in terra sua nõ erit aliter atq; leo, quem reliqua animalia timent: erit omnib⁹ formidolosus. Præterea interficiet principes regesq; qui ei resistẽt. Brachia, potẽtes et duces designare sacris scripturis clarũ est.

Brachium uerò & dexteram, dei filium uocare, scripturę sacræ rarum non est. Saluauit, inquit Propheta, dextera eius, & brachium sanctum eius. Et rursus: Domine, sublime est brachium tuum, & nesciuerunt. Vide Cyrillum lib. Thesau. 13. cap. 2.

Brachium Domini uel auxilium eius, Christus dicitur, Esa. 51. cap. Excitare, induere brachium, fortitudinẽ Domini. Et cap. 44. Ecce Dominus in fortitudine ueniet, & brachium eius dominabitur, Lucæ 1. cap.

Brachium dei extentum, Deut. 11. cap. quasi dicat, paratum ad feriendum, Brachio extento uel excelso redimere, de quo Psal. 77. Et Moses Exodi 6. cap. significat summã & insignem illam potentiam & potestatẽ dei, qua filios suos ex fornace ferrea, hoc est, Ægypto eduxit. Sic ait Moses: In Brachio excelso & extento, id est, magna ui & ad percutiendum. Brachia sempiterna, Deut. 33. cap. Habitaculum eius sursum, & subter brachia sempiterna, id est, in fatigabilia. Quasi dicat, Deus ætern⁹ protegit populũ suũ, uelut tugurium protegit habitatores suos, ab iniuria cœli sub populo Israelitico sunt brachia infatigabilia. A uertice ad calcẽ custodit Israelẽ, dominus totũ Israelẽ diligenter custodit.

Brachia præterea denudare, significat expeditum esse, Ezech. 4. cap. Et brachiũ tuum denudabis, prophetabis contra. Iubetur denudare brachia, qui mos erat rem manu gerentium. Denudato brachio dextro pugnabant milites.

Brachij carnem deuorare, est proximi res inuadere. Sumus enim omnes unũ corpus, &c. Quin & ingrati carnem Brachij comedunt, Esa. 9. cap. Vnusquisq; brachij carnem comedet. Nam Brachium uirtute et robore suo toti corpori seruit, et ori cibum porrigit, à quo nunc per ingratitudinem consumi dicitur.

Brachijs inniti regem, Hebraica phrasi dictum est, quia nõ significatur regem super brachia aut manũ, quasi brachijs alterius in oratione sustineatur, sed regem habere ad manum, Germanicè, Er ist mir zur hand, hoc est in prõptu est ad manus mihi est, ut omnia interim circa regem curet, prouideat, agat, & expediat negotia cõmissa: uulgo, und ich mich uff in verlasse. 4. Regum 5. cap. Hoc autem solum, &c.

C

Cacare pro offendere proximum apud Mosen Deut. 23. cap. allegorice sumitur. Licet Cacare non sit malum, tamen offendit proximum. Idcir co tantam mundiciem requirit deus: quod nam contra proximum est, sine dubio est & cõtra deum. Cacant ergo in castra, qui ut maximè nõ faciant alioqui mala, tamen scandalo sunt infirmis, & faciunt ut nomen dei, & Euangelium blasphemetur.

¶ *Cadendi* uerbo cum Græcis & Latinis utuntur Hebræi pro perire, desiderare, interficere, perdere & infirmari, Esa. 10. cap. Et cum interfectis cadatis, id est, uinci, Esa. 16. Celeusina cecidisset desidere, id est, periisset. Exodi 19. cap. Ne cadant ex eis multi. Hoseæ 5. cap. Et Israel & Ephraim cadent in iniquitate sua, cecidit etiam Iehuda cum eis. Se pruaginta, Infirmabuntur. Cadere deinde pro transire, Hiere. 21. cap. Qui egressus fuerit & ceciderit ad Chaldæos. Hebræi accipiunt pro ad hostem uel transire, uel deficere. Pro interficere, Hoseæ 7. cap. Cadent in gladio principes eorum. 2. Samuelis 4. Nonne scietis quod princeps magnus cecidit, id est, mortuus est.

Cadere, forense uerbũ fuit apud Judæos, ut cadere dicti sunt, qui iudicio superarentur, aut damnarentur, Hiere. 18. cap. Cadere in terram, est inane & irritum fieri, ut 1. Samuelis 3. cap. Et nõ decidit ex omnibus uerbis eius in terram, hoc est nihil unquam uerborũ illius in terrã cecidit, id est, irritũ fuit, & inane, nunquã mentitus est in sermone domini, sed omnia uerba suscepta sunt ab Israele ueluti sacrosancta oracula. Non cecidit uerbum. Vbi nostra translatio: Non irritum fuit. Iosue 21. cap. 1. Reg. 3. Item cecidit Israel 1. Samuelis 3. id est, in fugam lapsi, frequẽs est illa locutio. Cadat oratio, Ebraismus est, pro eo quod Latinus diceret: Sine ut impetrem quæ peto, siue te exorem. At Hiere. 37. cap. Cadat quæso precatio mea in conspectu tuo. At in actiua uoce prosternere orationem uel facere orationem, est humiliter cadere, supplicare, ut sequenti capite Hieremias

mias indicat, Ego cadere feci orationem. Cadere in oculis loquutio est pro timere aut consilio esse destitutum. 2. Esdræ 6. cap. Cadebant ualde in oculis suis. Alij exponunt humiliatum, &c. Nehemiæ 6. cap. Cadere in oculis suis, pro humiliari. Ceciderunt ualde in oculis suis. Noster, Intra semetipsos. Græcus sic, Et cecidit timor magnus ualde in oculis eorũ, das hertz fiel inen vff die knie herab, Nehemiæ 6. cap. Cadere uerbũ, Ruth. 3. cap. Vt cognoscamus, quo modo cadat uerbũ: quem locũ Latinus uertit in hunc modũ: quem res exitum habeat. Cadere capillus eius de capite 1. Regũ 14. cap. Matth. 10. id est, homo ille aliquid patitur. Sic quoq; 2. Regum 14. Non cadet, &c. locutio est Hebræa. Cadere in gladio, est in bello pessum ire. Numer. 14. cap. Et quare dominus duxit nos ad terram hanc cadere in gladio. Septuaginta, Cadere in prælio. Cadere uerò in lectum, est decumbere, Exodi 21. cap. Et percusserit uir proximum cum lapide, aut cum pugno, & ceciderit in lectum. Translatio uulgaris, Et iacuerit in lecto.

Cadere atqui faciem, est indignari. Gene. 4. Iratusq; est Cain uehementer & concidit uultus eius. Cadere autem in faciem, ut Lucas habet cap. 9. Cadens in faciem, est accidere ad genua, incuruare, caput flectere & prosternere, reuerentiæ exhibendæ supplicandiq; gratia & causa. Similiter & Abram Gen. 17. cap. Cecidit in faciem suam. Hoc est ex magnitudine promissionis obstupescere, atq; sic ex stupore & reuerentia Abram cadit in terram. sic Petrus cum tantam multitudinem piscium domino præsente caperent: Exi à me Domine, homo enim peccator sum, Lucæ 5. cap.

Cadite super nos montes, & ò uos colles cooperite nos, Lucæ 23. cap. significare uoluit incredibili horribiliq; pauore consternatos homines præmalorum acerbitate et magnitudine, & quò se uertant ignorare. Et Esa. 22. cap. Quo tropo extrema designatur ac effertur desperatio & miseria.

Cadere sub rege, est sese regi ob potentiam & rerum successum subijcere, Psal. 45. Populi sub te cadent, nisi malis de cursu mortis intelligere. Cadentes sunt, Psal. 145. Sustentat Iehouah, omnes cadentes, id est, omnes qui periclitantur: & casui, hoc est, morti proximi sunt. Cadere dicitur prophera, Numer. 24. Qui cadit, & sic aperiuntur oculi eius, id est, qui dormitat, & tamen habet oculos mentis reuelatos.

Cadere deniq; à latere sinistro dicuntur, qui impetũt in corporalibus rebus, sed multo fortius instant à dextro in spiritualibus rebus: & in utrisq; per prospera & aduersa, sine hoc uideatur esse contra Deum, siue per hypocrisim & per stultũ zelum pro deo, hoc solum agentes, ut deijciant fidem, & amittamus fiduciam, & dei protectionem, ut Psal. 90. patet, Cadent à latere tuo mille, & decem mille à dextris eius.

¶ *Calamitatis* nomen interdũ in bonam partem ponitur, ut mandatis domini castigati semper in cœlesti gratia perseuerent. Psal. 34. Veniat ei calamitas quam ignorat, & rete suum quod abscondit comprehendat eum, in calamitatem cadat in ipso. Aliàs Calamitas opprobrium dicitur, Gen. 44. Calamitas opprimit te, hoc est, malè habebis, dabis pœnam cõmeritam. Idem Exodi 18. cap. Quo tropo dicitur, timor apprehendit eos.

¶ *Calcandi* uerbo apud Lucã cap. 10. significatur uictoria & oppressio, ut claret Iosue cap. 10. Qui cum appropinquassent, & subiectorũ colla pedibus calcarent. Per serpentes uerò & scorpiones intellexit omnes dæmonis artes, conatus & quælibet mala. Sic inquit Lucas, Ecce do uobis potestatem Calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem uirtutẽ inimici. Calcare uerò super excelsa, Micheæ cap. 1. Hoc est, quicquid excelsum est in terra illustre & forte, Samaria et Hierusalem. Et Deut. 33. cap. Et tu super excelsa calcabis, idem est inquit R. Salomon atq; si dixisset, Super colla eorũ pones pedem tuum, id quod est penitus subijci.

¶ *Calcaneus*, dolum & insidias, atq; adeò semper malũ significat. Sumpta metaphora à pugilibus, qui pedes suos colluctantiũ pedibus subijciunt, quo illos præcipitent, id quod Latinè dicitur supplantare, Græcè πτερνίζειν, quanquã idem quoq; uerbũ calce ferire significat. Vnde in procliui est, scripturas promiscue de Calcaneo loquẽtes intelligere. Gen. 3. cap. Tu insidiaberis calcaneo eius. perinde est ac si diceret: Tu curabis ut illum deijcias & uincas. Et quasi dicat, Tu diabole, cuius caput per semẽ fœminæ conteretur, cõteres Calcaneũ illius. Significat autem humanitatẽ Christi (quæ per Calcaneũ pedis intelligitur: nam pedes infima pars corporis sunt, & omnes sordes & pulueres terunt, sic Christus iuxta carnẽ nostras infirmitates tulit) à satana adfligendam ac tentandam, imò iuxta mundi opinionem perdendã, Matth. 4. cap. Et Ioan. 13. Psal. 40. 99. Psal. 15.

ſic inquit, Ipſi Calcaneum meum obſeruabũt, ſignificat. Inſidias mihi tendent, & conabuntur me ſuperare ac prorſus deijcere, Gen. 3. Hebræus legit: Et tu franges Calcaneum eius. Vbi per Calcaneũ intelligimus carnem & humanitatẽ Chriſti, aut ut Paulus loquitur, formam ſerui. Ideo Calcaneus Chriſti eſt inferior pars Chriſti, id eſt, humanitas Chriſti, ſeu infima membra corporis Chriſti.

Calcaneus deniq; pro uitæ exitu in ſcripturis ſumitur, Pſal. 49. Iniquitas Calcanei mei circundabit me. Nam quemadmodum enim Calcaneus extrema eſt totius corporis humani portio, ita mors ultimus eſt uitæ, tanquam peractæ ſcenæ, actus, in quo qualis futurus ſit animarum ſtatus, uelut ſpeculo coniectura fieri poteſt.

¶ *Calciamentum* pro re uiliſsima uſurpatur, Amos 2. cap. Et pauperem propter calciamẽta. Et cap. 7. Ad poſſidendũ in argento pauperes, & egenũ propter duos calceos. Calceos pro re minima, quæ eis neceſſaria eſt, hic accipe. Et cap. 2. intelligit iuſtos & inopes apud filios huius ſeculi eſſe contemptos, & etiam minimo precio uendi ac proſcribi.

Calciamentum eſt quoq; munimen prædicationis, & prædicationem Euangelij denotat. Epheſ. 6. cap. Calciati pedes in præparationem Euangelij pacis.

Calciamentũ extẽdere, allegoria minime obſcura, ſignificat terminos & fines imperij protendere: eò quod calceos pedibus noſtris ſubijcimus: ad eum modum quo de ſcabello dicitur, Pſal. 109. In Pſal. igitur 59. uolens deus indicare potentiã ſuam longè lateq; diffuſam. In Idumæam, inquit, extendam Calciamentũ meum, hoc eſt, terminos regni, & fines imperij mei, ſiue mei iuris & poſſeſsionis. Nam poſſeſsio agrorum poteſt intelligi. Huc accedit quod per calciamenti ſolutionem pro ueteri apud Iudæos more, ſignificabatur ceſsio & reſignatio iuris ſui, quod quis in agro aliquo poſsidebat, quemadmodum ſcribitur Ruth 4. cap. Non igitur alienum eſt, ſi calciamenta pro poſſeſsionum quoq; apud Amos 2. cap. finibus acceperis. D. Hieronymo placet pro uiliſsimis rebus, quibus auari precioſam animam hominis pauperis uendiderunt.

Calciamenti ſolutio quoq; ad reuerentiam pertinet in ueteri lege. Hinc calciamentũ ſoluere humilitatis indiciũ, ut Matth. 3. cap. Cuius ego inquit Ioannes, nõ ſum idoneus, ut Calciamẽta ſiue ſoleas portem. Alius Euangeliſta habet, Cuius ego nõ ſum dignus, ut ſoluam corrigiã Calciamenti. Quaſi dicat: Non ſum dignus ſeruus eius eſſe. Eſt aũt hyperbole prouerbialis de uehemẽter inæqualibus, ac ne ulla quidẽ ex parte conferendis. Nam ſordidiſsimũ obſequiũ eſt, ut ſoleas alicui portare, uel corrigiã Calciamẽti ſoluere. Extat & hodie uulgo tritiſsimꝰ ſermo etiam apud ſcriptores uſurpatus, indignus qui illi matellã porrigat. Id quod et ipſum de ijs dicitur, qui nulla parte cõferendi ſunt.

De Calceis exuendis apud Moſen Exodi 3. cap. quid propriè, &, ut uocant, ſecundũ literam ſibi hoc præceptũ uelit, uidetur petendũ eſſe è cap. 12. huius libri. Ibi enim mandat Dominus, ut ueſcentes agno paſchali habeant Calciamenta in pedibus, quibus admonentur, ſibi abeundum, & in aliam regionem proficiſcendum eſſe, & ut poſtea in celebratione agni paſchalis, reuocent ſibi hac calciamentorum ceremonia, in memoriam, profectionem & liberationem ex Ægypto. Quod ſi indumentum Calceorum ſignificat profectionem ex loco, certè exutio calciamentorũ ſignificabit manſionem in loco. Dominus igitur iubet Moſen Calciamẽta exuere, ut hac cæremonia admoneat ipſum, ne ultrà pergat, ſed ſiſtat gradum, & attendat quid ipſi mandetur.

¶ *Calcitrare contra ſtimulum*, prouerbialis ſermo eſt, & paræmia elegans. Monet enim Eraſmus in Chiliad. Chil. 1. Cent. 3. Adag. 46. paræmiam ſignificare fruſtra repugnari ijs quos uincere nequeas, aut periculo coniunctũ eſſe, ſi eos prouocemus qui laceſsiti nobis noceant. Metaphora ducta à bobus, quos agricolæ lignis præacutis à tergo fodiunt, quibus ſi recalcitrent, tantũ abeſſe ut ſtimulo noceant, ut grauius etiam lædantur. Quod ſi quis cõſultis hiſtorijs ſacris locum Actor. 9. Durum eſt tibi cõtra ſtimulos calcitrare diligentius exploret, cõperiet neminem ex mortalibus feliciter repugnaſſe numini. Deus enim ueluti petra firmiſsima & murus aheneus, cõfractis cõtuſiſq; aduerſarijs omnibus, in æternũ ſtabit immobilis. Ideo conatus impiorũ nõ eſt niſi calcitratio aduerſus ſtimulos. Beſtiæ quæ cõtra ſtimulos calcitrant, nõ ſtimulos, ſed ſeipſos lædũt, & tanto magis lædũt, quanto fortius recalcitrant. Sic & impij non lædunt deum, ſed furore ſuo ſeipſos tanto magis lædunt, quanto plus deum & uerbum eius perſequuntur.

¶ *Calculus, Carbo, Carbũculus*, ſymbolũ eſt uerbi dei, quod Eſa. 6. cap. Seraph habet in manu, hoc eſt poteſtate ſua. Vnde idem eſt, quod illic dixit in ore. Ille nimirũ Calculus

eſt, do

est, de quo Apocalyp. 2. cap. candidus, in quo nomen nouum scriptum, quod nemo scit nisi qui accipit, adeo mira operatur in homine. Est et Carbo uastatorius, exurens totum ueterem hominem, Psal. 119. Christus autem altarium est, super quod sacrificia precum nostrarum offerimus, ut commendet nos patri. In quo & Carbones igniti, quia in eo omnes thesauri sapientiæ & scientię dei reconditi. Igniti Carbones sunt uerba eius, quę duorum discipulorum cor in itinere accendebant, Apocal. 6.

¶ *Caliginosus*, pro abscondito, Exodi 9 cap. Quia caliginosa erant, id est, abscondita.

¶ *Calicis* metaphora in scripturis frequentissima est in utramq; partem. Nam unicuiq; aduersa & prospera deus certe admensus est, bibetq; quisq; suam portionem, uelit, nolit: hoc est, certam malorum & bonorumq; portionem, quam deus destinarit cuiliber. In malam partem, Psal. 11. spiritus tempestatis pars calicis eorum, id est, decreta ipsis ultio & diuinitus ordinata impietatis ipsorum retributio. In bonam partem. Psal. 16. Dominus pars hæreditatis seu sortis meæ, & calicis mei, id est, ipse portio & ordinata mihi hæreditas est. Sic Psal. 23. Et calix meus superabundans seu inebrians, quàm præclarus est, id est, bona quæ mihi deus tanquam meam sortem contulit, redundant. Calix iste ebrietas spiritus est, qua mens extra se posita, attonita efficitur, oblitaq; penitus sui, tota in amatum fertur.

Hinc Calicis nomine intelligunt Hebræi adflictionem & flagellum. Nam frequens est mentio Babylonici calicis in prophetis, quo significarunt calamitates, clades, stragesq; inferendas per Babylonios. Item quicquid nobis obuenit, & uoluntate dei offertur, eò quod sicut uini status mentis euertitur, ita ut pedes & omnia membra suum negent officium, sic & adflictiones quæ bibuntur, id est, inferuntur, ita concitabant homi nem, ut omnibus uiribus destituatur. Hincq; passionis & mortis symbolum. Et Christus calicem, id est, mortem crucis deprecatur. Et Calix Christi, est ira dei, & passio eius in lege & prophetis prædicta & denunciata, Mich. 1. cap. Iram domini portabo, quia peccaui ei. Sic Psal. 11. 23. 75. 116. Hiere. 25. huius metaphoræ usus legitur. Et hæc metaphora à ritu antiquo mutuata, quo per conuiuij modiperatores sua cuiq; uini portio, quam hauriret, statuebatur. Ita ea similitudine quicquid nobis à deo uel obuenit, uel statuitur, amarum sit uel dulce, calix noster est, ac portio: quam uelimus, nolimus, bibere necesse est.

Ex quibus omnibus est, Calicem non esse aliud, quàm pœnarũ iræ diuinæ prędictionem, denunciationemq;. Hinc ortũ est Adagium, Calicem furoris bibere: quæ loquutio prouerbialis apud Hebræos, pro ultionẽ diuinam ferre, Esa. 51. cap. Eleuare, consurge Hierusalem &c. Idem habetur Psal. 74. Iamq; duo Calicis genera nascuntur: alterũ impiorũ, de quo dictum est supra: Alterum piorũ, & iste Calix salutaris dicitur, Psal. 115. Calicẽ salutaris accipiam, et nomẽ domini inuocabo. Salutaris inquã, id est, salutis uel salnationũ: quasi diceret, Quicquid mihi dominus propinauerit accipiã, totum me ipsi permittam, eumq; inuocabo. Vocat autẽ Calicem saluationũ, quę per Crucem itur ad gloriam &c. Deinde quoq; usitatissimo scripturæ tropo, uasa doctrinæ, id est, uerba seu eloquentiam indicat Calix, ut quibus sensus in animã, sicut uase in corpus uinũ funditur. Hinc poculũ aureũ in manu meretricis magnę, plenũ abominatione et uino prostitutionis Apocal. 17. Hiere. 25. Calicẽ is propinat, qui dicẽdo seu scribendo pœnas denunciat.

Calix insuper sodalitatem & societatẽ miseriarum significat, Hiere. 25. Sume inquit calicem uini furoris huius de manu mea. Calix autem furoris, uel indignationis, est humanarum doctrinarum insania, quibus dum inebriamur, nulla est sanitas, donec ad uerum medicum Christum ueniamus, Esaiæ primo capite. Hinc prouerbium natum Hebræis, Calicem turbido uino plenum bibere, Psal. 75. est paratam, grauem, certamq; ultionem ferre & ebibere sugereq; ad fines usq;.

Calix soporis dicitur Esa. 51. cap. Expergiscere &c. Significat ecclesiã stertere profundo somno præ malis, quibus exercetur, Psal. 29. Vinum compunctionis. Item, uinum quod cum bibitur facit nutare. Sicut etiã in Psal. 106. Moti sunt pedes mei sicut ebrij. Hoc est, quod ita nonnunquam deserimur, & immergimur tentationibus, ut nullũ consiliũ, & euasio nulla appareat, ut desperabundi gemamus & suspiremus auxiliũ. Hæc enim est ebrietas, de qua Esaias dicit, quæ complectitur spiritualia & corporalia mala omnia.

¶ *Caluitij* nomine, luctus insignis uenit: nam Caluitium habitus est lugendi populis orientalibus, & dolorem testandi, ut nobis pellis indui uestibus et nutrire barbã, ua-

rius ſecundum loca & tempora, Ezech. 7 cap. Et in uniuerſis capitibus eorũ caluitium. Hiere. 47. pro lucti. Veniet, inquit, caluitium in Gazam.

Caluitium facere ſuper mortuum, Deut. 14. cap. Id eſt, quum quis ex amicis ueſtris uita functus fuerit, non tondebitis partem anteriorem capitis, quæ eſt inter oculos ueſtros, ſicut Gentes faciunt, quæ ſpem non habent.

¶ *Callidus uel Cautus* Hebraicæ Aruin. frequenter in libro Prouerbiorum pro canto & ſolerti accipitur, ut Prouerb. 14. cap. Sapientia cauti eſt intelligere uiam ſuam &c. Aliàs in malam partem pro callido & aſtuto.

¶ *Cameli* nomine ipſe dominus & populus gentilis exprimitur, Matth. 23. Excolantes culicem, camelum autem glutientes, Gen. 24. Gentilis populus deſignatur. Rebecca enim ad Iſaac ueniens, dorſo cameli deducitur, quia ad Chriſtum ex gentilitate eccleſia properans intortis uitioſiſq; uitę ueteris cõuerſationibus inuenit. Itẽ Cameli, peccatores graui, depreſsi, peccatorũ ſarcina dicũtur. Cameli nomine ſe (inquit Auguſtinus Quæſt. Euang. lib. 2. cap. 47) intelligi uidelicet, et Chriſtũ uoluit, quia humiliatus onera ſuſtulit.

¶ *Caminum* dixit ſcriptura linguam adulatoris. Certe enim de perſequutione loquitur ſcriptura, dixit, Tanquã aurum in camino ſeu fornace probauit illos. de martyribus interfectis, & ſicut holocauſti hoſtiam accepit illos &c. Auguſtinus in Pſal. 79. Et in eodẽ Pſalmo Aruit ſicut teſta uirtus mea. Paſsio quippe & Caminus tribulationis fecerat fortiorẽ. In Camino paupertatis loquutio eſt, pro, in ſumma rerũ anguſtia, Eſa. 48. Ecce excoxi te, ſed non quaſi argentum elegi te in Camino paupertatis. Ad hunc modum adflictionẽ, clibanum ignem, æſtuantem ſiue uſtionem & probationem quę igne fit ſub inde ſcriptura ſolet uocare, ut 1 Petri 4. Dilecti ne offendat ęſtus ille. Et Pſal. 16. & 65 &c.

¶ *Campus, ager* pro regione, Geneſis 32 Terra. Seir in agrum Edom. Septuaginta, εἰς χώραν, id eſt, in regionem.

¶ *Canaan* pro mercatore uel inſtitore in ſcriptura ſignificare, ex multis locis manifeſtum eſt, ut Eſa. 23. & Oſeæ 2 cap. Prouerb. ult. cap. Et cingulum uendidit Cananço, id eſt, inſtitori. Sopho. 2. Populus Canaan, pro populo mercatorũ accipit. Auguſtinus in lib. 6. cap. 15. Quæſt. ſuper Ioſue. Conſtat quod & Cananæi tanquam una gens in illis ſeptem commemorantur, & tamen uniuerſa illa terra, originaliter terra Canaan dicitur. Et Sopho. 1. Hoſeæ 12.

¶ *Canes* in ſcripturis notã habent infamiam q; ſuſtinent uiliſsimorum hominũ: quẽ admodum uidere licet Eccleſ. 9 & 2. Regũ 5 cap. Canũ quoq; ignominia in lege multis locis notata eſt, unde Deut. 23. Vbi deus uetat preciũ ſcorti ſibi afferri, ſimul adiungit precium Canis: quia uiliſsimũ animal in ſcripturis habetur, ut etiã prouerbijs ſeruiat, ſicut ait Abner, Sum ne ego caput canis? Scilicet nihil uilius potuit allegare. Canem ergo pro extremo homine uel pecore accipiunt paſsim Hebręi 2 Samuelis 3. & 16. Hinc quoq; eſt, quod non ſine ignominia ueluti contemptu digna proijciuntur, aute canes proijciũtur, ut quæ digna non ſint, quæ uel tantillo honore condantur. Sic legimus ſubinde in ſcripturis, impiorum opera iudicio domini canibus eſſe proiecta, ut de Hieroboę domo legimus 1 Regũ 14. prædictũ, & de Achab & Iezabel 1. Regũ 21. Et Hiere. 15 minatus ultionẽ dei gladiũ, inquit, ad occiſionẽ, et canes ad lacerandũ. Et Chriſtus Matth. 7 et 15 cap.

Pro extremo homine, ut dixi, uel priore, habes Exodi 11. cap. Apud omnes autẽ filios Iſrael, non mutiet canis ab homine uſq; ad pecus. Canes quoq; priſcis & etiam noſtræ ætatis hominibus dici cœperunt alienigenæ & cultu alieniſsimi, Matth. 15. Quale ſe mulier Cananæa ingenue profitetur, nimirum alienam à republica Iſraelis & ethnicã. Sic ſcriptura uſurpat pro gentili prophanoq;, hoc eſt immundo populo, quem Iſraelitæ ſiue Iudæi Canes, id eſt polluto, ſpurcoſq; ob idololatriæ, hoc eſt falſi cultus deorum ſpurcitiem & immundiciem cognominant.

Canis uocula hoſtes uerbi denotantur, Matth. 7. cap. nempe iracundos uocat contra ueritatem dei, oblatrantes, ac ſeruos dei morſibus impetentes. Nolite, inquit, ſanctum dare canibus, id eſt, obtrectatoribus, & ueritatis euangelicæ inimicis: ſunt præcipue autem hi, qui non modo ſua probant, ſed & meliora monentes lacerant, id eſt, qui ſumme perſequuntur, prudentia uel iuſticia propria adducti. Vide D. Auguſtinum.

Canes ſunt quoq; qui toto pectore dediti prophanis rebus, abhorrent ab ijs quæ ſapiunt ſanctimoniam, de quibus & Matth. 7. cap. mentio eſt.

Canes ac ſues, in uoluptatẽ cœno pſeuerãtes, elatos, immũdos, tumidos, ambitioſos, liuidos

liuidos denotant, qui tanquam canes ſpurciſsimè cuiq; oblatrant, Pſal.59. Et famem patientur ut canes. Ideò canis, ſymbolum obtrectatorum & calumniatorum.

Canum adhæc inſcripturis magna utilitas eſt & animal immundum coram deo, eò quod ſeipſum ſanguine oblectet, Eſa.66. Qui mactat pecus, quaſi qui excerebret canẽ. Ipſorumq; in Chriſtum tyrannidem fortiſsimamq; crudelitatem Canum nomine denotat Dauid Pſal. 20. Circumdederunt me canes multi, hoc eſt perſequutores et tyranni.

Canes mortui dicuntur uiri probi & boni, ſe ipſos humiliantes. Ita enim Dauid cor Saule, & Miphiboſeth filius Ionathan corã Dauide. Abner uocat ſe caput Canis. 2 Regum 4. Azahel uocat ſe canem. 4. Regum 8. Homerica Helena ſe quoq; coram Hectore catellam uocitat, Iliad. 6.

Canis mingens ad parietem, Idiotiſmus hebraicus ſignificans omnimodam interneționem & exterminium familiæ, ut 3 Regum 14. habetur. Idcirco ego inducam mala ſuper domum Hieroboam et percutiam de Hieroboã, mingentem ad parietẽ, et clauſum & derelictũ in Iſrael. Hoc eſt exterminiũ familiæ regis Hieroboam, unde ne canis quoq; euaſurus ſit. Et ſi quis illorũ recludendus ſit, et abſcondẽdus, diligentiſimè nõ tamẽ euadet mortẽ, non parcet uel infimæ ſortis hominib. de illius ſtirpe naſcituris, quia occidẽdi ſunt et extirpãdi ad unũ uſq;. Similiter 3 Regũ 21 de Achab, et aliàs ſæpe legimus.

Canis reuerſus ad uomitum 2 Petri 2. prouerbium eſt & citatur ab Solomone cap. 28 Prouerbiorum. Canes reſorbent quod euomuerunt, Sues ab amne protinus recurrunt ad cœnum. Quadrat in eos qui relabuntur in eadem flagitia, à quibus aliquando ſunt expiati. Hoc eſt, qui poſt ſanctam euangelij doctrinam redeunt ad porcinam uitam, id eſt, poſt innocentiam arreptam, denuo in ueterem uitam retrolabuntur. Præſtiterat illis, omnino non nouiſſe, ait Petrus, doctrinam euangelij, quam poſt agnitam ueritatem, quę docet deũ fide delectari & ſanctimonia, in impuritate per omnia libidinis & intẽperantię genera graſſari. Hoc quoq; eſt Canibus ſanctũ dare, quod eſt Theologię myſteria impijs ꝓdere. Antiquitas enim res ſacras paradigmatis et ænigmatis et parabolis pãdit.

Canes, hæreticorũ ſchiſmata, ut in Paulo ad Philippẽſes cap. 3. Videte canes, uidete malos operarios, uidete concisionẽ. Canes, Lupi, Vrſi, Leones et Vnicornes, nocẽtes et pernicioſi homines dicunt, beſtię dentibus formidabiles, Pſal. 58. Deus cõminue dẽtes eorũ.

Canes poſtremo non ſemper in malam partem accipiendi ſunt, alioquin non reprehenderentur apud prophetam, Eſa. 56. Canes neſcientes latrare. Et certe illi trecenti uiri non eligerentur ad uictoriam faciendam qui tanquam canes lamberent aquam, niſi aliquid magnum notarent. Deniq; quum regius propheta Pſal. 67. laudes Eccleſiæ enumerat, ſic ait, Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipſo, id eſt, qui erant inimici tui, fierent canes tui & latrarent pro te, qui ſæuiebant in te.

¶ *Cantare* uſitatiſsimum uerbum & familiare Dauidi in ſuis Pſalmis, idem eſt quod laudare, gratias agere, & prædicare ueritatem & gloriam dei, Pſal. 23. Vt cantet tibi gloria mea, & non compungar, id eſt, gratias agat, & prædicet ueritatem tuam &c.

Canticum apud prophetas parabolam intelligimus, Eſa. 26. cap. In die illa, cantabitur canticum iſtud in terra luda. Et Pſal. 68. Olim enim res maximæ carminibus complectebãtur, ut perpetua illarũ ſeruaretur memoria. Hinc prouerbium euangelicũ apud Matth. Cantauimus uobis, & non ſaltaſtis, lamentauimus, & non planxiſtis. Senſus eſt. Diuerſis rationibus tentauimus uos excitare, nec ullo pacto potuiſtis commoueri.

Cantare domino canticum nouum, eſt ueterem hominem exuere & induere nouũ, Pſal. 95. Cantate domino canticum nouum, Euangelium eſt, de quo dominus, Mãdatum, inquit nouum do uobis: quodq; à ſenioribus illis antiquis inter phialas aureas ac citharas decantatum legimus. Item, Canticum nouum, eſt ſanctæ incarnationis arcanum, ſalutaris, non ſpei noſtræ certiſsimũ documentum, ſeſsio ad dextram patris, uirtutẽ ſignificans et potentiã ſingularẽ. Pſal. 149. Cantate domino canticũ nouũ, laus etc. Cantare domino canticũ nouum, eſt ueterẽ hominẽ exuere & induere nouũ, Pſal. 95. Cantate domino canticũ nouũ, cantate domino omnis terra. Cantus deniq; ꝓ oblectatione. Cant. 2. cap. Tempus cantus aduenit, Hieronymus tranſpoſuit. Tẽpus putationis.

¶ *Candelabrum* eccleſiam (teſte Maximo) adpellat, ſupra quam uerbum diuinũ eſſulgens, quaſi quandam domũ illuminat radijs ueritatis. Similiter lucernæ uocabulo Lucæ 8 cap. uerbum deſignatur. Nunquid lucerna incenditur, ut ſubter modium ponatur, aut ſubter lectum? Non'ne & ſuper candelabrum ponatur. Lucerna eſt uerbum Dei:

quod

quod & Dauid testatus est Psal. 119. Lucernæ autem confertur, ob puritatem cœlestem, deinde ob illuminationem & effectum, denique ob elegantiam & serenitatem conscientiarum. Porrò Candelabrum ipse est uerbi Euangelij seu Domini uerbum, propagatio uel prædicatio. Annunciatur enim euangelium in domo Dei & regno Christi, ecclesia, ut omnes uideant quid agant. Atq; huius quidem rei typum olim gessit aureum illud in tabernaculo Candelabrum, Exodi 25. Et Hebr. 9. cap. Epistola mentionem facit. Constabat autem Candelabrum ex auro mundissimo, quia pura & mera debet esse ueritatis doctrina. Lucere etiam, ut omnes errorum discutiat tenebras.

¶ *Capilli capitis* copia, alicuius rei immodica, Capilli uerbo denotatur, ut in Psal. 39 & 68. Impios ait, super Capillos capitis multiplicatos, id est, incredibili multitudine auctos. Est quando cogitationes significent, autore Hysichio, in Leuit. lib. 6. cap. 19. propterea quod dixit dominus, Capilli uestri capitis omnes numerati sunt. Capilli uero capitis Dei, eius angeli et uniuersi electi, Danielis cap. 7. Et capilli eius, quasi luna munda.

¶ *Canos deducere ad inferos*, Locutio est apud Mosen, Gene. 42 & 38. Deducetis canitiem meam cum mœrore in sepulchrum, hoc est, deducetis senium meum cum mœstitia in foueam, hoc efficietis ut ego senex mœrore moriar. Die sach vvert myn todt syn, ich vvert es mueſſen sterben, Bringt mich ins grab. Et Genesis 44. Deducentq; famuli tui canos eius cum dolore ad inferos.

¶ *Captare* pro insidijs & blanditijs uenari atq; decipi, assumpta & induta persona iusticiæ, ut capiant animam iusti atq; innocentis, eiusq; sanguinem siue uitam condemnent, Psal. 93. Captabant animam iusti.

¶ *Captiuitas*, idiotismus est in scriptura non infrequens, & idem quod peccatum cui captiuitas debetur, Oseæ 6 cap. Etiam ò Iuda panis tibi segetem, in eo quod conuertor captiuitatem populi mei, Conuertere captiuitatem populi est sanare, & in cultum uerũ reuocare, Hoseæ 7. Captiuitas pro captiuis, Deut. 30. cap. Reducet te Dominus Deus tuus de captiuitate tua, id est, Reducet captiuos tuos in patriam tuã. Et Numer. 31. Captiuam duxeris captiuitatẽ, Idiotismus est. Deut. 21. cap. Id est, ex eis captiuos aliquot abduxeris. Et Paulus ex Dauidis Psalmo 68. addunt Ephe. 4 cap. Captiuam duxit captiuitatem. Pulchre Apostolus hæc uerba aptauit Christo, qui deuictis hostibus, peccato uidelicet, morte et diabolo, ab his opima abstulit spolia, totum uidelicet cœtum credentiũ, hunc enim ab istorũ liberauit tyrannide, ipsis quidẽ hostibus superatis atq; conculcatis.

Captiuus gladio, Hebraismus est, pro, captas in bello, Genesis 31 cap. Captiuas gladio. Captiuum denique ducere, nihil aliud est quàm ueritate ereptum ex mendacio in officio retinere, 2 Cor. 10 cap. Et captiuã dicimus omnẽ cogitationẽ ad obediendũ Christo.

¶ *Caput*, pro causa & origine, Col. 2. Qui est caput omnis principatus & potestatis. Nam Rosch, omne initium inchoationem apud Hebræos significat siue temporis, siue loci, siue operis, aliarumq; rerum principia, Genes. 1. cap. temporis inchoationem significat, patet id ex Chaldaica æditione, quæ loco Bresith habet Cadmin. Quæ uox Chaldeis, temporis exordium sonat, ideoq; Hebræi maiores uetereſq; suos appellant Cadmonin: quanquã eadem uox inueniatur pro mundi anteriore parte posita, id est, solis ortu.

Caput apud latinos quoq; scriptores summam principium q; rei significat, & negocium arduum, ac tum tanto periculo coniunctum, ut uita non sit in tuto. Exempla sunt passim obuia, Dicam per capita, Aductus sum in capitis discrimen, Damnatus est capitis. sic Psal. 39. In capite libri scriptum est de me, id est, in summa, siue argumento. Et Hebræorum cap. 10. Caput libri positum est, pro summa & scopo legis. Sic & Bibliorum capita, argumenta & scopi sunt, Psal. Caput circumitionis eorum, labor labiorũ ipsorũ operiet eos. Id est, epitome omnis belli. Caput deinde pro magistratu & principatu siue principe, præside regeq;, Oseæ 1 cap. Et ponent sibijpsis caput unum. 1. Samuelis 15. cap. Nomen cum paruulus esses, inquit, in oculis tuis, caput factus es in tribubus Israel. Et Dauid in Psalmis canit, Custodies me in caput Gentiũ. 1. Cor. 11. cap. Volo aũt uos scire quod omnis uiri caput Christus est, caput mulieris uir, caput uerò Christi deus, Deut. 33. cap. Psal. 17. Constituit me in caput gentiũ, id est principẽ. Et Deut. 28. In caput et nõ in Caudã: pro, eris primus omnium populorũ, et non abiectissimus. Item, In Capite populi, Deuter. 20. Hebraismus, pro, super populum. Et Genesis 47. pro rei summitate capitur, Adorant super lectuli caput. Item pro mente, aliquoties usurpatur in

tur in diuina scriptura, pro eo quod mens principatū tenet in homine. Vnde & Dauid deo dicebat: Tu cōtriuisti capita draconū super aquas. Hęc Isychius in Leuit. lib. cap. 5.

Caput interdum pro uertice, 4 Regū 1. cap. Et ecce habitabat in capite montis. Septuaginta, in uertice ipsius montis. Pro turma Hiob cap. 1. Chaldęi posuerunt tria capita: septuaginta, acies tres. Pro imaginatione & cogitatione & mente Daniel. 2. cap. Somniū tuum & uisiones capitis tui. Psal. 22. Impinguasti in oleo caput meum. Numer. cap. 5. pro debito usurpatur. Sic cap. 1. Numer. pro censu & numero, Tollite caput uel summā ut omni scilicet ciuium capita censerentur. Pro potentia et tyrannide. Nam diabolus est princeps huius mundi, sub cuius tyrannide & potestate omnes tenebamur captiui, donec illud benedictum semen ex muliere nasceretur, Christus, Gene. 3. Ipse conteret caput serpentis: regnum peccati ac mortis dominum, ut ex Rom. epistola constat. Pro homine, ut Gene. 40. Et ut est etiam apud Terent. O lepidum caput, id est, lepidum hominem, pro persona, sicut Græcis κεφαλὴ. Pro sene autoritate prędito accipi solet scriptura, unde etiam pro rege & principibus & primoribus in populo non infrequenter inueni mus, ut Esa. 7. cap. & suprà annotatum est. Capita dicuntur etiam primores, & quasi antesignani in ecclesia Christi, quales sunt Apostoli & doctores euangelici. Pro sapientia præstante, Cauda uerò pro adulante, aut postremo prophera capitur ab Esaia 9 cap.

Caput & Cauda, siue Iuncus & Ramus ponuntur prouerbialiter apud Esaiam cap. 9. quod nimirum huius ætatis fuit prouerbium: septuaginta μέγαν καὶ μικρὸν uerterunt, id est, magnum & humilem siue paruum. Fortasse à uitium staturninibus, & iuncis & culmis, quibus uites ad eas maritantur, tractum esse prouerbium, Esa. 9. cap. Ramus & Iuncus die una, uel caput & caudam disperdet Israel. Per caput nobiles & potentes intelligit, per caudā uerò uiles et uulgares: sic per Iuncū uiles, sicut algā: per ramū, ualidos & firmos. Caput & Caudā ignorare, est prouerbialis sermo, pro destitutū esse consilio quomodo ordiaris aliquid, quomodo & finias Esa. 19. cap. In Caput cōstituere, Deuter. 28. In Caput & nō in Caudā, pro eris primus omniū populorum, & nō abiectissimus.

Caput autem discooperire, est abstruere à cæremoniis lugentium, qui apertione capitis & uestimentorum discissione testabantur luctum suum, Leuit. 21. cap. Caput suū non discooperiet. Ad Caput esse. 4 Regum 2 cap. est magistrū esse, ut ad Pedes esse, discipulum. A capite tuo, id est à te. Caput contundere, est idem quod regnū ita occupare, ut capite subditi careant, nec ultra proprios habeant reges. Item fundamenta denudare, est reges & principes exautorare, deponere, à gubernatione reijcere. Rex enim & caput & fundamentum sui regni est, id est, populus & terra, trunci & corpora, Habacuc 4. Contundebas caput in domo impiorum, denudabas fundamenta, usq; ad collum.

Caput eleuare seu exaltare, iuxta usitatū tropum scripturæ, est ipsum hominem totū exaltare, in gloriam ac regnum collocare, magno honore afficere, ut 4 Regum ultimo cap. 25. de Ioachim rege Iuda &c. Psal. 3. Exaltans caput meū. Et 109. De torrente in uia bibet, propterea exaltabit caput, id est, super omnes rex constituetur. Similiter Eleuare caput, est superbire, Iudicum 8 cap.

Caput quoq; leuare, aliquando idē est quod reminiscī & recordari, recensere, numerare aut mentionē facere. Gene. 40. ad intellectū septuaginta interpretum: Post tres dies leuauit uel accipiet Pharao caput tuū. Quod & sic intelligi potest, ,,p restituet in regnū, infq; priorē statum. Habent enim & Hebræi forensia sua, quemadmodū & Iureconsultis triplex Capitis diminutio est: Infima, qua aliquis defungitur magistratu. Media, qua repellitur ac deijcitur, citra tamen ciuitatis amissionē. Summa, quū & statum & ciuitatē amittit. Porrò Recordari aūt positum est Geneseos cap. eodē, ad Hebraicam ueritatē in hæc uerba: Fecit Pharao conuiuium seruis suis, & leuauit Caput pocillatoris, & caput principis pistorū in medio seruorū syorū: Quod Latinis reddidit: Recordatus est interepulas magistri pistorum & pincernarum principis. Recordari enim hic pro mentionē facere usurpatur. Item Caput tenere in manibus, est signū magnæ tristitiæ & uehemētis doloris, ut legis 2 Regū 13 de Thamar. Impositis manibus super caput, ibat ingrediēs & clamās. Sic Hiere. 2 cap. Manibus tuis super caput tuū cōuincitis, id est, tristis et dolēs.

In caput esse, pro tenere primas, Deut. 28. Ipse erit in caput. Id est, euadet primus, tenebit primas, tu autem eris infimus, & sortis postremæ. Caput extollere, fermè eadem significatione accipitur, ut & suprà auditum est, pristinæ dignitati restituere est, Psal. 27. Et nunc extollet caput meum super hostes meos. est superiorem reddere.

& Hiere.52.cap. Adhęc De capite tollere 4 Regum 2. Nunquid noſti quia hodie Dominus tollet Dominum tuum de capite tuo? De capite tuo auferet, aiunt filij prophetarũ, Deum illum. Hoc eſt magiſterio deſtituet, ut poſt hac illi ad pedes non ſis ſeſſurus magiſtro diſcipulis. Capitis cuſtos, pro eo quod uulgo dicunt, auff ſynẽ leib vvartem. 1. Regum 28 cap. In caput, in uerticem uerti, conuerti, Cadere ſeu deſcendere, tropus ſcripturæ familiaris eſt, Pſal. 7. Conuertetur dolor eius in caput eius, Et in uerticem ipſius, iniquitas eius deſcendet. Eccle. 27. Qui in altum mittit lapidem, ſuper caput eius cadet. Eodem tropo & 2 Regum cap. 1. ſanguis tuus ſit ſuper caput tuum. Omniaq; ferè, cum mala, cum bona imprecari ſolent in caput, Deut. 33. cap. Quod caput ſcilicet ſit primum & dignius membrum totius corporis. Capitis autem corona uſurpatur pro diuitiarum ſplendore & magnificentia, Iob 19. cap. Gloriam capitis mei. Capitis uelamen ſeruitutis inſigne, Corinth. 11. cap. Quia enim ſubdita & in ipſius adiutoriũ condita eſt, ſignũ eius rei uelum quod hoc loco poteſtatem per tropum adpellauit, capiti inducere debet. Vt autem raſus uertex libertatem arguit, ita capitis uelamen ſeruitutis inſigne. ſumpta ſunt hæc ex prima conditione hominis & uiri dignitate. Capita & labia mouere conſolantium & amicorum eſt, per malignam autem imitationem, & ludibrium & contẽptum, etiam inſultantium ac irridentium, Iob. 16. Et mouerem ſuper uos caput meum. Roborarem ore meo, & conſolatio labiorum meorum retraheret. Annuimus enim & animi aſſenſum capitis mutatione teſtamur. Hac ſanè cauſa Iudæi capita mouebant crucifixo ſeruatore, de qua Pſal. 22. & 43, dicit per prophetam Dominus: Poſuiſti me cõmotionẽ capitis in pópulis, id eſt, paſſus es mihi capitis motatione illudi. Iactatũ quoque ſub Antiocho de Iudæis extremæ calamitatis prouerbium, uel certè parabolam, ut eorum ſortem pro ſumme miſera & calamitoſa, homines uſurparint. Et Pſal. 44 motionis capitis meminit. Ergo commotio capitis, deriſionis, liuoris & contemptus ſignum Pſal. 109. Et factus ſum opprobrium illis, uiderent me, & mouerunt capita ſua. Et Euangeliſta ait: Mouentes capita ſua.

Caput commouere deniq; pro dolore affici & dolere, Naum 3. cap. Quis non commouebit ſuper te capur? hoc eſt, quis dolebit ſuper te? quis iam eſſe poterit conſolator.

In caput dare iuramentum, Loquutio iſtæc apud Ezech. 17 uerſu 19 reperitur. Sic ait propheta: Viuo ego, ſi non iuramentum meum quod ſpreuit et fœdus meum quod fregit, & dabo ipſum in caput eius. Iurat Dominus perfidiam in homines ulturum ſe, tanquam in ſe peccatum ſit. Dicit enim ſuum iuramentum, quo fidem Babylonio obſtrinxit: quia nomen ſuum in uanum per illud aſſumptum, ita ut ueniat ſuper caput periuri imprecatio, אלה dicitur & ſolennibus fœderis adiungebatur. Qui non ſteterit conditionibus illis, ſic aut ſic eueniat, ſcindat in fruſta &c. Hiere. 31. cap. Inde Prouerbium etiã in alijs rebus, Redũdare in caput, recidere mala in caput autoris. Sic in caput cadere.

¶ *Characterem in dextera manu,* & fronte habere, eſt uerbo & opere cultũ impietatis palàm profiteri & approbare. Apocal. 15. cap.

¶ *Carbones,* iuxta phraſim ſcripturæ, increpationes & eximiam iram, uindictam, indignationemq; ſignificat, ut Pſal. 17. Carbones ſuccenſi ſub eo. Et 118. 139. Cadunt ſuper eos carbones ignis, pro ignitis carbonibus. Nonnunquam benefacta ſignant, accendunt enim cor dilectone, quantumlibet frigeat. Vocat prophera etiam carbones uerba legis, uelut uirentes animum anguſtia & confuſione & ſimilibus affectibus. Id autem ſæpius in Pſalmis.

Carbones ignis etiam beneficia ſiue benefacta inimicis collata, quibus prouocantur & accenduntur, ſiue inflammantur erga datorem uel collatorem beneficiorum adamandum. De his ignitis Carbonibus loquitur Paulus ad Rom. 13. citat uerò hunc locũ ex Prouerb. Salomonis lib. cap. 3. Si igitur eſurit inimicus tuus paſce illum: ſi ſitierit, pota eum aqua. Tropus eſt nõ abſimilis Germanico quum dicimus, der tricht im ſelbs ein glut vff die fuſs. Senſus eſt, Ei qui tibi malefacit, tu benefac, ut eũ beneficijs demerearis: ex quibus ſi nõ melior redditur, coaceruabit ſibi Carbones ignis in ſuum Caput, id eſt, accerſet ſibi magnam uindictam, prouocabit iram Domini in ſe. Carbones ideo ignitos in caput inimici cumulare ſeu coaceruare, nihil aliud eſt, quàm ipſum beneficijs obruere, & benefactis ipſum emolire, ut tandem igne beneficentiæ accenſus, ſibiipſi indignetur, noſtriq; tanto reddetur amantior. Vide Chryſoſtomum in cap. Matth. 5. Homil. 12. & Auguſtinum uide.

Carbones

Carbones in thuribulo, beneficia Dei significabant, quorum in oratione meminisse id decet, quo plenius & potentius ipsa precatio sursum fumiget, cœlum'que penetret, Dei gratiam eblandiens. In lege autem uetitum erat, alios quàm de altari Domini Carbones thuribulo imponere: quod significat in oratione nequaquam nostra beneſta memoranda: ut Phariseus ille Lucæ 15. cap. sed sola Dei in Christo nobis collata beneficia. Prunæ, quibus imponitur, gratiarum actio est, & enumeratio beneficiorum in oratione, quod deprecando solemus.

¶ *Carcer*, Psal. 141. Educ de carcere animam meam, ut confiteatur nomini tuo, quæ alibi Vmbra mortis & lacus appellatur. Pro ignorantiæ tenebris, quibus anima uelut carcere clauditur. Hæc Augustinus.

¶ *Carmeli* uocabulo, regio pinguis & fertilis & mõtibus consita uenit, Nahum cap. 1. Infirmatus est Basam, & Carmel, & flos Libani elanguit. Hinc Carmel Hebræis dicitur omnis locus arboribus uel seminibus consitus & incultus in montanis.

¶ *Carmen* humaniores literæ & in bonam & in malam partem accipiunt. Sacra autem scriptura tantum in bonam, Exodi 15. cap. Tunc cecinit Mose & filij Israel carmen Domino. 2. Regum 22. Locutus est Dauid Domino uerba carminis huius, Iob. 35. cap. Qui dedit carmina in nocte.

¶ *Carnis* uocabulo, aliquando ueritas humanæ naturæ, ut, Hæc iam de carne mea est. Et Rom. 1. & 9. cap. Filius Dauid secundum carnem. Et, Ex quibus Christus secundum carnem. Et, Sumus membra corporis eius, caro de carne eius, os de ossibus eius. Ephe. 5. Et Ioan. 1. Verbum caro factũ est. Et Apostolus ad Hebræos ait: In diebus carnis suæ. Per Antonomasiã, pro ipsa humanitate Christi usus est. Caro interdum cognationem & affinitatem 2. Samuelis 5. Ecce nos os tuum, & caro tua nos, Leuit. 18. Caro est patris tui. id est, cognatio est patris tui. Gen. 37. Frater enim & caro nostra est. Carnem tuam ne despexeris. Os & caro tua sumus. Caro interdum promiscuitatem hominum, & uniuersam rationalem creaturam, Psal. 63. Ad te omnis caro ueniet. Esaiæ 40. Omnis caro uidebit pariter salutem Domini. Ioelis 2. cap. Effundam spiritum meum super omnem carnem. Interim imbecillitatem humanæ naturæ, Psal. 36. Non timebo quid mihi faciat caro. Psal. 78. Recordatus est quod essent caro, spiritus uadẽs & non rediens. Hieremiæ 17. Maledictus qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum. Accipit hominem totum nunc animæ, nunc carnis appellatione notatum.

Aliquando corporalem & sensibilem conuersationem ac uitam, Galat. 3. Sic stulti estis, cum spiritu cœperitis, & carne consummamini, id est, cum spiritualem uiuendi rationem amplexi sitis audito Euangelio, hunc perfici uelitis carnali obseruatione externarum rerum legis: Quicunq; uolunt secundum faciem placere in carne, hi cogunt nos circuncidi. si quisquam alius uidetur fiduciam habere in carne, ego magis habeo, Circuncisus octauo die, Galat. 6. cap. Aliquando uerò significatur hac uoce etiam uitiositas humanæ naturæ, & quidem totius, Geneſis 6. Non disceptabit spiritus meus in homine, quia caro est. In hoc significatu, usus est isto nomine Apostolus Rom. 8. Cum scripsit legis doctrinam impediri in nobis, ac obseruatu impossibilem fieri per carnem. Et qui secundum carnem sunt, ad ea etiam ferri quæ carnis sunt. Item, sensum carnis mortem esse, & inimicitiam aduersus Deum. Debitores sumus non carni, ut secundum carnem uiuamus: nam si secundum carnem uixeritis, moriemini: quod si spiritu facta corporis mortificetis, uiuetis. Spiritu ambulate, & concupiscentias carnis non perficietis. Nam caro concupiscit aduersus spiritum, &c. Item, Porrò manifesta sunt opera carnis, quæ sunt, adulterium, scortatio, immundicia, lasciuia, simulachrorum cultus. Galat. 5. et 6. cap. Qui seminat in carnem suam, ex carne metet corruptionem. Has uerò omnes significationes esse Metonymias, uel Synecdochas, à propria uocis huius significatione deductas, partim eò quod caro pars hominis est patentior, partim quod pars imbecillior, & quæ morbis ac morti præcipuè obnoxia est.

Carnis ergo nomine non crassa hominis pars intelligitur, sed affectus carnis occultissimus & astutissimus: nimirum caput serpentis antiqui, à quo nemo sibi satis cauere potest, iuxta Psal. 19. Delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me. De huius carnis prudentia Paulus ad Rom. & Galatas multa.

Carnis nomen in Apostolicis scriptis, quicquid humanorum affectuum secundum naturam est, non modo esurire & sitire, sed & amare opes, gloriam, & huiusmodi alia,

hoc est, non modo partes hominis exteriores, sed etiam hominis naturales uires siue humanas, naturæ humanæ motiones, citra spiritus sancti auxiliũ, significat, Gen. 10. cap. Nam Hebræis Carnis uox Basthar omne externum et uisibile, imò ipsum opus adeoq; non solum carnem, sed & corpus & hominem aliquando, ut suprà dixi, significat, ut Marci 10. cap. sed una caro, id est, unum corpus. Vide D. Augustin. in Enchirid. ad Laurentium cap. 34.

Carnis fructus sunt, aut externa, qualia sunt manifesta flagitia, ut cõtumeliæ, cædes, libidines: aut interna, qualia sunt opera in speciem bona, quæ fiunt gloriæ cupidine, aut quadam praua animi uoluptate, qua sibi in uirtute placet & blanditur: qualis fuit illa speciosa Socratis aut Catonis uirtus. Ideo Caro, seu ratio humana, exterior homo, uetus homo, terrenus Adam, corpus peccati, idem sunt in sacris literis. Nam sub Carnis & Corporis uocabulo, tota humana natura tam anima quàm corpus significatur: neque enim ulla functio est corporis citra animam, neq; cõcupiscit corpus citra animam. Hunc hominem Paulus ψυχικὸν uocat, hoc est, eum qui naturalibus affectibus & motibus obnoxius est, Rom. 7. Noui enim quod in me, id est in carne mea, non habitat bonum. Caro hic pro anima & corpore accipitur, ex quibus constitutus est homo, id est, pro toto homine. Noui me nil nisi carnem esse, si mihi permittat, nihil statuo, nihil meditor, quàm quod malum est. Et significantius in Corinthijs, Animalis non percipit ea quæ sunt spiritus dei. Hebraico more posuit pro toto homine, qui sanè non constat cruda carne tantum, sed carne simul & anima. Animalem autem ab anima dixit. Nam græcè scripsit. ψυχικὸς δὲ ἄνθρωπος. Anima igitur & ipsa caro est, quod scilicet affectus, non ipsam substantiam attinet. Aliàs enim spiritus. Significat ergo Caro hoc loco totum hominem. sic Genesis 6. & 8. ut suprà. sic sæpe Caro pro genere humano ponitur, ut & suprà indicatum, ponitur. Quomodo dicitur: Videbit omnis caro salutare dei: quum caro quocunq; uertas nõ recipiat salutarẽ Christũ in hac uita, sed caro pro hominib⁹ accipit.

Carnales sunt qui rationẽ & motũ carnis sequunt. Spiritus doctrinã & cõsilium nõ audiunt, uerbum dei nihil curant, nihil credunt quod sensibus carnis non percipiunt, Rom. 8. spirituales contrà, qui unctione spiritus imbuti ueterem hominẽ abijciunt, noui facti in Christo: (uetus homo ratio est & sapientia carnalis, concupiscentia, affectus) & induunt nouum hominem, qui secundum deum creatus est, Ephe. 4. cap. Qui quæ-runt quæ sursum sunt, Col. 3. Rom. 12. cap.

Carnis uocabulũ pro re externa usurpat Paulus Hebr. 9. cap. Ac iustificationibus carnis. Et ad Rom. 4. cap. Quid ergo dicemus Abraham patrem nostrũ meruisse (εὑρηκέναι enim nõ modo inuenisse est, sed & impetrasse & meruisse) secundũ carnem, id est mentis & opere siue iustitia externa? Caro Christi uelamentũ dicitur, Hebr. cap. 10. Per uelamentum, hoc est, per carnem suam, merito uocauit uelamentũ. Suscepta enim in cœlos carne Christi, mox apparuerunt cœlestia. Vnde ipse etiam in Euangelio dixerat, Expedit uobis ut ego uadam. Et Paulus, Etiamsi cognouimus Christum secundum carnem, nunc tamen non amplius nouimus. Carnales uerò cõcupiscentiæ 1. Petri 2. cap. sunt tota scelerum & peccatorum uniuersitas, quæ ex concupiscentia animi, malorum omniũ & fonte & fomite existit. De ea re ad Rom. 7. Paulus disputat.

Carnis præterea interitus apud Paulũ ad Corinthios est, quod talis reputat iniustus et damnatus apud homines, qui faciem & conuersationẽ externam duntaxat attendunt, & secundum hanc iudicant, sic tamen, ut spiritus saluus fiat, hoc est, ut sic rubore suffusus & coram hominibus cõtemptus, pœniteat & resipiscat. Graue etenim est & horrendum facinus ecclesiam, corpus Christi, contemnere & labefactare, & ea committere ac designare, quæ exclusionem à populo dei mereantur.

Caro & homo, malè audiũt hæc duo uocabula in sacris literis, ut Psal. 150. Omnis homo mendax, & 55. Non timebo quid faciat mihi homo. Homo inquam peruersus, malus, gratia, fauoreq; dei orbatus, destitutus. Sic Paulus Rom. 8. Per carnem etiam tam intelligit externũ, quàm internũ, id est corpus & animã, ex quibus cõstitutus est homo, & quicquid non à spiritu sancto proficiscitur Rom. 7. cap. Caro interdũ pro animante, proq; uiuo & quouis spirante accipi, Gen. 8. cap. Cuncta animantia quæ sunt apud te ex omni carne, id est, animãte quod fuit in arca. Et Leuit. 17. cap. Anima enim omnis carnis in sanguine est. Carnem pro animali irrationabili accipit. Psal. 77. Ioan. 17. cap. Esa. 49. Videbit omnis caro salutare tuum, id est, omnis creatura, Hiere. 12. cap. Vlli carni.

Caro

Caro etiam pro corpore, Numer. 6. cap. Et nõ facient transire nouaculam super omnem carnem. Caro turpitudinis uel pudendis & membro uirili. Leuit. 15. cap. Qui tetigerit carnem eius, hoc est, pudendis. Et Ezech. 23. Caro asinorũ, caro eorum, id est, & quorum pudenda sunt sicut asinorum pudenda.

Præterea id obseruabis in phrasi scripturæ, ubicunq; de Carne agitur per Antithesim ad spiritum, ibi ferè per Carnem intelligas omnia contraria spiritui, ut Rom. 8. Prudentia carnis mors est, ut Gen. 8. Vbi Caro absolutè tractatur, ibi conditionem naturamq; significare scias, ut, Erunt duo in carne. Caro mea uerè est cibus, Ioan. 1. & 6.

Caro insuper pro fœmina posuit Ioannes cap. 1. Necq; ex uoluntate carnis: quia de costa quum facta esset, Adam dixit Genesis 2. Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Apostolus quoq; Ephes. 5. cap. Homo enim nunquam carnem suam odio prosequitur. Ponitur ergo Caro pro uxore, quemadmodum spiritus pro marito. Quare quia ille regit, hæc regitur: ille imperare debet, ista seruire: nam ubi caro imperat & spiritus seruit, peruersa domus est. Caro omnia externa, quæ ad corpus spectant, adpellantur, Gen. 2. cap. Erunt una caro, id est, una erit possessio, una domus, una familia, ut sint nempe integrum corpus in eadem mente, & in eadem sententia, ut Apostolus 1. Corinthi. differit. Hebraismus est. Duo in carnẽ unam, pro, Erunt una caro. Pro mortali, Esa. 40. Omnis caro fœnum, Hebr. 5. Qui in diebus carnis suæ. Caro pro morte, quæ in carne facta est, ut Rom. 8. Per carnem factum est hoc, id est, per mortem, quam in carne, & iuxta humanam naturam passus est. Sic & Ioan. 6. capite. Caro & corpus pro morte & passione Christi accipi uidemus, quod hæc in carne facta sit, & hæc nostra peccata expiata. Panis quem ego dabo, caro mea est, quam dabo pro mundi uita, & hic animam cibabit, quemadmodum panis corpus. Et ad Hebræos cap. 10. Velamentum uocat carnem: nam carne occultabatur deitas.

Pro domesticis Paulus usus est, Rom. 11. cap. Si quo modo ad æmulandum prouocem carnem meam, & saluos reddam nonnullos ex eis. Superius equidem fratres ipsos atq; cognatos adpellauit, nunc uerò carnem.

Caro & sanguis in sacris uariè accipiuntur periphrasticos hominis & omnium utrium humanarũ notatio. Hoc est pro ingenio & natura hominis. Item pro adfectibus & operibus carnis & cõcupiscentijs, & maximè pro ipsa φιλαυτίᾳ usurpari, 1. Cor. 15. cap. Caro & sanguis regnũ dei non possidebunt, id est, qui adfectus & cõcupiscentias suas sequuti fuerint, à regno dei excludentur. Interdum pro humana doctrina, uel pro hominibus seu cognatione, Leuit. 18. Caro est patris tui. Gal. 1. & 2. Non acquieui carni & sanguini, id est, hominibus, uel humanæ eruditioni nõ obtẽperaui. Nam homines nobis sanguine iunctos, cognatos, parentes, cæterosq; necessarios Caro & sanguis quandoq; significant. Sic Matth. 16. cap. Christus ad Petrũ super confessione ueræ fidei, Caro & sanguis non reuelauit tibi. Perinde ac si dixisset, Ex uiribus tuæ naturæ non intellexisti, uel ab hominibus aut à parentibus, consanguineis, affinibus nequaquam accepisti.

Caro tropicè pro substantia, Ezech. 10. cap. Et omnis caro eorum & terga eorum. Caro peccati, pro carne peccato obnoxio, Rom. 8. Caro infirmitatem denotat, ut Esa. 40. Omnis caro fœnum. Et Hebr. 6. cap. Ad hoc spiritus in scriptura proximos nostros, nõ amicos, interim neq; fratres, uocat carnem nostram, ut suprà annotatum est. Carnes sanctæ apud Hiere. 11. cap. pro uiris pijs & à contagio scelerum alienis licet accipere.

Carnem premere, & Animam in manibus gestare. Prouerbialiter utrunque dictum est, de his qui uitam suam periculis obijciunt, & sibijpsis non parcunt, hoc est, seipsos adfligunt, ingemiscunt, & corde anguntur, idem est cum sequenti tropo.

Carnes lacerare dentibus, est seipsum affligere, dolore ingemiscere & immenso affectum esse, & in modum excruciari cordeq; angi. Iob 13. cap.

Carnem hominis edere allegoricos in bonũ, est amare, bene sentire, & inde ad prædicationem eius erumpere, Ioan. 6. dum anima reficitur mundicie & dignitate carnis. Ira in malum est, cum direptione & pecuino modo discerpere, id quod in esu contigit corporali. Quando igitur in bonum transfertur esus carnis, refectionem ac saturationẽ cum uegetatione animæ insinuat ac commendat: quando autem in malum, immiserticordiam, ut Iob 19. obtrectatoribus loquitur. Ne inquit, imitemini crudeles illos, qui nõ satianitur carnibus meis.

Carnem item edere, crudelitatis est apud Iob 13. cap. auiditatem q; uindictæ sona-

re dicitur. An non dixerũt, inquit, uiri tabernaculi mei, quis dabit de carne eius ut saturemur. Hic nõ legitur, Et de Carne eius satiemur, sed Et de carne eius, intellige edamus, & nõ satiemur. Et apud eundem cap. 19. Et in cute et carne, &c. macilentiam et cutis uulnerationem illis hyperbolicis uerbis intelligit spiritus sacer.

Carnem brachij deuorare, est rem proximi inuadere, Esaiæ. 9. Et uir carnem brachij sui comedet. Etiam ingrati carnem brachij comedere dicuntur. Nam brachium totis uiribus corpori seruit, & ori cibum porrigit, à quo per ingratitudinem consumitur.

Carnem cõcedere populi, idem est quod Psal. 13. scriptum est, Deuorare plebem sicut cibum panis, est populum ad uiuum arrodere & expilare. Vide Micheam. 3 & 6. cap. Pari ratione ista loquutio apud Ezech. 5. cap. est accipienda. Propterea patres comedent filios in medio tui. Quæ loquutio crudelitatem, ut suprà, deuotat. nempe dure agere patres in filijs, quasi deuoraturi essent, dum eos uel tradunt puniendos uel iudicibus offerunt accusatos. Ad literam hæc contigisse non legimus.

Carnis gloria, uel In Carne gloriari, est fidere omni quod non est deus. De cuius Antitheti in Ioanne & Esaia sæpius. Est enim gloria & honor Dei patris in Christo. Atq; hæc est gloria, quæ Deum debet agnoscere, quod sit ipse solus iustus, fortis, sapiens, misericors, &c.

Carnem crucifigere, est mortificare ueterem hominem cum concupiscentijs, abnegare semetipsum, exuere corpus peccati, &c.

Per Carnem Satanæ Paulus exteriorem hominem intelligit, quemadmodum ad Hebræos Iustitiam carnis, exteriorem iustitiam uocat. 1. Corinth. 5. cap.

In Carne esse, est esse in operibus Carnis et iuxta Carnem uel affectus carnis uiuere, uiuere est ad præscriptum ueteris hominis, Rom. 6 & 7. cap. Vos autem non estis in carne. Quasi diceret non numero uos inter Carnales illos, sed spirituales. Carnales sunt enim qui rationem & motum carnis sequuntur, spiritus doctrinam non audiunt, uerbum Dei nihil curant, nihil credunt quod sensibus carnis non percipiũt, Rom. 8. Alibi Paulus uocat Animalẽ. Nam homo (quatenus dei spiritu renatus nõ est) non solum corpore caro est, sed & anima. Caro enim per se nihil cogitat. Et adfectus carnis in anima sunt, non in carne. Totus ergo homo qui adfectibus ducitur, caro est, quem ψυχικὸν appellat, ut & suprà auditũ est 1. Cor. 2. qui homo nequaquã percipit ea quæ dei sunt, imò sunt ei stultitia. Qui enim spiritu dei caret, quę spiritualia sunt, non spiritus, sed ratione & carnis iudicio metitur. Ideo Carnis nomẽ pro adfectibus 1. Cor. 2. dicitur et intelligit.

In carne uiuere honestius & melius ad Galatas 2. cap. usurpauit Paulus quàm in epistola ad Rom. 8. & 7. cap. Significat enim in Carne uiuere quoq; in humanis agere, Et ad Philip. eodem significatu cap. 1. accipit Apostolus: Quòd si cõtingat uiuere in carne, ea res mihi fructus est operis.

Secundum Carnem ambulare, est omnino carnis improbitates sequi, cõtempto spiritus imperio. Et spiritu ambulare est ita instituere uitam nostram, ut spiritus dei sanctus ipsa inquam fides dictat. Secundum Carnem, inquit D. Augustinus uiuere, est uiuere secundum seipsum: quia ipse homo est & uiuit, & secundum seipsum uiuit, id est, pergit quò uult: dormit quando uult, &c. Ne simus carnales, id est, in hoc seculo carnaliter uiuentes, &c. Caro pro corruptione, mortalitate & carnis. Hæc ille.

In carnem uenire 1. Ioan. 4. Omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne uenisse, ex deo est. Dixit suo more & schemate, pro eo quod est hominem induere, & in humanis agere. Nam idem in historia dixit, In sua uenit, & sui eum non receperunt, id est, semen Abrahæ induit, & inter fratres suos conuersatus.

Carnem edere seu manducare & bibere Christi, est credere, Ioan. 6. cap. Vide D. Augustinum lib. de doctrina Christ. 3 cap. & 16. cap.

Caro denique solidũ significat cibũ, perfectam & doctrinã. In sacra scriptura triplex animæ cibus inuenit, lactis scilicet, olerũ & carnis. Lactis, 1. Cor. 3. Lacte uos potaui non esca. Olerum, Rom. 14. Alius quidem credit manducare omnia, qui autem infirmus est olera manducet. Carnis, Hebr. 5. Perfectorum autem est cibus solidus. Hinc carnes, Leuit. 7. cap. In quibus solidus est cibus & perfecta scientia sacerdotibus deputatur, quia debent in omnibus esse perfecti, in doctrina, in uirtute, & in moribus. Carnis infirmitas pro adflictione, uilitate, & infima sorte conditionis ponitur.

¶ *Catechizare*, est tradere mysteria religionis Christianæ, idq; uoce uiua, hoc est prædi-

catione

catione instruere. Vocabulum istud ecclesiasticis notissimũ est. Ab hoc enim est uox Catechumenus & Catechesis.

¶ *Cathedra.* Liquet ex octauo cap. Nehemiæ & alijs quibusdã sacræ historiæ locis, in templo Cathedram fuisse extructam, unde sacerdotes legem Mosis populo in cœtum congregato prælegebant ac interpretabantur: perinde ut solent in nostris templis conspici Cathedræ sacræ, predigstuel vnd kantzelen, quas uulgo corrupte appellat Lettner, cum à prælegendo priscis nominati sunt Lectner. In Cathedra pestilentiæ aut irrisorum sedere, sicut Psalmo 1. dicitur, hoc est blasphemantium, in derisum habentium uerba, opem, salutemq; dei, &c. significat indicare atq; docere ritu & more pestilentium hominum, eorum inquam qui omnia diuina & honesta contemnunt & irrident. Cathedra pestilentiæ est, ubi cœperis consilium impiorum, id est, quicquid illis bonum uidetur & sanctum, docere & defendere, & nolueris uiam peccatorum damnari, id est, audire legem, siue uerbum dei, quod omnia nostra damnat. Sic Dauid audiuit à Nathan Propheta, sicut gentes audierunt ab Apostolis.

In Cathedra Mosis sedere autem, est docere & profiteri siue prælegere legem Mosis. Nam sedere pro tribunali Cæsareo, est iudicare iuxta legem Cæsaris, ut infrà audiemus.

¶ *Catenas ceruicum confringere*, est asserere se ex seruitute in libertatẽ. Metaphora à iumentis ferentibus iuga, Leuit. 26. Catenas ceruicum uestrarum, lora iugi uestri.

¶ *Catuli leonum* sunt ministri regni tenebrarum, quorum caput est satan leo ille rugiens, quærens quem deuoret, sub quo sunt leones, & capita illorum qui seducuntur, ut sæuiant eodem furore in ueritatis professores, ut Psal. Eripe animam meam à catulis leonum.

¶ *Caudæ* dicuntur falsi prophetæ, ob caninam adulationẽ, dum propter munuscula bene placentia principibus et plebi loquuntur: qui et alibi dicuntur canes muti, ut infrà audiemus non ualentes latrare. Dicuntur etiam Caudæ propter uilitatem, eò quod parasiti illi plerunq; è uilissima hominum fece sunt, Esa. 9. cap.

Cauda uerò blandiri prouerbialiter dicuntur, qui spe commodi impium adulãtur, à canibus translatũ. Inde est illud Esa. 9. de propheta assentatore: Propheta docens mendacium, ipse est cauda.

¶ *Cauponari*, καπηλεύειν est ad quæstum abuti re quapiam, quemadmodum ubi quis pecunia uendit, quod gratis donari oportuit, quod Petrus 2. epistol. 2. cap. ea accommodauit ad ipsos etiam homines, Cauponantes uos. Quo quidem uerbo usus est Ennius in officijs Ciceronis, Non cauponãtes bellum, sed belligerantes. Vide Chrysostomum in epist. ad Corinth. 1. capite. 2. Homil. 3. Et 2. Corin. 2. capite, Cauponantes, id est, adulterantes, & pro corrumpentes. Si quidem uereres, quicquid esset insyncerum, ac dolo fraudeq; uitiatum id κάπηλον appellabant, uelut Æschilus ait, κάπηλα προφητῶν τυχήματα, id est, cauponius proferens artes, propterea quod hoc hominum genus plerunque insyncerum est, utpote quæstu metiens omnia. Hodie aquam uino, paleas tritico miscent, & pari dominico stercus inducunt humanum, qui Euangelij prædicatores uideri uolunt, qui humana tradunt dogmata. Item qui ueritatem adulterant, peruertunt atq; obtenebrant. Fidelis dei minister uerbum sibi à Deo commissum purè tradit, nequaquam suis inseruit commodis.

¶ *Cæsaris* nomine omnis magistratus cui imperium est, uel hæreditario uel electionis iure consuetudineq; uel permissum uel traditum, intelligitur: Matth. 22. Date Cæsari quæ Cæsaris sunt. Quasi dicat Dominus, Date Deo quod debetis deo, creaturæ uerò quod creaturæ debetis. Sub nomine Cæsaris intelligitur Christus omnem creaturã seu magistratum ac hominem, quem deus ut præsit, ordinauit, sicut D. Petrus dicit, Omni humanæ creaturæ, id est, Aller geschepfft die gott verordnet hatt zu furvveseren. Sub dei ergo & Cæsaris nomine omnia intelligit ac comprehendit, quemadmodũ Paulus iubet omnibus reddere quæ debentur.

¶ *Causare ad manum*, est occasionem præbere, Exodi 21. cap. Et Deus causauit ad manum eius. Septuaginta: Sed deus tradidit in manus eius.

Causam suscipere, Latinis id potest quod Hebræis litem contendere, tueri, defendere, auxiliari, Esa. 1. capite, Causam uiduæ non suscipiunt, id est, non defendunt. Causam suscipite, id est, auxilium forte. Et sæpenumero Cicero Causam suscipere accipit pro

patrocinando dienti adesse. Nam apud Græcos αἰτία significat accusationē seu crimen Matth.27.cap.

¶ *Cedar* filius Ismaelis,ut legimus Genesis 25.cap.Impios significat. Sic Psal.120.Habitam, inquit,cum habitantibus Cedar,multum incola fuit anima mea.Intelligit Dauid homines perfidos,uiolentos,populum barbarum,ferocem,crudelem,& sine omni humanitate.Et per Metonymiam hostes ecclesiæ,inhumanos Ismaelitis pares moribus seu Arabibus:quorum omne consilium eò tendit,ut opprimant & extinguant credentes.Esaias autem credentes consolatur cap.21.post Babylonis,id est, totius impietatis ruinam,Cedar itidem comminatus exitium. Auferetur, inquit,omnis gloria Cedar,& reliquię numeri sagittariorum fortium de filijs Cedar minuentur.

¶ *Cedri* nomine superba potentia impiorū exprimit,ut Psal.78.Vox domini confringentis Cedros,hoc est,sublimes,excelsos,potētes,Esa.2.Reges illos.Triginta unū intelligit,qui citra Libanum montem Syriæ habitabant,quos Iosua percussit trans Iordanem,ut legis Iosue 12. capite,Cedri,Cypariſsi designant regnum Assyriorum,Ezech. 31. capite. Cedrus interdum in bonam partem usurpatur, ut Psalmo 92. Iustus uelut palma florebit,& tanquam Cedrus in Libano crescet.Iustos & credentes intelligit.Interim in malam partem sumitur.Nam malorum potentiam scriptura passim similitudine Cedrorum exprimit,ut suprà citatum est.Cedri aliæ arbores sunt,sed in Libano altissimæ.Vnde Eccle.24.Sicut Cedrus exaltata sum in Libano:Cedrus Dei,pro magnifica & procera.

Cedrus denique cœlestis gloriæ celsitudo est Psal.89.Iustus ut palma florebit,ut Cedrus Libani multiplicabitur.

¶ *Celeusma* græcè,Latinè clamor & adhortatio nautarum,est inuicem sese ad operas admonentium.transsumitur autem ad quamlibet exhortationē alacrem,ut 1.Thessal.4.capite.Hortatus ille apud Paulum nil aliud est,quàm uox Archangeli,aliud nihil est,quàm tuba dei:ut hæc quid aliud est quàm uox Dei?de qua apud Ioannem 5.capite legere est.De hac uoce apud Hieremiam 25.48.54.cap.Vox nautarum & prę|liantiū est.Ein uermanlich geschrey,oder lermen geschrey.Sic ait Hieremias 51.cap.Et super te Celeusma cantabitur,ut uindemiatores suum canere consueuerunt celeusma,torcularia|q; calcantes.Sic triumphale contra te carmen concinent pro adepta uictoria,pro tantæ urbis & monarchiæ usurpatione.

¶ Cœlum,Hebraicè Schamaijm apud Hebræos plurale est, nunquam singulare, hanc ob causam sæpe plurale pro singulari ponitur.Quemadmodum apud Latinos ciuitatum nomina, ut Thebæ,Athenæ.Esaiæ primo,Audi Cœlum:id enim consuetudinis habent,ut quum nomen plurale eis sit,et singulariter intelligi uelint,uerbum singulare ei ascribunt,Genesis primo capite,In principio creauit Deus cœlum & terram. Apostolus etiam hoc idiomate usus,Philippensium tertio capite:Nostra enim conuersatio in cœlis est,ex quo & saluatorem expectamus Dominum Iesum Christum.Item Aer Racia Hebraicè,expensum illud est quod Genesis 1. capite legimus,Deum condidisse die secundo,Cœlos uocatum:& posuisse interstitium inter aquas supernas & infernas,id est,raras illas & subtiliores,eo|q; in sublimi pendentes & crassos graues|q;,quæ infrà uel stagnant uel fluunt.Vide Diuum Augustinum de Genesi ad literam libro secundo,capite 4.

Notum quoq; est etiam in scripturis cœlos non secundum sphæras,ut Mathematici solent,sed iuxta portiones terræ,quemadmodum & ipsam terram,distribui.Et mos Hebreæ linguæ est,ut sic de cœlo loquatur,ut multos cœlos faciat.Nam cuiq; terræ suū cœlum tribuit,id est,eam partem,quam quæuis terra conspicit,& quantum oculis prospici potest,hoc Hebræi Cœlum dicunt,Mathematici uerò & nos Horizontē dicimus. Vnde in Dominica precatione dicimus,Qui es in cœlis,hoc est in omnibus omnium terrarum cœlis seu Horizontibus.Sic lucis Dei in cœlis,qui supra eiusmodi regiones erant, sonabat.Et in quo cœlo præconium eius erat,in eius cœli terra & gloria eius fulgebat. Sic Deuteronomij 19.capite,Ecce domini Dei tui Cœlum est,& Cœlum cœlorum.Et alibi,Dabit Cœlum,quod supra te est ferreum,scilicet ut aliud Cœlum huius,& aliud Cœlum alterius populus significet:uerum hoc Deus omnium Cœlorum,hoc est super omnes Cœlos,omnia terræ climata,in omni Horizonte regnans.Et non Iudæorum deus tantum,sed omnium quoque gentium:Psal.113.Cœlum cœlorum dedit domino, terram

terram autem filijs hominum, similiter Fines Cœlorum appellat scriptura quos Horizontes nostri uocant. Sic Psal. 18. Egressus eius & occursus eius à summo cœlo usq; ad summum eius. uel in Hebræo: A fine cœlorum exitus eius & ambitus ad finem eorum, ut summum Cœlorum & summum eorum, hoc Psalmo dicatur eodem Tropo, quo Christus Matth. 24 cap. differit.

Cœlum ergo principio pro firmamento & extensione illa, cui insunt astra, quæ appellantur exercitus & ornatus Cœlorum. Testimonia sunt 8. 19. Gene. & passim in sacris Bibliis. Hinc extensio pro firmamento, Gene. 1. & passim alias. Sit extensio in medio aquarum. Septuaginta στερέωμα. Ex quo tam uasto & magnifico opificio opificis dei maiestatem & potentiam identidem scriptura cõmendat, ut Iob 19 cap. Psal. 102 & passim sane in Psalmis & prophetis, Vnde & firmamentum ipsum cœli cœlorum uocatur, Psal. 148. quod maximè omnium conspiciatur, sensuiq; nostro expositum sit, ut Laudate eum cœli cœlorum. Videtur uoluisse Dauid sic uastam illam amplitudinem aeris, terram & mare ambientis, ingentiq; altitudine eminentis, exprimere, Vide D. August. lib. 2. de Genesi ad literam. Item Cœlum crystallinum & firmamentum idem, Cœli illius extensio siue porrectio, siue effusio, Hebraice appellatur Rachia, seu Ractia, ut suprà meminimus: aut id quod extenditur ac diffunditur, ut uela & Cortinæ, ut Exodi capite 39. Extendent laminas aureas. Sciendum itaque est, diuinas scripturas ita loqui solitas, ut quum elementa diffusa sint, ac longissime porrecta, dicant Deum ea effudisse, atq; porrexisse. ideo Esa. 42. Quis extendit terram & germina porrexit terram præter me.

Secundo usurpatur Cœlum et pro media illa regione aeris & ipso aere qui supra nos est. Hoc est ubi uenti & nubes & procellæ & turbines fiunt. Et hoc non solum scripturarum consuetudine, uerumetiam nos sermone communi hunc aerem Cœlũ appellamus. Nam quũ de sereno uel nubilo quærimus, aliquando dicimus: Qualis est aer? aliquando: Quale est cœlũ? Psal. 148. Qui operit Cœlũ nubibus & parat terræ pluuiã. Inde aues dicuntur aues Cœli, quasi tu dicas aericolæ. Aues cœli, & uolatilia cœli: quum manifestũ sit aues in aere uolare. Et alibi Dominus quũ de nubibus loqueretur: Faciem inquit, cœli potestis probare. Et Dauid, Et intonuit de cœlo dominus, Cœlorum & Ætheris nomina Psaltes pro eodem usus est. Et Genesis 1. cap. Æthera uocauit Cœlos.

Tertio, Cœlum item supremum ponitur pro throno & habitatione siue habitaculo dei, loco præsentiæ dei, clariore scilicet diuinæ lucis reuelatione metaphoricos significat, citra hoc tamen quod certo sensibus loco, uel deus, uel diuina includuntur, Psal. 103. Dominus in cœlis parauit solium suum. Et Matth. 5. cap. Ne iuretis per Cœlum, quia thronus dei est. Et quanquam deus infinitus nullo circumscribatur loco, dicente sapientiss. mortalium Solomone. 3 Reg. 8. cap. Si Cœlum & cœli cœlorum te non possunt capere, quanto minus domus hæc? attamen scriptura appellat Cœlũ, quod supra nos est habitationẽ dei, eamq; habitationẽ beatis designat, ac Cœlũ uocat, attestante Paulo ac dicente. Scimus quod si terrenũ nostrũ domicilium huius tabernaculi destructũ fuerit, ædificationem ex deo habemus, domicilium non manu factum, æternum in cœlis. Cœlum atque hac significatione appellatur regnum dei, regnũ patris, gloria dei inuisibilis, & lux inaccessa, quam deus inhabitat, hoc est, spirituale firmamentũ uocatur, ubi habitat sempiterna iusticia. Gaudium quoq; dicitur, uita perpetua, Æterna pax atq; tranquillitas. Hoc Cœlum sedes inquam beatorum, certus est locus, in quem receptus est dominus Iesus ascendens in cœlum. Et Paulus de hac inuisibili gloria dei. 1 Timoth. 6. cap. reuelatum diuinæ maiestatis splendorem, hac tãm nemo potuit ascendere præter unigenitũ dei, quãm nemo præter eum, patrem agnoscere, Ioan. 1. cap.

Huic in Cœlo adscribi, est in beatorũ Cœlum receptum esse: quum sit iam in Terrã scribi, est ex beatorũ numero repelli, Hiere. 17 cap. Cœlũ item accipitur pro rebus cœlestibus & diuinis, uel spiritualibus & summis, & omnia quæ sursum sunt, aerem, ignes, corpora cœlestia omnia cum specialibus creaturis, quæ sunt in Cœlis, & sensibus nostris capi non possunt: ut sunt spiritales atque inuisibiles substantiæ. Econtra, Per Terram uerò omne id quod est terrenum, corporeum ac uisibile intelligitur, Gene. 1. cap. Scriptura frequenter in hyperbolicis locutionibus, quibus uniuersitatem ostendere solet, Cœlum terræ coniungit. Sic Moses dixit, Deut. 32 capite, Audite Cœli quæ loquar, audiat terra uerba oris mei. Et Esaiæ. 1. capite, Audite Cœli, & auribus percipe

terra. Matth. ultimo capite, Data est mihi potestas in cœlo & in terra. Hoc est omnium etiam inferorum. Col. 1. Siue quæ in cœlo, siue quæ in terra. Id est, uniuersa, quæcunque hanc pacem consequi possunt. Et Ephe. 1. cap.

Cœlum & Terram concutere, est omnia posse & omnia habere in potestate, Haggæi 2. cap. Ego concutio cœlum & terram.

Cœlum adhæc pro noua ac cœlesti uita, ad quam per Christi spiritū renati sunt credentes, accipitur, Apocalypsis 4. cap. Rom. 6. Ephe. 2. Et Philip. 3 cap. Cœlum mærere, est obtenebrescere & tempestatibus terrere, Hiere. 4 cap. Et cœli mærebant desuper. Item Cœlorum nomine aliquando accipiuntur apud sanctos scriptores pij in hoc seculo degētes. Itē, In cœlos, id est, in altū, Deuteronom. Ciuitates magnas & munitas in cœlos.

Cœli columnæ dicuntur terra ac montes, quibus iuxta puerilem opinionem incumbere uidentur, Iob 26. cap. Columnæ cœli contremiscunt. Item Cœlorum apertio, de qua Marcus scribit 2 cap. Visio fuit aperientis se, & coram exhibentis maiestatis diuinę. Sicut & Ezechiel sibi apertos fuisse Cœlos commemorat, quum uidit uisiones dei. Ita Stephanus Actorum 7. cap. Quid hoc aliud fuit quàm apertior aliqua diuinæ maiestatis reuelatio, & manifestior Christi apparitio et cognitio? Sic cœlū de quo Christus ait, Ioan. 3. quid aliud est quàm apertio dei præsentia, & plenior diuinitatis persecutio? Nec aliud est tertium illud cœlum, de quo Paulus arcana uerba audiuit. Vt enim Cœli cunctis creaturas corporalibus modis omnibus præstant: ita cœperant spiritualia per ea significari, & deo ipsi sedes haberi, quæcunq; deniq; præter communem naturæ ordinem diuinitus donantur, cœlitus dimissa dicuntur. Sicq; Cœli fenestræ aperiuntur, quando ira dei manifeste & copiose effunditur, sicut quodam impetu defluunt imbres et tempore diluuij, Genesis 7 cap. Cataractas cœli dicere apertus esse possumus, et hoc dictum in prouerbium trahere, & uti eo quoties grauior super nos ira dei inducitur, Apocalyp. 16. cap. Effunduntur phialæ iræ dei. Numer. 1. cap. Effusæ est indignatio iræ. Dicuntur à διαῤῥήγνυμι, id est, disrumpo, discindo, uel deorsum ruo: quo nomine significantur cœli quædam fenestræ, ut à quibusdam asseritur, qui ad Hebræum respiciunt, sed aquarum quoque est loco eminentissimo atque præcipiti descensus, de quibus apud historicos creberrima mentio.

Cœli pro deo, Danielis 4 cap. Vbi agnoueris quod dominetur Cœli. Cœlum quoq; tristari dicitur, quando nullum è superius expectatur auxilium, Hiere. 4 cap. Cœlorum nomine Apostoli Christi significati sunt, quod in eis deus præsideret, ut euangelium annunciarent. Iam ergo Cœli enarrauerunt gloriam dei &c. Cœli cœlorum qui dicantur Augustino. Vide ipsum de Genesi ad literam lib. 3. cap. 1. Idem de Sermone Domini in monte, lib. 1. Et in Psal. 49. & 113. & in lib. Confess cap. 12.

Cœli & Terræ præterea nomine mundus uniuersus intelligitur. ut: Et qui fecisti cœlum & terram, hoc est mundum. Augustinus de moribus ecclesiæ. Vide insuper Athanasium in Quæst. ad Antioch.

Cœlum soliū meum, & terra scabellum pedum, Esa. 66. Hoc modo periphrasticos diuinā substantiā et potentiā designant, quasi diceret, is sum qui ubiq; est, & à quo omnia moderantur. Cœli deliciæ dicitur ros, ut Deut. 33. Benedicta erit terra eius ob rorem delicatissimum quo superne irrigabitur, tempore id exigente. Hebræus Delicias Cœli uocat rorē. Cœlum æneum, Deut. 21. cap. uocat ideo quod non pluat & Terrā ferream et æneam, quæ nō arari potest. Et Leuit. 26. Cœlū desuper sicut ferrū, & terrā æneā, id est, aer ipse nō uertetur posthac in pluuiam: & terra uestra nō dabit fructū solitum. Cœlū testē inuocare, Deut. 32. Et inuocabo contra eos cœlū & terram. Quasi dicat: uolo creaturas permanente, citare testes cōtra uos etc. In Cœlo esse, Ioan. 3. est cœlos inhabitare. et omnium rerum cœlestium adeoq; omnium arcanorum dei consilium esse. Cœlorum uirtutes deniq; est omnis cœli exercitus, omnis militia, omnes planetæ, Matthæi 24. Et uirtutes cœlorum commouebuntur.

¶ *Censere*, per Metalepsin pro desiderare solent, uti Hebræi creberrimè, quod in libris Mosaicis passim obuiū est, Esa. 38. cap. Et residuū annorum meorū etc. Fit enim, ut quū recenseantur post cladē aliquā copię, plurimi desiderent. Censum aūt agere, est recensere hominū facultates, Lucæ 2 cap. Vt exiret decretū à Cęs. Augusto, ut censeret totus orbis.

¶ *Ceremoniæ* sunt externæ obseruationes & ritus sacrificorū, de dierū discrimine, de uestibus &c. Et erant hæ obseruationes circumscriptæ locis, temporibus, personis, & mandatæ

mandatæ à Domino in ueteri teſtamento, ad tempus. Erant autem umbrę futurorum, corpus autē Chriſti. Has ceremonias uocat Paulus Elemēta huius mundi. Ceremoniæ pro iuſtitia, Pſal. 88. Si ceremonias prophanauerint meas. Septuaginta, Iuſtificationes, Ceremonias, idem Dauid, iudicium & teſtimonium pro eodem accipit Pſal. 81 uerſu. 5.

¶ *Cinis* nomine pœnitentia & humiliatio animi cordiſq; demonſtrat, ſicut ſacri nomine, ut infrà litera S. audiemus, Hiob. 16. ſaccum conſui ſuper cutem meam, & operui Cinere carnem meam.

¶ *Cernere deum*, eſt cognoſcere eius miſericordiam & iram, ſentire eum iudicantem nos, & rurſus ſentire erigentem & uiuificantem nos.

¶ *Cera liqueſcens*, In Pſal. 21. Dominus in cruce pendens, Factum eſt, ait, cor meum tāquam Cera liqueſcens in medio uentris mei. Atq; huiuſmodi uerbis deſtitutum ſe teſtatur uitali uirtute: diffluxit enim cor in quo reſidet uita ad modū Ceræ, dum igni admouetur, Neq; ab hac ſententia abhorrent ſacræ literæ Euangelicæ, Ioanne perhibente latus dominicum ferro fuiſſe transfixum.

¶ *Ceruus* frequenter hoc animal in bono uſurpatur Pſal. 41. ſicut ceruus deſiderat ad fontes aquarū, Pſal. 17. Qui perfecit pedes meos tanquam Cerui, & ſuper excelſa ſtatuit me. Ceruus chariſſima et Hinnulus gratiſſima: ſiue Cerua amorū et Hinnulus gratię, id eſt, gratioſus proprietate linguę pro amantiſſima & gratioſiſſima ſponſa. Prouer. 5. cap.

¶ *Ceruix* idem eſt quod ſuperbia, Hiob 13. Et redigentur in lutum ceruices ueſtræ: Quemadmodum in malis ſuperbiam, ſic in bonis libertatis erectionem ſignat. Ceruix dura pro contumacia, Deut. 32. Ceruicem tuam duriſſimam. Id eſt, tuam contumaciam quam impatiens fis imperij & iugi.

Ceruicem indurare, eſt recuſare Domino obſequi, Deut. 10. cap. Ceruicem ueſtram ne induretis amplius, hoc eſt ne poſt hac recuſatis domino obtemperare.

¶ *Ceſſare*, Hebræi cum Latinis non tam pro deſinere, quàm pro comperendinare, negare, detrectare accipiunt, Eſa. 32. Quū ceſſaturi uindemia, & collectio non ueniet, id eſt, negatur. Pro nolle, Pſal. 35. Ceſſauit intelligere benefacere. Septuaginta, id eſt, uoluit.

¶ *Charitatis* uocabulum, quod Septuaginta ἀγαπὴν ſolēt uertere, accipitur à Ioanne 2 cap. 1. pro amicitia, religione & cōiunctione. Sicq; ponitur pro ipſo deo diligente, ſicut Herculis robur & Cæſaris maieſtas pro ipſo Hercule & Cæſare uſurpamus. Et Paulus 2 Cor. 2. cap. Efficite ut in illum uideat charitas, pro condonatione ponit. Begnadend in yvider, verzyhends im, ſchenckens im. Pro dono & beneficentia, ut 2. Corinth. 2 cap. Geminam inirem gratiam. & in priori Epiſtola ſæpe ponitur. Et 1 Ioan. 4. Timor non eſt in charitate, ſed perfecta charitas foras eiicit timorem. Timorem accipi pro deſperatione, charitatem uerò pro fide certaq; fiducia dei, ex contextus circumſtantijs manifeſte liquet. Pro Eleemoſyna, Hebr. 6. Non eſt enim iniuſtus dominus ut obliuiſcatur operis ueſtri, & charitatis quam oſtendiſtis in nomine ipſius, quia miniſtraſtis ſanctis & miniſtratis. Charitas, fides & ſpes idem ſunt, diuerſis tamen rationibus. Si tota ſpes tua deo nititur, ſi ei certa fide niteris, ſi deus ſolus theſaurus eſt cordis tui, in aurum diligis eum. Sola charitas cunctas perficit uirtutes, glutinat, colligit, nectit. Si uerum fateri uolumus de fide & ſpe, imò & Charitate, eadem prorſus ſunt, niſi quod incrementa unæ rei alia atq; alia induunt nomina. Hinc ad Corinth. 1. cap. 13. Nunc autem, ait, manet fides, ſpes & Charitas, tria hæc, ſed maxima in his Charitas. Nam tria hæc complectitur, imò pietas & religio uera, neq; aliud ſunt quàm ardens in domino cor. Verum natura prœcedit fides per quam cognoſcimus cui inuitamur. Sequitur autem ſpes, qua iam in cognita re duramus, idq; in ipſa expectamus quod fide expectandum didicimus. At Charitas, id eſt amor dei, colophon eſt, & extendit ſe, & omnium latiſsime ſeſe diffundit in opera erga deum & proximum. Nam impletio legis eſt. Itaq; uides unam atq; eandem rem eſſe, quæ ex affectu & incremento uaria indipiſcitur nomina. Eadem enim fides, iam ſpes, mox uero Charitas appellatur, quæ tamen eſt una pietas. Tradiderunt enim Gentilium uates tres eſſe Gratias, ſed ita connexas, ut una uideatur, alteraq; trahit alteram. Vnde hoc prouerbium, Gratia gratiam parit.

Charitatem dare dixit Ioannes in 1. Canon. 3. cap. pro eo quod eſt beneficium exhibere & dilectionem aliquo præclaro facinore commendare. Videte, inquit, qualē Charitatem dedit nobis pater, &c.

Charitas non excidet, 1. Corinth. 13. id eſt, ubi charitas eſt, illic non peccatur, man felt

nit,

nit, nusquam ociosa est charitas. Non debet exponi, non cessabit. Charitas non fallit, uel charitas officij aut operationis suæ non obliuiscitur. Sic enim Latinis quoq; Excidere, pro obliuisci aut deserere crebro accipitur 1. Corinth. 13. capite, uox illa Græca ἐκπίπτει, qua Paulus usus est, nequaquã per intercidendi aut pereundi uerbũ exponẽda.

¶ *Cherubim*, uehicula Dei sunt, id est, ministri Dei, siue homines sint, siue cœli, angeli, elementa, Ezech. 10. cap. Cumq; ambularent Cherubim, ibant, &c.

¶ *Christus* est dignitatis & officij uocabulum. Iesus autem saluatoris nostri proprium fuit nomen. Verè enim Tertullianus aduersus Praxeam dicit, Christus non esse nomẽ, sed appellationem: perinde ac si quis dicat uestitus, id quod sit accidens nomini res, nõ nomẽ. Significat enim Christus, unctus: nam uocabulum græcanicum est, à Latinis tamen & Germanis receptum. Græci dicunt χριστὸς, Latini & Germani Christus, Hebræi Meschiach siue Messias, quod ipsum quoq; significat unctus. Christi uocabulum Messias amplissimum est, & latissime patet: unde in Actis apostolicis legimus, omnes omnium Apostolorum disputationes & contentiones in hoc intensas directasq; fuisse, ut euincerent Iesum esse Christum: nimirum saluatorẽ illum regem & sacerdotem, quem in lege & prophetis promisit Deus. Olim enim ungebantur oleo reges ac sacerdotes, ac Christi, id est, iusti Domini dicebantur haud dubiè in typum Christi saluatoris nostri, qui tamen nullibi legitur externo delibutus esse chrismate, eo quod longè maiora & angustiora ipsum manebant.

Christus est pignus diuinæ promissionis, per quem & gratia, hoc est, fauor Dei, & spiritus sanctus promissus est, qui corda illuminat, inuocat & legem implet. Christum adpellat scriptura Dominum nostrum, maiestatis nomine, ne quis contemnendum putet eum propterea quod homo propter nos, ad formam crucis se demiserit, & est gratiæ commendatio, quod deus in quem peccauimus, est factus pater noster, eris dominus noster, qui propter peccata nostra mortuus est.

Christi exire & relinquere mundum, est carnem assumere. Relinquere mundum, est carnem assumptam in cœlos subducere: nam iuxta diuinam naturam Christus non reliquit mundum, sine quo constare non posset.

Christum induere, est idem cum ipso fieri, adeoq; incorporari ipsi, Galat. 3. cap. Christum est Christo esse similem, Christum tota uita exprimere sic uiuere sicut Christus uixit, tota uita exprimere noua illum mortificare mẽbra quæ super terram sunt. Contrà, pellibus ferinis indui, ut est in Genesi, est sic uiuere quemadmodum beluæ uiuunt, ad fectibus traditum esse. Et induit eos, inquit Moses Gen. 3. pellibus ferinis.

Christum nosse siue cognoscere, est Christo fidere, non quærere alibi salutẽ & uitã.

Christum manducare, Ioan 6. cap. est credere in ipsum. Nam per manducationem & bibitionem corporis & sanguinis sui, nihil aliud intelligere, quàm ut credamus ipsum corpus & sanguinem suum in mortem, pro nobis dedisse, ut uiueremus ipsi.

In Christo esse, est ei fidere, & firma fide hærere, Ioan. 6. Omnis qui credit illi, is iustus est, is legem impleuit, is peccatis caret. Ad Christum uenire, edere Christum & credere in Christum, idem pollet, Ioan. 6. Qui ad me uenit, id est, qui credit in me, der sich an mich lasst, Qui mihi confidit. In Christo manere, est per amorem quod se pro nobis exposuit, Deo firmiter adhærere, sed amor Deus ipse est. 1. Ioan. 4. In Christum uel in mortem eius baptizari, nihil aliud quàm initiari ac astringi, ad id quod pristinæ uitæ mori atque nouam in fide per Christum debeamus uiuere, Rom. 5. cap. An ignoratis, &c. Christo insiti sunt, qui fidunt Deo per Christum, qui non secundum carnem, sed secundum spiritum ambulant, 2. Corinth. 5. cap.

Christum lucrifacere, est illi per fidem coniungi & per eius iustitiam iustificari, ac absolui, Philip. 3. cap. Habeoq; pro ruderibus & Christum lucrifaciam. Christum habere, est habere seruatorem ac mediatorẽ, qui eõ nos perduxit, ut deus iam noster sit, apud quem etiam omnẽ nobis gratiã impetrauit. Christum ignorare, est ignorare quur nam crucifixus sit: quæ ubi ignoramus, iam nihil nõ facinoris designamus: quippe qui quur piè, quur sobriè uiuendũ sit, nescimus. 1. Petri 1. Dum adhuc ignoratis Christum.

Christo credere, obedire est Christo. Et uoluntatẽ Christi facere quoq;, est idem quod credere in Christum. Hæc Chrysostomus.

Christus peccato mortuus fuit, Rom. 6. Id est propter peccatum: ut scilicet peccatũ occideretur, tolleret, mortuus est Christus. Nos uerò peccato, id est, carni debemus mori ui

esse

esse, ut carni posthac, sed deo uiuamus per Christū, ut simus noua creatura in Christo.

Christū ad dexterā patris sedere, est esse in summa beatitudine, ubi iustitia et pax, & gaudium, sicut ad sinistram hœdi constituūtur, id est, in miseria propter iniquitates & labores atq; cruciatus. Sedere ergo quod dicitur deus, non membrorum positionem sed iudiciariam significat potestatē, qua illa maiestas nunquam caret, semper digna dignis tribuenda: quamuis in extremo iudicio multo manifestius inter homines unigeniti filij dei iudicis uirorum atq; mortuorum claritas indubitata falsura sit.

¶ *Christi nomina.* Messias Hebraice appellatur, quia totius propheticę sacerdotalis et regiæ dignitatis imminentia diuinitus insignitus.

Christus, uel pontificale uel regium nomen est, dei patris unigenitus filius æternus. Soter græcè saluator aut seruator Latinè, eò quod cunctis gentibus in salutem missus est. Verbū, uirtus, sapiētia, Dextera, Brachium, Margarita, Thesaurus, Fons aquæ uiuæ, Gigas & Heros Psal. 18. Pater futuri seculi. Lapis angularis, Homo, Petra, Retia, Aratrum. Vitulus. Aquila. Leo de tribu Iuda. Via, ueritas, uita. Emanuel. Verbum caro factū est. Caro. Principium. Os dei. Manus. Antiquus dierum Danielis 7. Agnus ab origine mundi occisus. Deus Zebaoth, id est, exercituū dicitur. Sanctus sanctorum, Danielis 9. Admirabilis. Esa. 9. Consiliarius, Deus Dauid, Hiere. 23. 30. Hoseæ 3. Psal. 107. Dilectus 89. Dominus, Cant. 12. Deus & præceptor gentium, Esa. 56. Expeditus, Esa. 8. Flos de radice Iesse, Esa. 11. Thronus gratiæ. Hebr. 4. Sanctus sanctorum iuxta Danielem. Fortis, Esa. 9. Fundamentum siue princeps pacis, Esa. 11. cap. Virga et surculus, Esa. 4. Germen delectabile. 28. Facies dei, Malach. 2 Germen. Zacha. 9. Germen domini, Esa. 4. Germē iusticiæ, Hiere. 23. Hinnulus Ceruorū, Gene. 2. Iustus. Zach. 9. Esa. 51. Terræ fructus, Esa. 4. Verbum iusticiæ, Esa. 45. & 62. cap. Lapis probatus Esa. 28, Matth. 23. Ioan. 13. Oleum effusum, Lapis preciosus, Lapis fundamēti, Psal. 118. Matth. 23. Pulcher et decorus, Cant. 1. Pontifex, Heb. 5. Prædator, Esa. 9. Rex, Hiere. 23. Rex gentium, Oseæ 14. Psal. 210. Esa. 45. Ros, Hoseæ 6. Radix Dauid, Apocal. 5. Salomon, Cant. 3. Schadai, Psal. 19. Signū populorum, Esa. 11. Ezech. 17. Tener, ibidem. Vir pugnæ, Exodi 15. Primogenitus inter multos fratres, imago & gloria dei atq; figura, Angelus magni consilij, Pastor magnus & eorum princeps. Ouis, Gallina, sol, Lux mundi, Lumen, Oriens ex alto, splēdor patris, sponsus, propheta, mediator, propitiatorium, Sacerdos, Rex, Nazarenus, sanctus, Panis uitæ, Aries, Hœdus, Serpens, Vermis. Aliaq; innumera, à quibus omnibus Christus ipse in sacris literis uocari consueuit. Nimirum, quia ipse est plenitudo legis, ideò subinde inculcatur & memoratur, ut nihil aliud tam in lege, quàm propheris, præter unum Christum quæramus, fideq; constanti obseruemus. Orationes hæ: Per nomen tuum, uel in nomine tuo, aut propter nomē tuum, & huiusmodi, eum sensum habent Hebræis, quem illæ nostræ: Oro tuam maiestatem, gloriam, bonitatem, omnipotentiā, magnificentiam &c. Præstantiæ tuæ placeat: ut enim his nihil plus dicitur, quàm si diceretur: Oro te, & tibi placeat, nisi quod hoc modo simul honorare uidemur eum, Cui, uel de quo ad hunc loquimur: ita quum Christus dicit patri, Manifestaui nomen tuum fratribus meis, perinde est ac si dixisset, manifestaui te. Sic quum identidem in scripturis dicitur. Libera nos propter nomen tuum, id est propter temetipsum. Quid sit deniq; Christo ministrare. Et Credere Christum & in Christum, Vide D. Augustinum.

¶ *Chirographum mortis*, ut est Colloss. cap. 2. Deleto Chirographo. Debitum Paulus intelligit, quasi manu nos scripsissemus, literis & syngraphum dedissemus, qua obnoxios fecissemus nos morti & debitores constituissemus. Similitudo à communi hominum usu sumpta.

¶ *Cibi et Panis* nomine, uita & diuinis & humanis literis consonum est, quum cōmeatus siue annona pro uictu capiatur, & uictus à uita dictus. Item Cibi nomine & potus continetur. Sic Ioannes pro salute capit, Meus cibus est, ut faciam uoluntatem patris. Cibus & lac. 1 Cor 3. Lac imperfectam doctrinam, Cibum uerò perfectam adpellat: Lacte uos, inquit, potaui & non cibo. Pro abundantia, Malachiæ 3 cap. Inferte omnem decimam in domum thesauri, & sit cibus in domo cura. Scriptura sacra aliquando cibus, aliquando potus nobis esse dicitur. Cibus in locis obscurioribus, quia quasi exponendo, frangitur, & mandendo glutitur, Threnorum 4 cap. Paruuli petierunt panem & non erat qui frangeret eis. Potus uerò in locis apertioribus, Esa. 55. cap. Omnes sitientes uenite ad aquas, Ioan. 7. Si quis sitit, ueniat ad me & bibat.

Cibum

Cibum capere cum flagitiosis prohibet Paulus 1. Cor. 5. Cõuersationem enim & amicitiam prohibet, certe ne consuetudine uelut cõtagione paribus inficiamur morbis. Mensa enim, amicitiæ symbolum fuit apud ueteres.

Cibare uerò uerbum est, quo usus Paulus ad Rom. 12. si esurierit inimicus tuus, ciba illum. Per Cibare, intellige omnia necessaria ministrare, Er setz im allen mangel vnd presten. Cibo cupita intelliguntur, Psal. 103. Qui satiat te bono. Per Cibum & potum quęcunq; cupimus, significantur. Per satietatem oris, bona omnia expressit, quibus opus habet uita. Sicut alibi apud Dauidem, Dilata os tuum & implebo illud, cumulus bonorũ omnium designatus est. Cibus duplex, Exodi 16 cap. hebraismus ille legitur. Id est, panis duplex. Hoc est Cibus pro duobus diebus.

¶ *Cicatrix* pro peccato concupiscentiæ & infidelitatis usurpatur: quæ quum putamus abesse, & omnia sanata esse, suo tempore se produnt, & quàm maxime fœteat & putent: hoc licet cernere, Psal. 37. memorantur Cicatrices siue Liuores, ob neglectum et iniuriam languentis, maxime illius malo, oluisse simul & computruisse: quo doceamur morbos animi haudquaquam contemnere, sed medico illi qui sanat contritos corde, mox agnitos prodere ac opẽ exposcere. Putruerunt Cicatrices, ait Dauid, curæ. Pro concupiscentia Vates accipit.

¶ *Cilicium* habitus olim prophetarum etiam falsorum, ut quando populum ad pœnitentiam prouocabunt induerentur cilicio, Zachariæ 13 cap. Et erit in die illa, confundentur prophetæ unusquisq; ex uisione sua cum prophetauerint, nec operientur pallio saccino, ut mentiantur.

¶ *Circuitus* est laboris anxietas, Psal. 11. In circuitu impii ambulant. Interiora enim quum non petunt, in exterioribus laboribus fatigantur. Et Psal. 30. Audiui uituperationem multorum cõmorantium in circuitu. Sic Psal. 3. Angelus domini in circuitu timentium dominum. Idem significat in circuitu, quod prope in foribus & ante oculos.

¶ *Circumire* mare & aridam, Resipit Hebraicum loquendi genus, Germanice reddimus, vber vvasser vnd land, oder zu vvasser vnd land. Est in omnibus partibus orbis esse. Matth. 23. cap. Væ uobis scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia circumitis mare & aridam, ut facietis unũ proselytum. Et est Prouerbialis loquutio, pro quo nos dicimus, Omnem mouere lapidem, nullis parcere laboribus, ac anniti summa cura & diligentia, & nihil non tentare, ut quod instituisti perficias.

¶ *Circumcisionis* uocabulum uarie capitur in scriptura. Interdum pro capite totius religionis Iudaicæ, ut Paulus dicat de circumcisione. Qui circumcisionem recipit, debitorẽ se totius legis constituit. Vbi pro toto populo Circumciso, pro tota religione Iudaica, & pro omni religione legali, cuius signum duntaxat erat circumcisio. Gal. 5. cap. Et Philip. 3. cap. uidetur capi, pro omni religione Iudæorum, ut sunt sacrificia, oblationes, purificationes, & id genus alia. Qui hoc docebant Canes uocat, quod gregem Christi, discerperent & lacerarent, quos Christus lupos uocat. Et eodem capite, Nos sumus Circũcisio qui spiritu deum colimus. Circumcisionem accipit pro his qui uere circumcisi sunt spiritu, aut pro his qui circumcisionẽ carnalem docebant: rem scilicet pro persona, quod Hebræis frequens est. Et ad Romanos pro omnibus mandatis quæ in lege interdum comprehenduntur, accipitur. Euangelium præputij Gal. 2 uocat, quod gentibus annunciatur. Et Actorum 15 cap. Circumcisione intelliguntur cætera cuncta legalia. Circumcisionis in locum succedit fides & timor dei.

Circumcisionis præterea appellatio interdum honorifica, Præputij autem fuit probrosa, ut liquet 1 Samuelis 17. de Goliath Getheo, loquens Dauid cum contemptu maximo. Et quis, inquit, est ille Philistæus incircumcisus, qui contumelijs afficit acies Dei uiuentis? Itaq; circumcisum aut prçputiatum esse, probro reputabatur à sancto Dei populo. Nam & filij Iacob Geneſis 34. Non possumus sororem &c. Et Ephe. 2. cap.

Circumcisio uocatur testamentum, fœdus, pactum. Gene. 17. Phil. 3. Circumcisio quoq; ponitur pro cœtu populi dei, quemadmodum Paul. 1. Cor. 10. cap.

Circumcisio, Preputium deniq; pro Iudæo & Gentili, Gal. 6. In Christo Iesu neq; Circumcisio aliquid ualet, neq; præputiũ. More Pauli qui Gentes præputiũ nuncupat, Iudæos uerò per Circumcisionem denotat, eò quod Circumcisi essent: hoc q; discrimine à reliquis populi segregati dinoscerentur. Morem hunc per signa res denominandi, & aliæ linguæ habent formam. Germani dicunt lingua sua, Der schleyer vnd die zœpff richten

richten uil unglucks im. Hoc eſt, pepla & plicatura pilorũ multa comitanť mala & infortunia, ſignificãtes (per ea quæ peculiaria ſunt mulieribus) ipſas mulieres. Et de monachis, uide quid non audeat cucular: De ſacrificulis, ut eſt auara raſura. Ita equites calcarium & ſtapedum nomine ſubinde ſignificant. Ad eundem modum et Paulus Rom. 15. Iudæos à ſigno Circunciſionem uocat. Miniſtrum Circunciſionis, pro Iudaica & Iſraelitica gente ponitur. hoc eſt Chriſtum factum eſſe doctorem, Apoſtolum, prædicatorẽ, miſſum à deo peculiariter ad gentem Iudæorum. Miniſtrum Chriſtum adpellat Paulus ſuo more, quo omnes Apoſtolos ſolet uocare 1. Cor. 15. ſic gentes præputium, Gal. 2. Videbant commiſſum mihi euangelion erga circunciſionem, id eſt, ad Iudæos. Et Ephe. 2. Scitote gentes quod præputium uocabimini à circunciſione.

¶ *Circumſpicere* pro differre, Gen. 42. Quare circunſpicitis, hoc eſt, differtis.

¶ *Circumueniri* more ſcripturæ, non ſolũ decipere, defraudare, ut Leuitici 25. Ne circũueniatis quiſq; fratrem ſuum: uerum in loco, pro occupari & uſurpari capitur. Hoc uerbo uſus eſt D. Paulus 1. Cor. 2. cap. Vt nõ circũueniamur à ſatana, id eſt, ne occupẽmur & uſurpemur, uelut ab iniuſto poſſeſſore ſatana. Nam πλεονεκτεῖν eſt occupare quod tuum non eſt, ut faciunt auidi & alienorum uſurpatores.

¶ *Cito* Hæc uox pro inopinato uſurpatur, dum nihil minus cogitas & te ſecurũ agere putas, Apocalyp. 2. cap. Sin minus, ueniam tibi cito, & mouebo candelabrum tuum de loco ſuo, niſi reſipueris.

¶ *Ciuitatis nomine* multitudo ſiue copia ædificiorum ſignatur, per quæ ædificia intelligimus principatus, regna, imperia, ducatus, dominationem, reſpublicas & quicquid communionis eſt. ſic ait Pſaltes 127. Niſi Dominus cuſtodierit Ciuitatem, id eſt, Communionem, principatum. Item pro Eccleſia, Cant. 3. Ciuitates ſignificant munitiones, auxilia, arma mundi, & uerſutam doctrinam & ſimulatã iuſticiam, & omnia in quibus cõfidunt homines contra dominũ, Pſal. 9. Et ciuitates eorũ deſtruxiſti, id eſt, eorum auxilia, munitiones, in quibus cõfidebant contra te domine: deſtrue has munitiones. Item Ciuitates prophetæ in ſcripturis appellantur. Ciuitates autem ſine muro dicuntur, quæ ſunt Gentiũ, exponit Iſychius hunc locum Leuit. Ecce ciuitates deſertas, lib. 7. cap. 25. Extra Ciuitatem Apocalyp. 14. cap. iuxta ſaluatorem pro tenebris extimis accipiendum uidetur.

¶ *Clamare* pro inuocare, Pſal. 16. Ego clamaui ad te, quia exaudies me. Clamare interdum pro prædicare, Ioelis 3. cap. Clamate hęc in gentibus. Sepruaginta κηρύξατε, id eſt, prædicate. Clamare deinde amplius quiddã eſt quàm orare, & exprimit ardorem & deſiderium orantium, Lucæ 18. cap. Ad deum clamare, eſt totis animi deſideriȝ precari, & non uoce ſed corde. multi ſilentes labiȝ, corde clamauerũt, ait D. Auguſtinus. Reſpondere aũt & adeſſe eſt audire. Vnde Clamor in Pſalmis deſideria & uota cordiũ adflictorum ſunt, quæ ad deum clamant, eaq; exaudiũtur, ſicut alibi dicitur: Deſideriũ pauperũ exaudiuit Dominus, Pſal. 5. Intellige clamorem meum. Pauperũ, id eſt afflictorũ, qui neceſsitatem ſuam & tentationẽ ſentiũt. Qui ſic deſiderant, non ceſſant deſiderare, donec exaudianť. Hoc eſt, quod Chriſtus dicit: Oportet ſemper orare, & nõ deficere. Et Paulus dicit ſæpe, ſe ſine intermiſsione orare pro alijs: fides quippe nunquã deſinit orare. Exodi 2. Aſcenditq; Clamor eorũ ad deum, id eſt, exaudiuit eos deus. Clamare nõ ad dominum, eſt prophanare nomẽ dei per falſam inuocationẽ, Hoſeę 7. Ideo Clamãdi uerbum in ſcriptura ſatis diligenter obſeruandum, Ioan. 1. cap. Et clamat. Et Ioan. 12. Ieſus autem clamauit, & dixit. hoc eſt, non ſimpliciter, ſed magna libertate dixiſſe memorať: id quod uerbo clamandi ſignificatur.

¶ *Clamor*, præter quod meditationẽ & deſideria adflictorũ cordium clamantium ad deum ſignificet, accipiť interdũ etiam pro rumore, fama, infamia & iniquitate, & ſcelere impudenti. Et ut D. Auguſtinus ait, pro tanta impudentia & libertate iniquitatis, ut nec uerecundia, nec timore abſcondať, ut Gen. 18. Clamor Sædom & Amoræ, quia multus & multiplicatus eſt, ut 19. cap. Quoniam increbuit clamor eorũ coram Domino. Ac ſi diceret: Ipſa ſcelera & peccata quodam modo clamãt, ſicut ſanguis Abelis clamabat, Hiere. 46. Et clamor tuus implebit terram. Capiunt ergo Hebræi magnitudinẽ clamoris, pro magnitudine ipſius ſceleris. Dum enim ſcelera ac flagitia augeſcũt, augeſcit ſimul & rumor & infamia. Et Iob ait, Et in arbores clamabat, pro manifeſtis peccatis ponit clamorem, ut uerbũ ſit quicquid corde cõcipitur, clamor cum procedit in factũ. Hæc

Auguſt. Quæſt. ſuper Exodum lib. 2. cap. 4. Clamor interdū pro oratione ſecreta, & intentione mentis, nō uocis exaltatione, Exodi 4. Quid clamas ad me? quum tamē externæ uocis nihil emiſiſſet. Et Thren. 2. & Exodi 2. Aſcenditq; clamor eorū ad deum, id eſt, exaudiuit eos deus, ut & ſuprà. Neq; id rarum, ardentiores affectus dei clamores in ſcripturis uocari. Sic apud Eſaiam de uinea mala, Expectaui, inquit, ut faceret iudiciū: fecit autem iniquitatem, & non iuſticiam, ſed clamorē, hoc eſt, impudentem iniquitatē. Et pleriſq; alijs locis pro manifeſtis peccatis quæ fiunt ſine tempore & uerecundia.

¶ *Claudere* pro capere, Hiere. 13. Ciuitates ad meridiem claudentur, id eſt, capientur. Claudere regnū cœlorū, eſt homines ab illius ingreſſu, id eſt, à fide Euangelij Chriſti cohibere. Apertum enim erat oſtium regni cœlorum per aduentum Euangelicæ prædicationis. Intelligit per illum textum Matth. 23. cap. gratiam Euangelij, per quod regnum cœlorum prædicabatur.

¶ *Claudicare* pro uacillare, & huc ac illuc fluctuare & in utramq; partem declinare. 3. Reg. 18. cap. Vſquequo claudicatis in duas partes? eſt deum uerum negare non poſſe, et illi ſoli ſe credere non audere: non tam illius legibus credere, quàm gentilium erroribus conſentire uelle, hoc erat claudicare in duas opiniones & ſectas, quod turpiſsimum & iniquiſsimum habebatur.

¶ *Clauium* metaphora, nō ſolum in ſcriptura, ſed etiam ex cōſuetudine humana plenariam regni ſiue urbis, ſiue domus poteſtatem et adminiſtrationem ſignificat: qualem habebat Ioſeph in regno Pharaonis regis Ægypti, & Eliakim in domo Ezechię regis Iuda, ut apud Eſa. 22. Et dabo clauem, hoc eſt, autoritatem, domus Dauid ſuper humerum eius, id eſt, ut omnes eius mandatis pareant, & nemo ſit qui contradicat aut recuſet, Apocalyp. 3. cap. Qui habet clauem Dauid. Clauem ponere ſuper humerum, ut Eſaias loquitur, nihil aliud eſt, quàm ſolicitudinem fidelem totius domus.

Claues autem ſcriptura recenſet alibi, quibus regnum cœlorū aperitur et claudit. Claues uerò illæ aliud non eſſe quàm miniſteriū prædicationis euangelij cōmiſſum à deo miniſtris ſuis, quo aperiant ac claudant, qua eatur ad cœlos, hoc eſt, per quod perueniatur ad uitam beatam, eant ad miſeriam perpetuam. Illas inquam claues, hoc eſt prædicationem Euangelij dedit Chriſtus Apoſtolis ſuis, quū eos in orbem prædicaturos amandabat. Regnū cœlorū eccleſia Chriſti eſt. Claues igitur iſtæ id erunt, quo eccleſia Chriſti alijs clauditur, alijs aperitur. Id autem quid aliud eſt, quàm uerbum Dei.

Claues ſcientiæ autem, eſt poteſtas & uis quædam ſpiritus penetrādi ad ſcripturarū myſteria & ea aperiendi. Clauis ſcientiæ, eſt cognitio Dei & uoluntatis. Tales claues dedit Chriſtus diſcipulis ſuis, Matth. 16. Cognitionem Dei hominibus adferre, Clauis eſt per quem nobis Cœlum reſeratur: theſaurus eſt, qui nobis è cœlo claudatur. Lucæ 11.

Clauem ſcientiæ è medio tollere, ut eſt in allegato cap. Lucæ, eſt homines cognitione dei fraudare, nō docere uerā uiam in regnum Dei, ut decet. Clauem auferre ergo ſcientiæ aut regni cœlorū, eſt obſtare doctrinæ de regno dei, & opprimere hanc, aut cum intelligit, ueritatē detinere in mendacio, neq; ad utilitatē aliorū proferre. Claues proferre regni dei, ſignificat proferre doctrinam de regno dei, quomodo eius ſumus participes. Proinde claudere regnū cœlorū, eſt doctrinā de regno dei, & quomodo ueniamus in regnum dei perſequi, opprimere, & ne doceat, ac à pluribus audiat obſiſtere. Aperire aūt regnū cœlorū, eſt docere promouereq; doctrinā de regno dei, quam qui recipiunt participes regni dei fiunt. Dicitur Clauis ſciētię & Clauis regni dei. Clauem ſcientiæ, inquit & diffinit Theophylactus, nominauit dominus doctrinā & legis manuductionē, quæ ualeat adducere ad Chriſtū, &c. Ergo Clauis eſt eruditio & inſtitutio: imò Clauis ſcientiæ eſt enarratio ſcripturarū, inſtitutio in religione. Nam ut claue recludūtur oſtia & aperitur ingreſſus in occluſa: ita interpretatione ſcripturarum & eruditione aut informatione docentium aperiūtur myſteria regni dei, & recluditur aditus in uitam æternam, illuminatur intellectus auditorū. Hanc clauem tulerūt Legiſperiti, inquit Lucas.

¶ *Clauum figere* dicit apud Eſaiā 22. Et figam eum ueluti clauiū in loco fideli. figurata locutio eſt, quod Eliakim ſolidū poſsidebit dignitatis gradū, de quo gloriabunt omnes poſteri eius, maiores & minores, cuiuſcunq; ſint ordinis & gradus. Vel quod de Eliakim rege, quod futurum ſit, ut omnes ab eo pendeant. Claui figendi tanta fuit apud Quirites religio, ut eius rei gerendæ gratia Dictator ſit aliquādo dictus, ſicut T. Liuius teſtatur. Hic autem quacunq; ſuperſtitionis norma tandem figeretur, certe in hoc fixus eſſe

esse uidetur, ut deorum immortalium auxilio res dubiæ & tempora periculosa quum feliciter caderent, tum populi Romani animi firmiores manerent.

¶ *Cleri* nomine intelligitur D. Petrus. 1 Petri. 5. cap. sanctum & delectum dei populũ qui adeò ueluti sorte obuenit, allusione facta ad diuisionem terræ sanctæ. Petrus Cleros non uocat diaconos aut presbyteros, sed gregem qui cuique sorte contigit gubernãdus. Inter medios Cleros dormire, est omnẽ curam reiicere in deum, prudentiã in rebus terrenis relinquere hominibus huius seculi: hi uerò dormiũt inter medios cleros. κλῆρος enim sors est Græcis, & significatur hoc uerbo possessio uel quicquid fortuna attulerit.

¶ *Clibani* nomine adflictio, probatio uenit & denotatur. Nam hanc habet scriptura sacrosancta morem, ut adflictionẽ uocet Clibanum igneũ & æstuantem ac subinde ultionẽ & probationẽ, quæ igne fit. 1. Petri 4 cap. & Psal. 16. Et supra fusius est annotatũ.

¶ *Clypeum* pro fiducia, protectione & defensione per transnominationem accipit scriptura sæpe, ut Psal. 7. & Genc. 15 cap. Ne timeas Abram ego Clypeus tuus sum, id est, protector. Clypeus enim quum à iaculis tueatur, fidentem reddit & securum, id Dauid à deo expectat, Psal. 83. Clypeus noster inde deus. Septuaginta protector. Hoc enim nomine maiores populi qui illum protegunt adpellantur, Psal. 47. Quia deo scuta terræ.

¶ *Coadunare* pro eligere, Ioelis 2. cap, Congregate populum, disponite ecclesiam, coadunate senes. Septuaginta ἐκλέξασθε, eligite.

¶ *Cogitare* pro parare, Zach. 1. cap. Quemadmodum cogitauit dominus exercituũ facere nobis. Septuag. παρατετάκται. Pro proponere, Geneseos 11. cap. Ab eis omne quod cogitarunt facere. Septuaginta ἐπιβουλεύσαι posuerunt. Pro uertere, Geneseos 50. cap. Vos cogitastis aduersum me malum, sed deus cogitauit, id est uertit illud in bonum.

Cogitare malum contra dominum, ut est alibi in scriptura, est cogitare de impio cultu retinendo & propagando, ac includit persecutionem uerbi, item abusum pacis & reliquorum donorum, quæ impij conferunt ad idololatriæ defensionem.

Cogitatio hinc pro consilio sumitur, Prouerb. 1. cap. Vt detur puero scientia & cogitatio: septuaginta ἔννοιαν, id est, intelligentiam. Hinc & cogitationes pro malitiosis cõsilijs, ut Esa. 1. cap. Auferte malum cogitationum uestrarum, id est malicioſa consilia.

Cogitationes dei dicũtur, sed eo locutionis modo, quo ibi & obliuio dei dicitur, quę utiq; ad proprietatẽ in deo nulla est. Vide D. Augustũ de Trinitate lib. 15. & lib. 10. Confess. cap. 11. Cogitationes quoq; loquutiones cordis. Nam etsi (inquit D. Aug.) uerba non sonent, in corde suo dicit undiq; qui cogitat, unde illud est in lib. Sapientiæ cap. 2. Dixerunt apud se cogitantes non recte. Exposuit enim quid sit, dixerunt apud se, cum addidit, cogitantes. Huic simile est in Euangelio, quod quidam scribæ cum audissent à domino dictum paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua: dixerunt intra se, nisi cogitando. Deniq; sequitur, Et cum uidisset Iesus cogitationes eorũ, dixit: Vt quid Cogitatis mala in cordibus uestris.

Cogitatio in scripturis Conceptio dicitur: Partus uerò opus, Esa. 33. Cogitatio comparatur conceptui, uerba & opera partui & quales cogitationes, talia & opera, Esa. 39. Concipitur labor, & gignitur iniquitas. Hac metaphora & Dauid utitur Psal. 7. Cogitationem conceptui consiliorum anxiam dispositionem ac continuationem parturitioni factum partim assimilat: En parturit prauitatem, concepit molestiam, peperit fraudem: pro eodem accipit, pro iniuria scilicet dolosa & uiolenta. Cogitationum opus dicitur opus plenum arte, in quo opus est ingenio acri, Exodi 35 cap.

Cogitare malũ quoq; in deum, est successum rerũ illi non transcribere, hoc est, omni potentiã de eo, & quod unus gerat omnia pernegare, Oseę 7. In me cogitauerunt mala.

Cogitationem deniq; os transire, est aliter loqui, aliter facere, Psal. 16. Non inuenisti cogitationes non transire os meum. Septuag. Et non est inuenta in me iniquitas.

¶ *Cognatus* pro familiari, ut Rom. 9. Optarim enim ego anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei, hoc est, familiares mei secundum pietatẽ. Hinc Cognationes, populum, regna, capita regni apud Hierem. denotant.

¶ *Cognoscere*, uerbum familiare est Hebręis pro uerbo probare. ut Psal. 1. Nouit dominus uiam iustorum, id est probat. Et Psal. 36. Nouit dominus dies immaculatorum. Et Numer. 14. cap. Et probabunt terram quam uos spreuistis.

Cognoscere Rom. 11. cap. Non repulit deus populum suum quem ante cognouerat, γινώσκω græcis nõ semper scire seu cognoscere significat, sed aliquoties decernere, sancire,

siue iudicare. Vnde & γνῶμαι dictæ sunt. Et apud Latinos legimus, populus sciuit & Scita populi. Cicer. in officijs. Durius etiam Athenien. qui sciuerunt ut Ægineris, qui classe ualebant pollices præciderent, Eccle. 8. Custodiens mandatum non cognoscet uerbũ malum. Pro eo quod est, Non patietur, aut non erit in eo. Siquidem & de saluatore sic scriptum est, Qui non nouerat peccatum pro nobis peccatum fecit. Et Ioan. 17. cap. Et cognouerunt uerè quod à te exiui, & crediderunt quod tu me misisti. Hoc dixit posterius Crediderunt, quod prius dixerat cognouerunt, Rom. 7. cap. Quod enim ego nõ cognosco. Pro credere, Ioan. 17. Hæc est autem uita æterna ut cognoscant uerum deum, & quem misisti Iesum Christũ. Pro intelligere, Matthæi 1. cap. Ioseph non cognouit sponsam suam esse dei matrem. Id est, non intellexit. Et Ioan. 12. cap. Hæc non cognouerunt discipuli eius primum. Et Lucæ 20. cap. Cognoscere intelligentis est. Agnoscere grati est & memoris. Cognouerunt ergo Gentes deum, sed non agnouerunt eum, id est, nõ coluerunt eum fideli & grata mente, Rom. 1. Pro rem habere & concumbere, Hebræis frequens, ut cognoscere mulierem, est consuetudinem cum ea habere: ut Geneseos 4 cap. Adam cognouit uxorem suam, id est, cum ea concubuit remq; habuit: adeo uerecundam rem, uerecunde spiritus sanctus describit deliniatq;, Gene. 19. Habeo duas filias, quæ nondum cognouerunt uirum. Hinc cognitio Hebræis concubitus dicitur. De similibus Tropis supra habuimus in uerbo Abeundi.

Cognitionis insuper uocabulum, uerbum quoq; fauoris est. Hiere. 1. priusquàm formarem te in utero, cognoui te. Virginibus exclusis Matth. 25 dicitur: Non noui uos.

Cognoscere adhæc idem est quod laudare, placere, approbare, ut apud Dauidem: Declinantem à me malignum non cognoscebam. Et apud Paulum Gal. 4. cap. At nunc postquam cognouistis deũ, quin potius cogniti estis à deo. Nemo enim uenit ad Christum & euangelicæ ueritatis cognitionem quàm qui didicit à patre.

Cognoscere Christum insuper, est ei credere, eiusq; doctrinam recipere, ei soli fidere, non quærere alibi salutem & uitam, Ioan. 1. cap. Et mundus eum nõ cognouit. Cognoscere postremo deum, aut eum pro deo habere, est eum semper habere pro præsentissimo patre, consolatore, opitulatore, Ioan. 8. cap.

¶ *Colaphum labijs infringi*, est contumelia adfici, deludi, & confundi, Prouerb. 10. Et stultus labijs cedetur. Non absimilis huic locutioni, Conspicere faciem. Et, Impleri faciem ignominia. eod. cap. Prouerb. stultus illudetur. Quasi dicat Salomon: Stulti contumelia afficientur. In Hebræo, Colaphum labijs infringi, Der ein narren maul hatt.

¶ *Colere*, hoc uerbum latissime Latinis hominibus patet. Dicimus enim Colere amicitiam & uirtutem, colere diem natalem, bonas artes & studia literarum: Rursus colere senes, arua & urbes. Vsurpatur hinc pro uenerari numen, hoc est, diuinum cultum exhibere, seruire & adhærere deo, adorareq; Vide D. August. lib. Confess. 13. cap. 1.

Hoc discriminis est inter uerbum Adorandi, & uerbum Colendi aut seruiendi. Verbum Adorandi, est incuruari suppliciter, ut supra auditũ est. Itaq; hoc primum est, corde esse erga subiecto, incuruato, reuerenti, ac suspicienti. Alterum uero nempe Colere, in omnibus sese præbere morigeram & obedientem: perinde atq; seruuli est, Domini sui obedire uoluntati, & dicto esse obsequentem. Et posterius, uidelicet seruire, hoc absq; ulla contradictione ex priori nascitur.

Colere interdum pro sacrificare sumitur in scriptura. 1. Samuelis 15 cap. Cultum exhibebo. Hinc cultus uerus dei est, timere deum, ut patrem, non ut tyrannum eiusq; bonitati fidere, omnemq; solicitudinem uitæ huius miserrimæ in eum reijcere, in quem ut noris te errasse, ita & non ignores, te omnia ex manu eius suscipere, & te inæternum seruandum. Colere itaq; sæpe pro seruare & uenerari deum.

¶ *Colles* scripturæ sacræ hoc uocabulum familiare est, subditos & plebeculam Colliculos seu Colles appellare. Sic Dauid populum Christianum Colles nuncupat, ut Psal. 17. Suscipiant montes pacem populo & Colles iusticiam: ac si uelit dicere: Priuatos & doctores uerbi (nam nomine Montium potentes summatesq; intelliguntur) suscipiunt Euangelium (quod uerbum pacis est) à domino, & populo istud proponant, ut populus per uerbum iustificetur, si tamen susceperit uel audierit.

¶ *Colligere* uerbum pro absumere passim accipitur, sicut egredi à Domino dum res conduntur, ita dum intereunt, quasi rursus Colligi ad ipsum recte dicuntur. Sophoniæ tertio capite. Colligere regna, effundere super eos indignationem etc. Pro restituere aut

aut ſanare, pulchra metalepſi 4 Regum 5. De Naaman: nam qui à lepra curantur, iterum reſtituuntur ſanitati reliquorum hominum. Colligendo colligam, Hiere. 8. cap. Id uerbi ſignificat perdere & ad internitionem reducere.

Colligi uel Addi populis ſuis, pro mori, Deut. 19. Pergat, inquit, Aaron ad populos ſuos. Et 31 cap. Colligeris ad populũ. Id eſt morieris. Addet Aaron ad populos ſuos, uel congregabitur cũ populis ſuis, id eſt, morietur Aaron ſicut populares eius mortui ſunt. Addi enim aut adiungi, aut cõgregari ad populos ſuos, pro mori uſurpatũ eſt Hebręis.

Colligere interdum pro adimere, tollere, ſeu auferre, tracta metalepſi, uel à uindemia & meſſe, ubi colligũt ut domum auferant: uel ab eo, quod dum quid abijcere uolumus, omnes ſimul appendices colligimus, Gene. 30 cap. Ita cũ abitũ alicuius ſignificari uolumus, dicimus Germanice, Er hatt ſin ding zeſamen geleſen. Is ſarcinas collegit. Et ademit deus opprobriũ meũ, et inuocauit nomẽ eius Ioſeph, dicens: Addat mihi dominus filium alterum. iuxta Hebræos ſignificauit, collegit. Gene. 30. cap. Collegit opprobrium meũ deus, id eſt, abſtulit. Hic prius pro poſteriore ponitur. Et Eſaiæ 4. Collige opprobrium noſtrum, id eſt, aufer. Et Matth. 13 cap. pro abijcere ſumitur. Nam colligimus plerunq; ea quæ abijcere uolumus et perdere, & hoc uirtute Metalepſis.

Colligendi præterea uerbum, Hebręi quoq; accipiunt pro includi uel recludi, aut introduci: ut, Collectus eſt ad patres ſuos. Colligetur leproſus ad domum. Collectus eſt Moſes in caſtra. Nẽ colligam te cum illo, hoc eſt, ne te quoq; in promiſcua cæde trucidẽ. 1 Regum 15. cap. de Collecto iuſto uide apud Eſaiam.

Colligere atqui rem diei in die ſuo, Exodi 16. cap. Hebraiſmus eſt, pro colligant quãtum ſuffecerit pro uno die, & die ſexto. Colligant quantum ſuffecerit pro duobus diebus, ne Sabbato exire cogantur.

Colligere omnia caſtra, Numer. 10 cap. Colligens omnia caſtra, Id eſt, nouiſsimum omnium filiorum Iſrael ſecum trahens reliquam partem caſtrorum.

¶ *Columbæ* uocabulo ſimplicitas atq; integritas ſynceritasq; uenit, Matth. 13. cap. Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Qui ea quęrunt, quæ Chriſti ſunt, etiã columbæ dicuntur. Nam Columba ſimplicitatis ſymbolũ eſt, quemadmodũ ſerpens eſt ſymbolũ prudentię. Columba innoxiũ animal eſt, imò ad ferendas iniurias ueluti natũ, ac cui totũ ſaluris præſidiũ in alarũ pernicitate ſitũ eſt, ſi quid Plinio credimus. Hunc uide lib. 10. cap. 34. Volo uos, inquit Chriſtus, ſapientes eſſe ad bonũ, ſynceros ad malũ. Vide quoq; D. Auguſt. Tract. 10. in Ioan. cap. 2. quid ſit Colũbas uendere. Colũba ſpiritũ ſanctũ deſignat. Itẽ deſignat Eccleſiã dei. Oculi tui columbarum &c.

¶ *Columna* & fundamentum ueritatis eccleſia dicitur. Columnæ eccleſiæ ſunt Apoſtoli, maximeq; Petrus, Iacobus & Ioannes, ex quibus duo cum domino aſcendere merentur in montem. Quorũ unus in Apocalypſi ſaluatorem introducit loquentem: Qui uicerit, faciã eum columnã in templo dei mei. Docens omnes credentes, qui aduerſariũ uicerint, poſſe columnas eccleſiæ fieri. 1. Tim. 3. cap. Apoſtolus ſcribens ait: Vt ſcias uti oporteat in domo dei uerſari, quæ eſt ecclaſia dei uiuentis, columna & baſis ueritatis. His & cæteris inſtruimur, tam Apoſtolos, omnes credentes, quàm ipſam quoq; eccleſiam Columnam in ſcripturis ſanctis appellari, nihilq; intereſſe dè corpore quid dicatur an membris, quum & corpus diuidatur in membra, & membra ſint corporis. Hæc D. Hieron. Gal. 2. Qui uidebantur Columnæ, hoc eſt, teſtes & præcones Chriſti, non quod Eccleſia aut ſancti ſuſtentent uerbum ueritatis. Columnæ fulcra ſunt, quibus maximè innititur ædificium. Inde uerò homines in religione primarij, & qui duces uerbi ſunt, tam Columnæ quàm proceres dicuntur.

Columnas terræ concuti dicit ſcriptura, Iob 19 cap. more uulgi, fundamentum enim & Columnæ terræ nihil, Iob 26 cap. Qui appendit terram ſuper nihili.

¶ *Collo duro loqui*, uel forti collo loqui, eſt loqui præfracte & arroganter, Pſal. 75. Ne attollite in ſublime cornu ueſtrũ, loquimini in collo duro. Collũ ſuum autẽ adferre ad opus domini eorum, id eſt, grauiter ac totis uiribus extruendo, dominico tecto inſiſtere, noſter Interpres legit ſupponere colla ſua in opere &c. Pro opere, habent ſeptuagin ta ſeruitutem, Nehe. 3. cap.

¶ *Comburi ſufflatorium ab igne*, Hiere. 6. cap. Combuſtum eſt ſufflatorium ab igne, cõſumptum eſt plumbum, fruſtra conflauit conflando, id eſt, fruſtra uaticinatus eſt, Hoſeæ 6. dolare in Prophetis dicitur.

¶ *Comedere* iuxta proprietatẽ hebraici ſermonis, eſt interdũ ſuauiter apprehendere, et in cordis ſtomachũ tranſmittere, Ezech. 2. cap. Aperi os tuum, & comede quicquid ego dedero tibi. Pro comburere, Exodi 3. cap. Et rubus ipſe nõ eſus, Pſal. 77. Iuuenes eorum comedit ignis. Pro uincere, Deut. 7. Et comedes omnes populos. Pro occidere, Eſa. 1. cap. Gladius comedet eos. Pro frui Gene. 3. In ſudore uultus tui comedes panem tuũ. Sic nõ ſolum frui, ſed & large quidẽ ſignificat, Gene. 31. Comedit argentũ noſtrum uel pretiũ noſtrũ & pecuniam noſtram, id eſt, opus noſtrũ in ſuum uertit commodum, fructus eſt noſtris. Et eodẽ cap. ait Iacob ad Laban: Arietes gregis tui nõ comedit, id eſt, nihil in uſum meum uindicaui. Comedere panem cum aliquo, pro cibum cum eo ſumere, Exodi 2 cap. Vt comedat panem id eſt, ut apud uos cibum capiat. Et Gene. 43. Illicitũ eſt enim comedere panem, cum Hebræis, id eſt cibum.

Comedere uero panẽ in regno dei, Luc. 14. cap. eſt participẽ eſſe gaudiorũ uitę futurę, & frui omnib. delicijs cœleſtibus. Comedere & Edere, eſt credere, & amplecti pura fide quę dicunt, & ſacris literis proponuntur, Ezech. 2 cap. Et comede, quęcunq; ego do tibi.

Comedere atqui in mõribus, eſt omnes in genere ceremonias, idolatriã, et ad diuorũ honorẽ, reliquias gentilitatis et infidelium conuentus amplecti et ſectari, Ezech. 18 cap.

Comedere pinguedinem terræ, Geneſis 45. Dabo uobis omnia bona Ægypti, ut comedatis medullam terræ. Hebręus pinguedinem terræ, id eſt, optimam partem Ægypti dabo uobis, & habitabit in parte regionis fertiliſsima.

Comedere quoq; eſt bonis operibus ſatiari, Hiob 31. Seram & alius comedet. Ar ſi liquide oſtendat, Quod os meum loquitur, non ego ſed alter operetur. Vnde Chriſtus dicit, Ioan. 4. Meus cibus eſt ut faciam uoluntatem eius qui miſit me.

Comedere uuam acerbam, Hiere. 3 cap. Patres comederunt uuam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt. Prouerbio iſto ſoliti ſunt uti, quoties per indignationem quererentur filios puniri, quum patres idem deſignantes, impuniti euaſerint. Puta, quum in captiuitatẽ præſentes abducerentur, nõ tamen ſoli præſentes ſic dominus irritauerant, ſed patres eorum, uitia uelut per manus illis tradiderant. Dicebant, eis tam abſurda cõtingere, ac ſi quis diceret filij dentes ſtupere & areſcere: quum non ipſe, ſed pater eius uuam immaturam manducaſſet.

Comedere pręterea filios & filias apud Hiere. cap. 5. ita et in Leuitico dicuntur patres deuorare filios, comedes fructus uentris, hoc eſt, propter dolorem animo patrum, quando in oculis eorum filij immolantur, & paruuli moriuntur in peccatis patrum.

Comedere ſuper ſanguine apud Ezech. 33. ſuper ſanguine comeditis. Id putat R. Kimhi eſſe idem quod ſanguine ueſci. Quem ritum Satyris, quos Sadim uocãt Hebræi, et peracto ſacro, uictimæ ſanguine, participes illius ueſcerentur.

Comedere & Mordere, pulchra eſt allegoria, & frequens in ſacris ſcripturis, ut Prouerb 30 cap. Generatio quæ habet pro dentibus gladios, & molaribus ſuis cõmandit, at comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus &c. Vſus eſt & Paulus hac allegoria, ad Gal. 5. Quod ſi inuicem uos mordetis & comedetis, uidete ne ab inuicem conſumamini. Alluſit ad immanium ferarum ritum, quo mutuis ſeſe conficiunt uulneribus.

Qui comederit de ouis &c. Prouerbium eſt apud Hebræos, qui in hunc modũ loquũtur, Qui de ouis eorũ comederit, morietur, quod ſi conculcauerit, excludetur uipera &c. Eſa. 59. cap. Et idẽ eſt quod Lupum auribus tenere: aut, Inter ſaxũ ſtare & ſacrum. Aut, fruſtra occidi parentes liberis ſuperſtitibus, & quæ huiuſmodi ſunt, eandẽ uim cum prę ſentibus habent. Quibus ſumma ſignificatur ambiguitas. Sic enim ferè uſu uenit noſtro hoc ſeculo, ut præpotentes iſti audaciſsima cõſilia quum cœperint, deterreri uoluit. Iam ſi iſti qui ſunt æquitatis obſeruationes, declinare periculũ uolent, in has anguſtias traduntur, ut ſi illis obſequantur, iam apertam tyrannidem fouerint. ſi eos eliminent, mancam ac mœſtam Rempublicam reddant: de quo Eſa. 5. cap. loquitur. Vel ut ſenſus Eſaiæ fiat planior, Si quis doctrinam eorum amplectitur, perit. Eſt enim impia et falſa. Sin eam accuſauerit aliquis, incipiunt furere & quærunt quomodo eum perdant. Hoc enim uulr, cum dicit, Si conteratur, erumpet regulus.

Comedere panem iniquitatis, eſt delectari carnali ſenſu, Prouerb. 4. Quia comedũt panem iniquitatis, & fruuntur carnali ſenſu, qui approbat facta carnis. Comedere carnem populi. ſiue deuorare populum uſq; ad oſſa, ut Pſal. 14. habet, eſt populum ad uiuum arrodere & expilare, & pellem & carnem de oſsibus eorũ abripere, ut Mich. 3. cap.

Comedentes

Comedentes denique mensam, sæpe legitur in libris Regum, pro eo quod est edentes de mensa. Non Comedere panem dicis, est non aulica quadra uiuere, Nehemiæ cap. 6.

¶ *Comam abradere*, signum est luctus, Esa. 13. In omnibus capitibus caluitium, & omnis barba tonsa. Vnde quum Paulus non se reum simularet, tonsus est, ex hoc constat patrium illis morem fuisse in luctu caput radi, barba tonderi. Religiosius in quibusdam Conciliis, cautum de Clericis ne barbam gestent, id quod liberum esse conueniebat. Vide suprà Barbam tondere.

Coma attonsi dicuntur etiam qui ad labores apti sunt, & sine calamistraturæ lenocinijs, dicuntur familiari epitheto suo attonsi coma, Hier. 49. Qui sunt attonsi in comã.

¶ *Commorientes*, Hebraismus apud Paulum 2. Cor. 7. Siquidem, ait, iam ante dixi uobis quod in cordibus nostris estis ad cõmoriendũ & cõuiuendũ, hoc est, quod scilicet paratus sit & cõmori illis & cõuiuere, hoc est, uitam illis impendere, amicitiã arctissimã significat. Nam apud ueteres amicitiæ genus erat, ut amico fortè extincto, animus ultro sibi mortẽ cõscisceret: quod amicitiæ genus significat Horatius sibi fuisse cum Mecœnate. Vnde dicti συναποθνησκοντες. Non quod Paulus huiusmodi quippiam sentiat, quale legimus olim fuisse apud Ethnicos, uerũ hoc modo arctissimã amicitiã uoluit indicare.

¶ *Commotio populorũ* apud Haggeum cap. 2. accursus est populorũ ad uerbũ dei, dum uiolenti regnũ dei rapiũt, & cõmouent ad ostensiones signorũ, quæ sub Christo cœperũt, & per apostolos sunt implerę. Et alibi legim⁹ cõmotã esse terrã, hoc est, potẽtes huius mũdi et tyrannos, &c. Item Commouere caput, pro dolere, Nahum 3. Vastata est Ninniue, quis cõmouebit caput super eam? Aliàs derisionis & ludibrij signũ. Vide Caput.

¶ *Commutatio* pro precio, Amos 5. Hostes iusti accipientes commutationẽ, Matth. 16. Aut quid dabit homo cõmutationis pro anima sua. Vide Eras. in nouũ Testam. annot.

¶ *Communicare* pro cõsentire, Ephes. 5. Nolite cõmunicare operibus infructuosis tenebrarum. Non communicare, est non consentire. Hæc D. August. contra epist. Parmeniani, lib. 2. cap. 20. Communicare apud Marcum, pro inquinare usurpatur. Communicatio apud D. Paulum non pro esu accipi, pro quo hactenus acceperunt Theologi, sed pro communicatione ecclesiæ, hoc est, quod quisq; hoc pacto se ecclesiæ probat, & inserit tanquam præstito sacramento.

¶ *Commune* Iudæi, quod sanctum purumq; non est, quod Latini prophanum, quod omnibus ex æquo licet. Ex hoc ergo quod cæteris gentibus commune impurũ aut pollutum est, ipsis uerò uetitum, uocant Iudæi uetitos, cõtaminatos et insolitos cibos communes, Marci 7. Communibus manibus, id est illotis. Commune ergo est immundũ, Rom. 14. Nihil est commune, &c. Actorum 10. Tu commune ne dixeris? Neq; enim omnibus indifferenter uescebantur, ut sanctis uescebani. Ergo commune per Metalepsim prophanum, immundumq; dixere. Vide ipsum D. Augustinum.

¶ *Communio* siue cõmunicatio græcè κοινωνία, societatẽ significat, quã in eo Apostoli instituerant, ut quisq; in commune cõferret, quod sanctis Hierosolymis mitteretur. Sic Rom. 15. & 2. Cor. 8. Placuit Macedoniæ & Achaiæ κοινωνίαν quandã facere in pauperes sanctos, qui sunt Hierosolymis. Hic non quadrat legere distributionẽ. Conuenerant sic quidem, ut in Commune conferrent, non ut distribuerent, Hierosolymis ea distribuebantur, in Macedonia & Achaia colligebatur. Paulus Eleemosynam splendido uocabulo uocat, quasi quis nostrũ dicat munus debitum quod ex cõmunibus donis datur, Philip. 1. Præcipuè cõmendat quod uenerint in cõmunionẽ, id est, societatẽ fidei, siue in cœtum ecclesiam q; fidelũ. Ita enim usurpat cõmunio, ut à Paulo ipso in Corin. & à Ioanne 1. cap. aliud nihil est quàm Communio, familiaritas, amicitia & societas. Et Act. 2. & Hebr. 13. pro rerũ diuisione & mutua beneficẽtia. Communicatio secundũ locum obtinet è charitate Christiana est, & officia Christiana instituit, et opera misericordiæ habet.

¶ *Comparare* Romanis siue Latinis idem est quod parare, quærere, assimilare & cõferre, sic & Hebræi hoc uerbo utunt, ut Esa. 45. Et uocaui te nomine tuo, cõparaui te & nõ cognouisti me, id est, assimilaui. 1. Cor. 2. spiritualibus spiritualia cõparantes. Hoc loco pro cõferre usurpat. Comparationis gradib⁹ carent Hebræi, ideo circunloquunt gradus. Proinde iustus ab illo aut præ illo, nihil aliud est quàm iustior illo, Lucæ 18. Dico uobis, inquit, descendit Publicanus iustificatus domum suam magis quàm ille, siue potius mille, aut præ illo, aut ab illo.

¶ *Compensare* hoc uerbum Hæbræi sæpe pro respondere, cõciliare, implere, aut absol

uere accipiunt, Esa. 60. Compensatione mea misertus sum tui, id est, reconciliatione.

¶ *Complacere domino*, est cum sanctis domini æternam gratiam per Christum promereri, Psal. 25. Quoniam misericordia tua ante oculos meos est, & cõplacui in ueritate tua.

¶ *Complantatum* Rom. 6. Apostolus hoc uocat, quod quum dominus sepultus fuit in terra produxit salutem mundo. Sic etiam nos quum sepulti fuerimus in baptismate, producemus nobis ipsis iustificationem. Apostoli uerba hæc sunt, Si enim complantati facti sumus illi per similitudinem mortis eius.

¶ *Compellere* apud Lucam 14. cap. est opportune & importune instare, ita tamen ut humanitate neq; excidas, neq; uioles amicitiam. Ita usurpamus hoc uocabulũ, Nœten, etiam in Germanica lingua, Nœt in zu mir zukommen, id est, omnibus modis conare illum ad me perducere, neq; segniter, neq; frigide rem gesseris. Scriptura ergo Gen. 33 habet. Et coegit Iacob fratrem suum Esau & accepit munus. Esau enim ciuiliter renuebat. Iacob autem uehementius instabat ne munus aspernaretur. Sic enim ait Lucas: Exi in uias & sepes, & compelle intrare, &c. Non est externa, sed interna, spiritualisq; compulsio est. Quando lex prædicat, peccatũ ob oculos ponitur, ac declarat, ut homo in sui ipsius cognitionẽ perueniat: ut compellere, intrare: peccatũ in conscientiã adigere, rectè significet, quo cognoscat homo, quomodo nullus sit, omniaq; opera sua peccata, &c.

¶ *Complere sermones tuos*, Hebraismus 3. Reg. 1. hoc est, ipse tuos sermones meis perficere. Aliàs, ut compleretur sermo Domini, quod dicti spectat ad opus 3. Reg. 2. cap.

Compleri præuaricationẽ, Daniel. 8. Et Gen. 15. de nondũ cõpletis Amorræorum iniquitatibus. Verum 1. Reg. 20. legit de cõpleta malitia, quod ut mihi quidẽ uidetur, diuersam habet à priore sententiã. Et textus Hebræus habet: Consummata est malitia ab illo, quemadmodũ etiam Septuag. legunt, non eius. Complere autem sagittas suas in aliquem, Hebraismus Deut. 32. Complebo, id est, mittam in eos omnes sagittas meas.

¶ *Compita* Hebræi interim capita, interim exitus uiarũ uocãt. Latinis à cõpetendo, hoc est, conueniendo dicta esse uidentur. Hiere. Thren. 2. In compitis omniũ platearum.

¶ *Comprehendere* hoc uerbum pro cognoscere reperire licet, ut Ioan. 1. cap. Et tenebræ eum non comprehenderunt siue apprehenderunt, id est, non cognouerunt et agnouerunt excæcatæ mentes Christum.

¶ *Comprimere manus*, est gaudere & plaudere manibus, Nahum 3. Audientes auditũ tuum compresserunt manus super te.

¶ *Concilium* in bonã & malam partẽ accipit. Nam Ede, conciliũ, cœtũ atq; cõcionẽ significat, & eam non semper (ut Psal. 1. In concilio iustorum) ut quidam putarũt. Nam Psal. 22. Eda, id est, cœtus noxiorum dicitur. Et Psal. 64. Abscondes me à concilio noxiorum, id est à turba uel colluuie studentium prauitati.

¶ *Concilium dei*, apud Lucam 7. Pharisæi autem & Legisperiti cõsilium dei spreuerũt. Conciliũ Dei, propositũ dei est, à Paulo explicatũ, illud, Velle deum per Christũ in fide saluos facere peccatores. Hoc dei consiliũ spreuerũt Pharisæi & Legisperiti Iudæorum.

¶ *Concisio* Latinis & Hebræis idem est quod cõminutio aut etiam imminutio. Sic Esa. 28. Audiuimus enim cõcisionem uenturã esse super uniuersam gentem. Hinc & Paulus impostores & cauponatores uerbi quoq; concisionem appellat, Philip. 3. Conciditur enim quod discerpitur & planè distrahit. Circunciditur quod superuacaneis resectis purgatur. Iucunda enim Prosonomasia in Græco textu.

¶ *Concretũ pro Abstracto* in sacris literis nõnunquã est inuenire, Sic Psal. 7. Consumet nequitia peccatorũ, & diriges iustũ, ut iustũ in neutro genere. Contrà nequitiã impiorũ in Abstracto, pro iustitia, uel re iusta, seu causa iusti accipiat. Quomodo ad Rom. 8. Apostol⁹ dicit, Pro iusto uix quis audeat mori. Aliàs Denominatio dicit: ut mons sanctitatis: pro mõs sanctus. Vir mortis, pro uir morte dign⁹. Propheta falsitatis, ꝓ propheta falsꝰ.

¶ *Concubinæ* nomine Hebræis ancilla intelligitur, uiro in concubitum absque scripto & legitimis cæremonijs addita. Et proles ex tali nata coniugio non succedit patri in hæreditatem, sed muneribus dotari potest. Et sic Hagar fuit concubina, seu pellex Abraham. Ergo concubinæ & Pellices in scripturis non sunt meretrices seu scorta, sed uxores: uerum licet generent, procreentq; liberos, tamen sub dominio essent hæræ, & non dominæ domus, quibus omnia sunt commissa, claues & cætera, ut Genesis 35. cap. Sara domina legitur, Agar licet & uxor, Sarę dominio tamen subiecta fuit. Nam tales Concubinæ siue uxores parent dominæ, ut aliæ ancillæ. Sic Bala sub domino Rachel

chel fuit, ut Gen. 30. Ingredere ad eam, &c. Et hoc discriminis apud Iudæos fuit inter Concubinas, pelices, ancillas & heras, seu matres familiàs siue dominas domus. Ita Salomon multas habuit reginas, quibus singulis uel aulas, uel castra dedit: Concubinæ illarũ famulę, et tamẽ uxores legitimę fuerũt. Vide D. Augustin. de Concubina et uxore.

¶ *Conculcare* nõnunquã uidem° ab Hebræis pro cõuersari accipi. Et Errare de pecoribus, pro uersari aut habitare usurpat, Esa. 7. Pandes quoq; istic cõculcabunt, errabũt, &c. Interdum pro spernere, Psal. 43. In nomine tuo cõculcabimus qui insurgũt nobis. Conculcare terram in fremitu, Abacuc 3. cap. est iusto & graui iudicio, uelut ira sua dominus cõminuere omni uirtute resistendi, exurere & subigere filijs Israel terrã Chaldæorum. Conculcare Christũ is dicitur, qui non in delicijs & inter suprema bona, pretium redemptionis habent: qui sanguinem Christi effusum non secus æstimant, quàm si prophanus sit, hoc est, nullius priuatæ & singularis potentiæ sit, nihilq; distet à communi uictimarum sanguine, qui sæpius effusus ne tum quidem efficit quicquam. Aliud est enim sacratius q; de morte Christi sentiendum, nempe quod semel facta, semper satis sit ad diluenda omnia hominum peccata.

¶ *Concupiscere* Gal. 5. Et concupiscentiam carnis ne perficietis. Quia facimus, eas concupiscimus. Ipsum ergo Concupiscere nihil aliud est quàm facere, 1. Samuelis 2. Quia concupiuit Dominus occidere eos, id est, uoluit interficere eos. Septuag. Quia decernendo decernebat Dominus pessundare eos. Pro amore, Genesis 34. Quia concupiuit filiam Iacob. Concupiscentia quoq; pro amore, D. Petrus 1. Petri 2. Per concupiscentias carnales intellexit torum scelerum & peccatorũ uniuersitatẽ, quæ ex concupiscentia animi, malorũ omniũ & fonte & fomite existit. De ea ad Rom. 7. Et 1. Petri 4. Concupiscentiam paulò post ethnicam uoluntatem uocat, & per partes siue officia ac fructus subiectos, quales sit exponit. Et 1. Thess. 4. Hæc ait, est uolũtas dei, &c. non cum affectu Concupiscentię. Quemadmodũ impietas ignorantiã dei habet, superstitionẽ, idololatriã, amentiam, cæcitatẽ, & quæcunq; huius generis sunt, Ephe. 4. ita Cõcupiscẽtia in se complectitur libidinem, luxum, auaritiam, omnes præterea affectus beluinos. Ista uerò omnia docuit nos dominus abnegare. Et Tit. 2. Vt abnegata impietate & mundanis concupiscentijs. Et Paulus Rom. 7. omnem prauam inclinationẽ & deprauationẽ omniũ appetitionũ. Nam initiũ hæret in nostra deprauata omniũ hominũ natura & damnatur, & uocatur Concupiscentia, quæ est perpetua quædã auersio à deo, & contumacia repugnans legi dei. Concupiscentiæ nomẽ quo sæpe Apostolus usus, Non cõcupisces, nõ significari tantum cibi & potus ac Veneris cõcupiscentiam, cum tamẽ ipsum Decalogi præceptum habendi cupiditatẽ exprimat: uetat enim concupiscere domũ, homines, iumenta, & res proximi. Sed spiritus sanctus est hic more suo usus synecdoche ac uult, ut ex hoc uno prauæ cupiditates genere, quod nominatim interdixit, nos interdictũ nobis intelligamus, cupiditates rerum quarumlibet, quæ ipsi gratæ non sunt. Concupiscentia deniq; pro auaritia, Abacuc 2. Væ concupiscenti concupiscentiam malam, hoc est, auariciam, Prouerb. 15. cap. Conturbat domum suam concupiscens concupiscentiam.

¶ *Concatere cœlum & terram*, est omnia posse & omnia habere in potestate. Hagg. 2. Concutio cœlum & terram.

¶ *Concludere* Rom. 11. Apostolus de Iudæorũ abiectione & assumptione Gentiũ disputans, & quod aliquando Gentes nõ crediderũt deo, tunc aũt misericordia diuina ad fidem adductis & Iudæis reprobos factos, nihilominus tamẽ utroq; puniri propter peccata qui increduli sint. Conclusit enim (inquit) omnes in incredulitatem, ut omniũ misereatur. Hoc est omnes incredulos arguit & puniuit, Gal. 3. sed cõclusit scriptura omnia sub peccatũ. Theodoretus, cõclusit, id est, cõcessit. Concludere mulierẽ dicitur Deus, pro sterilem reddere, Gen. 16. Conclusit me Dominus, Hebraismus, pro sterilẽ reddidit. Et Gen. 20. Concluserat enim dominus omnem uuluam domus Abimelech, id est, steriles reddiderat mulieres totius familiæ Abimelech. Item, Concludetur in manu mea, Hebraismus, pro eo quod est, in deditionẽ ueniet, tradetur mihi.

¶ *Condicere* reperitur pro annuere. Nam & Græcis atq; adeò Demosthenis ipsi ὁμολογεῖν fateri, annuere, concedere ponitur, Esa. 8. Coniurationem nolite condicere, iuxta Hebræos, id est, nolite assentire, annuere.

¶ *Condemnare* pro iure conuenire accipitur, Rom. 7. Quis intentabit accusationem aduersus electos Dei? Quis ille qui condẽnet? Anclagen vorden richtern. Vel sententiã

contra

contra aliquẽ ferre: hoc nec deus faciet, nec Christus, quia ille filiũ pro nobis dedit, &c. quasi dicat Paulus, Nemo potest nos condemnare. Alias condemnare, est contra eos, quos ita iniquo animo iudicaris pronunciare, de quo iudicio Matth. 7. cap.

¶ *Conferre* pro communicare, usus est Paulus ad Gal. 2. Nihil contulerunt, id est, nihil communicarunt. Contulerat cum illis Paulus suum euangelium, illi non contulerunt uicissim suum, sed duntaxat probarunt euangelium Pauli. Itaque hoc loco Contulerunt, non significat idem quod addiderunt, ut quidam arbitrantur, sed illud hinc consequitur. Nam quod poterunt addere Paulo, qui ue communicarint quidem de suo Euangelio? Poterant aliquid à Paulo accipere, nihil poterant adiungere.

¶ *Confidentia* spem in malo nonnunquam significat, interdũ spem in bono. Interim securitatem & oscitantiam, Esa. 3. Filiæ confidentes percipite auribus. Et eodem capite, Obstupescite opulentæ, conturbamini confidentes. Et quæ est ista confidentia? Ezech. 30. Zopho. 2. Ciuitas gloriosa habitabit confidenter.

¶ *Configi spinam uel sagittas*. Deus, benignus ille pater beneficijs aliquando nos inuitat ad bonam frugem: nõnunquam pœnarum metu absterret à flagitijs, atq; hoc posterius si profuit, cõfixam iam spinam, aut sagittam corpori q; inhærentem intelligamus. Rectè igitur propheta Psalmo 31. Conuersus sum, inquit, in ærumnam, dum configitur mihi spina. Vana enim & inutilis fuisset spina infixa. Sic Psal. 57. Sagittę tuæ infixæ sunt mihi Et Psal. 118. prece sollicitat deum, ut configat: Confige, inquit, timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui.

¶ *Confiteri* primum est laudare, agnoscere, gratias agere, consulere, ut Geneſis 29. capite, Confitebor Domino. Et Psalmo 117. Confitemini Domino, &c. Matthęi 11. capite, Confitebor tibi pater. Id est, laudes ago tibi, uel gratulor, uel agnosco, prædico q;. Interdum pro testari, Matthæi 7. Ac tum confitebor illis, nunquam noui uos. Et quemadmodum Confiteri significat Deo dare gloriam & agnoscere fateri q; peccatum, quod tibi impingitur. Item laudare Deum & Domino gratias agere. Ita Confiteri Matthæi 10. capite, significat ingenuè profiteri ueritatem euangelicam, hoc est, disertè & constanter fateri Iesum Christum uerum Deum & hominem unicam esse orbis salutem, &c. Hæc enim enim omnia significant Hebræis quod interpretant uerbo Confitendi. Hinc Confiteri, est Domino fidere, eum confiteri, petram & refugium nostrum esse, ut Psalmo 104. & Ioannis 4. capite, Quisquis confessus fuerit, quod Christus est filius Dei. Hoc fit ex certa animi persuasione, imò ex perspectissima quadam prophetia rei certissimæ & indubitatæ fidere. Hinc uiuit Christianus sua fide, eam q; ut certissimam & uerissimam palàm intrepidè profiteri. Postremo, Confiteri est agnoscere quod tibi obijcitur, aut cuius accusaris. Sic qui prędicatione Ioannis compungebãtur, agnoscebant sic habere quemadmodũ ille dicebat. Sic hodie cõfitentur pecata sua, dum uerbum dei audiunt, cõpunguntur, ut sese agnoscant ac protinus se ad medicũ Christum recipiunt.

Confessionis nomen hinc quoq; pro laude ponitur. Sic alibi, Confessio & pulchritudo in conspectu eius. Quæ confessio nil aliud est, quàm laus et gratiarum actio & sanctificatio nominis Dei, ubique terrarum, ut omnia humana nihil sint, sed ut magnificetur & exaltetur solus Deus, unde ait Psal. 67. Confiteantur tibi populi Deus. Sic Pulchritudo est iusticia fidei, qua purificantur corda, Psal. 95. Confessionis uocabulum quoque ponitur pro fide expressa, Rom. 10. cap. Corde enim creditur ad iusticiã, ore autem confessio fit ad salutem. Et Hebr. 3. cap.

¶ *Confortare* pro exhortari, Deuteronomij cap. Ipsum conforta, quoniam ipse hæreditate finiet eam Israel.

¶ *Confundere* non significat pudefacere semper, sed commouere ac perturbare interdum, Act. 9. cap. Et confundebat Iudæos qui habitabant Damasci, affirmamus quod is esset Christus. Macht sie gar unrichtig, und das sie nit vvuſtend vvoran sie vvarend. Ité Confundi est propriè, cum nos fallit spes & fiducia auxilij, Hoseæ 10. Israel cõfundetur propter cõsilium suum. Igitur confusio premiũ est omniũ idololatrarũ. Deserunt enim in periculis, & experiuntur idololatriam esse fontem omniũ calamitatũ. Cum econtra qui ponũt fiduciam suam in Domino, & retinent ueros cultus, etsi periculis carere nõ possunt, tamen sentiunt certum auxilium, Psal. 25. 31. 37.

¶ *Congregari* ad populũ suũ, seu ad patres Hebræis mori est. Quæ phrasis frequentissima in diuinis libris est, Aggregari, Addi, Adiungi, uel Pergere ad populũ suũ dicunt, pro

pro eo quod est,ad totam stirpē,suosq; maiores proficisci & ad eos coadunari,& cum eis cōnumerari,& inter defunctos censeri,Num.20.Pergat Aaron ad populos suos.Et Septuag.permutarūt.Adiungat Aaron ad populū suum.Iudicum 2.Etiamq; omnis generatio illa congregata est ad patres suos,hoc est,mortua est,fato functa est,Geneſis 25. Congregatusq; est ad populum suum,pro mortuus est,quemadmodum et maiores sui post alios.Item,Congregatio non totam multitudinem,sed seniores & summos iudices denotat.Num. 35.capite.Aliàs congregare est auferre rem à se collectam,Hiere.16. Et Zacha.14.Et congregabuntur diuitiæ. Congregari hoc loco est,congregari ad ablutionem,ut omnia simul auferantur.sic Sophoniæ 1.cap.Congregans congregabo omnia à facie terræ,id est,auferam.Item Congregationes,fœminas,matres,sorores et filias uocat scriptura.

¶ *Congruentia* pro pompa & triumpho,Psal.68.ponit.Edunt,inquit,uentos in congruentijs,hoc est,triumphis & pompis.

¶ *Coniunctionem* omitti frequens est in scriptura spiritus sancti,quam tamen uertendo poni oportet,ut Ioelis 2.cap. A facie eius contremuit terra,moti sunt,pro sol & luna. ita & Psal.4.Singulariter in spe constituisti me,hoc est,confidenter & solitariè,uel confidenter & solus,uel singulariter & in spe. Ac si Dauid dicat:Verè hoc mihi præstitisti,singulariter & confidenter me habitare faciendo,quod in Mose promisisti,dicendo Israel habitabit confidenter.

¶ *Coniunctiuum* modū Hebræus non habet,sed Indicatiuo futuro pro eo utitur.Hoc modo Christus Ioan.2.cap.dicit:Pater gratias tibi ago,quoniā audisti me,ego autē sciebam quia semper me audies,Psal.16.Hieron.interprete.Ego inuocaui te,quia exaudies me deus mens.Sunt autē in sacris literis pro intelligēdo uerba magis quàm nomina obseruanda,ut Psal.9.Ciuitates eorū destruxisti.Hic Ciuitates proprie & ad literam sunt accipiendæ.Sed destructio non carnalis,sed spiritualis intelligenda est,Psal.77.Dominabitur à mari usq; ad mare.Hic non est aliud quàm corporale intelligendum.Aliàs autem scriptura sacra loquitur de rebus non uerbis.

¶ *Coniuratio* proprie hoc uerbo scriptura abutitur,quando non subito,fortuitoq; peccato,sed paratis insidijs & coniuratione tenditur ad delictum pariq; mente,unoq; studio id agunt,ut Dei mandata contemnant,Hiere.11.Inuenta est coniuratio in uiris Iehuda.

¶ *Cooperire pedes*, seu contegere pedes,est reuelare humi,ac aluum deijcere,exonerare,& meiere.Verecunde enim Hebraismus loquitur de exinanitione uesicæ,renum & alui.1 Regum 24.cap.Vt contegeret seu Cooperiret suos.Et Iudicum 3.cap.hic Hebraismus habetur.Forsitan cooperit pedes suos in conclaui æstiualis cœnaculi,pro cacare, utens pedum contectione.Siquidem qui uerecundi sunt,& huic operi indulgent,uestibus nudos pedes & crura tegunt.Contrà, Reuelare pedes,est se præparare ad sacra Veneris,Ruth.3 cap.Et accedens reuelauit,uel retexit circa pedes eius,accubuitq;.

¶ *Conscientia*, facies spiritualis animæ,est conscientia eius,uel cor,sicut ostendit propheta dicens:Tibi dixit cor meum,dominum requirā,&c.Exquisiuit te facies mea.Non enim facies carnea Deum quærit,sed Conscientia.Item quoniam facies conscientia appellat,ostēdit Iacob cum fuisset luctatus cum homine:Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea.Verè enim tunc facie ad faciē Deum nō uidit,quia in schemate hominis luctatus est contra eum Deus.Nam schema, corporale uelamentum est Dei,non proprietas Dei:sed mēte uidit deum.Vnde & Israel uocatus est,id est,mens uidens deum.Si aūt facies eius deum uidisset,utiq; sic uocādus fuerat,facies deum uidēs. Quid ergo? facies animæ conscientia appellat.Hæc Augustin.in cap.Matth.10.Homil.9.

Conscientia bona 1.Timoth.1.cap.pro spe usurpatur:Finis præcepti est charitas de corde puro,& conscientia bona & fide non ficta.

Conscientiam,uitam dicere Paulo moris est,ut 2.ad Timoth.1.cap.& alibi de uitæ mundicia dixisse intelligi potest.

Conscientia uero cauteriata,apostolo Paulo,ueluti cauterio siue cautere ambusta dicit 1.Timoth.4.Et D.Ambrosius hunc locum exponens,Illorum,inquit,cauteriatam dicit cōscientiam,hoc est,simulatione corruptam,quia sicut cauteriū corium corrumpit & notam infigit,ita & fallacia cōscientiam quę dolo maleuolentiæ aliud scit,& aliud profitetur,denotat ad perditionem.Hæc Ambrosius. Significauit ergo Apostolus falsos

illos

illos doctores animum habituros sceleris conscientia & ardore ambustum, qui conquiescere nesciat, & perpetuis sese excruciet tormentis, utut foris sancte & hilariter componant & faciem & totum corporis habitum.

¶ *Conscientiæ* diuersa appellatiua in scriptura, lucerna mentis & incorruptus iudex, ac regula iudicanda de moribus nuncupatur. Conscientia tortoris loco est: unde in scripturis, Esa. 14. & ultimo cap. Vermis ac tinea dicitur. Item Ignis æternus, neq; alia grauior mentibus contingit erynnis. Conscientiæ erynnes ex contemptu uerbi Dei, Deut. 28 cap. Percutiet te Deus amentia. Esa. 24. Insinuent in peccatis.

Contrà Conscientia sana murus æneus siue aheneus est. Impenetrabilis est enim & qui maximè hominem tutatur, ex Horatio, Hic murus aheneus esto, Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa, Et Prouerb. 15. cap. Secura mens quasi iuge conuiuium. Hinc prouerbia emanant, Conscientia mille testes. Conscientia reuerberat animum, &c.

Conscientia, cognitio est, iudicium & sensus hominis, quo apud semetipsum in animo suo sibi quisq; cuiuslibet rei peractæ uel non peractæ cõscius semetipsum uel damnat uel absoluit, Et hic sensus proficiscitur ex Deo, dictante inscribenteq; iudicia sua hominum cordibus & animis. Lex naturæ est dictamen conscientiæ adeoq; directio quædam ab ipso Deo hominum animis & cordibus insita, admonens quid uel faciant uel omittant. Natura uerò, est ingenium cuiusq; rei proprium. Porrò ingenium hominis plane corruptum per peccatum, ut cæcum, ita in omnibus est prauum.

¶ *Conquirere* scriptura nonnũquam pro disceptare, ut Mar. 9. Quid conquiritis siue disputatis aduersus illos? Conquirentes conquirite, apud Sophoniam, est anxie perquirere & studiose colligere, ut paleas filij Israel inquirebãt & colligebant urgẽtibus magistris operũ Pharaonis, Exodi. 1. cap. & 5. Et ut ille cõquirebat & colligebat ligna sabbato, Numer. 15 cap. Item, sicut & uidua illa ad quam missus fuit Helias 3. Regum. 17 cap. In his enim locis uerbi huius mentio fit.

¶ *Consilium* pro intellectu, Psal. Benedicam dominum, qui dedit mihi consilium. Pro senatu, Hiere. 19 cap. Et cedam consilium Iudæ. Pro uoluntate, Hoseæ 10. cap. Et consumetur Israel à consilio suo.

Cónsilium aũt inire, Hebræi cum latinis utũtur nonnunquã pro consilium capere, deliberare, & quod sequi uelis constituere. Ad consilium tamen exire alicubi Orationũ suarum dixit Cicero, pro ea deliberatione, qua litigãtes cum aduocatis & patronis per secessum à tribunali consultãt. Quod fere in rebus dubijs fieri solet. Vsus est hoc Tropo Esa. 16. cap. Hebræus dicit: Afferre consiliũ, pro inire consilium. 2 Regum. 16 cap.

¶ *Consolari* Paulus usus pro admonere & consilium dare, Actorum 27. cap. Consolabatur eos. Nam illis nihil acciderat, ut egerent cõsolatore. Nam Græcis est παρήνει, id est hortabatur siue admonebat, ne longius irent, quanquam ipsa Pauli oratio, quæ mox subijcitur, satis arguit illum non consolari, sed dare cõsilium. Item Consolari, pro gaudio usus est Paulus ad Rom. 1. Vt simul consolari.

¶ *In Conspectu meo*, pro coram arca fœderis, Exodi 23. cap. Non apparebis, in conspectu meo uacuus. In conspectu meo, & Coram me, idem significant, Deut. 5. cap. Non habebis deos alienos in conspectu meo. Hoc est, nullum Deum præter me adorabis, me spectante, quem nihil latet. In Conspectu eius, pro uiuente eo, Deut. 21. cap. In conspectu filij odiosæ, hoc est, uiuente filio odiosæ. In Conspectu domini positum, Exodi 29. cap. pro, quod oblatum est Deo. A conspectu mortui sui, Geneſis. 23. cap. Id est, Cadaueris uxoris suæ defunctæ. Quasi dicat, Cum autem Abraham fatis superq; planxisset Saram, relicto corpore, profectus est ad filios Heth. A conspectu Moysi, Exodi 36. pro à Moyse. In cõspectu meo, Gen. 30. cap. Id est, pauca erunt tua pecora quæ tu cõmisisti. In conspectu tuo est terra, Gen. 20. id est, uides omnem regionem mihi subditam. Et Gen. 47. In cõspectu tuo est. Quasi dicat, Offero tibi totam Ægyptum, elige quam partem uoles pro patre tuo.

¶ *Consternari* pro contremiscere. Nam Rigzu hebraicè, hoc contremiscente omnes Ebræi uel expauescẽte reddunt, Psal. 4. In uniuersum autem significat hoc uerbũ conturbari, commonere metu: nonnunquam dolere: interdum etiam indignatione. Primi exempla multa sunt, Exodi 15. et Deut. 3. & 28. In his locis omnibus ubi Consternari potest uerti, scriptura habet בגר. Secundi exemplum, ubi hoc uerbo cõmotio mœroris significatur, habetur 1. Regum 19. cap. Tertij exemplum habetur, Gen. 45. Ibi commotionem

nem iræ quoq; alicubi trepidare & consternari significat, alicubi etiam festinare, Deut. 20. cap. aperte metum significat. Rursus Exodi 12. cap. ubi de agno paschali dicitur, significat festinationem, ita & Psal. 48.

¶ *Consumere*, est consumere, exterminare & occidere impios, Numer. 16. cap. Vt eos repente consumam. Hinc Consummationem facere. Hoc complexo frequēter utuntur Ebræi, pro eo quod Latinus redderet totum perdere, excindere funditus, in uniuersum tollere, Hiere. 30. cap. Quia consummationem faciam in omnibus gentibus.

Consummare loqui, 2. Regum 11. cap. hoc est finem dicendi facere.

Consummare puluerem, pro conculcatione ac cōminutione, prouerbialiter ponitur. Id constat ex ipsa sententia, Esa. 16. Consummationem pulueris, &c. Tunc enim perfecte superatus est aduersarius, quum in puluerem & lutum cōculcatur, aut quum etiam conteritur & commolitur.

Consummari autem peccata quid sit, exponit Chrysostomus aduersus Iudæos, oratione 2. Multa, inquit, peccant, sed malorum finis tunc erit, quum dominum suum occiderint. Et hoc dixit Christus: Implete mensuram patrum uestrorū, seruos occidistis, addicte herilem sanguinem. Christus dixit: Implete, propheta ait, donec consummentur delicta, & signentur peccata. Item. Consummationem facere, est opere implere. Genesis 18. cap. Consummatio, pro cōsummatum est, Esa. 10. cap. Consummatio decreti, hoc est, absolutum est decretum, Latinus dicit, Stat sententia. Consummatio. seculorū ad Hebr. 9. est plenitudo temporis. Alibi uero Dies nouissimi appellant. Consummatio ueniet apud Matth. 24. locutio est. Consummationē uidetur accipere pro ea ætate post quam alia nulla ueniet, ut Paulus dicit, in nos fines seculorum deueniisse. Non ergo loquitur de consummatione aut fine seculi. A Christo ad ultimum usq; diem sexta est ætas, à fine mundi septima, quæ requiem æternam nostris laboribus præbet.

Consummare ciuitates apud Matth. 10. pro obire ciuitates accipitur. Et est sensus: Filium hominis cito uenturum, & prius quàm illi possunt peragrare omnes ciuitates Israeliticas.

Consummare aūt oculos uiduæ apud Iob 31. hunc sensum habet, qui frustra diu ora re finūt pauperes, & qui oculos suos intētos habent in dominos, si fortè aliquid ab eis accipiant. Fatetur Iob aūt se hoc non feciſſe. Et uidua hīc in genere pro paupere & desolato ponitur, sicut & pupillus. Consummatum est, apud Matth. 27. Et Ioan. 19. idem est quod iam rite peractum sacrificiū, iuxta patris uoluntatē. Hactenus rite litaui (pro quo nostri canere consueuerunt, Ite, Missa est) morte mea sic perfeci absolutū sacrificiū, & ita plenè absolui, expiaui & purgaui credētes, ut quemadmodū ipsa hostia absolutissima, ita perfectissimè quoq; absoluā ab omnibus peccatis suis omnes meos cultores. Quid sit τέλεια ἱερά hoc est sacrificia eximia, sanctiora, iusta, largiora ac luculenta. Vide D. Guilielmum Budæum in Commētarijs Græcæ linguæ.

Consumere pro deficere, Psal. 101. Quia consumpti sunt in fumo dies mei. Septuag. defecerunt.

Consummationem loci alicuius facere, est uehementer punire, pœnas sumere, Nahum 1. Vt plagarum modus fiat secundum delictorum pondus.

¶ *Contaminare nomen Dei*, est Deo honorem non præstare qui illi debetur, siue alium colere deo spreto. Polluere sanctuariū dei dicebatur, qui alio in loco immolabat quàm in ipso sanctuario: quod faciebat qui idolo Moloch sacrificabat, Leuit. 20. cap. Contaminare leprosum, est illum pronunciare immundum, Leuit. 13. cap.

¶ *Contendere*, est studium ingens habere, non sine labore & molestia: caro enim reniti tur, Lucæ 13. Contendite intrare per angustam portam, hoc est certate, acriterq; anniti mini intrare, &c.

¶ *Contentiosi* sunt quotquot superbia elati & pertinacia impexi, à primo animi instituto ne latum quidem cultum discedunt, sed semper in promptu habent quod dicant, obiiciant, peruertant, conuicijs uelitent. Hic quoq; seditiosos & seditiones perstringi uidemus quæ plerunq; à contentiosis excitantur hominibus, Rom. 1. cap.

¶ *Contemptibilis* pro inhonorato, Abdiæ cap. 1. Contemptibilis tu ualde. Septuaginta, Inhonoratus.

¶ *Conterere* pro humiliare, Psal. 93. Populum tuū Domine conterent. Septuaginta, Humiliauerūt. Conterere hydriam super fontem, est mortem oppetere, Eccle. 12. cap. Et

conteretur hydria ſuper fontem,& conteretur rota ſuper ciſternam.Dauid Kimhi,Et dixit ſuper fontem indicans ſepulchrum,ut dixit:Et conteretur rota ſuper ciſternam, quemadmodum ad fontem deferunt,qui eſt locus eius:ſic eſt locus hominis ſepulchrū, & ibi ſcindetur uenter eius.

¶ *Contriſtare* pro corripere & prohibere 3. Regum 1.cap.Et non contriſtauit eum pater ſuus.Septuaginta,Prohibuit.

Contriſtare hominem,eſt alteri inferre quod non poſsis pati ab alio,uel opprimere per potentiam,uel non iuuare neceſsitatem habentes & oppreſſos conſilio,uerbo & opere cum poſsis,Ezech.18.cap.

¶ *Contra & ſuper*, his aduerbijs plurimum adiungere Faciem,ſolent Hebræi,dicentes:Contra faciem deſerti,Contra faciem firmamenti,& ſuper faciē terræ,Geneſis cap. 1.Super faciem abyſsi.ſuper firmamentum:namq; neq; aliud Hebraice ſignificat.

¶ *Contritionis* nomine magnum malum prædicitur,Hiere.14 cap. Quia cōtritione magna cōtrita eſt uirgo filia,hoc eſt populus Iuda,et plaga peſsima ualde.Item Contritionis uocabulo ſtrepitus,ſonitus,tumultus uenit.Alibi in malam partem uſurpatur:ut Contritio & infelicitas in uijs eorum.Et Prouerb.16.cap.

¶ *Conturbare* pro corripere & confundere Pſal.2.accipitur,Et in furore,inquit,ſuo conturbabit eos:hoc eſt,non ſolum deſtruet & diſperdet eos,ſed & conturbabit eos,qui foris pugna,intus pauore eos conſumet.

¶ *Conuertere* pro placare,Pſal.89.Conuertere domine uſq; quò,Hiere.Thren.3.cap. Conuertere malum in caput ſuum.Hebraiſmus eſt.Hoc ad eum modum intelligas licebit,pœnam ipſe luit,quam pararat alij.Aut,malum illi,quod commeruit,accidit.1.Regum 25.In Pſalmis ſæpiuſcule.Item,Conuerterunt ſe ad cor ſuum,Hebraiſmus,noſter Interpres pœnitentiam egerunt in corde ſuo.3 Regum 8.cap.

Conuerti ad Deum,eſt per uerbum gratiæ illuminari corda ad cognitionem Dei,ut ſciant ſe ſola gratia ſaluandos,non noſtris operibus,Eſa.49.

¶ *Conuocare* populi multitudinem,Hebraico ſchemate dicitur appropinquare in faciem domini:qui mos fuit Conuocandi populum per ſacerdotes ad dominum,præſentiq; populo loqui dominū Moſi,Exodi 16.Et Leuit.23.Conuocatio ſancta erit uobis.

¶ *Conuiuium* pinguium deferatorum & medullatorum,Hebraiſmus eſt apud Eſaiam cap.25.ſignificat iram & indignationem dei,ſicut frequenter calicis uocem eandem indicat Zacha.12.cap.Nam ira dei & indignatio hiſce uerbis exprimit.Sicut enim qui calicem ebrietatis bibunt,inſanire incipiunt,& grauati potione ſe ipſos perdunt,dum alios offendere uolunt:ita quoq; qui bibūt in hoc monte potionem,id eſt,qui eccleſiam Dei offendere ſtudent ac Iſraelitas ſpirituales,ſibijpſis accerſunt interitum.

¶ *Coram* ſæpenumero in ſacris literis pro aduerſus & contra ponitur,Geneſis 1. cap.Et homines Sodomitæ peſsimi erant,& peccatores coram Domino,uel in conſpectu Domini.Quemadmodū alibi de Nimrod,quod eſſet tyrannus,& ferox coram Domino,id eſt,non uerebatur Deum,& uidente Domino,auſus eſt exercere tyrannidem, ſic Dauid:Tibi ſoli peccaui,& malum coram te feci,aduerſus & contra.Ita in conſpectu Dei loqui,eſt coram loqui,& Deo arbitro.1 Cor.12.Idem ſunt in Conſpectu Dei,& Coram Domino.

Coram eſſe,ſæpius inuenies pro eo quod eſt in poteſtate,ſic Gen.24.Ecce Rebecca coram te eſt,accipe eam,id eſt,in poteſtate tua,ut ſit Coram eſſe,idem quod in poteſtate eſſe.Interdum Coram Deo,eſt in miniſterio & negotio Domini eſſe,Lucæ 1.cap.Magnus coram Domino.

Coram te autem,capitur nonnunquam pro,ante te,id eſt,ante tuam ætatem,ut ad tempus referatur. 1.Paralip.17.capite. Coram ſeipſo prudens, eſt non timere Dominum,non agnoſcere Dominum,non recedere à malo.Poſt Baal ire.Stare in peccatis, ſubter omne lignum frondoſum ire.

Coram Deo,inſuper iurantis ſermo eſt,apud Paulum 2. Corinth.7.cap.Et illos & Deum conſcium teſtantis.Et Geneſis 6.cap.Corrupta eſt autem terra Coram Deo,id eſt,uidente ac ſciente Deo.Coram atqui Deo uiuere Gene.17 cap.eſt Deo placere & obedire.Vtinam,inquit Iſrael uiuat coram te,Id eſt,ita uiuat ut tibi placeat,& obediat mandatis tuis.Coram Domino,interim pro arca teſtimonij,Exodi 16.cap.Coram Domino,pro,ante tabernaculum conuentus,ſiue fœderis,Leuitici 1.capite. Coram Domino

mino in atrio, Leuitici 6. capite. Coram Domino, pro Deo inſpirante, Numeri 32. capite. Coram Domino, pro in oſtio atrij, capite tertio Leuitici. Coram Domino, pro, in ea urbe in qua fuerit tabernaculum, Deuteronomij 16. capite. Coram Domino, pro, ſub cœlo, Geneſis 10. Coram Domino, id eſt, Dei iudicio, Geneſis 13. Peccatores coram domino. Coram me, pro, me inſpectante & uidente, Exodi capite 30. Coram te, pro ſub aduentum tuum, Deuteronomij 7. capite. Coram uobis erit terra, id eſt, in ueſtra poteſtate, Gen. 34. cap.

¶ *Corban* idem eſt Latinè quod appropinquatio & oblatio, qua nos Deo appropinquamus, aut quod nos deo appropinquare facimus, Leuitici 3. cap.

¶ *Cordis* appellatione uenit tam diſcernendi uis quàm agendi induſtria: quia domicilium eſt ſenſuum, & fons cogitationum, ex quo promuntur & bona & mala. Hinc ſignificat conſilia, ſtudia, affectus, mentem, iudicium, opinionem, cogitationes, æſtimationes, &c. Ideo Pſal. 7. prius cor dicit quàm renes, quod uoluptas & quæritur per opiniones & ſequitur: & quiſq; his delectatur, quæ ſibi bona iudicauerit, ſi obtinuerit. Hinc ſapientia Carnis inimica deo, ad Rom. 8. dicitur. Quod cuæſat uoluptates illas aduerſus his rapiatur, & his adficiatur, quæ deus ipſe prohibuit. Senſus ergo eſt, Scrutat⁹ corda & renes deus. Quod omnes cogitationes, delectationes, deſideria & uoluptates, Deus ſolus ſcrutatur, unus ipſe nouit & examinat ac probat. Quia ipſe eſt ſpirituum ponderator, Prouerb. 16. cap. Corde ergo & renibus uetus ille Adam ſua quærit, id eſt, lucra, gloriam, oblectamenta carnis & tranquillitatem uitæ. Hinc odia, inuidia, ira, homicidia, &c. Et alibi precatur Dauid: Vre renes meos & cor meum. Hinc Cor & Renes pro intimis cogitationibus atque affectibus poni non inſolens ſcripturæ eſt. Nam Cor affectuũ intellectus & uoluntatis ſedes eſt, Renes uerò cupiditatũ. Et Chriſtus Matth. 12. appellat Cor theſaurum bonorum & malorum, id eſt, locum & repoſitorium unde promuntur bona & mala. Et quum Cor, affectuũ ſedes & domicilium ſit, ponitur ſæpe pro ipſis affectibus. ut, 1. Ioannis cap. 3. In cordibus ueſtris. Et ad Hebræos cap. 13. Bonum, ait, eſt enim gratia cõſtabiliri cor. poſuit pro mente ſiue interiore homine, qui nõ purgatur uel ſaturatur, niſi ſpirituali manducatione, Ioan. 6. Cor ueſtrũ gaudebit, Ioannis 16. id eſt, ineffabiliter & ex animo gaudebitis. Eſt enim Idiotiſmus linguæ ſanctæ, maximam ſignificans gaudij affectionem.

Cordis præputium, eſt craſsities cordis & obduratio ad legem, Hieremiæ 4. & eſt auferenda & reſecanda à uere fidelibus.

Cor maternum prouerbio dicimus pro amiciſsimo & ſuauiſsimo corde, Eſa. 49. capite. Sexus enim muliebris natura eſt miſericors, quia ad miſericordiam & ad fouendũ natus. Vnde Hebræi etiam mulierem uocant à matrice ſeu utero, quod ad fouendum ſit facta, ſicut uir ad defendendum.

Ad Cor præterea, pro uſq; ad, Deut. 4. cap. Et mons ardebat in igne ad cor cœli: Septuaginta, Vſq; ad cœlum.

Corde uerò cõtriti ſunt, quos piget & pudet uitæ contra deum & legem eius admiſſæ, qui in omni uita ſua nihil cui fidant inueniunt, ſed contrito ſpiritu Deum accedunt medicum, in huius ſperantes miſericordia, Lucæ 4. & Eſaiæ 61. cap.

Cor ſuum aggrauare, eſt aliquid grauatum ac reluctante animo facere. Exodi octauo. capite. Et aggrauauit cor ſuum Pharao, etiam hac uice. id eſt, in infidelitate permiſit.

Cum corde meo fuit, hoc eſt, animus erat ædes extruere. Noſter legit: Erat uoluntatis meæ. Idem 1. Paralipomenon 22. & 2. Paralip. 1. 6. & 11. capitibus, Omne quod uenit ſuper Cor. Vbi interpres Latinus legit, omne quod diſpoſuit in corde ſuo, 2. Paralipom. cap. 7. Item Dederunt cor ſuum, ut quærerent, hoc eſt, animum appulerunt ad ſtudendũ domino. 2. Paralipo. 11. Et ſimile cap. 12. Non direxit cor ſuum, &c. Cor ſuum non præparauit domino, 1. Regum 7. cap. hoc eſt, non pœnituit. Item, Conuerſi ad cor ſuum, id eſt, reſipiſcunt. 2. Paralip. 6. Ab hoc non diuerſum eſt, Redire ad cor, Eſaiæ 45. & Pſalmo 84.

Deus tangit Corda, hoc eſt, quo uult mouet, 1. Regum 10. cap. Inuenire Cor ſuum, idem eſt quod Deum aliquid mittere in mentem homini ut faciat, 2. Regum 7. cap. Factum eſt Cor Iſrael poſt Abſalom, hoc eſt, animus uulgi hac propendebat, ut Abſalom principatum teneret patris loco. 2. Regum 15. cap.

Adfligere cor ſuum 2.Regum.13.cap.Idem ferè cum illo quod eſt apud Eſaiam cap. 58.uidelicet adfligere animam ſuam,id eſt,ad ſummum turbari.Cor tuum non eſt mecum.Hoc eſt,Non es eiuſdem mecum animi,Iud.16.cap.Cor tuum eleuauit te,Id eſt,uiderit tibi magnus ac potens eſſe,Germanice,haſt ein ſtoltzen geiſt.4.Regum 14.cap. Cor ſuum percutere,pro eo quod eſt,conſcientia tangi,per conſcientiam argui ac admoueri.1.Regum 24.et 2.Regum 24.cap.Er ſchlag in ſich ſelbs.Obſerua,Cor ſuum,nominandi caſum eſſe,ut intelligas Dauidem à ſuo ipſius corde percuſſum.Nec ſecus legunt Septuaginta.

Feruet Cor eius,ubi noſter Interpretes habet,dolore ſtimulatus,qui & ipſe tropus Latinis non infrequens eſt:Feruerunt ſanguis & ira,ſcintillant oculi,Deut.19.cap.Cor eorum exiuit,pro quo Interpres noſter,Obſtupefacti ſunt.Septuaginta,Obſtupefactũ eſt Cor eorum,Gene.42.Boni corde,noſter Interpres alacri corde.3 Regum 21.2.Paralip.7.& Eſter 1.& 5.cap.Cordis latitudinem dedit ei,hoc eſt,ampliſsimum ingeniũ.Fecit illum regem doctiſsimum.3.Reg.4 cap.

Cor aliquando pro anima accipit ſcriptura,ut ibi:Omni cuſtodia ſerua cor tuum. Pro affectu ſiue uoluntate,at; animo ipſo:ut Actorum 4.cap.Multitudinis credentiũ erat Cor unum,id eſt,ipſum omnes uolebant,quemadmodum amicorũ eſt,idem uelle atq; nolle:ut Lælius Ciceronis atteſtatur.

Cor ſemper Hebræis ſignificat per metaphoram medium.Sic dicunt in Corde terræ,In Corde maris,id eſt,in medio,& medio maris.Sicut etiam Chriſtus Matth.12.cap. Filius hominis erat in corde terræ.Sic in Moſe,uidiſti ignem uſq; in cor cœli,id eſt,in mediũ,Ira & Pſal.45.Sagittæ cadent in corde inimicorũ regis,id eſt,in medio.Et Exodi 19.In Cor tuum:Sic Cor maris:idem eſt quod medium maris.Cor terræ,pro eo quod dicimus in medio terræ,aut intimo,Pſalmo quadrageſimoquinto,Et montes transferuntur in corda marium.Et Ezechielis uigeſimoſeptimo capite,Cor medium uel intra. In Corde maris terminos tuos,hoc eſt,in medio maris.Eo enim quod terra mari ambitur,dicuntur montes mari ſiti.ut Pſalmo quadrageſimoſexto,pro medio dixit,& Ionæ ſecundo capite.Similiter ad hunc modum,Cor hominis medium in homine eſſe.Item rex in medio Cor populi.Item Cor maris Iudæa eſt,nimirum in medio mundi,ut:Vidi uirum aſcendentem de Corde maris.O Tyre quæ ſita es in corde maris.Hinc medium omnis terræ Hieruſalem,Hebræi intelligunt.Septuaginta & Paulus 1. Corinth. 11.cap.dicit:Omnis terra.Item In Corde terræ,Marci 8.cap.tropus eſt,& ſignificat mortuum eſſe et ſepultũ in terra.Sic Germanice dicimus,ein kyel erdtrich vver dem gſundt, ſignificantes illis uerbis mortem & ſepulturam.

Cor inſuper pro anima & ſenſu & intellectu,& ſcientia,Hiere.4 cap.Laua à malicia cor tuum Hieruſalem,Rom.1.cap.Obtenebratum eſt inſciens cor eorum,Ephe.4 cap. διανοίαν,id eſt,intelligentiã nominat,obtenebrati intelligẽtia.Pro opinione,Geneſ.31. cap.Et furatus eſt Iacob cor Laban.Exiſtimabat enim illũ eſſe cũ pecudibus ſuis & ipſe fugerat.Pro ſermone & cognitione,Pſal.23.Cor regis,pro ipſo rege,Hiere.4 cap.Peribit cor regis & cor principum.Cor hæſitare,Gene.45.Hæſitauit cor eius,hoc eſt,conſternatus ſeu attonitus & obſtupefactus eſt.Cor inuenire,relinqui à corde,eſt non peccare 2.Regũ 7.Eapropter inuenit ſeruus tuus cor ſuũ.Quem enim corde reliquit peccat,ut Pſaltes teſtatur Pſal.49.Et cor meum dereliquit me.Item,In cor loqui,eſt amice compellare & conſolari,Ruth 2.cap.Et loquutus es in cor ancillæ ſuæ.Item,Ad uel ſuper Cor loqui,idem eſt quod blanda,bona,dulcia loqui,et adflictum animum conſolari fauorabiliter & familiari colloquio metum adimere,quemadmodum Gen.34.Sichem loquutus eſt ad cor Dinæ,quam uiolauerat,triſtem detinuit blandicijs,hoc eſt,uerbis eam demulcebat.Et Eſaiæ 40.Conſolamini,cõſolamini populo meus,loquimini ad Cor Hieruſalem,& prædicat illi,id eſt,date operam,ut mœrorem ex cordibus hominum eximatis,blande nocentes illos,non imperioſe,non frigide,ſed feruenter,ut ad intimum cordis uerba penetrent.Et Oſeæ 2.& Gen.49.cap.

Cor eſſe alicubi,nihil aliud eſt,quàm cogitationem,gaudium,fiduciam,ſpem,amorem,metum,totum uidelicet animum alicubi eſſe.Matth.6.cap.Vbi theſaurus,ibi & cor tuum,id eſt affectus cordis.

Corde recti ſunt qui ſemper & ubique bene de Deo ſentiunt,non carni,nec huc, neque illuc,incertis opinionibus,inconſtantes,uacillantes & nutantes,Pſalmo 7.& 72.

Quàm

Quàm bonus Deus Israel, ijs qui recto sunt corde, id est, qui neque prosperitate impiorum, neque sua ipsorum infelicitate seducti, male de Deo sentiunt, sed placet eis quicquid & quocunque modo Deus fecerit. Sola enim fiducia uerbi cœlestis contenti, omnia Deo optimo patri luminum relinquunt, siue cõmittunt, simplicibusq; oculis in uoluntatem Dei intendunt.

Cor obliquum, nunc per iactantiam, arrogantiamq; elatum, nunc per calamitates & dolores detectum, huc atque illuc fluctuat: unde Ecclesiastes ait: Obliquum non dirigetur. Hæc Basilius. Corde autem rectus est, qui animum retinet utrinque paratum, ut nec in rebus excedat, neque rursus deficiat, sed in medio uirtutis consistit, & nominatur ille alibi iustus. Hæc Basilius Magnus in Psal. 7. Cor ergo rectum, est quod non quærit sua, nec aliud in agendo aut patiẽdo spectat, quàm Dei gloriam, et proximi commodum. Vide August. in Psal. 31.

Cor confortatum, Diuus Augustinus Quæst. super Deuteronom. 2. cap. ut tradetur in manus tuas, sunt in hac die. Hæc dicens Moses dum populum alloquitur, tale aliquid commemorat quale dicebatur in Exodo, Ego induraui Cor Pharaonis. Et in Psalmo legitur, Conuertit cor eorum, ut odissent populum eius. Sanè notandum est, Confortatum cor, posse dici etiam in malo. Hæc ille.

Cor carneum, in bonam partem nonnunquam capitur, uidelicet pro obtemperanti, docili, sequaci, molli, tractabili. Hierem. 31. 2. Cor. 3. cap. opponitur enim pulchra antithesi Cordi lapideo, pro peruicaci & contumaci, eodem capite.

Cor lapideum quoq; habemus, hoc est, cui piam ad uerbum Dei non commouebile, quod correptionem non admittit, sicut lapis adamas non cedit percutienti. Et hoc designant lapideæ tabulæ, ut infrà audiemus, Ezechielis trigesimosexto capite, pro duro & obstinato.

Corde insatiabili esse, est donis dei præsentibus minus contentum curare tantum, ut multa habeamus, per phas & nephas: non quidem cum deo, id est, honesto labore. Qui eiusmodi est, proximum in negotio circunuenit, nulli subuenit, pecunias & res non ex fide, sed contra conscientiæ uermem sine modo accipiẽs, id quod Salomon Prouerb. 21. capite, latum Cor uocat, eò quod istorum oculi insatiabiles sunt, nihil est eis satis, adeò sitis auaritiæ nunquam explebitur.

Cordis præputium, durities ac cæcitas, qua cor impeditur ne uerum perspiciat: ut enim apud nos per baptismum demonstratur, ac fit animi potius quàm corporis expiatio. sic Hebr. 1. capite, Circuncisio docebat resecandam esse Cordis duriciem ac cæcitatem. Hinc Cor præputiatum, quod obesum, crassum, affectibus terrenis oppressum. Et carne præputiata est, qui prauæ uoluntati obsecundat, malumq; animo destinatum opere perficit.

Cor unum dicitur, quod non claudicat in utranq; partem, Ezech. 11. cap. Et dabo eis cor unum. Cor nouum autem, quod uerbo domini obedit ad optima, deoq; grata perpendit, uetustatem carnis deposuit, & nouitatem uitæ meditatur, quodq; aliter sentit & secus afficitur, quàm antea.

Cor atqui in ore habere & econtrà, ita discernuntur. Alterum stultorum est, qui imprudenter & impræmeditato blaterant. Alterum autem sapientum, qui prudenter & ad rem loquuntur, iuxta illud Eccle. 21. cap. In ore fatuorum cor illorum. Et in corde sapientum os illorum. Pulchra sanè & egregia sententiæ conuersio.

Corde & corde, et duplici corde loqui, idem est quod alibi scriptura duplices animo dicit, est inconstanter & perfida intentione loqui, duplici animo fallere simplicem & innocentem. Sunt hi qui aliud loquunt, aliud sentiunt, aut ea affirmant, quę non credũt, & de his dubitant, Psal. 12. Labia dolosa in corde, & in corde loquuti sunt mala.

Ad cor redire, dicunt Hebræi quomodo Latini Ad bonam mentem, aut sibi restitui, Esaiæ 48. Considerate istud & animum resumite, redite ad cor, ò præuaricatores. Septuaginta κατανοήσατε, id est, resipiscite.

Cordis contritio & conquassatio sumitur apud Esaiam 65. cap. in malam partem.

Corde contriti aliàs ut & suprà annotatum, sunt hi qui ab alijs oppressi atque inde grauiter afflicti, animoq; sauci & consternati, Psal. 34.

Corde mundi, hi dicuntur, qui seruant mundiciam Cordis, hoc est, simplicitatem & integritatem, neq; admittunt in animũ peruersum consilium aut affectum. Vel ne quid

aliud Corde uolutes, aliud foris præ te feras, sed ex puro simplicique corde ad gloriam dei & salutem proximorum institutas omnia nusquam tua quærens, Huiusmodi certe deũ uidebunt, uti sunt de germanis dei cultoribus, qui ascendunt in montem domini.

Cor ponere super uiam, est alacriter aggredi opus iniunctum, Haggei. 1. cap. Sic dixit dominus exercituũ, Ponite cor uestrũ super uias uestras, hoc est, aggredimini opera.

Cor errare, dolorem significat, & tantum, ut corde suo loco amoueatur: Hinc inde uagans destituaturque omni solatio, ut membra omnia contremiscant, Esaias usus est Corde carere, qui intellectu & prudentia destituti sunt, & præcipites sequuntur desideria carnis, Esa. 48. cap.

Cor furari, idem est quod celare, abscondere consilium, atque agere alio nesciente. Sic Iacob Geneseos. 31. cap. Clam inscio socero, uidelicet Laban, uolebat agere profectionem, & clam instituere iter. Cor meum, inquit, furatus es. pro quo Onkelos, abscondisti à me, & cœlasti à me.

Ad Cor uel in Cor ponere, uel Cor suum apponere ad aliquid, pro mente tractare, reputare, perpendere, sic ait Esa. 47. Non posuisti super Cor tuum, neque recordatus es nouissimi tui, Exodi. 7. cap. Et in libris Regum, Absalom non posuit rem in corde suo, quo scilicet Amnon sororem suam uitiauerat. Similiter. 1. Regum. 25. dicebat Abigail uxor Nabal ebrij, ad Dauidem: Ne ponat oro dominus meus rex Cor suum super uirum istum iniquum. In Corde conseruare omnia, hoc est, conferre & perpendere, Lucę 2. Exemplo Mariæ. Ad Cor, hoc est, usque ad, Deut. 4. Et mons ardebat in igne ad Cor cœli. Septuaginta, Vsque ad cœlum.

A corde mortuus, Psal. 30. Dauid utitur hoc Ebraismo, Obliuioni fuit tanquam mortuus à Corde. id est, sicut qui mortuus est obliuioni datur, & perijt à corde & memoria hominum.

Cor nouum Israelis, Ezech. 18. cap. est credere in eum, quem prius negauerant, gloriam Dei, non suam quærere, spiritualia præferre corporalibus, uerba legis & prophetarum amplecti, quàm humanas traditiones. Cor nouum gentium, est idola cuncta relinquere, mortuorum culturam contemnere, &c. eodem cap. Ezechielis.

Cor præterea dilatari, idem est quod lætari, animo gaudere, consolationem accipere, ut, Cor & os dilatatur huic. Latius de hoc Tropo lege Esaiam 60. capite, Tunc uidebis & affluues, obstupesces & dilatabit se cor tuum. Et 2. Corint. 6. capite. Psalmo 34. Et hoc fit dum ablato malo, rursum bona & iucunda conferuntur. Nam & in fronte & uultu toto uidemus, quàm contrahantur tristibus, & dilatentur rebus iucundis. Ideo de impijs Psalmo 7. dicitur: Et contrahentur in angustijs suis. Vnde & Apostolus Rom. 12. cap. duo illa componit: Tribulationem & angustiam, malum scilicet & fugam mali, sic tamen ut fugi non possit.

Cor compungi, est mortificare iram, quam in corde qui concepit, iratus impingitur, quum redit ad cor, sibique displicet, quod commotus sit, atque ira ad silentium præ dictum, per compunctionis uim proximè accedit: itaque dum loquitur cum Christo, in corde suo uidet (præsertim in cubili suo, & seorsum positus) quàm stulta fuerit commotio & impatientia iræ suæ: quam si sequutus, cecidisset, atque hac sui compunctione imitatus, abstinet à tumultu, ad quem motus fuerat: etiam tacet: uindictæ flamma non parum sedata. De quo Psalmo 4.

Corde sapientes, pro ingenioso artifices, Exodi 36. cap. Cordis sapientia ergo est peritia artis, industria & ingeniositas. Ideo corde sapiens, idem est quod ingeniosus, industrius, & peritus artifex.

Cor eorum egressum, Gen. 42. id est, exanimati sunt, siue obstupuerunt. Cor incircuncisum, Leuit. 26. pro improbo ponit. Cor intelligens, pro mente intelligenti, Deut. 29. Et non dedit uobis cor intelligens. Cor malignum. Deut. 15. Nec malignum erit cor tuum dando illi. id est, ne grauatè, molestè siue ægrè iuues illum.

Cor ponere ad sermonem, est negligere uel auscultare, Exodi 9. cap. Qui autem neglexit sermonem, &c. In cor ponere ad docendum, Exodi 35. cap. Id est, reddidit eum facilem & pronum ad docendum alios.

Post cor suum & oculos suos aspicere, Numer. 15. cap. est sequi cogitationes cordis sui, & concupiscentiam oculorum suorum. Ad Cor reducere, id est, in memoriam, Deut. 30. cap. Ex toto corde, Deut. 26. cap. id est, sponte, libenter, & ex animo. In Corde & ore

& ore tuo uerbũ. Deut.30.Hoc eſt, propinqua tibi eſt lex, nam in ore tuo eſt:id eſt,tibi il la frequẽter recitatur,& uelut in os ingeritur à Leuitis.In Corde dicit, Quia legẽ cordibus Iudæorũ inſcripſerat dominus,priuſq̃ in tabulis illis lapideis Decalogũ inſculpſiſſet.Corde uoluntarius:id eſt liberali animo.Exod.35.cap.

¶ *Cornu*, uulgari phraſi ſcripturæ,pro uictoria,magnificentia,robore,imperio,uirtute,gloria,regno,amplitudine,potentia,maieſtate capitur,ut Hierem. 48.cap.Cornu Moab confringetur,& brachium conteretur, quo tamen idem ſignificatur. Metaphora ſumpta à quadrupedum animalium potentia,quorum robur Cornua ſunt.Illis quoq; beſtiæ pugnant & ſuperabunt.Vel hinc hæc translatio ſumpta,quòd reges oleo & Cornu ſumpto inungebãtur.1.Reg.16.cap.Imple cornu tuũ oleo.Sic Iob ait,ſe cornu ſuum in puluerem depoſuiſſe,hoc eſt abieciſſe regnum,honorem,& omnia quondam magnifica.cap.16.Et Pſal.17.Protector meus & cornu ſalutis meæ.Et Luc. 2.cap.Id eſt gloriam & uictoriam.Pſal.74.111.148.Et apud Danielem cap.7. Cornua quatuor, quatuor potentiſſima regna demonſtrant.Et decem Cornua in ultimo tempore regnatura Daniel teſtatur.Zachariæ 2.cap.pro regnis ſumitur. Eſa.5. Vinea facta eſt dilecto meo in Cornu filio olei. Voluit alioqui Cornu:id eſt, terram promiſſionis dici, quòd terris alijs ſit eminentior,ſed & Hebraicũ ſchema.Septuaginta bene indicarunt,uertẽtes In loco pinguí.Idem eſt ergo filius olei,quod locus pinguis.Alluſit ad prouerbium Amalthias ceras,id eſt Amalthiæ cornu, uel copiæcornu. Nimirum in loco,è quo quaſi omnem pinguedinẽ queas deponere.Nota eſt enim fertilitas terræ promiſſionis, unde lacte & melle fluere prædicatur,rametſi alicubi montoſa,pluuiam è cœlo deſideret.

Cornu ſalutis,abijt apud Hebræos in prouerbium, uſurpatuŕq; pro ſalute & inſigni uictoria.Hebræi hac uoce Cornu, pro radio, flamma,aut ſplendore. Metaphora à bouis Cornu ad ſolis radios aciubar,& ad flammam tracta . Hinc per errorem Moſes ille ſupra omnes mortales lenis,iucundus,ſuauis,& patiens,cornutus nobis eſt factus: quum ſcriptura uoluerit nobis gratiam, ſplendorem & autoritatem, quæ ei colloquio Domini acceſſerant,ita ut per omnia anguſtior eſſe quàm prius,commendare. Exodi trigeſimo tertio capite: Cornua habebat.hoc eſt, ſplendores ſeu fulgura in uultu ſuo.Et Abacuc quarto capite:Splendor eius ueluti lumen,fulgores à manibus eius prodiebantur:id eſt, corruſcationes,fulgura.Opus fulgens ac ſplendens erat Iordanem pertranſire.Item quod percuteret Ægyptum. Nam hæres ſpargebãtur ac tanta uulgabantur,ut cœlum & terra gloria eius replerentur.

Cornu apud Eſaiam capite quinto,ponitur loco aprico:quemadmodum & in Germanica lingua Cornu uocamus Cherſoneſum in mare aut ſtagnum procurrẽtem : aut eriam colliculum oblongum in latam planiciem,quales loci fermè aprici ſunt, & ſerendæ uiti accommodatiſſimi. Hinc Cornu,pro monte & pro loco edito & munito Hebræi accipiunt: & uel præcipua terra olei ferace quoq; accipitur,ut eſt terra Iſrael, fluens lacte & melle . Cornua ſeptem Apocalypſis quinto capite,eminentiam poteſtatis qua uniuerſis dominantur,accipimus.

Cornu & ungulæ capiuntur pro prædicatione uerbi,quæ fide fit, & ſpiritu fortitudinis Domini, Micheæ 4.. Cornu autem uentilare, idem eſt quod frangere & ſuperare, Pſalm.43.In te inimicos noſtros uentilabimus cornu, & in nomine tuo contemnemus inſurgentes nobis.Sic Micheæ 4.cap.Ventilabunt eos cornibus. Quod à Cornibus animantium pugnantium deductum uidetur,quæ iactãt & feriant impetu ſuo, Ezech, 32.Zach.1.cap.

¶ *Corona*, ſchema eſt in ſcriptura non inelegans,pro ſummo honore & decore ſeu regia dignitate accipi, Eſaiæ capite 62. uidemus. Et corona gloriæ in manu domini: id eſt, in tutela domini.Hieremiæ decimotertio, Quia corona ueſtræ magnificentiæ.Similia ſunt quæ ſexageſimo ſecundo capite apud Eſaiam dicuntur iſtis, quæ Paulus de eccleſiæ mundicia & puritate uirginem eam faciendo,nunc matrem familiàs diſſerit.Et Pſalm.45.pro potentia & gubernatione regni, ſicut ſceptrum,ius,leges, ſapientia,quæ moderatur regnum. Hinc corona regni, imperij ſymbolum & iudicium. Item Corona gloriæ,aliquoties uerbum dei eſt:hoc eſt,id quo gloriamur,& fidimus,& gloriоſi reddimur aduerſus regnum mundi.Hinc coronare ſæpius accipitur pro circumdare & interficere quempiam.1. Reg.23. capite:In modum coronæ cinge Dauid, &c. Et Pſalmo quinto : Scuto bonæ uolũtatis tuæ coronaſti nos.Item Pſalm.18. Gloria &

honore coronasti eum.pro,circundedisti.Metaphora à corona sumpta,quæ undiq; perfecta est,& totum cingit.Corona dei,ecclesia est,ex uarijs gentibus congregatio:de qua Philip.4.in persona credentium ait,Gaudium & corona mea.

¶ *Corporis* uocabulo utitur scriptura nunc pro naturali corpore uegetatiuo,ut Esa.50.Corpus meum dedi percutientibus.Luc.24.Non inuenerunt corpus Domini in sepulchro.Tres sunt ergo hominis partes.Corpus est uisibile illud uasculum,terrenum,corruptibile & mortale.Spiritus est in homine,id quod Græci uocant Igemonicon,id est Principale,rationem intelligentes,qua separamur à bestijs.Hanc etiam mentem uocamus.Hac parte iudicamus,& quæ bona uidẽtur expetimus.Anima est,qua uiuimus & corpori coniungimur.Spiritus,mox atq; per fidem & cognitionem Dei uirtute spiritus sancti regeneratus est,deo seruit & uolũtate illius delectatur,promptus & alacer ad cœlestia.Anima uerò (id est,animales illi sensus & affectus propter terreni corporis coniunctionem,terreni & carnales)non ita citò obtemperat spiritui,sicut spiritus deo.Retardatur enim carnis affectibus,ut imperio spiritus regenerati difficulter obediat,imò plerunq; reluctatur etiam.Sic Paulus dixit,se mente seruire legi dei,& carne legi peccati.Et carnem cõcupiscere aduersus spiritum,& spiritum aduersus carnem.Hinc ista carnis tergiuersatio Christus (Matth.28.cap.Spiritus quidem promptus,caro autem infirma)infirmitatem uocat,durat in sanctis,donec in hac uita sunt.

Corpus item,interdum pro corpore metaphorico,spirituali uel ecclesiæ.Eph.4.ca.Vnum corpus sumus.Colos.1.cap.& Iac.3.cap.pro ipso homine,aut pro tota concione & ecclesia,quæ unum corpus est,aut pro tota actione & uita hominis accipit.Si lingua,ait Iacobus,constituitur in membris nostris,quæ maculat totum corpus,&c.

Corpus,aliquando totum hominem etiam internũ scriptura uocat,ut sit idem quod caro,id est,totum quod sumus secundum animam,ut corpus.Et corpus Paulus 1.Corinth.7.non usurpat pro carnali isto corpore nostro,quod per scortationem commaculatur,sed pro illo spirituali corpore & fœdere,de quo prius locutus est,nos uidelicet membra,adeoq; etiam corpus esse Christi,& spiritum nostrum unum esse cum spiritu Christi.Dicit ergo,Nullo alio peccato perinde in corpus hoc,id est in fœdus hoc Dei peccatur atq; fornicatione.Nam & apud homines nullo delicto ius,immo corpus matrimonij magis uiolatur,quàm fornicatione,siue adulterio.

Corpus,item dupliciter.Animale uidelicet,quod naturaliter uegetatur,& quod naturalibus uiribus & adfectibus ducitur,uiuit,ut dormire,edere.In summa,Animale corpus uiuum,illud est quod Adamo protoplasto dedit Deus,& quod operante Deo nobis cõfertur per natiuitatem carnalem.Scriptum est enim,Factus est Adam in animam uiuentem,pro,anima uiua,seu homine uiuo,qui morte interit.De hoc D.Paulus 1.Corinth.15.Spirituale corpus uerò significat,quicquid spiritu Dei uegeratur,& spiritualibus motionibus & affectibus trahitur.Spirituale autem corpus.1.Corinth.15.illud est,quòd ipse Dominus Iesus primitiæ dormientium à morte excitatus,gestit,spiritu q; suo omnium fidelium corpora uiuificabit,ut & ipsa sint spiritualia futura & cõformia corpori dominico,uiuentia iam perpetuò in gloria,potentia,ac omnium rerum perfe.&c.Hinc extremũ Adam in spiritũ uiuificantẽ,non in spiritũ uiuentem,dixit Paul.factum.

Corpus animæ,uel spiritus instrumentum.Rom.6.Adhæc corporis nomen,per metaphoram,pro tota uita & actibus,inclusa similitudine oculi & corporis externi,accepit Christus,Mat.6.Lucerna corporis tui,est oculus tuus:si oculus tuus fuerit simplex,totũ corpus tuum lucidum erit:si autem oculus tuus fuerit nequam,totum corpus tenebrosum erit.Et Luc.11.ut,Oculus pro mente ponatur,idem Corpori initiatus est,quod totæ uitæ mens praua. Corpus,insuper sæpissimè pro ipsa rei ueritate,pro ipsissimo significatu,ob suum contrarium & oppositum,quod est umbra,quæ aliquid tantum adumbrat,non rem ipsam exhibet.ueluti Paul.ad Col.2.ait,quòd in Christo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.i.uerè,& re uera,non imaginariè,nõ per umbram & figuram.Et ibid.Quæ sunt rerum futurarũ,corpus autem Christi.i.ipsum significatũ,& ipsam rerum substantiã,& ipsa rei ueritas est Christi.i.in Christum,siue Christi gratia:uelut cæremoniæ Iudaicæ,ad tempus datæ,repræsentarunt,& figura fuerunt.i.umbra tantum,non res ipsa.Veritatem autem per Christum habemus.Psal.39.Hebr.10.Sacrificium & oblationem noluisti,id est,cæremonias illas ueteris testamẽti,repudiasti:sed corpus aptasti mihi,id est,ueritatem:cuius illa sacrificia,tantum umbra erant,coaptasti mihi

mihi, figuram amplius noluisti, ueniente tempore, in quo corpus: id est res ipsa & ueritas propalanda erat. Corporaliter. Colossensium secundo, posuit Paulus pro uerè ac proprie, siue naturaliter. Et corpus Christi: id est, Christus ille, qui corpus dat. der das vvesenlich stuck, die vvesenlich fromkeit und seligkeit gibt. Nam corpus hic non significat lyb, sed vvesen, uel vvesenlich, ut suprà Corpus & corporaliter.

Similiter Corpus peccati. Romanorum sexto capite: Vt euacuetur corpus peccati, ne posthac seruiamus peccato, Id est nosmetipsos, qui nihil sumus, nisi concupiscentia & peccatum merum. Das vvesen der synd, die synd selbs. Vt posthac non peccato: id est, morbo & corruptione obsequamur & seruiamus. Corpus peccati nos ipsi sumus. Sic ut suprà allegatum est. Colossensium secundo capite, Diuinitas corporaliter habitat in Christo, id eit Gott selbs. Schema id nobis quoque usitatum est. Dicimus enim der lyb hafftig teuffel: corpus diaboli, pro ipsomet diabolo, der teuffel selbs, Alioqui nec deus nec diabolus corpus habent, cum uterq; sit spiritus incorporeus.

Corpora uestra, pro personis, primæ Corinthiorum sexto capite: An nescitis quod corpora uestra, id est, uos, schema est Hebraicum, Corpus Christi pro morte eius accipi, ex Pauli uerbis plane cernitur primæ Corinthiorum undecimo capite, Is enim iubet mortem domini annunciare. Et Christus præcepit hoc, commemorationem suam facere. Nihil ergo aliud est commemoratio corporis, quàm mortis gratiarum actio.

Corpus spirituale dicitur, ut est apud Paulum primæ Corinthiorum decimo quinto capite, quod spiritui omnino subiectum est, & quod corporeis alimentis ultra non eget, sed solo spiritu uiuit, quod ab omni sorde repurgatum est. Exemplum cape in metallis, quæ per ignem ab omni scoria & sorde repurgantur, manente tamen eadē substantia. Ergo hoc loco corpus spirituale nō intelligitur quod corpus uertatur in spiritū.

¶ *Corroborare* aliquem, est iubere eum bono esse animo. Deut. ca. 1. Hunc exhortare & corrobora, & ipse forte diuidet terram Israeli.

¶ *Corrigere*, pro iustificare. Mich. 6. Nūquid corrigā in stathera impietatē, septuagin ta, iustificabit. Quid aūt sit corripi in ira, suprà satis diffuse in uerbo Argui, explicatū est.

¶ *Corruptionis* uocabulum, pro malitia. 1. Cor. 15. Seminatur in corruptione, resurgit in incorruptibilitate. Ibidem: Neq; corruptio incorruptibilitatis hæreditatem accipit.

¶ *Corui pullorumq;* nomine peccatis nigra gentilitas exprimitur. Psalm. 146. Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum. Ad hæc deo ex toto pectore fidere, ut in allegato Psalmo animaduertitur. Corui quoque qui sua quærunt dicuntur. Coruus omnia corrumpit. Qui tantummodo sua quærunt, non quæ Christi sunt, nec sincere uerbum eius ebuccinant, dicuntur perpulchre, Coruum omnia corrumpere.

¶ *Cras*, non infrequens uocabulum in Bibliis sacris, pro posthac. Geneſis trigesimo capite, Respondebitq; mihi, cras iustitia mea: id est, iustitia mea restabitur posthac de me &c. Et pro breui & futuro quocunque tempore usurpari, ut Matthæi sexto capite: Nolite cogitare de Crastino. Non enim inquit Augustinus, dies crastinus, nisi in tempore ubi præterito succedit futurum. Deuteronomij sexto cap. Quum interrogauerit te filius tuus cras: Id est, in futuro. 1. Corinth. 15. capite: Edamus & bibamus, cras enim moriemur. Cras & Crastinus dies, ubi præterito succedit futurū. Matthæi 6. cap. Omnium temporalium uocem, Crastinum. Et Matth. 6. Panem nostrum cotidianum. In Euangelio quod appellatur Hebræorum, Crāstinum esse scriptum affirmat D. Hieronymus. Et apud Græcos ἐπιοῦσα crastinus dicitur dies. Sic enim usus est & Lucas in Actis Apostorum cap. 7. τῇ ἐπιούσῃ ἡμέρᾳ: id est, postero die: ut sit sensus, Quemadmodum patres terreni prospiciunt liberis suis panem, quo corpus alatur, etiam in posterum diem. Vide Erasmi Annot. in Testam.

¶ *Creare* usu scripturæ est per uerbum dei ex nihilo condere, ita deus creauit: id est, ex nihilo sine aliqua præcedente aut præexistente materia condidit omnia. Gen. 1. Crare etiam dicitur condere & ordinare: nam in plerisq; exemplaribus sic scriptum est: Facio bona & condo mala. Facere enim est, quod omnino non erat, ut melius magisq; fit. Ea namque condit deus: id est ordinat, quum dicit: Condo mala quæ deficiunt: id est, ad non esse tendunt, non ea quæ ad id quò tendant, peruenerunt. Hæc Augustinus de moribus Manich. lib. 2.

¶ *Creaturæ* nomen (inquit quoque Augustinus Retract. 3. lib. 1. cap. 15.) late patet quippe

quippe uno nomine ſpiritalem corporalemq; creaturam complectitur. Creaturæ nomen, pro homine ipſo, omnium creaturarum principe accipitur. Rom. 8. cap. Etenim anxie expectat. Et Marci 16. cap. Prædicate euangelium omni creaturæ: id eſt, omnibus hominibus. Ergo, Creaturæ uocabulo utitur ſcriptura, quicquid fecit Deus, & condidit deus pater, per unigenitum filium in unitate ſpiritus ſancti. Ergo non ſolum corpora, ſed etiam animæ noſtræ & ſpiritus, creaturæ nomine continentur, &c.

Creaturam creauit dominus. Numeri 18. cap. Hebraiſmus quem reddidit Interpres: id eſt, ſi deus fecerit rem hactenus non uiſam, eſt inſolitum aliquid facere. Numeri decimoſexto capite: Etſi creationem creauerit dominus & aperuerit terra os ſuum, Septuaginta, ſed ſi in hiatu oſtenderit dominus.

¶ *Credere*, hoc uerbum proprie & abuſiue capitur, ut apud Matthæum de Thoma: Quoniam uidiſti, & credidiſti. non proprie capitur, ſed abuſiue. Nam quod uidet quis, idem non credit. Dicit enim Paulus, Fidem eſſe hypoſtaſim & certitudinem inuiſibilis rei. Fides ergo hæc pro experientia capitur, & credere, pro experiri. ſic & alibi nomen fidei, quod nõ proprie capiatur, reperitur, ſed pro opinari. Fides enim de certis rebus eſt, ſed abutimur interdum hac uoce. Rom. 13. cap. Nunc propior noſtra ſalus quàm quum credebamus: ſenſus eſt, Putabam aliquando ſalutem eſſe in operibus legis, ſed iam certò ſcio, ſalutem mihi in Chriſto eſſe certam.

Credere, deinde & confidere Ebraica phraſi. promiſcue & pro eodem uſurpari dubium non eſt. Pſal. 2. Beati omnes qui confidunt in eo. Hic Ebræi legunt Hoſe. Et quod Paulus citat ex Eſaiæ cap. 28. Qui credit non cõfundetur: in Ebraica lectione eſt, Hamamin. Eodẽ uerbo quod ſignificat credere, ſæpiſſime, pro confidere utitur lingua Ebræa, ut Danielis ſexto: Quia crediderunt deo, & non confuſi ſunt in ſaluatore. Et Pſalmo ſeptuageſimooctauo. duo ſynonyma coniunguntur. Et Marci decimoſexto, pro confidere accipitur credere: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluabitur. Eſt & certa animi fiducia inniti, ut Credo in deum unum, &c.

Credere, eſt aſpergi ſanguine Chriſti, obedire uerbo dei, ſubiectũ eſſe Chriſto, illum audire, illuminari à deo, & cognoſcere deum, quod ſciamus quid deus uelit nobiſcum facere: id quod fit dum audis euangelium, Chriſtum eſſe ſaluatorem, tum credens illuminaris, habens lucem, ceu ſolem orientem.

Credere Chriſto, eſt uerbis eius, tanquam à deo miſſi, fidem habere. At hoc & de Moſe ſcriptum eſt, quod Iudæi illi crediderint. Miſſus erat & Ioannes à deo, hactenus uerbis eius credendum fuit. Debetur igitur hæc fides omnibus propheris, Apoſtolis & alijs diuini uerbi miniſtris. Proinde qui nullã aliam fidem Chriſto tribuunt, quàm communem hanc, nondum hanc fidem cõſecuti ſunt, cui promiſſa uita eſt æterna. Et D. Auguſtinus inquit: Ipſum eſſe Chriſtum & dæmones crediderunt. Iac. 2. cap. Nec tamen in Chriſtum dæmones crediderunt.

Credere autem in Chriſtum, eſt non ſolum uerbis eius fidem dare, ſed & firmam in illum, tanquam unicum ſeruatorem, à patre miſſum, fiduciam collocare: hoc eſt, totã ſe fiducia & firma fide in eum conijcere, credere indubitatò, quòd talis ſit nobis futurus, qualem ſcripturæ eum prædicant. Ioan. 2. Multi crediderunt in nomẽ eius: id eſt, uirturem eius. Sye glaubtend im, ſyn vvort gilt by inen. Et Io. 6. ut credatis in eum, quem miſit ille. Vide Auguſt. de Cognitione ueræ uitæ, libro uno, cap. 17.

Credere in Deum & Chriſtum, eſt omnibus dei & Chriſti uerbis certam ac indubitatam habere fidem, eoq; penitus à Deo & Chriſto Domino noſtro pendere. Id enim ſcripturæ, tam in Deum, quàm in ſeruos eius credere ſignificat. Exodi decimoquarto Et timuit populus Dominum, & in Moſen ſeruum eius. Quid hoc in Dominum, & in Moſen credere aliud fuit, quàm quòd perſuaſi fuere, Dominum Deum & Moſen ſeruum ipſius eſſe, uera q; quæ ille promiſerat, hic nunciauerat. Qua utique perſuaſione ddu ti, præceptis Dei, & Moſe auſcultabant. Sic & decimonono capite eiuſdem libri: Quò audiat populus uerba mea ad te & etiam in te credant perpetuò. Quod ſanè nihil aliud erat, quàm Moſi in omnibus fidem habere. Sic ergo & quod in apoſtolicis literis, in deum & in Chriſtum credere, legimus accipiendum, pro eo quod eſt, certò omnibus dei, & Chriſti uerbis credere.

Credere & uidere, interdum idem ſunt, ut Ioan. cap. 14. Philippe qui uidit me, uidet & patrem, &c. Non credis quod ego in patre ſum, & pater in me? Videmus hic credere idem

idem esse in hac causa, quod uidere. Dixerat Philippus: Domine ostende nobis patrem: Regerit dominus: Philippe, qui uidit me, uidit patrem. Et quomodo tu dicis, Ostende nobis patrem? Non credis quod ego in patre sum, & pater in me? Ergo, pro eo quod dicendum erat, Non uides, quod ego in patre sum, & pater in me? dicit, Non credis quod ego in patre sum, & pater in me? Vt appareat, Videre filium, & in filio patrem esse, credere, quod filius sit in patre, & pater in filio.

Credere in nomẽ Christi, uel in nomine Christi, idiotismo Ebræo, idem significat atque credere in Christum, uel Christo, hoc est, certum de eo esse persuasum q; habere, quod is sit, quem prophetæ illum, & ipse quoque semet esse dixit, nimirum filiorũ dei caput & seruatorem. Ideo Ioannis cap. 1. In nomen Christi credere, est illum recipere tanquam filium dei, & saluatorem mundi, id quod fit quando ab illo syncera fide & fiducia toti pendemus, & illius nos magisterio subijcimus.

Credentes postremo dicuntur, qui uerbis & prædicationi Apostolorum credũt. Credere uerbo dei, est seruare sermonem dei, Custodire mandata dei. Credere deniq; se alicui, est bona erga eum esse fiducia, agnoscere eum pro amico, bene de illo sperare, & in amicitia illius ita conquiescere, ut omniũ secretorum cum illo fiat communicatio, Ioan. 2. cap. Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis.

¶ *Crescere*, pro magnificare & locupletare, Geneſis 29. cap. Creuit uir, Latinus dicit, Locupletatus est. Crescere iuuenem, est crescendo fieri iuuenis, Geneſis 25. cap. Creuerunt autem iuuenes. Latini etiam ita loquuntur, Et scuta latentia condunt, hoc est, condenda latentia faciunt.

Crescere in gentes, Gene. 48. Erit multitudo gentium. Id est, permultæ gentes ex eo uenturæ sunt. Crescere Christum, Ioan. 3. Illum oportet crescere, me autem minui, hoc est, illum oportet dare, me autem accipere: illum glorificari, me autem cõfiteri. Vide Augustinum.

¶ *Cremium*, Propheta regius uolens miserrimã impiorum cõditionem ex rebus corporalibus in Psal. 101. ostendere, inter cætera hominem quendam tabe prorsus consumptum & succo omni destitutum inducit. Ossa, inquit, mea sicut cremium aruerũt. id est, quum ossa intus medulla, & foris carnis humoribus deberent esse succulenta, utroq; decedente, ligno arido ad cremendum apto, similia euaserunt.

¶ *Crimen* est graue peccatũ, accusatione & damnatione dignissimũ. Hãc ob causam, quando elegit ordinandos tum presbyteros, tum diaconos, & quicunq; ordinãdus est ad præpositurã ecclesiæ, nõ ait, si quis sine peccato: hoc enim si diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur: sed ait ad Titum 1. Si quis est crimine uacãs, sicut est homicidium, adulterium, aliqua immundicia, fornicationes, furtum, fraus, sacrilegium.

¶ *Crocus*, *Nardus*, *Aloe*, *Myrrha*, per has diuersas aromatum species, sanctorũ uirtutum opera, & profectus qui in sanctis habetur, designatur.

¶ *Crucifigere* intelligit Paulus ad Galat. 5. cap. schemate quodam affectus & cupiditates, hoc est opera carnis gladio spiritus iugulare.

Crucifigere hominem ueterem, ut est apud Paul. Rom. 6. est nimirũ euacuare atq; exhaurire temperantia, uigilijs, ieiunijs, precibus atque uirtutum studio, constantia & patientia, &c. In Crucifixum Christum credere, est non solum credere quod sit filius dei, sed credere quod sit cruci nostræ salutis gratia affixus, & fiducia salutis ab eo, tanquam unico saluatore pendere. Perinde atq; si quis ægrotus dicatur credere in medicũ. In medicum credere, non est hoc tantum credere, quod sit medicus, sed simul fiduciam certam in illũ cõcipere, quod sit certo curaturus & à morbi periculo liberaturus. Videamus hic, quæ sit illa fides Christianorum, cui tota scriptura salutem et ueram iustiçiam adscribat.

¶ *Crucis* nomine omnis calamitas, quęuis probra et aduersa, miseria & afflictio, quę diuinitus ueritatis gratia infliguntur, uenit. Sub crucis ergo titulum pertinent labores, curæ, anxietates, morbi, egestas siue inopia rerum, & paupertas, ignominia, bonorum amissio, persequutio, exilium, supplicia, & si quæ alia sunt malorum & infortunij genera. Sic Matth. 16. Tollat crucem suam. Per crucem hic intelligitur metaphorice pro quauis afflictione, maxime extrema.

Crucem ferre, & tollere Crucem, differunt. Crucem ferre, est simpliciter, etiamsi animo molesto, tolerare aliquid aduersi. Tollere crucem, est animo prompto et auido, non solum accipere, sed rapere etiam, et cõplecti Crucem à domino impositã. Qui grauatim aliquid

aliquid admittunt, ita accipiunt, ut intelligas animum reluctantem. Qui uero cupide aliquid apprehendũt, illi quod accipiunt, ita corripiunt, ut agnoscas animum auidũ ac promptum: Ergo exigitur non solum, ut feramus quæ aduersa pro Christo, sed & cum gaudio & alacri mente feramus. Sic Matth. 5. Actorum 5 cap. Colos. 1. 1 Thess. 1. Ebræorum 10. cap. 1. Petri 4. Iacobi. 1. cap.

Crucis nomine quoq; mors, hostia & expiatio Christi domini totumq; redemptionis negotiũ intelligitur, Galat. 6. cap. Nisi in cruce domini nostri Iesu Christi. Et eodem cap. Tantum ne ob crucem Christi persequutionem patiantur.

Crux Christi, aut sermo crucis, prędicatio est de Christo crucifixo. Figurata loquutio est. 1 Cor. 1. cap. Vt nõ euacuetur crux Christi. Et ilico: Nam sermo crucis ijs quidem qui pereunt, id est, prędicatio, annunciatio de Christo crucifixo. Et ad Philippenses capite 3. Crucis nomine quoq; meritum redemptionis Christi intelligit. Ita & eodem cap. pseudo Apostolos inimicos appellat Crucis Christi, quod in contumeliam hostiæ Christi legales hostias circumcisionem & opera legis prædicarent.

¶ *Cubile* latebra cordis signat, ut Psal. 4. testatur. Et in uestris cubilibus compungimini, id est in latebris cordis uestri. Hinc sæpenumero in Bibliis solitudinem & locum secretum, ab omnibus tumultibus hominum separatum & semotum significat, sicut aliàs aliquis solet in cubiculum suum intrare, quò secum cogitet, & negocium tractet, cuius cæteros ignaros esse cupit. Christus 6. cap. & Psal. 35. Iniquitatem.

Cubiculum cordis, est cor uel intellectus interior, id est spiritualis, sicut scriptum est, quæ dicitis in cordibus uestris &c. Hæc Chrysostomus, Cubile nostrum est cor nostrũ, ibi tũmultum patiuntur malæ conscientiæ, & ibi requiescimus quando bona conscientia est. Qui amat Cubile, ubi nos dominus Iesus Christus iubet orare. Intra in Cubiculum tuum & claude. Hæc Augustinus.

¶ *Culicis* nomine non absurde figuratur seditiosus homicida: quia hoc animal et stre pendo inquietat & sanguine delectatur. Et Cameli nomine propter humilitatem se ad subeunda onera submittentis, propter magnitudinem intelligitur, congruenter dicimus Christum.

Culicem excolare autem & Camelum glutire, est parua peccata obseruare & magna despicere, sermo uidetur petitus esse è uulgo, quemadmodũ & ille, Facilius est camelũ transire per foramen acus, quàm diuitem ingredi in regnum dei. Est enim sensus, In minutissimis rebus estis censores exactissimi, at in maximis negligentissimi: in rebus nihili, estis plus satis superstitiosi, at in ueræ pietatis capitibus prorsus stupidi & cessatores plane desides. Non dissonat etiam ab illo quod Lucæ 6. dicitur, Quid autem uides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo proprio est non animaduertis. Meminit Prouerbij & Eras. Chiliad. 3 cent. 10. Adagio 91. Culicem colant. Sed & Germanis receptũ est uel hodie præpostere morosis obijcere, der sygt mucken, vnd verschlindt aber den hæher gar. In purgandis non admodum impuris cibis diligentissimus est, interim sordes plene immundas deuorat totas.

¶ *Culter* usurpatur pro omni & quocunq; instrumento, Exodi 20 cap. Si enim leuaueris cultrum super eum. Hebraice additur pronomen Tuum. Et Iosue 5 cap. pro quocunq; instrumento ferreo: Fac tibi inquit cultros lapideos. & alibi quoq; reperitur.

¶ *Currere*, tropus est tam prophetis quàm Apostolis familiaris, & pro persequi interdum solet uti, ut Ioelis 2 cap. Et sicut equites sic current. Septuaginta, Persequentur. Pro docere & uerbum domini annunciare. Currere enim, periphrasis est diligentiæ & festinantiæ, Esa. 55. cap. Galat. 2. Psal. 118. Hiere. 23. Currebant & non mittebam eos. Psal. 147. Velociter currit sermo eius. Sumptum à nuncijs, qui mittuntur. Quo tropo significatur oportere uerbi dei precones esse promptos, & fideles nuncios, ut magis currant quàm eant. ita Esaias 43 capite, Quàm specioſi pedes euangelizantium &c. Et Ezech 1. capite. Aminalia sua cum pedibus suis describit. Hinc uerbi pręcones, pedes Christi uocantur, quod per illos ad hominum notitiam ambulant, hoc opus, inquam, prædicationis Euangelicæ uocari.

Cursus uulgare, est in Bibliis. Et Christi prędicationem & fidei progressum ipsaq; opera Cursus appellatur. Sic & Paulus ad Corinth. ait: Sic currite, inquit, ut comprehendatis, unde suum officium seu munus prædicandi Cursum quoq; uocitat, Gal. 1. capite.

Currere, uerbum nonnunquã pro conuersari, uiuere, ambulare, incedere utitur scriptura;

ptura: ut, Currere cum deo, est iuste uiuere, seu ambulare cũ deo, ut scriptũ est de Enoch, Gene. 3 et Iob 34 cap. Nam uita credentium quid aliud est nisi cursus quidam, ut Paulus 1. Cor. 9 cap. An nescitis quod qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit brauiũ? Et Psal. 58. Sine iniquitate cucurri & direxi, id est, conuersatus sum cũ eis, hoc est, uixi absq; omni dolo et malicia, & recte prædicaui, & nomen tuũ confessus sum: nõ sum mihi conscius, quod aliud inter nos tentarim, quàm quod habet tua ueritas. Et Ephe. 4. 1. Petri 2. cap. Gal. 1. cap. Currebatis bene, id est incedebatis, ducebatis olim bonam, id est Christianam uitam. Metaphoram uerò traxit à currentibus in stadio &c.

Currere prouerbiali quoq; figura dicuntur qui feliciter & inoffense in re aliqua progrediuntur. Nam & Currentem incitare, est adhortari quempiam ad id quod iam suapte sponte tendit ac propendit, Gal. 5. cap. Currebatis bene &c. Et 2 Thessal. cap. 3. Orate fratres pro nobis, ut sermo domini currat. Currat prouerbiali figura dixit, pro eo quod est propagetur & inoffense & prospero cum successu diuulgetur. Currere ideo est festinare, ardere, perfectum esse in fide & charitate. Cursus perfectorum. Rursum de his qui perfecti sunt & obstinati in malo, dicit Prouerb. 1. Pedes eorum ad malum currunt, & festinant, ut effundant sanguinem. & idem repetit Esa. 59 cap.

Concurrere cum peditibus, pro inferiori sorte esse, splendidiore, Hiere. 12 cap. Quum concurreres cum peditibus deficiebas &c. Quomodo Plautus ab asinis ad boues ascendere dixit, pro sorte opulentiore ac honoratiore fieri. Currere interdum pro persequi usurpatur, Ioelis 2 cap. Et sicut equites sic current. Septuaginta, persequentur. Cursor pro satellite. 1. Samuelis 22 cap. Dixitq; rex ad cursores suos.

¶ *Curruum* nomine exercitus et principum potentia, imò mundanorũ omnium cupiditas significatur. Nam Veteres, ut autor est Homerus, ex curribus pugnabant. Sic in Psal. 20. Hi in curribus, et hi in equis, per equos superbi qui & ipsi sunt cupidi designãtur. Vbi cõtemnuntur, qui in militares copias magis quàm in deum fiduciam collocãt. Et Psal. 67 instruitur exercitus & triumphus Christi, in quo uersantur decem milia Curruum, id est, legiones numero & uiribus incõparabiles. Currus, ait dei decem milibus multiplex, &c.

Curru autem secundo uehi, schema hebraicum, & significat alterum aut secundum à rege, principeq; esse, ut Gene. 40 Et uexit eum curru secundo.

Currus & Auriga Helias Israelis fuit 4 Regum 2. cap. appellatus, hoc est pater patriæ, decus & sempiterna gloria: quia doctrina & miraculis promouere & saluare cupiebat. Et tamen patriæ perturbator ab Achab impio rege appellabatur, qui reuera erat Israelis Currus & auriga eius. Et eodẽ libro legitur quod Eliseus quoq; Auriga et Currus fuerit Israel, hoc est, columna, columen, ornamentum, splendor totius populi dei & magnificentia, gloria Israelis &c.

¶ *Curuatus*, Solent anxij & queruli, fortunã suam accusantes, lento quodã incensu terram cõtineri. Hinc Psal. 37. in quo miseria peccatoris describitur, inducitur qui dicat: Miser factus sum & incuruatus in finem, tota die contristatus ingrediebar. Et de Achab impio rege. 3 Regum 21 cap. legimus, quod discalciatus & Curuatus, hoc est, humilis incesserit & pœnitentiam egerit.

Curuari uerbum eodem significatu accipitur, nam quodã Psalmo gentium & nocolarum deserti, summã canit subiectionem, quam per Curuari & limum lingere, quod prostratis oreq; terram cõtingentibus usu uenit, significat. De hac humiliatione aut subiectione in uerbo Lingere, audiemus.

¶ *Custodia* pro testimonio, Exodi 16. Imple Gomer ex eo ad custodiam. Custodiam noctis siue Excubias breuissimo momento contineri perspicuum est, ueteribus in quatuor partes noctem olim diuidentibus: Conticinium, intempestam noctem, Gallicinium, & Antelucanum uel matutinum. Itaq; spiritus sanctus uolens breuissimum humanæ uitæ spacium iudicare, excubijs eam metitur, Psal. 89 his breuis: Mille autem ante oculos tuos, tanquam dies hesterna quæ præterijt. Et Custodia in nocte, quæ pro nihilo habẽtur, eorum anni erant. Et in Psal. 129. quum Israeli totos dies iuberet in deum sperare. A custodia matutina, ait, usq; ad noctem speret Israel in dominum.

Custodiarum nox, Exodi 12 cap. est domino, id est hac nocte dominus custodiuit filios Israel, ne læderẽtur à uastatore, ut educeret eos de terra Ægypti, & assereret in libertatem. Sic ait Moses: Nox ista est obseruabilis domini.

Custodia dei, pro mandatis, præceptis & legibus. Genesis uigesimo sexto capite. Leuitici 18.22.

Custodire animam, pro cauere sibi diligenter. Deu. 4. cap. Custodite igitur solicite animas uestras: id est, Cauete uobis diligenter. Custodire custodiam. Deu. 11. Custodi custodiam eius, nempe statuta: id est, custodi ea quæ præcepit custodiēda, nempe ritus eius &c. Custodire custodiam sanctuarij. Numeri 3. cap. id est, fungentes officio in cultu sacro tabernaculi. Custodire custodias Domini. Leuit. 8. cap. id est custodientes ea quæ iussit Dominus custodiri: hoc est cæremonias & præcepta eius. Custodire misericordiam in milia. Exo. 34. hoc est, cuius misericordia nunquam exhauritur.

Custodi tibi, pro obserua diligenter. Exod. 34. Custodi tibi id quod ego præcipio tibi hodie. Custodiēdo custodire, pro solicite custodire. Deut. 11. ca. Custodias habere, uel habere excubias: id est munus eorum erit custodire tabernaculum. Num. 3. cap.

¶ *Cymbalum*, Propheta Dauid, quum in Psalmo centesimo quinquagesimo, nihil uacare uoluisset à laudando Deum, inter organa, musica Cymbalorum etiam meminit, quæ sint arguta: Et Cymbalorum iubilationis, per quæ non inepte plerique charitatem in fratrem intelligunt. Et uidetur huic sententiæ subscribere Paulus Corinthiorum decimotertio capite, ferè indicans, ut à charitate alienus, æs sonans fiat, aut Cymbalum tinniens: id est, inconcinnum, & quo laudari non expetat Deus.

¶ *Cythara*, opera sanctorum intelliguntur per cytharam. Psal. 32. Confitemini domino in cythara, in Psalterio decē chordarū psallite illi: hoc est, in decalogo mandatorū.

D

Æmonium, pro omni malo potest accipi quod nobis aduersatur. Mat. 17. capite, Dæmonium die schwverdt busz, die der arm mensch hatt. Ac si diceremus nos Germanicè, die tufflung, tametsi non pura actio, sed personale partim. Quod dæmon torquet obsessum præsenti Christo, & uerbo eius prædicato, ostendit quomodo dæmon cum suis turbatur, dum ueritas prædicatur, qua dæmon egredi cogitur. Irritatur dæmon prædicatione ueritatis, sed ob id non est cessandū prophetis. Hinc & dæmonia septem. Lucæ octauo capite, omnia mala signant, & pro omni malo & omni corporali adflictione, Septenarius numerus in loco capitur, pro maximo numero, ut in Ruth. Plus proderit quàm septem filij. Sic septem dæmonia magnam nequitiam significant. Et Lucæ undecimo capite, Et erat Iesus eijciens dæmonium. Dæmonion ideò uarie usurpatur, modo uocat ipsum dæmonem, modo obsessum à dæmone: ut, Idolum uocant aliquando dæmonem qui in idolo colitur, aut per idolum loquitur: aliquando ipsum simulachrum, confunduntur hæc autem. Lucæ undecimo capite, pro obsesso ponitur. Et Paulus 1. Corinthior. 10. cap. Nolim autem uos consortes esse dæmoniorum &c. & sequentia. Iuxta expositionem Ambrosij pro diabolo interpretatur, adducens illud Ioannis: Ad hoc uenit filius Dei, ut dissoluat opera diaboli, sed idololatria & idolothytum est opus diaboli: proinde qui illis communicat, opera facit diaboli, Christo repugnat.

Dæmones, deorum filij quoque appellati ab Athenien sibus, quibus tribuebant quidem corpora, sed immortalia. Vide Erasmum Actor. 17. Alij uero dicebant, peregrinorum dæmonum uidetur annunciator esse. Plura de dæmonijs, eaq; lectu iucundissima & eruditissima scripsit Cælius libro Lection. antiqu. primo capite. 23. & 24. & ab aliis usque 33. cap.

Dæmonium atqui meridianum pro nimia persecutione. Augustinus in Psalm. 98. Et non possunt euitare dæmonium meridianum: id est casum feruentis caloris nimia persecutione, & à peste, quæ illam inuadere homines solet, & ab ea quæ de improuiso exorta sæuiet.

Dæmonium meridianum ad hæc, est subitus splendor fictæ sanctitatis, qui usq; adeò splendet, & in tantum oculos reuerberat, ut ei cōtradici non possit ab illis, qui uerbum dei siue scutum ueritatis non habent, quin pro sanctitate & cultu habētur. Hic est Angelus satanæ, transfiguratus in angelū lucis, speciem pietatis prætendens, absq; eius uirtute: hoc est, Dæmonium quidem, sed est meridianum: id est, lucidissima specie amictum, atq; contectum ne deprehendatur. scriptura appellat incursum hunc Dæmonij meridia-

meridianum,ægritudinem deuaſtantem in meridie.Pſalmo 90.Ab incurſu & dæmono.Aliàs uocatur Ebrietas,laquei,angelus lucis, menſa in laqueum uerſa, ut Rom.1, Pſal.69.Et 2.Tim.2.

¶ Dare uerbum apud Hebræos elegans,uſurpatur enim pro intermittere,relinquere,omittere,reddere,facere,donare,deponere, uertere,ut Nume.21.cap.Neq; dedit Sion Iſraelem præterire per terminum ſuum:hoc eſt,non permiſiit.Et Gen.1.pro permitte capitur.Dedi uobis ait Moſes:hoc eſt,permiſi.Et interdum pro mutuo & accõmodato dare.Exo.22.cap.Pro impetrare nonnunquam.Nam id quod impetrauimus dediſſe uidemur.1.Ioan.5.Si quis uiderit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petet & dabit ei uitam.

Dare,pro ponere, & rurſus uerbum ponere,pro dare:quod rectè Latinus interpres obſeruauit.Gen.17.ca.Ponamq; fœdus inter me & te,ut diceret ponã,non dabo:tamet ſi quædam exemplaria habent dabo.Nam dare fœdus Latinis, in uſu non eſt,ſed Hebræis frequens.Et 2.Reg.11.cap.Et dedit eum,pro poſuit.Etiam in loco Dare,pro deijcere ponunt.Eſa.41.Vt gladio ſuo det:id eſt,deijciat, proijciat.Suetonius quoq; ſignificatione hac uſus:Aquila ait,coruos ad terrã dedit:id eſt, proiecit ad terram. Et Hier.5. cap.Et dedit eum in neruum:id eſt, conieçit.Pro exiſtimare, aliquoties aut putare,accipit Hebræus.ut Gen.42.cap.Et dedit nos ſicut exploratores terræ.Vult ergo ſe explora tores terræ iudicatos & habitos.Pro nuptui dare.Gen.29.ad ueritatem Hebraicã. Non fit ſic apud nos,ut detur iunior ante primogenitã. Pro quo Latinus interpres,Non eſt in loco noſtro conſuetudinis,ut iuniores ante tradamus ad nuptias.Sic Gen.35.Dare & Accipere connubia & matrimonia coniungere ſignificat: Date quæſo,inquit,eam filio meo in uxorem.Dare uoces.Hier.51.pro eo quod eſt,excitauit tonitrua.Habetur Exo. 8.& 9.cap.& in Pſalmis ſæpe.1.Reg.12.& 2.Reg.22.

Dare ſigna,ſiue ponere ſigna,pro ſigna facere. paſſim occurrit in Exodo,Dare hoſtes tergum,hoc eſt in fugam conuertere,fundere,&c.Inimicos meos dediſti dorſum.2. Regum uigeſimoſecundo cap.Dare ancillam in ſinum,pro eo quod eſt, conthoralem eam alicui adiungere.Geneſis 3.16. capite: Ancillam dedi in ſinum tuum. Dare uiam eius in caput eius:hoc eſt,ſecundum opera iudicare.tertij Regum octauo capite.Dare, Pro conſtituere.1.Paralip.16.Mox ibidem.Dedit ad confitendum : id eſt, conſtituit, ut laudaretur deus.

Dare manus,eſt ſe ſubdere,dedere.ſecundi Paralipom. 30. Dare manus ueſtras domino:hoc eſt,ſubdite uoſmet domino, illiq; ſeruite liberaliter. Et Eſdræ decimo capite: Nunc itaq; ne induretis ceruicem ueſtram,ſicut patres ueſtri,date manum domino.Eſt fateri uictum.

Dare uocem,ubi Interpres Latinus,prædicatum eſt,Alij diuulgatum eſt.Septuaginta,Et prædicent in Iuda &c.2. Paralip.24. capite ſic,facere tranſire uocem,ſiue ut tranſeat uox.2.Paralipom.30.36.Et Eſdræ 1.& 10.capite.Nehemiæ 8.capite.Rurſus 2.Paralipo.31.Cum cœpiſſet uerbum,als es auſz brach.Noſter legit,cum percrebuiſſet.Dare uocem,ſæpe in Pſalmis accipitur,pro quo Germani,ſich heren laſſen. Dare confeſionem, pro eo dicimus,ſyn beicht thun.Ruth 1.cap.

Dare ſuper alias cõgregationes,quod Interpres Latinus ſic,Cõgregare contra alios concionem magnam.Habent & ſeptuaginta Dare.Notum eſt,quam loquendi formulam,uerbum Dandi & Ponendi apud Hebræos gignet.Nehemiæ 3.cap.

Obſeruabit igitur diligẽs Interpres quæ cuilibet linguæ propria ac peculiaria ſunt, ne linguarum proprietates ac idiotiſmos coniungat. Sunt enim quædam locutiones Hebręis tam familiares,ut in alienam linguam tranſferri nullo pacto poſſint,quin omnem gratiam,omnem uenuſtatem amittant.Quod dicitur,de qualibet lingua intelligendum eſt, Habet enim quæque ſic ſuos idiotiſmos, ſic ſua ſchemata, ut alterius eſſe non poſſint.

Dare uerba eloquentiæ. Geneſis 49. Nephthali ceruus emiſſus, & dans eloquia pulchritudinis,uel eloquentiæ:id eſt,erit elegantiſſima & formoſiſſima hæc tribus,qualis eſſe cerua ſolet, quæ ad aliquem principẽ mittitur:uel ualebit celeritate pedum, erit præterea facundiſſima.

Dare ad mẽſurã,eſt parce & mediocriter.Qui largitur & effuſe dat,nõ metitur quod dat aut numerat,ſed cumulatim profundit, Ioan.3. Non enim huic, uidelicet Chriſto,

ad mensuram dat deus spiritum. Ioannes Baptista ad mensurã accepit spiritum, sicut & reliqui sancti, unde nequaquam possint Christo comparari, tantum abest ut æquipara ri queant. De Christo cecinit uates Psal. 45. Et Paulus, In Christo, inquit, inhabitat omnis plenitudo deitatis corporaliter. Dare corruentes, percussos: id est, permittere ut cædas eos. Num. 18. Dono dati. Num. 3. ca. pro, dono dati illi sunt, pro redemptione enim primogenitorum dati fuerunt Leuitæ Aaroni, qui fungitur uice dei. Dare aliquem in animam hostis. Ezech. 16. cap. Dabo te in animam: hoc est, uoluntatem, ut uideant quod diu uidere desiderarunt. Dare aliquem sanguinem, est sumere de aliquo supplicium capitis. Ezech. 16. Dabo te sanguinem. Hebraismus est, hoc est, sumam de te supplicium capitis, uel rependam tibi sanguinem, ut & sanguis tuus fundatur.

Dare iuramentum in caput, suprà in tropo Caput, explicatum est. Dare, siue redigere in aceruos. locutio est prouerbialis, idem sonans quod destruere, demoliri, diruere, dissipare, qua non in uno loco utũtur prophetæ. Dare manum, est percutere, seu aggredi. Exodi 7. cap. Et dabo manum meam in Ægyptios. Septuaginta, Et immittam manum meam. Dare gloriam est reuereri. Hier. 13. ca. Date de uestro gloriam. Dare gladium in manum, est occasionem dare. Exo. 5. Ad dandum gladium in manu eorum.

Dare maledictioni. Numer. 5. Det dominus te ipsum in maledictionem & iuramentum in medio populi. Septuaginta ἐπόρκωμα, id est, res iurata, seu per quod iuratur. Quo uerbo uidetur significare iuramentum per extenuationem, uelut si quisquam dicat: Illic non mihi illud & illud contingat, si fecero uel non fecero, ita hoc dictum: Det te dominus in maledictum, tanquam diceretur, ut de te iurent, qui per execrationem iurabunt. Sic non eis contingat, aut hoc eis contingat, nisi hoc illud de te fecerint.

Dare maxillam ad peccandum, est conuitiari. Hiob 31. capite, Non enim dedi ad peccandum maxillam meam. Dare quoq; pro concedere & permittere usurpat Diuus Paulus Rom. 11. capite, Dedit eis deus spiritum compunctionis, Exodi 3. Et ego scio non dabit uos rex Ægypti. Septuaginta, Admittet. Pro relinquere, Hose. Non dederunt studia sua. Pro persuadere, Genesis 3. Et dedit etiam uiro suo, hoc est, suasit uiro suo, ut etiam comederet. Dare, pro distribuere, frangere. Dare gloriam, est reuereri, Hier. 13. Date deo nostro gloriam.

¶ De, idiotismus est apud Hebræos, utuntur hac præpositione De, sæpiuscule, pro à uobis. ut Esaiæ primo capite, Quis quærit hoc de manibus uestris, pro à uobis. Pro iuxta, quum dicimus, De latere stipabo. pro, iuxta latus tuum protegam. Hierem. 48. De, particula accipitur interdum pro, propter, uel ob, ut in Euangelio Ioannis: Quis arguet me de peccato: hoc est, ob, uel propter peccatum. Et Rom. 8. cap. ut de peccato condemnauit peccatum, id est, propter peccatum.

¶ *Debitum*, dicitur D. Paulo coniugalis congressus. Hinc debitum reddere, omnino coitum siue coniugalem actum, apud Pau. 1. Cor. 7. cap. significat. Aut debitam benevolentiam reddere, hoc est, complexum coniugalem, ut rem parum uerecundam uerecundè notaret. Aliàs Debitum, absolutè, est subuenire doctorum necessitatibus: ut habes 1. Corinth. 9. cap. & Galat. 6. & Ma .0. & Rom. 15. cap. Et debitores sunt eorum. Pro peccato, Matth. 6. & 18. cap. Dimitte nobis debita nostra. Et, Omne debitum dimisi ibi est esse culpabilem, & debitis pœnis obnoxium.

¶ *Decaluare*, est confundere, erubescere, tondere. Nam coma decorem uirginibus & mulieribus addit. Vnde Esa. 3. cap. Decaluabit Dominus uerticem filiarum Sion, & erit pro crispanti crine caluicium. Mich. 1. cap. Decaluare & rondere super filios decimarum tuarum. Dilarat caluicium tuum, &c. significatur autem comis sacerdotium Dei, cui festæ epulæ, dies celebres commissi sunt, ad publicam populi lætitiã & laudem Dei. Quid autem significet Caluitium, uide in litera C, suprà.

Decaluata est Hierusalem, Micheæ 1. cap. hoc est, amissa omni gratia, qua quondam apud Deum floruit. Vbi enim prophetæ ubi doctores &c.

¶ *Decenarius*, siue Denarius numerus sunt. Denarius, seu Septenarius numerus, usitatè in scripturis magnum numerum, multiplicemq; immo plenitudinem significat: ergo haud superstitiosè is numerus obseruandus: ut in Iob 19. cap. En decies me confunditis. hoc est, sæpius & uariis modis, & plus quàm satis & sufficiẽter: nam Denarius numerus, confirmationis numerus est. Item in Euangelio Matt. 25. cap. Simile est regnum cœlorum decem uirginibus: multitudinem signat. Sic Dan. 7. cap.

Decem

Decem cornua, intelligit multa ampla regna, ac plures quàm superiores habuerunt. Sic Num. 31. cap. pro tota multitudine Israel. Et Apocalyp. 2. cap. Et habebitis adflictionem dierum decem. Genesis trigesimo primo: Immutasti, inquit, mercedem meam decem uicibus: hoc est, sæpissime. Num. 14. cap. Tentauerunt me iam per decem uices. Decem uicibus, pro multis uicibus, &c.

Decem uerba, pro Decalogo Deut. 4. Et decem uerba, nempe decalogum. Græci enim decem uerba, siue decem fœderis conditiones appellant, uoce cõposita decalogon.

Decem milia, Græcè myrios aliquoties significat. Dicunt enim Decem milia: quod in gentem numerum, more Hebræo signat: pro quo Latini abutuntur Sexcentis. Et 1 Sa muelis 18. cap. Et præcinebant mulieres laudantes atq; dicentes: Percussit Saul mille, & Dauid decem millia. Sic sæpe Hebræi suos homines tanti faciunt, ut unum pro millibus habeant & numerent. Hinc & D. Paulus dixit Duodecim uel Decem milia pædagogorum, pro quamlibet multis. 1. Cor. 4. Et in Apocalypsi dicitur, Duodecim milia fignati. Nam historia uictoriæ Dauid plura multa habet. ut diximus.

Decem tribus, appellantur in scriptura Samaria, Ephraim, Israel, Iacob, filij scelerati Ioseph, Gens, Populus, Rectus, Vinea, Filij iniquitatis.

¶ *Declinare*, pro ducere. 1. Paralipo. 13. cap. Et declinauerunt ad domum Obed Gethei. Pro transgredi. Nume. 5. cap. Vir quia declinauerit uxor eius. Translatio uulgaris, errauerit. Declinare iudicium, est iudicium peruertere. Exo. 23. cap. Non declinas iudicũ pauperis tui in lite. Declinare in dextram & sinistram, quid sit, consule Salomonem Pro uerb. 4. cap. Vias enim quæ à dextris sunt, nouit Dominus. Peruersæ uerò sunt, quæ à sinistris, Eccl. 7. cap. planius exponit, Ne fis, inquit, iustus nimium. hoc enim dextræ accedit. Sinistra uerò est, quum quis se luxuriæ & libidini tradidit, scandalizat multos in lege, &c.

Declinare ad auditum. 1. Regum 22. cap. ubi noster interpres, Pergens ad imperium tuum. hoc est, dicto tuo paret.

Declinare cor regis. Eid. 5. Dominus declinat cor regis ad Israel: hoc est, in sua Deus efficit, ut rex Babylonius beneuolus redderetur populo Iudæorum.

Declinare à deo, est dicere in corde suo, non esse deum. Iam & esse deum negant, quales sunt quacunque in re dubia impatientes diuini operis diffidunt deo, & ad humana præsidia confugiunt.

Declinare denique, Psal. 14. Et omnes declinauerunt. est legem Dei reijcere, ac bene operandi studium relaxare.

¶ *Decernere* uerbum Paulo notam. nam hoc uerbo nonnunquam oblectatur. Intelligit autem decretis & constitutionibus hominum duci, ueluti subiectos, & hoc uocat dogmatizestæ. Dogma enim Græcè decretum est, quod Paulus ferè in malam partem accipit, pro legibus quæ non dei, sed hominũ arbitrio præscribuntur, quemadmodum Colossensium 2. cap. Per decreta quæque externa intelligit, ab hominibus decreta & tradita. Et Ephes. 2. Dogmata & decreta, illas quoque externarum rerum constitutiones & obseruationes intellexit.

¶ *Decimarum* nomine uocarunt ueteres, quæcunque honorifica dona, ut Gen. 14. patet. Et Abraham Melchisedech altissimi dei sacerdotis decimas dedit ex omnibus: id est, eximia & honorifica dona seu munera ex spoliis ei obtulit.

Decimã decimæ. Num. 28. cap. Decimã decimæ. Hebræus, Decimam decimam: id est, singulas decimas per singulos dies aut quælibet decima, cuilibet agno.

¶ *Decipere, seducere*, Est deceptio quædam bona. Hieremiæ uigesimo capite, ubi dicit se propheta à Domino deceptum, uel seductum: Seduxisti me domine, & seductus sum, siue (ut habet D. Hieronymus) decepisti me domine, & deceptus sum. Item pro deprædari, aut in prædam abducere. Est deceptio quædam mala & inanis. Colossensium secundo, contra sophistas fallaces. Vide Chrysostomum in Coloss. Epist. Et infrà de uerbo Seducere, diffusius.

Decipere propherã apud Ezech. 14. aliud non est, quàm seueritatem loquens quam dominus inspirat, non intelligere consilium inspirantis, & quærenti non quod oprat respõdere, sed quod meretur impius, ut scilicet ueritatẽ non credẽs decipiatur ab illa, sub o/ corde capiatur, quid deniq; iustius, quàm ut hostis pietatis opprimatur à pietate & qui dominũ non colit, à domino negligat, & induetur secundũ impatiens cor suum.

¶ *Decus*, pro gloria & magnificentia. Psal. 28. Vox domini in uirtute, uox domini in decore. Septuaginta, In magnificentia.

¶ *Dedicare domum.* Deuteronomij uigesimo: Quis uir qui ædificauit domum nouam, & non dedicauit eam: hoc est, non fecit solenne conuiuium de ipsius inhabitatione, siue in ea nondum habitauit.

¶ *Deducere canos* alicuius cum sanguine ad inferos: hoc est, decollare senem, seu transfigere. 3. Regum 2. Contra ibidem. Deducere canos in pace ad inferos: hoc est, ficta morte expiare.

¶ *Defensio*, pro tribulatione. Philip. 1. cap. Propterea quod habeam uos in corde, & in uinculis meis & defensione & confirmatione euangelij.

¶ *Deficere*, in bonam partem apud Hebræos accipitur, Genesis. 25. Et defecit & fato functus est Abraham in senectute bona. Quum uolunt demonstrare mortem minime fuisse uiolētam, sed naturalē, hunc in modū loquuntur. Deficere, nonnunquam in malam partem à sacris literis intelligitur, unde Defectio, quæ dicitur propriè, quum quis deficit à suo uel autore uel principe. Hinc per translationem usurpatur, à fide declinare, à uera inquam religione & doctrina Apostolorum recedere deficereq̄, non seruare puritatem & simplicitatem pietatis ueræ, sed obedire aut attendere spiritibus impostoribus: hoc est, doctrinis dæmoniorum. 1. Timoth. 4. & 2. Thessal. 2. pro Antichristo sumi quoque potest: Nisi, inquit, uenerit prius defectio. Deficiunt quoque à Christo, qui gratiæ eius beneficium non agnoscunt, aut non uni omnem gloriam tribuunt. Galat. 1. capite: Iudæi quum uolunt significare mortem hominis non fuisse uiolentam, sed naturalem (ut dicimus) dicunt, Defecit: Germanice, hatt abgenomen, satur dierum, pertæsus est uitæ, mortem optauit. Hoc enim omnes pij faciunt: Cupiunt dissolui, & esse cum Christo. Sye sind des lebens satt vnd myedt. Deficere à Christo, est retro abire, ad perditionem uidelicet, in regnum ac potestatē satanæ. Manere cum Christo, est progredi, Ioan. 6.

¶ *Deglutire & Absorbere* pauperes usque ad puluerem & caput, est opprimere intotum imbecilles, conterere, exhaurire totos, affligere, calcare, non finere, ut aliquatenus conualescant. Amos 2. cap.

¶ *Deierare*, Latinus Iurandi uerbo in bonam partem ferè utitur: hoc est, pro sacramento rogādi, sed deierandi uerbo utūtur, pro ea iuratione, quæ uel uero uel falso fit extra sacramēti rogationē, quod Germanice noua uoce possemus (zu schvveren) uocare. Ad quam significationē etymon Græci uerbi probè quadrat epiurkin. Habēt itaq; Latini tres uoces: Iurare, Deierare, Peierare. Prima significat sacramento rogare. Secunda temerè ad quamuis rem, siue uero, siue falso admirari. Tertia falsò Iurare. Christus Matth. 5. non uetat quo minus iuremus, sed ne unquam Deieremus. Dicit enim, Ne deieres (sic enim ueteribus dictum est) ubi nostra translatio habet, Non periurabis, non omnino pessime. Nam peierandi uerbum, ut nunquam in bonam partem accipitur, sic non semper accipitur pro iusiurandum uiolare, transgredi, aut simulatè præstare, sed non nunquam pro Deierare, quum scilicet Deierare in malam partem sumitur. Nonnunquam enim in bonam partem Deierare accipi obseruauimus. Quum ergo Christi uerba sic habent, Non periurabis, dictum esse priscis: nusquā inuenies apud Hebræos horum periurij interdictum, sed neq; apud Græcos. At sic inuenies Exo. 20. cap. Non fumes nomen domini dei tui temerè: ubi noster Interpres dixit, In uanum. Secundo habes Leuit. 19. cap. Non iurabitis in nomine meo ad mendacium. Vbi Græcus sic est interpretatus: Non iurabitis in nomine meo ad iniquum aut falsum, quod Latinis sic habet, Non periurabis in nomine meo. Sic D. Hieron. eleganter est periurandi uerbo usus, pro falso Deierandi, non pro Iusiurandum uiolandum. Fuit ergo priscis interdictum, ne temerè nomen dei adsumerent ad uerum, hoc est, quemadmodum Leuitici dicto loco exponitur, ne ad mendacium Deierarent.

¶ *Delectari* super Dominum, spirituale est gaudium, non corporale, considera ipsius summam bonitatem, extra quod & supra illud nihil desiderare &c. Esa. 58. Tunc delectaberis super domino.

¶ *Deleri* de populo suo, Genesis 17 cap. Delebitur anima illa de populo suo, id est, homo ille non censebitur in populo meo, nec pertinebunt promissiones factæ à me populo meo. Non erit particeps eius rei, quæ designatur per hoc signum: hoc est, non eri-

erit particeps passionis Christi: nam per Circuncisionẽ significatur passio Christi. Item quod spiritu circuncisi esse debemus.

Deleri autem de libro uiuentium, nihil aliud est quàm quod cum iustis non scribi, siue declarari cum electis non esse adscriptos. Sic ait Dauid Psal. 69. Deleantur ex libro uiuentium, & in iustis non scribantur, hoc est, extingue ex eorum numero, quos ad uitam delegisti. Nam qui semel adscriptus fuerit, hoc est, inter electos numeratus, expunci, neq; rapere quisquã illos potest de manu eius. Vnde & uir Dei Moses, quũ expungi peteret, est ea petitio tanquã absurda, à Deo reiecta. Similis imprecatio est in Psal. 109.

¶ *Delictum*, iuxta Canonem scripturæ interdum significat totam anteactam uitam, quam in infidelitate uiximus, ignorantes ueritatis, dum non solum crassa uitia admisimus, sed etiam in iustitijs nostris ambulauimus.

Delictum (inquit Isychius in Leuit. lib. 1. capite 5.) in scripturis pro decumano aliquo crimine accipitur. Delictum, inquit, proprie à legislatore dicitur peccatũ quod in Deum cõmittitur. Ego dominus, &c. Ostendens, quia delictũ, id est impietas in Deum, incompetens sanctorum præceptio dicitur.

Delictum appellare, nunc quidem peccatum quod ad scientiam peruenit, & nequa quam iam ignorum est peccanti: nunc autem quod in deum ipso commissum est, uelut iureiurando, aut etiam in sanctis: non sine causa hoc uocat Delictũ. Hæc ille. Sic D. Paulus Ephe. 2. per Delicta & peccata intellexit omnis generis uitia ac flagitia. Et uos, inquit, cum esseris mortui delictis ac peccatis, &c.

Delictum uocari tale peccatũ, pro cuius expiatione lex non tantum hostiam, uerum etiam mulctaticiã pecuniam, aut aliam pœnam exigebat. Vnde & hostia pro peccato, & hostia pro delicto ceremonijs differunt. In sacrificio enim pro peccato offerendus erat aut hircus, aut capra, aut ouis, aut alia. In sacrificio autem pro delicto offerendus tantũ erat Aries. Delictorum uaria genera, Leuitici 5. cap.

¶ *Denominatio* pro Denominato, In sacra lingua, hoc est, Hebraica, frequentissimum est, ut Denominationes pro rebus denominatis ponantur. Est autẽ Denominatio, quę rem simpliciter complectit, & Denominatum, quod partem complectitur denominationis, quod Scholastici doctores uocant Abstractum, & concretum. Itaq; non dicitur in ea lingua, id esse falsum sed falsitatem: neq; uerum, sed ueritatem, mons sanctitatis, pro mons sanctus: uir mortis, pro uir morte dignus. Atq; id genus innumera, & suprà quę mentionẽ fecimus. Qua loquutione & nos quoq; utimur, ut Comici eum sceleratũ adpellant scelus. Est aũt idem & Denominatio & Denominatũ, sicut Idæa, & id quod Ideæ particeps est. sed in hoc differũt, quod Denominatio totam rem simplicẽ amplecti tur, ac Denominatũ tanquam pars est, ideo nescio quid uehemẽtius est, aliquem scelus appellare, quàm sceleratum & bonitatẽ, quàm bonum, quasi totam rem amplectaris.

¶ *Densus*, pro multus, si sic permitteret loqui latina lingua, Abacuc 2. cap. Et aggrauãs densum lutum, pro multo auro aut ingentibus diuitijs.

Densitas syluæ, est multitudo populi, quemadmodum enim multæ arbores syluam constituunt, ita multi homines populum faciunt, Esa. 9. cap. Et succendet in condensis syluam, & conuoluentur, sicut superbia fumi.

¶ *Dentes* & lingua, sermonis instrumenta, noxias & pestilentes assentatorum delationes atque consilia significant, ut Psal. 37. Dentes eorum lanceæ & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus. Nihil nisi pertinacissimum odium illorum, studium, & conatus perdendi se atrocissimos uoluit taxare. Et Psal. 58. Deus commole Dentes eorum. Per Dentes uerba nocentia, & innocentes lacerantia intelligit Dauid, & ut exaggeraret eorum crudelitatem, leonum dentes eis tribuit. Hos uerò dentes illis dominus confregit, quando ademit nocendi sermonibus facultatem.

Cæterum, frequens in scripturis dentium meraphora est, qua mordaces desiignantur calumniæ, uerba'que innoxiorum uitam lacerantia: uis quoque improborum, peruicacia, insultus, rabies, et id genus alia, quibus instructi artibus in purã probo rum conuersationem ac nomen, fortunas'que interdum ferocire solent impij obtrectatores atque inuidi: quorum sanè crudelitatem, ut alacrius exprimãt, dentes illos habere leoninos, nempe acutos ac mordacissimos, asserit. Psal. 58. Deus conteret dentes eorum in ore ipsorũ, molas leonum confringet dominus. Quare alio in loco præ-

uidens Dauid pernicioſorum hominum oblocutiones,& blaſphemias à Domino retundendas,ait Pſalmo 3. Dentes peccatorum cõtriuiſti,hoc eſt,fortiter comminuiſti blaſphemiam eorum,qui obtrectabant ueritati,qui clamabant contra me ut ſeductum & ſeductorem. Nata hæc translatio ab altera eſt,qua nocentes & pernicioſi homines,canes,lupi,urſi,leones & unicornes dicuntur,beſtiæ dentibus formidabiles. Nam ut aliàs per Dentes beluinam,quandam ferociam & truculentiam,à beſtijs immanioribus mutuata ſimilitudine,exprimere ſolet ſcriptura.

Eſt & aliud genus Dentium,quo Eccleſia mordere ſolet,atque arguere peccantes, imò ſuauiſſima ſpiritus maxilla ſeu mola adeò cõminuere,ut ad ſeſe penitus illos attrahens,in ſuam prorſus commutet naturam,atq; (ut ſic dicam) ſubſtantiam. Quocirca in Canticis illud à ſponſo audire meruit ſponſa Chriſti: Dentes tui ſicut greges tõtarum, quæ aſcendunt de lauacro,id eſt,increpationes,quibus uere eccleſia mordet & arguit peccatorem,morſusq; conuertit & ſibi unit atque incorporat. Sunt ſicut oues detonſæ, hoc eſt,arguentes & reprehendentes,abſq; ira ac furia,nec quærentes lucra & lanam eorum: neq; enim prædicare etiam Apoſtoli & ſimul ſeruire menſis uoluerunt,ut Actorum 7. cap. deſcribitur. Et de Chriſto Iacob patriarcha in benedictionibus dicebat. Pulchriores oculi eius uino,& Dentes lacte candidiores. Clari enim & aperti euangelici Chriſti ſermones ſunt ſuper lac regale,Iſychius in Leuiticum libro ſeptimo,capite 24. Hi Dentes figurati ſunt in maxilla quàm Samſon leuauit & percuſsit cum ea mille uiros,Iudicũ. 5. Vnde & mitiore perſequutione percutit & conterit deus dentes peccatorũ miſericorditer,quando per gratiam conuerſiones ex maledicis facit beneuolos & ex criminatoribus ac detractatoribus iſtorum prædicatores & laudatores. Sic Diuus Paulus lupum uoraciſſimum robuſtiſsimis dentibus prævalidum contriuit,& Apoſtolum fecit deuoratorem omnium gentium uſque in hodiernam lucem. Quo ſenſu & Eſaias ſecundo capite dicit: Conflabunt gladios ſuos in uomeres,& lanceas ſuas in falces,quaſi dicat, Mutabunt linguas noxias in ſalutares & ultrices terrenorum hominum,ut ſint uomeres corripiendo & falces colligendo populos ad Chriſtum unicum aduocatum noſtrum.

Deus,interdum pro petra 1. Samuelis. 7. cap. Et poſuit eum inter Mizpa & inter ſcopulum petræ. Hebræus autem,inter dentem: ſic enim uocat lingua Hebræa,petram præruptam. Septuaginta,Luctam.

Dentes,ergo duplices reperiuntur in ſacris Candidi dentes ad officium docendi pertinent. Dentium namq; eſt mordere & obiurgare,non odio priuato,ſed ex charitate & pio zelo. Ideo ouiũ ſunt dentes,& in dentibus candor,ſicut nigredo in oculis commendatur. Id in doctore requiritur,ut ſit potens ad arguendũ & conuincendũ. Debet aũt ſic fieri,ut tamen dentes ſint candidi,hoc eſt,debet fieri ſine amarulentia,ſiue acerbitate & odio,ut emendatio,non uindicta quæratur. De his dentibus Salomon concionatur Cantic. 4. & 6. Dentium candor,diuinarũ literarum caſtam ruminationem ſignificat,Gen. 49.

Dentes & putridi & pedes laſsi apud Salomonem leguntur. Quo ſchemate notat Salomon doctores eccleſiæ,qui non faciunt officium ſuum: & pedes laſsi,id eſt,non ingredientes,quo nihil periculoſius in prædicatoribus Euangelij eſt,Prouerb. 23. cap. Dens putridus aut putidus & pes ait laſſus,id eſt,non uult cernere quæ ſunt fidei abſcondita, ſed cernit præſentia homines qui tueantur eum.

Dentium denicq; denudatio Pſal. 35. intelligit effuſum riſum ſeu cachinnum Dauid, quo Dentes deteguntur.

¶ *Denudatio*, pudenda Hebræis uocatur,quam ſemper D. Hieron. turpitudinem appellat,cuius uocis creberrima in libris Moſaicis mentio fit. Gen. 9. Verenda patris ſui. Septuaginta uertunt γύμνωσιν, hoc eſt,nuditatem.

Denudare brachium,ſignificat expeditum eſſe,Ezech. 4. Vide in Tropo Brachium.

¶ *Deorſum deorſum*, ſurſum ſurſum,Deut. 28. Aſcendet ſuper te ſurſum ſurſum: tu autem deſcendes deorſum deorſum. Hebraiſmus,pro,multis modis,aut longè erit ſuperior te: tu autem eris eo longè inferior.

¶ *Depauperare*, pro deſtruere,Malachiæ 1. cap. Quid ſi Edom dixerit,depauperati ſumus,reuertemur autem & ædificabimus deſerta,Septuaginta,deſtructi.

¶ *Depopulatio* pro miſeria,Eſaiæ 16. capite,Finitus enim eſt puluis,conſumata eſt depopulatio.

¶ *Deprecari* pro aliquo, Numer. 13. cap. Et deprecabitur pro ea sacerdos. Vox Hebræa Chipper, pro qua interpres uertit Deprecari & rogare, significat expiare siue purgare, oblata Deo hostia, id est, remouere iram Dei à peccatore, Deum peccatori placatori imputet peccata. Erat autem sacerdotis impetrare ueniam populo, quod Christi typum gereret ueri pacatoris.

¶ *Derelinquere*, pro negligere & parum curare, Prouerb. 1. Et ne derelinquas legem matris tuæ.

¶ *Derisor*, pro uoluptati dedito, Hiere. Non sedi in consilio derisorum. Septuaginta, iudentium. Similiter Dauid Psal. 1. per Derisores, intelligit homines malos, & Dei uacuos, hoc est, impios, flagitiosos, improbos, malitiosos.

¶ *Descendere deus* dicitur in mundum, quando aliquid nouum, quod ante non fecerat in creatura humana operatur, sicut Dei filius descendisse narratur, quando ueram carnem ex Maria uirgine suscepit propter redemptionem nostram. De cuius descensione, hoc est, incarnatione, Psal. 17. Inclinauit cœlos & descendit, &c. Vide Diuum Augustinum. Item, Descendere quoque deus dicitur, quando audit nos, Exodi tertio capite, Descendi ut, &c.,

Descendere ad Prophetarum manus, est sese subdere illorum sententiæ, Hieremiæ 5 capite. Et sacerdotes descendebant seu applaudebant, &c.

Descendere uel deponere in uallem Iosaphat, aliud non est, quàm iudicio mortis fieri, quenquam & subdere ultioni stellæ, decreto iudicum ordinariorum, Ioelis cap. 3.

Descendere denique ad infernum, nihil aliud est, quàm perire, aut pessum ire, quod nos uernacula lingua proprie explicamus, zu grund ghen. Est enim fundus uniuscuiusque rei infimum aut infernum. Sic simpliciter admodum Iacob descendit ad infernum, hoc est, lugendo moritur, Geneseos 37. cap. Descendam, ait, ad filium meum lugens ad infernum. id est, lugens moriar. Similiter Numeri 16. Descenderunt uiui in infernum, hoc est, subitanea morte perierunt. Sic Ezechielis 32. Tyranni descendunt ad infernum, id est, pereunt. Psal. 54. Veniat mors super illos, & descendant in infernum uiuentes. Mors dicitur finis uitæ, & qui in meliorem partem conuertitur, occasum prioris conuersationis merito reperisse iudicatur. In infernum autem descendunt uiuentes, qui cogitationes suas pessimas expauescunt, & ad melioris institutionis tramitem diuina gratia transferuntur. Similiter Descendere in foueam, est quoq; in sepulchrum demittere. Si ue igitur perditionem, mortem, infernum, foueam adpellaueris, idem dixeris. Actorũ 2. cap. Infrà latius de nomine Inferni, dicemus.

¶ *Desertum*, Hebræi ciuitates desertas uocat destructas & depopulatas, Amos 9. capite, Ciuitates desertæ: Septuaginta, dissipatas. Interdum Deserti nomen, pro loco syluestri, Deuteronomii 1. capite. In Deserto campestri Midbar Desertum est, locus scilicet non habitatus ab hominibus, at non omnino sterilis, sed fœcundus & aptus pascuis. Locus pascuus & pecoribus idoneus, ut sunt Alpes Heluetiæ. Heluetia enim olim desertus est uocata. Et Gentiles quoque scriptores Heluetiam, nõ incultam tum quoque terram dixere Eremum Heluetiorum. Sic Iudæi montana & saltus desertum uocant. Solitudinis uocabulum aliud est Hebræis. Et tametsi enim Desertum in sacris ferè usurpetur pro loco inculto, syluis ac uepribus aspero, & feris magis quàm hominibus ad habitandum apto, sumitur tamen interdum non quod sint Deserta loca, ut nihil ibi sit rerum, uel hominum, quum in scripturis multæ urbes in Deserto sitæ scribantur. sed sunt loca syluestria, pascua seu campestria, ut dictum est: & sæpe in scripturis legere licet, ut scribitur, Et Ioab sepultus est in domo sua in deserto, id est, in rurali suo prædio. Sic apud Matthæum tertio capite, Euangelista Desertum uocat tribum Iuda, quæ in montanis habitabat, uidelicet pro illa parte Iudææ, quæ in montes & pascua excurrens exus gebat, non tamen absque urbibus, uicis & sine habitatoribus ferarum lustrum erat. Ad eundem modum dicitur & diua uirgo Maria abiisse in mõtana Iudææ, uenisseq; in domum Zachariæ ad cognatam suam Elizabeth. Appellatur item Idumæa 4. Regum 3 capite, quam tamen constat longè clarissimam fuisse regionem. Sic Matthæus scribit: In diebus illis accedit Ioannes Baptista, prædicans in Deserto Iudææ. Lucas habet: Et

uenit

uenit in omnem regionem finitimam Iordanis. Ergo Desertum illud non fuit omnino uastum, in quo nemo, sed in quo sparsim homines, & rari habitabant, sicut in Hercynia sylua, Vogeso & similibus incultis locis uidere licet. Vnde Iosue quintodecimo capite, Sorti tribus Iuda in deserto sex ciuitates, quæ & suas uillas habuerunt assignatas, legimus. Ex Hebræo uertunt Araba, quod proprie significat planiciem, ubi sine syluis & montibus late patent campi: sicut & quædam aspera & montosa, Exodi quintodecimo capite, Et egressi in desertum Hur. Quare non est intelligendum Ioannem secessisse ab omni hominum conuictu, more eorum, qui hodie Heremitæ uideri uolunt, omnino solitariæ, in syluis obscurioribus habitantes. Sed cum in montanis Iudææ paterna domus esset, fortè paululum progressus in Desertum, id est, saltuosa loca, uersus Iordanem, & mare mortuum, egit in obscuriore loco aliquo: ut si quis hinc a regione Rheni incultiore, ad montana & saltus Vogesi, uel alia Lotharingiæ incultiora loca secederet.

Desertum nonnunquam Hebræi agros uocant, ut Psalmus, Pinguescent speciosa Deserti, & exultatione colles accingentur, &c. Hiere. 12. cap. Colles qui sunt in deserto, id est, extra urbes.

Desertum nonnunquam pro uia gentium, ut Psal. 67. Iter facite, quia pergit per deserta gentium, apud quas antea gratia non erat, Esaiæ 35. Lætabuntur Deserta, hoc est, gentes. Sunt quoq; Deserta mentes credentium, quorũ uita abscondita est in Deo cum Christo, in quibus mortificatis, graditur dei spiritus, & ducit quò uult, ut nesciant interim ipsi, quò uadant: scientes tamen, quod dum sequuntur, quemadmodum Abraham. Sic & olim deus per Desertum præcesit filijs Israel in columna ignis per noctem. Dominus, inquit, est nomen illi, ne quid dubitetis de eius protectione.

Desertum insuper pro plaga meridionali, sicut mare Iom pro occidentali: propterea quod mare Iudæis sit ab occidente. Psal. 75. Nec enim est exaltatio, nisi à solo deo. non ab ortu solis, non ab occasu, neq; à Deserto, hoc est, meridie, illa potest peti. Desertum magnum, à meridie Iudææ est, ideo pro meridionali plaga ponitur. Item, Desertum pro toto mundo, Esa. 40. cap. Vox clamantis in Deserto. Desertum populorũ apud Ezech. 20. cap. est carnis uastitas, & eius mortificatio, Ezech. inquit, Et introducam uos in desertum populorum, &c. Nam per desertum Ægypti ducebantur ad promissam terram Canaan.

Desertum mare Babylonem denotat apud Esaiam cap. 21. Onus deserti maris, quod regnum illud uastauerit multos populos.

¶ *Desiderare* pro uelle, Ionæ 1. Quia tu domine sicut desiderasti fecisti. Ioelis 3. Et aurũ meum tulistis et desiderabilia mea. Septuaginta, electa, optima & preciosa. Pro diligere, Philip. 1. cap. Quàm desiderem uos. Hinc Desiderium, est earum rerum, quæ pertinent ad carnem, sicut cibus & cõcubitus, &c. Et Desiderium oculorum dicit omnem mortalitatem. Hæc Augustinus in epistolam Ioan. Tract. 2. Desiderium pauperum exaudiuit Dominus, ut sæpe in Psalmis, est clamor, inuocatioq; credentium ad deum, ut eis præstetur auxilium. Desiderium impiorum, sunt conatus & studium eorum impiũ, de quo Psal. 111. Desiderium impiorum peribit. Et Daniel uir desideriorum seu deliciarũ, cap. 9. adpellatur. Et Iudæa terra desiderabilis appellata.

¶ *Desponsare* pro familiarem reddere, Hoseæ 2. Et desponsabo te mihi in æternum, & desponsabo te in iustitia, & in iudicio, & in misericordia, & miserationibus.

¶ *Despicere* iuxta phrasim scripturæ interdum est magnã animi uoluptate affici & delectari, quo modo loquendi & Videre uerbum usurpatur, ut suo loco audiemus. Quod legis Psalmo quinquagesimotertio. In inimicis meis Despexit, uel uidit oculus meus, significat se ultionem uidisse in inimicos. Et Psalmo 111. Donec Despiciat super inimicos suos. Et Psalmo 90. Veruntamen oculis tuis considerabis, & retributionem uidebis. Nam consimili forma loquitur scriptura Videre in inimico, uel inimicum. Et. Oculi mei uiderunt, ut Psal. 4. Euge euge uiderunt oculi nostri, Micheæ 7. Oculi mei uiderunt in eam.

¶ *Destruere* pro euertere, confutare & argumentis dissoluere, non infrequens est in scripturis. Ædificare pro docere poni, Gal. 2. capite. Nam si quæ destruxi, ea rursum ædifico. Hinc Destructores, qui prauis doctrinis & opinionibus homines corrumpunt. Vide in uerbo Ædificare suprà.

Desti-

¶ Deteſtari pro negligere, deſpicere & poſthabere, Geneſis 47. Quia deteſtantur Ægyptij omnes paſtores ouium, id eſt, poſthabent & negligunt, nullius exiſtimationis ſunt apud eos. Septuag. Abominatio. Deteſtatio hinc Gal. 1. cap. idem eſt quod Execrabilis & abominabilis habeatur uobis. De uoce autem Anathema dictum eſt in litera A. ſi quis, ait Paulus, affert aliud Euangeliũ præter id quod prædicauimus, anathema ſit, quod Deteſtationem ſignificat.

¶ Detrahere pro aduerſari, Pſal. 109. Hoc opus eorũ qui detrahunt mihi apud Dominum, pro aduerſantur. Detrahere uerbo, eſt peruertere, Deut. 4. & 12. cap.

¶ Deuouere idem eſt Latinis quod conſecrare. Et eſt anceps uerbum, ut quod in bono & malo, ſed in loco ponatur, Eſaiæ quadrageſimotertio capite, Iacob deuoui uel conſecraui. Hinc & Deuotio, quod idem eſt quod Conſecratio, & quoque uox anceps eſt, & idem ferme eſt quod uotum, & non in uno loco ſcripturæ in bonam partem accipiunt Hebræi. Barbare uſurpant quidam pro pietate, quemadmodum inepte quoque dicũr Deuotus, pro eo quod eſt pius & religioſus. Deuouere, interdum in malam partem accipit ſcriptura, & idem eſt Deuouere quod execrari ſeſe, & libera malorum imprecatione animum ad certam rem peragendam addicere. Hoc uerbo uſus eſt Paulus in malam partem in Actis uigeſimotertio capite. Et deuouerunt, ſe, dicentes neque eſuros ſe, neque bibituros, donec occiderent Paulum. Deuouerunt ſe diris plus quàm quadraginta uiri. Deuotione deuouimus nos, conduplicatio eſt Hebraica amplificationem in ſe continens & auxeſim, hoc eſt, intentionem eius, quod dicitur.

¶ Deus, nomen eſt non perſonæ, ſed maieſtatis & magnificentiæ. Et Deus ſecundum Hebræos, miſericordiæ & beneficentiæ nomen eſt. Nam Dei nomine bonitas & munificentia ſummi boni proponitur. Quod Hebræi, Græci & Latini, Deum unũ pluralitatis numero nuncupant, magnificentiæ eſt & gloriæ. Nonnunquam nomen patris adijcitur, ne quis audita patris appellatione (quod & maieſtatis nomen) trepidet coram eius maieſtate, quemadmodum ad montem Sina: ſed quò potius prouocetur ad accedendum ad eum, quem nõ iam iudicem audit, ſed & patrem ſuum, hoc eſt credere debet illum per omnia nobis bene uelle, ſiue proſpera ſiue aduerſa mittat. Atque hęc uox patet, plurimum fiduciæ ad credendum Chriſtianis injjcit, ut 1. Petri 1. Laudandus Deus pater, &c.

Dei nomina & epitheta.

Diuini homines uarijs nominibus Deum appellarunt, ut paſsim uidere licet per utrumque inſtrumentum: nunc Dominum, nunc Deum, uitam, conſiſtentiam, patrem, fontem, lucem, omnipotentem, omni ſufficientem uocantes. Quę tamen omnia ononyma illi ex interna fide impoſuerũt, nempe quod ſic apud ſe de Deo ſentirent, imò quod reipſa intra ſe experti eſſent, Deum eorum robur eſſe, uitam, patrem, & reliqua. Iam ex fide, qua illi acceptum ferebant robur, uitam, reliqua, ſic illi poſt modum nomen dederunt fortitudini, domino, uitæ, robori. Quum ergo Deum nominari audimus, nihil intelligimus quàm fontem omnis boni: liberalem uerò ac minimè ſordidum, aut inexorabilem, ſed ſic largum ac ſui prodigum in uſum ſe fruentium, ut ab omnibus auferri, teneri, poſsideri gaudeat. Ac ſecundum iſta ſic ſemper ad opitulandum, accinctum, ut ubiq; ſuccurrat, nuſquam cunctetur. Vnde θεὸς Græci eum uocarunt ἀπὸ θεῖν, hoc eſt, à merendo, quod ubiq; dum opus ſit adcurrat, adſit, opemq; ferat. Vnde antiquitas, nihil aliud exiſtimabat Deum, quàm prodeſſe mortalibus: Vnde frugum, uini, legum autores & quicunq; ad uitæ commoda aliquid attuliſſent Dij uocati.

Dominus quoq; dicitur ob prærogatiuam diuinæ omnipotentiæ & maieſtatis. Exercituum appellatione uocatur, quia corpora ſuperna & ſpiritus angelicos in poteſtate habeat, Oſeæ 12. cap. Dominus deus exercituum. Iehouah nomen habet à uita & eſſentia, ita à præſentia dicitur Eloah, El, ſiue Elohim, uel à fortitudine, uel à ſummo & principe omnium bonorum nomine Elohim, quod apud Græcos Τὸ ἀγάθον πρὸ πρώτου ἄιτιον nuncupatur, elocutionum recenſionem incipere libitum eſt. Paulus primæ ad Corinthios octauo, pro Angelo uſurpat. Nam etiam ſi ſunt qui dicantur Dij, ſiue in cœlo, ſiue in terra, ſicuti ſunt Dij multi & Domini multi: Quemadmodum enim in epiſtola Coloſſenſibus inſcripta, capite primo, Thronos, dominationes, principatus, & poteſtates: ita hoc loci, angelos Deos appellat. Vſus eſt etiam Dauid hoc idiomate, Pſalmo nonageſimoſexto, Adorate eum omnes Elohim, dij. Septuaginta,

angeli

angeli eius. ſummam quoque felicitatem hoc nomine Apoſtolus exprimere uoluit, ad Philip. 3. cap. Nunc autem ac flens dico, inimici crucis Chriſti, quorũ finis perditio eſt, quorum deus uenter eſt: ac ſi diceret, Quorum ſumma felicitas gula eſt. Pro idolo, Exodi 22. Qui immolat dijs occidetur. Pro iudice nõ nunquam accipitur, & ferè quando no men Iehoua Tetragrammaton adſcribitur, Eſa. 7. cap. Poſtula tibi ſignũ à domino Deo tuo. Obſerua autem quod quando ſic ponitur Dominus deus Elohim Iehoua, poteſtas Dei inſinuatur, qua ſuos ab affligentibus quaſi iudex innocentes à calumniantibus liberat. Exodi 7. cap. De te Elohim Deum Pharaonis. Item 4. Et tu eris ei Elohim Deus, quum aliquid magnificare uolunt Hebræi, nomen Elohim adſcribunt, Ionæ 3. Et Nini ue ciuitas magna Elohim Deo, hoc eſt, magnificentiſsima ciuitas. Hoc nomen Elohim deus ſemper patri in Paulinis epiſtolis, Dominus uerò Chriſto adſcribitur. Nonnunquam Chriſtus Dominus nominatur ex more regionis, ut Ioan. 5. Reſpondit ei languidus, Domine. Sic Maria Chriſtum, quem hortulanum putabat, Dominum uocabat.

Nomina dei myſtica ad Marcellam ſcribẽs ſacer D. Hieron. decem enumerat cum ſua interpretatione, illum diffuſius conſule. Et Hebræi tredecim epitheta ſeu proprietates Deo adſcribunt. Prima eſt, ego dominus, & ſumma illa maieſtas. Secunda, Deus, & eſt El, idem quod fortis. Tertia, miſericors, præſeruans ſcilicet à lapſu. Quarta, clemens, ergens lapſum. Quinta, longanimis, non illico cõdemnans impium. Sexta, abundans pietate, uel multæ pietatis ſuper iuſtum & impium. Septima, multæ ueritatis, implens promiſſa. Octaua, cuſtodiens miſericordiam in mille. Nona, remittens peruerſitatem. Decima, remittens tranſgreſsionem. Vndecima, remittens peccatum. Duodecima, innocentẽ non condemnans. Decimatertia, uiſitans iniquitatem patrum.

Clypeus, Pſal. 3. nominatur Cornu ſalutis, Lucæ 2. Perfugiũ ſiue exaltatio, fons, lux, omnipotens, uita, pater, ſepes, leo, rupes, ſcutum, refugium, longitudo dierũ, antiquus dierum, redemptor, petra, uepris, ſpina, urſus, gloria mea, exaltator capitis mei, Elohim uocabulũ πολύσημος habetur: quippe quod utrouis numero ſingulari aut plurali, deum aut deos declaret. Deus deorum, Dominus dominorum, Deus ignis & zelotes, & ignis conſumens, propugnator meus, ſepes fidelium Iob 1. cap. murus igneus apud Zachariam. Flumen latiſsimum, robur ſuum Dauid uocat, munimẽtum, ereptor meus, Deus meus, &c. Hebræi Deum nominant à uita, à uirtute, à ſapientia, ab auxilio, ab opulentia ſeu ſufficientia. ſed his uolũt indicare eum ſolum deum eſſe, qui omnibus uitam præſtat & largitur: qui omnia poteſt, omnia nouit, omnia ſarcit & reficit: qui eſt theſaurus omnium bonorum, quicquid deeſt, abunde ſufficere poteſt.

¶ *Deum cœli timere*, Hebræo more dictum eſt. Cultum enim religionemq; dei, timorem illi nominant. Vt audiemus in uerbo Timere. Ex Eſaia autem liquet Hebraiſmus iſte, ubi inquit: Timent me mandatis hominum, hoc eſt, putãt ſe mihi (miſerrimi homines) gratum facere & inſeruire humanis ſuis traditionibus. Sic Ionas 1. Hebræus ego ſum, & Dominum cœli timeo, id eſt, colo, ueneror.

Deum uidere & uocem domini audire, uel cernere Deum, eſt cognoſcere ſpiritu, id eſt, percipere uocem in corde, & uiuificare per eam. In hanc ſententiã dicit Ioannes cap. 6. Neq; uocem eius unquam audiuiſtis Iudæos, nec audiſſe deum, nec ſpeciem uidiſſe, qui ſpiritu non perceperũt, quo ſolo cognoſcitur deus, & percipitur uox eius. Vidiſſe enim uel audiuiſſe corporaliter non iuſtificat. Litera enim occidit, ſpiritus autem uiuificat, teſtimonio Pauli 2. Cor. 3. cap.

Deum lætari et cõtriſtari in populo ſuo, quando populus deum ſequitur, et propterea benefacit ei deus, dicit deum lætari in populo ſuo: non poteſt deo uel decedere, uel accedere gaudium. Quando autem populum adfligit peccantem, dicitur contriſtari, ut Eſaiæ 63, Gen. 6. præcauens in futurum & tactus dolore cordis intrinſecus, Eſa. 9. cap. Propterea ſuper electos ſuos non lætabitur dominus.

Deum in notitia non habere, dixit Dauid pro eo quod eſt, Deum præ oculis (ſicuti nos dicimus) non habere, uel illius cognitionem, ſiue maieſtatem ſuſcipere, uel nihil perpendere.

Deum exacerbare, eſt deo nõ credere, ueluti filij Iſrael faciebant, quum deus per Moſen exploratores in terram Chanaan miſiſſet: & ipſi reuerſi ad terram fertilem & populum fortem dixiſſent: filij Iſrael deo nõ credentes, in terram illam proficiſci noluerunt. Vnde dicit Dominus, Numeri quartodecimo capite, Quouſque mihi detrahet populus

lus iste? Et ad Hebræos tertio capite, Sicut in exacerbatione, et cætera.

Deus salutis & iusticiæ, Psal. 17. Deus salutis meæ, id est, qui saluum me facit. Et Psal. 4. Deus iusticiæ meæ, id est, qui saluum me facit. Ita quod iusticia & salus piorum non humanis uiribus aut meritis, sed soli deo & iusticiæ & salutis autori referantur accepta.

Ante Deum, Exodi 18. Et uenit Aharon & omnes seniores Israel comedere panem cum socero Mosis ante Deum. Nec enim tabernaculum fuit, nec arca testamenti, quæ postea sunt instituta. Ergo ante Deum, id accipere debemus factum, quod in honorem dei factum est. Vbi enim non deus?

Similis locutio est, Ante faciem domini apparere, est totum conuenire cœtum. Dicitur etiam uidere faciem, Exodi 23. Ter anno apparebit omne masculinum tuum ante faciem domini dei tui.

Ad Deum, pro aduersus deum, Apocalyp. cap. 13. Et aperuit os suum in blasphemiã ad deum. Græca sic habent πρὸς τὸν θεὸν.

Deum habitare inter homines, est uindicare iniurias hominum, bonos defendere, & impios præterire, Psal. 14.

Deus deorum, & Dominus dominorũ, nihil aliud uult his uerbis spiritus sanctus, quàm in illo solo confidendum esse non alia re, aut alia uel nostra iustitia. Deus deorum, est deus Christus. Ipse enim cum patre & spiritu sancto, uere dicitur Deus deorum, quod tamen nomen non omnino diuinitatis est proprium, sed humana lingua, summitatem eius ultra hoc non potest tu iudicare, Psal. 49. Deus deorum dominus locutus est, Daniel. 11. cap. Et magnificabitur aduersus Deus deorum, huic sententiæ similis est ista locutio.

Dominus dominorum. Nam & dominos sanctos, dicimus angelos, sed dominus dominorum ille solus est cui cuncta deseruiunt, ut præter eum nihil timeas: nam ipse facit mirabilia solus, ne tu cogites, ne tuam salutem tuis operibus consequi posse. Ipse etiã est sanctus sanctorum, ipse rex regum & omnium potestatem ineffabiliter culmen excelsum. De hoc tropo lege Psal. 135. & 143 & 49.

Dei nomen quid aliud est, quàm fama, laus, gloria, qua cognoscitur deus quod nomen iam innotuit, & glorificatum siue sanctificatum est in omni terra prædicatio Christi euangelio. Sic fidunt qui nouerunt nomen tuum, & Psal. 148. Exaltatum est nomen eius solius.

Deum consulere, est quærere uoluntatem & sententiam dei, Exodi 18. Quærens sententiam dei, id est, ut inquirat uel requirat sententiam dei. Chaldæus paraphrastes, Vt inquirat instructionem à deo.

Deum Pharaonis constituere te. Hebraismus Exodi 7. cap. Constitui te deum Pharaonis, id est, uice dei Pharaoni, hoc est, dices nomine meo & uerbis meis Pharaoni, quid ego uelim. Vel: Constitui te iudicem: uel ut Onkelos uertit, magistrum & dominum super Pharaonem. Chaldæus paraphrastes uertit, Posui te in principem Pharaoni.

Deum ad æmulationem prouocare, Deut. 30. cap. Prouocauerũt eum in dijs alienis. Vel: Ad æmulationẽ prouocauerunt eum cũ extraneis dijs, colendo deos alienos. Id est, Dederunt operã ut inuideret deus dijs alienis: nam summo studio coluerũt eos. Vel: Nõ stetit per eos quin irasceretur dijs alienis dominus qui immutabilis est.

Deus dominus addat, formula bene precandi, Deut. 1. cap. Dominus deus addat, etiã apud nos in usu habent, idq; satis pie, ubi dicitur de pueris uel iumentis bene habentibus. Deus seruet, uel Deus benedicat. Scilicet ab antiquis traditum, uel ab hoc exemplo Mosi acceptum, ubi statim, ut populum sicut stellas cœli multiplicatum dixerat, addit, Deus addat, uelut fascinum metuens, ut nostræ solent mulierculæ suspicari, dum laudantur ab aliquo infantes in faciem.

Dei facies, Exodi 33. significat fauorem, gratiam, & amicitiam dei. Colloqui facie ad faciem, eodem cap. significat familiarissime & amicissime colloqui.

Deorum atqui nomine etiam sacra intelliguntur, seu cultum diuinum significare, testatur, id quod Exodi 20 cap. in primo præcepto præcipitur, Prohibetur illic ne usurpent alia sacra, alios ue sacrificandi & colendi deum ritus, præterquàm eos, qui uerbo domini in lege præscripti sunt. Cum enim dicitur: Non sint tibi dij alieni, non tantum intelligendum est de dijs ipsis, quos gentes coluerunt, sed etiam de sacris & ritibus colendi uerũ deum, quæ tamen non sunt in lege præscripta. Testatur id quoq; 32 cap. Ex-

odi de uitulo aureo dicitur, Isti sunt dij tui Israel &c. hoc est, Ista sunt uere diuina sacra, quæ placent deo, & propter quæ meremur gratiam dei, qui nos eduxit de Ægypto. Vocat & Paulus cultum dei, Deum. 2 Thessal. 2. cap.

Deorum quoq; nomine magistratus intelligitur, Exodi 22. Dominus domus applicabitur ad deos. Et mox: Veniat causa utriusq; ad deos, Indicat legitimum magistratum esse ordinationem diuinam. Dij enim hoc loco sunt ciuiles magistratus diuina seu legitima ordinatione constituti.

Deus recens, Hebræis est, extraneus, Psal. 81. Israel si audieris me non erit in te deus recens, neq; adorabis deum alienum. Deus recens fuit uitulus ille aureus ab Aaron opere fabrefactus fusorio recens facto: atq; illi quoq; quos impijssimus erexit Hieroboã clamans: Ecce dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.

¶ *Dei esse* Hebræi dicunt quæ sunt optima, magna & egregia, Psal. Iusticia tua sicut montes dei. Et alio Psal. sicut Cedros dei, Gene. 13. cap. Sicut paradisus domini, optimus situs illius terræ Chananææ, hortus dei dicitur. Gene. 1. Spiritus dei, id est, uentus magnus. Psal. 61. Mons pinguis. Ciuitas dei uel deo, Ionæ 3 capite. Nimirum de rebus insuetis atq; magnitudinis. Cum magnitudinem rei significare uolunt, adijciunt hoc nomen deus. Sic Arbores dei, hoc est, proceræ, altæ, magnæ. Viros dei. Mons dei, pro mons magnus, Geneseos primo capite. Tonitrua dei, magnis tonitribus, Exodi nono capite, ut alio loco Cœli dei, pro Cœlis altissimis. Sic Dominus castigat pios uirga & plaga humana, nõ quam scriptura dei, hoc est magna, ingens uocare solet, qua impio, exterminat, quæ uisitatio dei dicitur, id est, eximia.

¶ *Dij, seu Deorum filij* appellantur à scriptura, ad quos factum est uerbum dei, & qui deum imitantur, de quibus dictum est, Ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes, Psal. 81. qui huiuscemodi ornati sunt potestate, ut sunt reges, principes, iudices, magistratus'que cæteri diuino dignatur nomine, lex diuina Deo illos appellans: qui si boni sunt, Deus inter illos, tanquam dux & Dominus: si mali atque improbi, in medio illorum est tanquam iudex, atque ultor illorum acerrimus, Exodi 22 capite. Item Deorum filij seu dij cœlorum astra, quæ interdum, raro tamen appellantur, ut illud in primis uidere licet in Iob lib. ad celebrandam dei uirtutem prouocari. Rursum ficut absurdum haudquaquam erit super nos angelos pro filij dei intelligi, Psal. 29. Afferte domino filij dei, &c. Nam quæcunque hæ res sint, quæ expressius referant diuinitatem, deum'q; ipsum excellentiori quodammodo repræsentent, ut sunt ipsi angeli copiosiori felicitate donati, quàm cæteræ res conditæ: homines deinde, ac tertio loco cœli ipsi, eorum'q; signa & ornatus, Dij à scriptura appellari: ita & à allegato Psalmo suprà principes & magistratus potentia aliqua sublimi deum utcunque referentes inuitantur ad laudandum deum. Et Psal. 46. Principes populorum congregati sunt cum deo Abraham, quoniam Dij fortes terræ uehemente: eleuati sunt. Horum omnium deus summus & maximus est unus deus, Psal. 49.

¶ *Dij alieni* deniq; in scripturis uocantur, quæcunq; alia sibi colenda, stulta hominũ superstitio hominum fingit. Hinc primo Decalogi capite, Non sint tibi dij alieni iuxta uel præter me. Vel non habebis Deos alienos corã me. In qua lege pro Dijs alienis, non tantum intelligi debent Dij gentium factitij, uerum cultus & sacra ad honorem quidẽ Dei usurpata, non autem uerbo Domini præscripta aut institura. Hinc & prophetæ ties accusant Israelitas idololatriæ quod colerent alienos deos, hoc est, quod usurparent ad colendum uerum deum, qui ipsos ex Ægypto eduxerat, aliena sacra quæ deus uerbo suo non præceperat, sed potius prohibuerat. Sic & ille locus intelligendus Exodi 32 cap. de uitulo aureo, Fac (inquiunt) nobis deos qui nos præcedant, hoc est, quia Moses cessat, & non est consultum nobis, ut fine publicis sacris per desertum ad terram nostram pergamus, tu igitur institue nobis publica sacra, quæ facientes, gratiam Domini dei nostri ita mereamur, ut præcedat nos in deserto, & tueatur nos, ac ducat incolumes in terram Canaan. Sic & illud intelligendum quod dicunt, Hi sunt dij tui Israel qui te eduxerunt, &c. Hoc est, Iste est uerè diuinus cultus, propter quem meremur gratiam dei nostri, et cætera.

Deus ergo alienus erit, quod proprie & naturaliter non est Deus, imò quicquid uobis præter deum hunc uerum, uiuum & æternũ confingimus, cui confidimus, in quod speramus, quod inuocamus, quod amamus & metuimus, in quod animum nostrum intẽ-

intendentes defigimus, à quo pendemus, quod pro thesauro, auxilio & præsidio nostro in prosperis et aduersis habemus agnoscimusq; Alienum namq; non raro dicitur quod non est institutum à deo, Sic Alienus ignis dicitur illatus esse tabernaculo, diuersus nimirum ab eo quem accendere iusserat Dominus. Aliena dicitur mulier in Prouerbijs, quam non concesit dominus.

Dij alieni ergo sunt quos nobis ipsis fingimus, quos deus nobis non constituit tutelares, à quibus pendentes auxilia poscamus. Proinde erunt Dij aliem, Diui ipsi, nũc qui dem triumphantes cum rege Christo in cœlis, non ipsi quidem per se, sed nobis erunt Dij alieni, qui perperàm de ipsis iudicamus & honorẽ deo debitum ipsis impendimus, colentes eos pro tutelaribus inuocandisq;. Erunt Dij alieni ipsi diaboli & homines diabolici, si ipsis timorem deo debitum ipsis impendimus, ita impendamus, ut hoc præsetia, si à mathematicis decepti, ab ipsis pependerimus, &c,

Ad Deos applicari, est in ius uocare, Exodi 21 cap. Et applicabitur ad deos, id est, ad iudices. Et ad Dominum, Deut. 19. Id est, ante iudices & sacerdotes.

¶ *Dextera & Brachio*, omnium ferè unanimis est sententia, dei significari potentia, maiestatem & uirtutem dei. Sumpta ex hominibus allegoria, qui dextera pro membro organoq; corporis maxime operoso & potenti ac ualido utuntur. Hinc Esaiæ 53. cap. Christum appellat Brachium domini. Et Psal. 97. Saluabit sibi dextera eius, & Brachiũ sanctum eius, Dextera, robur & omnipotens uirtus, qua omnia efficaciter operatur, significari solet, iuxta illud Psal. Dextera domini fecit uirtutem.

Vnde à Dextris esse, aliquando idem est quod auxiliari, astare, adiuuare. Sic Psalmo decimosexto, Quoniam à Dextris meis est, ut non commouear, id est, auxiliator meus, siue auxilio est. Et Psalmo 108. Qui astitit à dextris pauperis, ut saluam faceret à persequentibus animam meam. Item, Diabolus stet à dextris eius, id est, astet ei ne sit illic locus deo. Et Latinis perfrequentes sunt loquutiones petitæ à dextera & sinistra. Dicunt enim rem sinistrè cessisse: rursus rem dextrè esse gestam. Hinc & à Dextris & sinistris pro omni genere armorum. 2 Corinthiorum sexto capite, Sic et in Dextris uel in sinistris Dei esse accipiendum est, quod Sancti à dextris eius sint, peccatores uerò à sinistris, Matthęi uigesimoquinto capite, Dextera enim electorum, Sinistra seu lęua, reproborum symbolum habet. Et Dextera locus est honoratior apud homines imperij & dignitatis: ut in consessu principum. Dextera primus locus est, summus & dignissimus. Et qui ad Dexteram siue ad latus sedere dicuntur, summè rerum præesse intelliguntur. Sic scriptura per sedere à Dextris, principibus intelligit proxima ab eos potestate fungi. Id certe intelligebant filij Zebedæi, quum peterent à Christo, alter à Dextris, alter uero à sinistris sedere. Et Ephesiorum primo capite, de Christo dicitur eum euexisse & collocasse ad Dexteram suam, ut uideas idem quod ęqualem esse et eiusdem potestatis, ut Christus ad dexteram patris, hoc est, patri æqualis esse per omnia, ut sit illud ad Dexteram dei sedere, in eadem gloria maiestatis diuinæ esse, & super omnia regnare, tam late dominari quàm late pater dominatur. Quo modo Christus iubetur sedere à dextris Dei.

Dextera dei principio relationem habet, non ad deum, sed ad homines qui sunt in Dextera, ita ut Dextera dei prima significatione sit locus beatorum, & felicitas æterna. Sed Dextera patris, est beatitudo perpetua, quæ sanctis datur. Sicut sinistra eius rectissime dicitur miseria perpetua, quæ impijs datur: ut non in ipso deo, sed creaturis, hoc modo diximus, intelligatur Dextera & sinistra. Ad Dextram intelligendũ est, inquit, D. Augustinus dictum esse in summa beatitudine, ubi iustitia & pax & gaudium est. Sicut ad Sinistram hœdi constituuntur, id est, in miseria propter iniquitates & labores & cruciatus. Hæc August. de fide & Symbolo cap. 7. & de Agone Christi cap. 26. Et lib. 1. Locutionis de Genesi. Et in Psal. 120. Ita scribit, Dextera nostra dicitur, quicquid nobis æternum & incommutabile dominus pollicetur. Sinistra nostra dicitur, quicquid temporale habemus. Ideo Dextera item felicitatis & dignitatis locus est. Sinistra infelicitatis & miseriæ, unde ueteres pro dextra reposuere beatam uitam: pro sinistra, perpetuam damnationem. Ita uero & Dextram dei dixerunt esse gloriam æternam, sinistram opprobriũ supplicium q; perpetuũ. Dextera dei, pro uirtute & potentia, Psal. 17. A' resistentibus dexteræ tuæ. Pro ęterna uita, Psal. 16. Delectationes in dextera tua usque in finem.

A Dextris ſedere de Chriſto dicitur Pſal. 110. Sede à dextris meis, id eſt, eſto omnium rex, primaq; fruere potẽtia, ut ſis ſuper omnia potens in cœlo & in terra. Matth. ultimo cap. Pſal. 8. & 71. Solent enim principes, qui ſuam ad dexteram quempiam ſedere faciunt, omni illum ornare autoritate atque dominio. Ita hic de Chriſto ad dexteram patris aſcito intelligendum erit. & eſt perinde atq; Regna ut ego ſuper omnia. Ad Dexteram ſiue ad ſiniſtram, aliquoties certitudinem termini & locum præfixum ac conſtitutum exprimit. Sic enim loquuntur Hebræi Geneſis 24. Vt uadam ad Dexteram ſiue ſiniſtram. Quaſi dicat, ut ſciam quid mihi porrò ſit faciendum. Porrò ad Dexteram uel ſiniſtram ire, Id eſt, ut faciam prout dominus dirigit mentem meam.

Dextera ſocietatis, Gal. 2. idiomate Hebraico dixit Paulus, pro dextris ſocijs. Eſt autem Dextera fidei, concordiæ & ſocietatis ſymbolum, & conſertio manuum fœderum pactio confirmatioq;. Inde illud Æneæ apud Maronem Æneid. 8. Accipe daq; fidem. Itaque & Dexteram Paulo (inquit Tertullianus in Præſcrip. hereticorum) dederunt ſignũ concordiæ & conuenientiæ.

Dextera ac ſiniſtra, pro una & altera, Matthæi quinto capite, Quemadmodum in alia quadam parabola, quinta talẽta poſuit pro plurimis dotibus, duo pro mediocribus, unum pro minimis.

Dextera Moſi, dicitur uirga, quam Moſes dextra manu tenebat, Exodi 3. capite. Dextram quoque in Salomonis ſententijs capite quarto. ut ibi, Ne declines ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Significat impiam ſecuritatem & fiduciam tui ipſius. Et addere uerbis dei, id eſt, ea pro cultu dei habere, quæ deus non mandauit. Siniſtram uero, deſperationem, unde relinquitur uia media, regia & recta, quæ eſt uera cordis in deum fiducia.

Ad Dexteram declinare, aliquando eſt uerbis addere. Ad ſiniſtram flectere, eſt uerbis dei demere, aut ea abijcere, contemnendo quæ ſunt prohibita, Deut. 4 & 12. cap. Porrò media & regia uia gradi, eſt ſolo & puro dei uerbo per animi ſententiam & cordis fiducia adhærere.

Denicq; tentatio duplex eſt, A dextris & à Siniſtris. A Dextris tentamur quum abundant carnis felicitates, ſanitas, diuitiæ, maieſtas, & gloria. Tentamur & à ſiniſtris, cruce, adflictione, & id genus malis, et cætera.

Ad hoc Matth. 6. præſtare eleemoſynã in occulto, ut ſiniſtra neſciat quid Dextera faciat. Hyperbole cum metaphora eſt, nihil aliud ſignificans, quàm nolle ob beneficentiã hominibus eſſe admirationi & oſtentationi, ut ſpectemur, ſed uni deo uelle probari & reſpici. Dextera ſignificat intentionem implendi præcepta diuina. Siniſtra uidetur ſignificare ipſam delectationem laudis.

Dextera iniquitatis, eſt doctrina mendacij, infidelitatis, quæ uidetur recta ab eis facta, quæ eſt uanitatis, doctrina dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium. Nam doctrina eorum contra ueritatem, & dextera eorum falſitatis, id eſt, nihil boni faciunt, & quicquid boni facere uidentur, eſt uera hypocriſis, qui bonis huius temporis & ornati ſunt, & abundant beatitudine, Pſal. 14. Quoniam os loquutum eſt uanitatem, & Dextera eorum dextera iniquitatis.

Dextera eſt impia ſecuritas et fiducia operum. Siniſtra uerò eſt deſperatio, Prouerb. 4. capite, Nec declina ad dexteram aut ſiniſtram. Dextera patris Chriſtus eſt, Pſal. 18. Et dextera tua ſuſcepit me. Et Eſa. 53. Dextera ſua exaltauit nos. Vbi omnia proſpera promittuntur, Dextera ponitur, Prouerb. 3 capite. Longitudo dierum & anni uitæ in dextera eius, quod eſt æterna felicitas. In ſiniſtra autem eius, diuitiæ & gloria. Quod ſeculi huius bona ſignificat. Ponitur autem Dextera in bono & malo, Pſalmo 143. Dextera eorum, dextera iniquitatis. In bono, Pſalmo decimo ſexto, Prouidebam Dominũ in conſpectu meo ſemper, quoniam à Dextris eſt mihi. Quapropter his ſignificationibus totius uitæ noſtræ qualitas indicatur, Dextera item pro miſericordia, Et ſiniſtra pro ira dei, Pſal. 7.

Dextera nonnunquam pro meridie Hebræis accipitur, ut Pſal. 89 ait, Aquilonem & meridiem condidiſti, Thabor & Hermon nomine tuo ouabunt. Vocat Hebræus Dexteram, meridiem. Hæc enim plaga dextera mundi cenſetur, occidentem hic ad orientẽ ſitus ſit, præcipui montes in terra Iſrael.

¶ *Diabolus*, Hebraice pollet Satan, Græcis ſonat idem quod Latinis calumniator. Signi-

Significat autem utrunque aduersarium, accusatorem. Ita Dauid dicebat 2 Regum 19. capite, Quid mihi & uobis filij Zerula, cur efficiamini mihi hodie in Satan, id est, pro aduersarijs: Suadebant enim occidere Semei, atq; ita funestum semen Dauidis redditum uolebant. Ita reuocanti à cruce Petro Christus dicebat: Vade retro Sathanæ, Matthæi capite decimosexto. At quia ueterator ille spiritus nusquàm non aduersatur ac pessima ubiq; suader, tum ad ultionem postulat, peculiariter cœpit Satan uocari. Vnde 2 Regum 24 cap. Consurrexit autem Satan contra Israelem, & incitauit Dauid ut numeraret Israel. Sed Iob 1 & 2. cap. studia eius plenius describũtur, qui totus ineſt, ut nobis aduersetur & noceat. Vnde Petrus ipsum ult. capite epistolæ suæ prioris, rugienti leoni obambulãti & quærenti quem deuoret, similem facit.

Diaboli nomen accipitur interdum pro omni malo, & omni corporali adflictione, Lucæ 8 cap. Dæmonia septem, magnam nequitiam significant, Dominus liberauit eam à multis & maximis peccatis. Et eodẽ capite, Venit diabolus. Intelligit per Diabolũ diuitias, gloriam, & quicquid obstaculo nobis esse potest, quo minus uerbũ domini dei nostri amplectentes, uia recta ingrediamur.

Diabolum Dominus Ioan. 6. ministrũ diaboli appellant, autore Cyrillo. Nam sunt qui domino coniungitur, unus cum eo spiritus est. Sic contrà quoq; fieri non est negandum. Theophylactus Iudam cap. 6. Ioannis propter calumniandi maliciam diabolum à domino dictum esse sentit. Certum est quod pro infigniter malicioso diabolum dixerit: Talem enim hominem, uel ex diabolo esse dicimus, ut Ioan. cap. 8. & 1. Ioan. 3. uel diabolum uocamus.

¶ *Diaboli appellationes.* Deus huius seculi Satan est. 2 Corinth. 4. Princeps potestatis, aeris. Ephe. 2. Potestas tenebrarum, Col. 1. Princeps huius mundi, Ioan. 17 cap. Nequissimus, Ephe. 6. cap. Malignus, Malus, Malum, Prauus, πονηρὸς, Leo rugiens, Catuli leonis, Tentator Matth. 4. Leuiathan, id est, additamentum propter augmentum potestatis suæ. Serpens magnus & antiquus, qui erat in paradiso, Geneſis 3. Serpens tortuosus, propter uarietatẽ fraudum, Apocalyp. 12 cap. Cœtus, quia regnat in mari huius mundi, agens impiorũ corda, quò uoluerit. de quo legis Iob 40. cap. Calumniator, Psal. 71. Et humiliabit calumniatorem, id est, mendacem accusatorẽm, qui nos accusat, & conscientiã in his cõfundit quę recte gessimus, & deo placent: tum quæ male egimus, supra modum significat, utrobiq; onerosissimus & importunissimus, qui dicitur Diabolus.

Draco propter crudelitatem, Esa. 27. Aspis & Basiliscus nuncupatur, Psal. 90. Diabolum dominus Ioan. 6. ministrum Diaboli appellauit. Nam sicut qui domino coniungitur, unus cum eo spiritus est, sic contrà quoq; fieri non est negandum.

¶ *Diaconia* non semper significat ministerium, quo alteri seruimus, sed et beneficium quo afficimur: itaq; suppeditationem siue subministrationem dicere possimus, Acto. 6. & 2 Cor. 9. cap. Dicit enim non necesse esse ut quicquam de διακονίᾳ, id est, ministerio, hoc est, subministratione in sanctos dicat, cum tamen de ea maxime dicat. Hinc Diaconi, ministri sunt, qui in rebus ad uictũ pertinentibus Ecclesiæ ministrant, hoc est, pauperum uiduarumq; curatores, & eleemosynarum dispensatores. Talis Stephanus minister mensæ fuit, ut Actorum 4 & 6 cap. testatur,

¶ *Dicere*, Hebræis uerbum est familiarissimum, maxime uero Moses in Exod. 2 & 3 capite & innumeris locis Dicendi uerbo utitur pro cogitare, deliberare & statuere, ut: Dixit uadam, hoc est, intra se cogitauit. Et sæpius in Geneſi capite quarto. Sic dicens, id est cogitans. Dicere in corde, pro cogitare intra se, Deut. septimo capite, Si dixeris in corde tuo. Et in Matthæo: Dicebat enim intra se, id est, secum cogitabat, Geneſis 26 cap. Dixi enim, Ne forte moriar, pro cogitauit apud se. Pro constituere, Deut. 17. cap. Dixeris, id est, constitueris apud te, Geneſis octauo capite, Dominus in corde suo dixit, pro decreuit apud se in hunc modum. Sic Numer. 20 cap. Dicendo dixerunt, id est, ad hunc modum dixerunt. Pro consilium capere, Esa. 42. Facti sunt, nec est qui dicat, id est, cogitet, consilium capiat, Esa. 36 cap. Aut ne sic temere dicetis, id est, cogitetis. Esaias dicit, Audiui uocem dicentis, id est, deliberantis. Pro putare, Roman. primo capite, more Græcanico: Dicentes se esse sapientes, id est, putantes. Pro agnoscere, credere, fidere capitur, ut, 1 Cor. 12 capite, Nemo potest dicere dominum Iesum, id est, credere, fidere &c. Alioqui & impij nominant & inuocant Christum. Pro pronunciare, Esaiæ 41. cap. Et dicemus eum habere causam potiorem, id est, pronunciabimus eum iustam causam

habere. Pro quęrere aut deprecari apud Hierem.2. A' ſeculo confregiſti iugum meum, rupiſti uincula mea & dixiſti. Pro uulgo ſentire, ut Hiere.3 cap. Vulgo ſic dicitur, id eſt, ſentitur. Pro iubere, Rom. 12. Dico enim per gratiam, pro iubeo ſiue moneo, quemadmodum & Latini iubet ſaluere, & Dicit ſalutem, uſurpant. Pro promittere, loqui, meditari, ſtatuere aut facere, Matth.12 cap. Quicunq; uerbum dixerit. Nam Hebræis latæ ſignificationis eſt Dabar. Item mandare, comedere, præcipere 2. Cor.4 cap. Quoniam deus qui dixit è tenebris lucem illuceſcere, Gene.1. Et Eſaias: Sic dixit Dominus, id eſt, promiſit, mandauit. Item in Ius dicere, periphraſticos ponitur pro imperare & primas tenere. Pro ordinare, Exodi. 1. Et non fecerunt quemadmodum dixit ad eos rex Ægypti, Eſaiæ ſecundo capite, Et dicent montibus, operite nos. Pro monſtrare, Geneſis 22 cap. Quem dixero tibi.

Dicere uerbum apud Matthæ. octauo capite, uulgari more ac per mioſin dixit, ubi ſic ait Centurio, Imò dic uerbum, &c. pro eo quod eſt: Si uel modicum exeueris uirtutem tuam, noui illam eſſe tantam, ut abunde ſatis eſſe queat reſtituendæ integritati puero meo.

Hæc dicit Dominus, Hebræis ac prophetis familiaris iſthæc particula, qua inſerunt dei perſonam, Vnde & Moſes crebro ait, Hæc dicit Dominus: quo uidelicet & maiori fides dicti haberetur, & prophetarum faſtus minus creſceret, ut ſuprà in litera A quoque declaratum eſt.

Dicere autem in cordibus ueſtris, ut Pſalmo quinto habet, eſt idem quod prudenter dicere quod dicere uultis. Nam hoc tropo uſus Chriſtus, ad Iudam dixit: Quod facis, fac ſcito: id eſt, quod uis facere, ſeu etiam propoſuiſti facere. Ita enim Pſalmo quinto. Quæ dicitis, id eſt, quæ uultis dicere, in cordibus ueſtris dicite, quæ impatientia iræ ſtulte uultis dicere, curate, ut meditatione cordis prudenter ſapienterq; dicitis. Similiter & hæc loquutio reperitur, Dicendo dixit, Numer. 20. Rixatusq; populus cum Moſe, dicendo dixerunt. Id eſt, ad hunc modum dixerunt. Dicere in auribus populi, pro eo quod communi lingua proferimus, dicere audiente populo. Eodem tropo, Geneſis 22 legitur, Facere in oculis omnium, hoc eſt, uidentibus omnibus.

Dicere denicq; dei, uelle dei eſt, operari eſt, Geneſis 1. cap. Et dixit deus, quaſi dicere Moſes, uoluntatem ſuam deus externa operatione prodidit. Atq; quæ dixit, ſtatim facta & dicta abſoluta ſunt. Nam mox ſequitur, Et factum eſt ita. Sic etiam de Chriſto legimus Matth.7. Dic tantum uerbum & ſanabitur, ut ſuprà citatum eſt quoq; quibus ueris Chriſtum dei filium & uirtutem ſolo uerbo mederi ualentem, ingenue confeſſi ſunt. Solet enim uulgus de maximæ autoritatis & potentiæ uiris huiuſmodi loquutiones contexere. Hic uel uerbulo omnes iſtorum laborioſos conatus infregerit, ſi tu uerbulum unum dixeris, non eſt quod nobis quicquam laborandum ſit amplius.

¶ Dies, dicitur non tantum morula ſolis ſuper terram, ſecundum quod aliud eſt dies, aliud nox, ſed etiam totus eius circuitus ab oriente uſq; ad occidentem ſecundū quod dicimus: Tot dies tranſierunt. Cum ſuis enim noctibus dicuntur tot dies, nec extra reputantur ſpatia noctium. Hæc Auguſt. lib.11. Confeſſ. cap.25. Item, Diei nomine omne tempus ſignificari lib.2. contra Manich. cap.3. de primo cap. Geneſis ad literam: Et facta eſt ueſpera & factum eſt mane dies unus. Hic nomine Diei, noctes quoq; includimus.

Dies, deinde pro tempore adflictionis, in quo deus electis ſiue Chriſtianis ſuis Iudæis parſurus eſt, Matth.24 cap. Niſi dies abbreuiati fuerint, &c. Et eodem cap. Statim poſt tribulationem dierum. Vt dies hic ſignificet totum tempus quod eſt poſt excidium urbis uſq; ad finem mūdi. Item, Diei nomine, tempus præſentiæ ſiue uitam præſentem denotat, Ioan.9. Me oportet operari donec dies eſt. Aliquando fidem & cognitionem dei, ut 1 Theſſ. 5. cap. Omnes uos filij lucis & diei eſtis. Quandoq; proſperitatem deinde benignitatem. In die mandauit dominus miſericordiam ſuam. Item: Deus meus clamabo per diem, nec exaudies. Sicut è contra per noctem, omnem tribulationem & aduerſitatem intelliges, Eſa.26. Anima mea deſiderauit te in nocte ſæpenumero uitæ probitatem ſpectatam, Rom.12.cap. Abijciamus ergo opera tenebrarum & induamur arma lucis, ſicut in die honeſte ambulemus.

Diei nomen præterea Hebræi familiariter uſurpant pro hora ipſa & articulo ipſo temporis, de quo ſit ſermo Eſaiæ ſecundo capite, In die ultionis proijciet homo idola. Dies nouiſſimi, dicti etiam Dies Apoſtolorum. Dies numeri, Numeri 9 cap. Accidebat interdum

interdum ut nubes esset super tabernaculū diebus numeri, id est, paucis. Dies antiqui, Deut. 32. cap. Dierum antiquorum uel dierum perpetuorum. Id est, reuoca in memoriā dies ex quo mundus esse cœpit: annos elapsos, prisca secula.

Dierum antiquus aut uetus, significat annosum, & qui uiuendo per multa tempora transiisse uidetur, Danielis 7. cap. Christum per Dierum antiquum intelligit.

Dies pro iudicio Paulus utitur. Et crebro in prophetis: Propè est Dies domini. Iob 24. cap. Qui autem nouerunt eum, ignorant dies illius. & capite 18. Super diem illius obstupescunt. Pro relatione & resumptione prisci temporis, Esaiæ 9. capite. In die Madian. tantum pollet, quantum si diceres: Quemadmodum olim à Madianitarum tyrannide suos asseruit Deus. Ad eundem igitur modum Diem pro tempore ipso & constituto innumeris locis legimus. Pro ipso tempore acceptum, ut Genesis 2. capite, In quacunque die comederis ex eo, id est, quandocunque, quocunque tempore ac momento. Pro anno, Genesis 24. Maneat puella saltem decem dies. Id est, ut Hebræi intelligunt, per annum, uel decem menses. Dies enim pro anno apud eos accipitur, quod annus est uelut orbis ac circulus dierum. Et primi Samuelis 27. capite, Fuit autem numerus Dierum quibus habitauit Dauid in regione Philistinorum dies, id est, annis & quatuor mensium.

Plenus dierum, pro satur dierum, Genesis 25. capite, Dies septem impleti, pro hebdomada una, Exodi 7. capite: id durauit hebdomadam unam sanguis ille. Dies uni, id est, pauci, Genesis 27. capite. Iuxta Dies cœli. Deut. 11. capite. Id est, quum cœli immorabunt terræ, hoc est, in æternum. Iuxta dies tuos, erit fortitudo tua, Deuteron. 33. cap. Pro, Quàm diu uixeris, eris fortis. Secundū hanc diem, pro eadem die, id est, simili huic die, & ei respondente, qua scilicet cœperat, solicitare Ioseph. Gen. 39. capite. Dierum numerum implere, est senescere, Psal. 90. Longitudine dierum implebo eum, Exodi 23. capite. Ad est, Faciam, inquit Ioseph, ut uos uiuatis usq; ad extremam senectutem sine ægritudine. In Die qua, pro ex quo tempore, Numeri 3. capite, Hæ sunt generationes Aaron & Moysi in Die qua locutus per dies, id est, per annum, Genesis 40. capite, Sic sæpissimè pro annis accipiunt Hebræi, ut Ezech. 4. capite. Et ergo dedi dies iniquitatis. Et uersu 6. cap. eiusdem capitis iubetur incubare super dextrum latus quadraginta dies, pro annis quadraginta, ut & suprà mentio facta est.

A diebus in dies. Iud. 11. cap. Id est, ab anno in annum, uel quotannis ueniebant filiæ. Per Diem in Romanis intelligit Euangelion quod nimirum dies illè est, quo corda & animæ illustrantur. Euangelion. Hinc per Diem & Noctem omne tempus intelligit Paulus. Per Vigilare et Dormire, uitam & mortē, Item per Diem hunc, uel per Hodie, in Esaia omne tempus à primo aduentu in secundum usq; Christi aduentum accipiendum est, Esaiæ 12. capite. In die illa, pro tempore redemptionis. Sic in scriptura: Hæc est dies quam fecit dominus hodie, &c. Et Esa. 24. cap. Propterea nostrum tempus post Christi resurrectionē in scriptura uocatur tempus acceptum, Dies salutis. 2. Cor. 6. Esa. 49. Diem filij hominis uidere, ut Lucæ 17. cap. & Ioan. 6. Est consolationem & refrigerium sentire sicuti & Abrahā uidit diem Domini, & gauisus est. Dies postremi, pro proximis, Hebr. cap. 1. In postremis hisce diebus, hoc est proximis, loquutus est per filium. Dies mali, pro malis & periculis, quæ instant ex ira Dei ob peccata, Iudicum cap. 10. de die isto. Per dies in custodia, Genesis 40. capite, id est per annum integrum.

In Diebus illis, Matthæi tertio capite, loquutio est Hebraica, suo quodam tempore: quod Latinus diceret, Apperente tempore, uel dum tempus adesset. In illo die, id est, in articulo temporis, ubi iudex uenerit Christus. Nam uarie utuntur isto uocabulo Dies Hebræi, Matthæi septimo capite, Multi dicent in illo die. intelligit ultimum diem iudicij.

Dies carnis, schema est in epistola ad Hebræos cap. 5. Qui in diebus carnis suæ. Ne putes Christum carnem reliquisse unquam, eò quod hic sit: In diebus carnis, id est, quū adhuc mortalis esset, ut humiliter uersaretur inter nos, &c. Dies iræ dicitur extremus ille, aut capitur pro quocunque die quo punit Deus peccantes, Rom. 2. Colligis tibi iram in die iræ, id est, uindictæ.

Dies inspectionis, speculationis, uel uisitationis, est cruciatus impiorum. Nam solo suo aspectu intolerabili, deus discruciat impios, sicut Abacuc 3. cap. Aspexit & dissoluit

gentes, & contriti sunt montes seculi. Sic Exodi 3. capite. Respexisse legitur solum supra castra Ægyptiorum. Interdum Dies inspectionis siue uisitationis, apud D. Petrum 1. Petri 2. cap. in bonam partem usurpatur, Glorificent deum in die uisitationis siue inspectionis. Sic dies speculationis, est tempus dignæ uindictæ & punitionis, Micheæ 7. cap. Dies speculationis tuæ, uisitatio tua uenit.

Dies significat interim tempus magnum, ut Matth. 24. cap. Post tribulationem dierum, id est, totius temporis, ut Dies hic significet totum tempus, quod est post excidium urbis usq; ad finem mundi.

Dies terribilis, ut Ioelis 2. excidium Iudæorum significari certum est, & hoc apud omnes prophetas inuenimus, quo deus uindictam sumpsit de peccatis eorum.

Dies mactationis, Iacobi capite quinto, pro die festo intelligendum est: nam in festis pecudes mactabant propter publicas epulas. Hinc epulari, ueteres pro festum agere dixerunt, 1. Corinth. 5. capite. Quotidie splendidè, inquit Iacobus, uiuunt. Vult dicere Apostolus, & cõuiuantur (ut alij solent) festis diebus. Es ist alle tag hochzeit, alle zyt fasznacht.

In Dies uenire, Geneseos 18. capite, accipitur pro senescere, quemadmodum suprà numerum Dierum implere. Hinc Germani dicunt, Er ist zuo seinen tagen kommen. Eodem pertinet senex & satur, Gen. 25. ubi noster interpres addit, Dierum, ut liqueat de prouecta ætate scripturam loqui. Item, Cum impleti erunt dies tui, hoc est, quum satis uixeris, & tempus abire tibi appetierit, 1. Paralip. 17. cap.

Dies Christi, mortis hora est, qua Christus dominus fidelibus suis dexter & propitius apparet. Dies Christi ultima quoque, & extremum illud iudicium dicitur, Philip. 1. Opus bonum perficiet usq; ad diem Christi. Dies quoq; pro perspicua operis inspectione usurpatur, & tempus illud quo deus in lucem profert abscõdita, 1. Cor. 3. Dies enim declarabit quod in igne reuelatur. Et 1. Cor. 4. cap. iudicium. Dies cœli, pro indefinito æuo Dauid Psal. 89. Et thronum eius sicut dies cœli. Dies quoq; pro secundis fortunatisq; uitæ successibus accipi solet, Psal. 42. In die mandauit dominus misericordiã suam. Nox uerò pro contrarijs, turbidis & ærumnosis.

Dies namq; humanus in scriptura est magni esse apud homines, alijs præferri & celebrari insigni aliquo nomine. Sic Hieremias de humano die loquitur cap. 17. Humanã diem nunquam desideraui, scis domine. Quasi dicat, Impingunt quod noua prædicem nominis desiderio & celebritatis apud homines, sed tu scis secus se habere, et humanũ diem hunc, ut conspicuus haberet, me nunquam quæsisse. Diem hominis seu Diem humanum uocat gloriam et fauorem humanũ. Sensu eodem idem dixit Christus, Ioan. 5. Gloriam ab hominibus non accepi, id est, nõ quæro ut me homines magni habeant & celebrent. Et eodem capite de Ioanne dicebat, Ad horam uoluistis exaltare in lumine eius, id est, quæsiuistis Ioannis testimonio, illustrari & reddi nobiles, quo breui huius uitæ tempore, quæ horæ similis est, apud homines alicuius nominis uel celebritatis fuisse tis habiti, id erat studium uestrũ. Sententia Pauli idem est, quũ ait, Mihi uerò pro minimo est, ut à uobis dijudicer, aut ab humano die, imò nec me ipsum dijudico. Perinde est ac si dixisset. Nullius facio, neque tantillum me mouet iudicari à uobis, hoc est, uestro iudicio alijs præferri, & primus mihi dari uel haberi. Vocat autem hunc diem humanum, quod ab hominibus ueniat, & cum hominibus transeat, ac si dicat: Humana homines quærunt, nos Christi ministri sumus, & dispensatores mysteriorum Dei. Quare item probari nos oportet à Deo & Domino nostro Iesu Christo. Huius diem & iudicium non moramur, à mundo nos prædicari & extolli, nobis pro nihilo est. Itaq; Dies humanus, nihil aliud est, nisi calculus & iudiciũ, imò approbatio ipsa & spectatio humana.

Dies Rom. 13. capite, gratiæ tempus est & uita syncerior. Sic enim clarius semetipsum explicat in prima Thess. 5. capite, ut suprà declaratum est. Nox autem eodem capite ad Rom. cap. 13. est uita impia & seculum impurum. In hac dormiũt qui impurè & in cæcitate cordis uiuunt.

Dies bona. Mos fuit ueterum, ut quum tonderent oues solenne instituerent conuiuium, & amicos quosque ad illud inuitarent, uocabantq; diem illum, Diem bonam, id est, solennem, ut uidere est secundi Regum 13. capite. Absalom uocabat omnes filios regis.

Dies

Dies Domini, interim pro fatali cuiuſque hominis hora: interim pro tempore uindictę, quam de nobis quotidie Deus ſumit: interim autem pro uniuerſalis iudicij die capitur, ut Eſaiæ 24. capite, Iudicium ſiue diem Domini, & quotidianum & ultimum ſignificat. Quæ enim in eo capite dicuntur, temporibus & ſeculis, tum præſentibus, tum futuris, tum denique ultimo dici conueniunt. Hebr. 10. cap. Et in omnibus ſacris ſcripturis generaliter omnem uindictam, ultionem Domini ſignificat, quomodocunq; tandem fiat, ſiue ſingulatim, ſiue generaliter, ſiue ante ultimum illum diem, ſiue generali illo & ultimo die, 1. Corinth. 15. Is dies Domini & Chriſti dies omnino in literis ſanctis dicit, aliud non eſt quàm Dies reuelationis iuſti iudicij, in quo cuiuſq; conſcientiæ peculiariter Chriſtus comprobat ſe eſſe deum iudicij.

Sed de Die domini uel Chriſti, quo plus lucis appareat uel affulgeat, obſcuriores ſcripturæ locos perſpiciemus. Quum Chriſtus Ioan. 6. ſic loquitur: Omnis qui cognoſcit aut uidet filium & credit in eum, habebit uitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die. Hic ultimus etiam Dies pro fato cuiuſq; accipitur. Promittit enim Chriſtus ſe in uita ſeruaturum eos qui ſe fidunt quacunque hora hinc migrent, quemadmodum Ioannis 5. capite dixit: Credentes citra omne iudicium tranſire à morte in uitam. Atque ſe iterum quum Martha fatetur ſe admittere, quod Lazarus frater eius reſurrecturus eſſet in nouiſſimo die. Hic nouiſſimus dies pro uniuerſali die capitur, non pro cuiuſque fatali.

Secundæ exceptionis exempla per omnem ſcripturam ſæpiuſcule in prophetis occurrunt. Sub qua iſtud quoq; 1. Cor. 3. cap. comprehenditur: ipſa dies declaratur quidq; quod igne reueletur. Nam hic quoq; Dies pro afflictionis momento accipitur, non pro ultimo die, Eſa. 13. cap. Quoniam propè eſt dies domini. ſignificat aduentũ ultionis diuinæ, Eſa. 61. non ponitur pro momento, quum in nos animaduertit deus, ſed pro eo, quum de hoſtibus noſtris, & præſertim de aduerſario noſtro diabolo ultionẽ capit: Propheta, Diem ultionis dei noſtri. Et Hiere. 46. Dies autem illi domini dei exercituũ, dies ultionis.

Vltimæ uerò acceptionis tot ſunt exempla, ut eorum ui reliquæ duæ acceptiones abſorptæ. Et fermè per omnem ſcripturam Dies domini, pro uniuerſali iudicio acceptus. Quæ Chriſtus apud Euangeliſtas tres, Matthæum, Marcum, Lucam, de die Domini de quo percontabantur, differuit: interim de urbis, interim de orbis excidio res ipſa cogit intelligere. Sic quum Dies domini omne tempus diuini aduentus (ut ſuprà patuit) ſignificet: ſiue ad uindicandum tum populos tum homines: ſiue ad uindicandum uniuerſum mundum ueniat: ſiue pro fatali cuiuſq; hora. fit ut ſermonum & ſententiarum uarietate eadem loquutio aliter atq; aliter accipiatur. Hinc In Die illa, Eſaiæ 27. quoq; uarie hac loquutione Hebræi utuntur pro eo tempore referendo, de quo antea mentio facta eſt, ut ſuperius indicatũ eſt. Aliquando pro quodã tempore certe quidem iſto, ſed interminato, ut cum ponitur pro ultimo Die, certum quidem eſt eum fore, ſed poſt quot annorũ curriculum, id quidem cunctis ignotũ eſt, Eſa. 38. In Diebus illis, pro incerto definitoq; tempore. Et erit in Die, &c. Quæ loquutio certum tempus, quamuis non definitum, Hebræis in loco ſignificat, ut Eſaiæ 14. In Diebus illius, idem eſt quod regnante illo, Eſa. 7. Et factum eſt in diebus Achas, nihil aliud, quàm regnante Achas. Ne forte nugeris cum Origeniſtis, qui bonis tantum uiris dies tribuunt. Ecce & Achas Dies habet, licet non crediderit.

In Diebus ueſtris, apud Abacuc cap. 1. idem eſt quod ſeculo ipſius. Niſi dicere liberet more prophetico de re futura, certitudinis gratia, tanquam de præſente loquutum. Vt ſit In Diebus ueſtris, idem quod ueſtræ poſteritatis ætate. Quod expoſitio locum alicubi habet, ut Malachię 3. capite, Accedam ad uos, &c. In perſona Dei iudicis dicuntur qui eſt Chriſtus.

In Dierum poſtremitate, iuxta linguæ phraſim, eſt idem quod in poſtremo uel nouiſſimo tempore dierum. In quibuſdam locis Scripturæ uocantur, in quibus naſci & pati debebat Chriſtus: nimirum plenitudo illa temporis ad Gal. 4. Eph. cap. 1. In Diebus nouiſſimis, quoties in ſcriptura legis, aduentus Chriſti docetur. Lex enim & prophetæ uſq; ad Ioannẽ. Omnia enim impleta ſunt, et nihil reliquũ, quàm quod expectet Chriſtus in iudicium, Eſa. 1. cap. Erit in nouiſſimis diebus, uel in poſtremitate dierum.

Die ac nocte, loquutio eſt hebraica, pro aſſidue, ſine intermiſſione, uſurpatur, ut Lu

cæ ſecundo cap. De Anna prophetiſſa ieiunijs & deprecationibus ſeruijſſe Die ac nocte: ita intelligendum eſt, quod hæc præcipua fuerint quæ egerit, tota'que in his, ut dici ſolet, fuerit. Sicut iuſtus dicitur meditari in lege Dei die nocteq;. Et eum qui frequentiſsimus in labore eſt, dicimus continuo ſine intermiſsione dies noctesq; laborare.

Tota Die, quoq; hæc locutio ad hunc modum intelligenda eſt, quod idem eſt quod perpetuò, iugiter, Pſal. 37. Tota die expandi manus meas.

Dies pro annalibus & diarijs, Deut. 4. Interroga de diebus. Quaſi dicat, Conſule annales ſeu diaria priſca, quæ cõtinent res geſtas ante tua tempora, ex quo creauit deus hominem.

Dies duos habes, Pſalmo nonageſimoquarto, Diem exacerbationis & irritationis diuinæ maieſtatis, & obdurationis humani cordis. Diem quoque, quando auditur uox Domini, & non obturantur corda. Illa dies legis eſt & iræ, in his qui errant corde, id eſt, non credunt. Quos duos Dies eleganter expreſsit Paulus ad Hebræos capite tertio & quarto.

Dies unus, mille anni ante oculos tuos tanquam una dies, Pſalmo 89. 2. Petri 3. ſcriptura Diem à ueſpera incipit, & mane finit, hoc eſt, ueſpera cum ſequente nocte una dici dimidietas eſt: altera, mane cum ſequente die. De naturali quoque die ſcriptura loqui ſolet.

Dies reuelationis, Rom. 2. capite, In die iræ & reuelationis iuſti iudicij. Iudicium extremum ſignificat.

Dies regis dicebatur, quo die rex inauguratus eſſet, is ſolennis habebatur, Hoſeæ 7. Dies regis noſtri, cœperunt principes incaleſcere uino.

Dies annorum, quoq; ſchema apud Hebræos eſt non inelegans. Nam hi qui tot malis adfiiguntur, quemadmodum Iacob, Gen. 41. numerat diem ex die. Sæpe una dies annus eſſe uidetur: Dies annorũ uitæ meæ ſeu peregrinationis, inquit Iacob, triginta centum anni, pauci & mali fuerunt dies annorum uitæ meæ, Gen. 47. Dies annorum peregrinationis meæ, periphraſticos loquitur, pro anni peregrinationis.

Dies retributionis dictus eſt, in qua retribuet Dominus unicuiq; ſecundum opera ſua, id eſt, iudicium.

Diei malitia, uel dies mali, ſunt uitæ huius incommoda & crux quotidiana ob peccatum nobis impoſita, Matth. 5. & Pſal. 93. Et Ephe. 5. capite Paulus Dies malos uocat, non propter tempora, quæ à Deo creata ſunt bona, ſed propterea quæ in temporibus quibuſdam hominibus accidunt. Sic Paulus appellat Tempora periculoſa, 2. Timoth. 3. capite.

Dies mali, inquit Ambroſius de bono mortis, cap. 2. Non quia Dies mali, ſed quia nobis acceſſu dierum malicię incrementa cumulantur. Non enim dies ſine peccato præterit. Econtra Dies boni, uitę tranquillitas, ut Gen. 3. Prius dicebãt et habebãt dies bonos.

Dies antiqui, ſignificant in ſcriptura generationes ſeculorum, Eſa. 51. Conſurge ſicut in diebus antiquis, in generationibus ſeculorum. Item Dies pro ſanctarum ſcripturarũ intelligentia, ut in Petro: Donec dies eluceſcat.

Dies & dies tertius, pro tempore longiſsimo accipimus, Hoſeę 6. cap. Viuificabit nos poſt duos dies, in die tertia ſuſcitabit uos: quia Ternarius numerus repetitur. Indefinitã uitam continuatam aliàs quoq; ſignificat, Eſa. 6. cap.

Dies ſtati ac ſolennes, Hebræis dicuntur à conteſtatione atque admonitione: quarum dierum frequentiſsima eſt mentio in ſacris literis. Earum itaque ſol & luna indices ſunt: ad ſolis enim ac lunæ curſum, huiuſmodi dies celebrantur ac repetuntur, Geneſis primo capite.

Dies feſtus ac ſolennis Domino, tempus ultionis uocat ſcriptura, ut apud Hoſeam octauo, & nono capitibus. Dies cœtus. ſic namq; ait uates: Quid facietis in diebus cœtus in die feſto Domini: quo ſimiliter cædem populi intelligit, quod in eo maieſtas potentiaq; illius declaretur, quemadmodum à pio populo Diebus feſtis, ritibus & uſu ceremoniarum, officio ſe referri uoluit. Similiter Sacrificium magnum, hominum cædes ſignificat, Sophoniæ 1. Seu Victimam Siquidem præparauit dominus uictimam & ſanctificauit inuitatos ſuos. Et erit proinde in die uictimæ domini, & uiſitabo principes & filios regis. Hac metaphora uſa eſt ſcriptura, cum aliàs tum Eſaiæ 34. capite, Gladius Domini plenus ſanguine, &c. quoniam ſacrificiũ domini in Batzarach. Ad eundẽ modum

modum legitur Hiere. 46.cap. Erunt enim mactatio dei & domini Zebaoth. Sic sacrificij, hostiæ, uictimæ, mactationis, Diei festi & solennis nomine, hominum cædes, stragis, ultiones, interfectiones ueniunt.

A Diebus illis, uel A diebus in dies. Idiotismus est Hebraicus, idem est quod quotannis, uel per singulos annos, incipiēdo scilicet à diebus illis. Et reuoluto anno, rursus in illis diebus celebrate Passah, Exodi 12.cap. Et Leuit. 23.cap. Rem in die suo, pro unumquodq; sacrificium offeretis in die suo. Nam quum annus diebus cōstat, utuntur nimirum Hebræi diebus in pluratiuo pro annis, ut suprà in adducto cap. Exodi 12. patet.

In illa Die, loquutio est, hoc est, pro ista, Esa. 4. In illa die erit germē domini in lucun ditatem. Hæc eloquutio eis in usu est, dum à priori tempore ad sequens transeunt.

Tribus diebus nemo mouit se de hoc loco in quo erat. Hebraicè, Nemo surrexit de sub se, Exodi 10. Omnia per hyperbolen dicuntur: neq; enim immoti stabant homines, sed ad opera & negotia sua nemo exire poterat. Sic Exodi 16.cap. Maneat quisq; sub se, id est, nemo exeat de habitatione, hoc est, de ciuitate aut habitationis loco.

Dies & Hora, pro tempore nonnunquā usurpat Isychius in Leuit. quoq; de tempore secundi aduentus: sic D. Ioannes, Horam nouissimam appellat. Per Diem unū, mille annos accipi. Vide D. August. ad eundem, de supremo mundi, Epistola 80.

Vt est dies hæc, locutio est hebraica, prout testatur Dies ista: uel ut omnibus hodie notum est, & omnibus constat, patet Deut. 2. cap.

Diei maledicentes, dicuntur quibus grauis est uita sua, ita ut in maledicentiam prorumpant: ut Iob 3. Fauebant autem hoc & lamentatrices & chremistæ in funeribus.

Dies seculi id temporis quod futurum est appellant Iudæi, uti è regione annos anti quos præteritum, Malach. 3. Sicut dies seculi, & sicut dies antiqui.

Dies hæreditatis, est dies ægritudinis, Esa. 17. cap. Aceruus messis in die hæreditatis et dolor afflicti.

Dies dies, Psal. 60. Ad reddendum uota mea die die, hoc est, singulis diebus. Septuaginta, Diem ex die.

Dies dei, est ipsa eius æternitas, Hiob 24. Nonnunquam uerò pro sua lōgitudine dierum multorum afflictorum signatur, Psal. 101. In seculum seculi anni tui.

¶ *Difficile* in scripturis nonnunquam pro impossibile usurpatur, ut ad Hebræos: Impossibile est, id est, difficile enim eos, qui semel illuminati, cap. 6. Et Isychius in Leuit. cap. 5. Leuit. lib. 1.

Difficilis lingua, pro lingua aliena & externa, Ezech. 3. cap. Quia non ad populum profundi labij, & difficilis linguæ.

¶ *Diffluere*, interitum et extinctionē populi significare scriptura solet, Psal. 46. uersu 5. Inde describitur Iosue 7. cap. de populo meru consternato. Liquefactum est cor populi, & factum est ut aquæ. Sic Dauid canit: Dissoluta est terra. Diffluxu siquidē interitum populi uoluit indicare.

¶ *Digitorum* nomine salutaria consilia possumus intelligere quæ de corde nostro uelut quidam radij prosiliunt, dum aliqua subtilitate causas necessarias obtinere contendunt. Est enim istud nomen multarum significationum, sed pro locorum diuersitate accipiendum esse cognoscitur, ut est illud Solomonis: Qui appēdit tribus digitis molem terræ. Quod nonnulli ad sanctam Trinitatem æstimant esse referendum. Item, Digitus dei nihil aliud est quàm spiritus sanctus, id declarat Matthæus cap. 12. Constat satis ex Euangelio Digitum dei uocare spiritum sanctum. Quum enim Matth. dixisset, In digito dei eiicio dæmonia. alius hoc idem dixit: In spiritu dei eiicio dæmonia. Siue ipse propter diuersitatē donorū (de quibus 1. Cor. 12.) pluraliter digiti, dicatur, siue ipsa dona, ni fi refert Cœli, ut Psal. 8. habet, formātur spiritu sancto, formantur et donis spiritus sancti. Opera, inquit Dauid, digitorum tuorum, sumpta ex hominibus artificibus metaphora, qui opera sua digitis efficiunt, præsertim electiora & teneriora. Magi quoq; ac sapientes Pharaonis illo digito uicti dixerūt: Digitus dei est, Exodi 8. cap. Digito dei, pro digito suo, Hebraismus.

Digito non attingere apud Matth. 23. cap. hyperbolice dicitur, pro eo quod est intactum transire, & ne tentare aut degustare quidem. Item Manum, Brachiū & Digitum dei, eodem sensu capiuntur, nempe pro potentia & uirtute dei accipi frequens est in sacris literis, hoc est, hoc fit uirtute diuina. Elegans est Synecdocha, qua Hebræi uirtutem

Dei

Dei non eleuant, sed amplificãt potẽs. Quasi dicat spiritus sanctus iam potẽs est deus, ut solo digito omnium potentia huius mundi potentiũ facile superet. 3. Regum 22. cap.

¶ *Digne, Dignum*, Digne relatiuum est, Dignum enim est aliquo dignum. Vt Digne ambulare uocationi, Deo, &c. Ephes. 4. capite. Philip. 1. Col. 1. est mores habere dignos uocationi cœlesti. Sic Dignè nos comparamus ad conuiuium spirituale. 1. Corinth. 11. capite, Vbi quis bene excurit fidem suam. Fide enim editur. Dignum ergo dicitur, quod recte atq; ut oportet fit, quemadmodum Matth. 3. Lucæ 3. cap. Facit, inquit Ioannes, dignos fructus pœnitentiæ, hoc est, qui pœnitentiam deceant. Sicut ediuerso indignum dicitur, quod nõ rite fit. 1. Corinth. 11. cap. Qui indigne manducat. Et Matthæus capite 10. Dignum posuit pro æquũ & cõuentens. Nam Dignus, inquit, est operarius mercede sua. Et inquirite, &c. eodem capite, pro eo non accipitur, qui omnino & absque peccato sit, aut qui suis operibus hoc meruerit: nam talis nullus fuisset, sed significat aptum, idoneum & commodum. Geschickt, fuglich, zuosam gelegen huss gesind. Sic & alibi dicit Christus, Qui non baiulat crucem suam, &c. non est me dignus, hoc est, non conuenit mihi cum eo, der fug mir nit zum iunger.

¶ *Dilatandi* uerbum in Psalmis ad consolationis gaudium transumitur, Psal. 4. In tribulatione dilatasti me, id est, gaudio consolationis tui spiritus me adfecisti. Et Genes. 26. Dilatauit nos Dominus, id est, post tot labores & angustias, deus nobis lætitiã & pacem dedit. Nam lætitia cor dilatat, tristicia uerò ac mœror constringit, & contrahit, Prouerbiorum 15. capite. Hinc Dilatari cor, idem est quod lætari, animo gaudere, consolationem capere, ut Cor & os dilatatur huic. Vide Esaiam 60. cap. & 2. Corin. 6. cap. Cor nostrum dilatatum est, &c. Dilatemini uos, id est, eam uobis mentem sumite, quam ego si de per ueritatẽ assequutus sum, Psal. 34. Et hoc fit dum ablato malo, rursum bona et iucunda conferuntur. Nam & in fronte & uultu toto uidemus, quàm cõtrahantur tristibus, & dilatentur rebus iucundis. Ideo de impijs Psal. 17. dicitur. Et contrahentur in angustijs suis. Vnde & Apostolus Rom. 12. cap. duo illa componit, Tribulationem & Angustiam, malum scilicet & fugam mali, sic tamen ut fugi nõ possit. Econtra Angustiari significat tristari, adfligi, ut omnes sensus hominis contrahantur. quod ab gestibus adflictorum hominum accipitur. sic tristiciam & adflictionem angustiam uocamus.

Dilatari quoq; cor apud Hebræos significat interdum audacia, superbia, contumelia efferri, ac arrogantem atq; tumidum effici, quæ omnia ex nimio rerum felici successu oriri solent. Deut. 6. cap. Ne dilatetur cor tuum. Hinc dilatario gressuũ, rerum secundarionem, siue prosperitatem significat, & hoc frequens est in sacris literis cernere, Psal. 19. Per dilatationem gressuum sub se, hoc est, inoffensum & expeditum.

Dilatare os, est soluere os ad petendum, hoc est, ampliter & largè petere, Psal. 81. Dilata os tuum, & implebo illud. id est, pete quiduis, & accipies, quantum desiderare potes, tantum ego dabo. Nulla namq; bonorum possunt inopia laborare, dediti deo. Dilatare quoq; est facere copiam loquendi ac canendi. 1. Samuelis 2. cap. Dilatatũ est os meũ super inimicos meos.

Dilatari deniq; pro propagare, Genesis 9. Dilatetq; deus Iapheth. Id est, longè lateq; pateat eius ditio.

¶ *Diluuium*, interdum apud scripturam, plaga, calamitas uniuersalis intelligitur. Nahum 1. cap. In diluuio prætereuntis consummationem faciet.

¶ *Dilectionis* uocabulum in sacris, non in uno loco pro amore proximi accipitur. Est illa Dei admiratio & reuerentia studiumq; uoluntatis eius, quam Latinè certe Charitatem erga Deum, non paulò honestius & plenius quàm amorem uel Dilectionem uocaueris in scripturis, non raro fidei nomine, ut Lucæ 7. cap. nõnunquam timoris in Apostolicis literis, etiam cultus seruitutis dei appellatione exprimuntur. Deniq; si Germanicum scripturæ usum sequi libet, haud multo aliud nobis significabit, Diliges Deum ex toto corde, &c. quàm Credes in Deum ex toto corde, Paulus Christum dilectionem ueritatis appellat 2. Thessal. 2. pro eo quod dilectionem non receperunt. Dilectionis definitionem, uide Aristotelem lib. 2. Rhetor. Hinc

¶ *Diligere* non est simpliciter affectu in deum ferri, sed simul studium quoddam significat deo gratificandi & gloriam eius ampliandi. Deut. 6. Diliges deum tuum ex toto corde. Hinc & Diligentes, credentes sunt. 1. Corinth. 2. Quæ præparauit Deus diligentibus se. Diligere proximum, est reficere lapsum, colere misericordiam. Diligere non

non est idem atque pecuniam dare, sed bene uelle alicui, hoc æque præstare potest pauper atq; omnium ditissimus. Habet quidem & hoc dilectionis definitio, ut facias quoque proximo, quæ illi bona optas. Deinde non hoc solum habet, sed illud quoq;, quod bonis proximi congaudet, & de tristibus dolet, &c.

¶ *Dimidiare dies*, est præmatura, inopinata, & inexpectata morte rapi. Impij etiam Nestoreos, iuxta Prouerbium, annos uiuentes, dimidiū annorum non attingunt. Nam quando mortis prorsus sunt immemores, multa moliuntur, multa proponunt animo & machinantur, in bonorum uirorum perniciem. Itaq; mors inopinata, semper opprimit multa cogitantes, & nondum paratos: quippe multi technas etiam num struūt, quæ aliquot annorum centurias desiderēt, quo plenius absoluantur, Hoc est, quod spiritus facer Psal. 54. his uerbis explicat uiri sanguinum, non dimidiabunt dies suos.

¶ *Dimittere* pro remittere accipit sacra scriptura, ut Lucæ 6. Dimittite & dimittetur uobis. Pro repudiare, Matth. 1. cap. Occulte uolebat Ioseph Mariam dimittere, hoc est, repudiare & diuortium cum ea facere. Id enim sensit Euangelista, idq; clam quod palam non posset citra periculum simul & infamiam uxoris. Apud Suetoniū reperitur quoq; Dimissa est, id est, repudiata, Græcis anceps est uerbum ἀπολύσαι Dimittimus exercitū instructū, dimittitur senatus, quum unicuiq; potestas fit quo uelit abeundi. Dimittere interdum pro mori usurpatur, Lucæ. 2. cap. Nunc dimittis seruum tuū Domine, Ezech. 13. cap. Et dimittam ipsas animas. Id est, emittā, hoc est, separabo ex uobis. Dimittere deq; labium, est loqui labijs & murmurare, Psal. 21. Dimittunt in labio, mouēt caput. Septuaginta, Locuti sunt labijs.

Dimittere postremo aliquem bona uia, id est, liberum dimittere. 1. Regum 24. cap. Hebræi utuntur Dimittendi uerbo, quemadmodum nos. Einen vveg gehn lassen, nimirum à transactione.

¶ *Dirigere* pro secundare, Deut. 21. cap. Et non dirigas uias tuas. Id est, non secunda bis uias tuas, hoc est, nō poteris afficere ut prosperentur uiæ tuæ. Quasi dicat, omnia infeliciter tibi succedent. Hoc uerbum Dirigendi, in sacris literis celeberrimum est, in quo commendatur Rectitudo seu Directio cordis, Cant. 1. cap. Recti diligunt te. Adeo etiā ut absolute quandoq; ponatur Directio, Psal. 118. Tu parasti directiones, id est, tu solus fecisti, rectitudins quicquid usq; recti cordis est, tui muneris est. Est uero, ut ex dictis euidens est, hæc Rectitudo sana opinio, & sensus de Deo, cui contraria est prauitas cordis: nimirum mens cordis, superborum consilium, sapientia carnis, & id genus similia.

¶ *Discere* hebraico tropo, est aliquando assuescere, ut Hiere. 23. cap. Si mutare potest Æthiops pellē, & Pardus maculas suas, poteritis & uos benefacere, quū didiceritis malum, id est, assuetu sitis malo, Esaiæ 1. cap. Discite benefacere, id est, assuescite. Quo uerbo Discendi, nō solum mouemur ut audiamus et legam⁹ legem domini, sed assuescamus beneficentiam seruantes. Discere more scripturæ interim pro experiri, sese probare, usurpatur. Sic Christus, Hebr. cap. 5. dicitur ab his quæ passus est patientiam didicisse, hoc est, sese probasse, sese obedientem coram hominibus ostendisse, Philip. 2 cap.

¶ *Disciplina* est, quæ utiq; à discendo nomen accepit, unde & scientia dici potest. Ad hoc enim quæq; res discitur, ut sciatur. Quamuis alia notiore, in his quæ pro peccatis suis mala unusquisq; patitur ut corrigatur, dici soleat scriptura. Vnde est illud in epistola ad Hebræos, Quis est enim filius, cui non det disciplinam pater eius: Et illud euidentius in eadem, Omnis enim ad tempus disciplinæ non gaudij uidetur esse, sed tristitiæ. Disciplina Dei, pro castigatione seu correptione, Deut. 11. cap.

¶ *Discipuli* nomine Christianus intelligitur. Nam in exordio primitiuæ ecclesiæ Christiani fratres apppellati, ut claret ex multis locis scripturæ: postea Discipuli uocati, tandem Antiochiæ primitus nobile Christianorum nomen inuentum, illisq; inditum est, quibus hactenus Discipulorū appellatio, indita fuerat, Act. 11. cap. 1. Corinth. 9. cap.

¶ *Dispergere* pro abire, Nahum 3. cap. Dispersus est populus tuus super montes. Septuaginta ἀπῆρεν.

¶ *Disputandi* uerbum, Latinis æquè Hebrǽis pro conferendi ac ratiocinādi ponitur, ut Esaias inquit: Disputemus, inquit dominus. Vult enim deus rationem cum eis inire beneficiorum eius, & ingratitudinis populi sui.

¶ *Dissolui manus*, est uiribus destitui, Esa. 13. Omnes manus soluentur.

¶ *Diuitiarum* uocabulo delectatus est Paulus, uel hoc argumento, quod eo frequen-

tius utitur, quoties ingentem rei cuiuſpiam uim & copiam uult intelligi, ut, Diuitias bonitatis Rom. 2. capite poſuit pro ui & ingenti copia benignitatis, ſeu abundanti. Sic Diuitiæ gratiæ, pro ampliſſima, prædiuite & inexhauſta gratia, Ephe. 1. cap. Iuxta diuitias gratiæ ſuæ. Et 2. Corinth. 8. cap. Diuitiæ dei ſunt, bonitas, lõganimitas, &c. Pro prudentia, Prouerb. 14 cap. Corona ſapiẽtum diuitiæ eorum. Pro bonitate dei. Rom. 11. cap. Apoſtolus uſurpat, O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ.

¶ *Diuites*, in ſcripturis ſignificãt feroces, potentes, aliena rapiẽtes, iniuſta lucra quærentes, ex aliorum ſudore uiuentes: inde quod Diuites plerunq; ſunt impij. Præterea ſua merita iactantes & ſuis uiribus confidentes, ac ſe aliquid putantes, quum nihil ſint, quos ſcriptura Diuites, id eſt, ſaturos ſua Iuſtitia uocat, ut Pſalmo 71. Quia liberauit pauperẽ à potente, hoc eſt, diuite. Sicut & Maria canit: Eſurientes impleuit bonis & Diuites dimiſit inanes, Pſal. 33. Diuites eguerunt & eſurierunt. Hebræus uidelicet textus habet: Catulus leonum, ſic Diuites adpellat. Similiter & Eſaias capite 53. accipit Diuitis nomen iuxta phraſim Hebraicam pro impio, licet ſatis obſcure, ut Diues pro impio accipiatur. Eadem forma Diuitias, hoc eſt, iniquum Mammon, ſeu iniquitatis, Item alibi ait ſcriptura: Difficile intrabit regnum cœlorum diues. Quaſi diceret, Chriſtus ille Meſſias mortuus eſt, tanquam impius & ſeditioſus, & ſeductor.

Diues ſpiritu dicitur, qui corde opibus non adfixus eſt, ſiue horum copia ei uel inopia ſit. De hoc propheta Pſal. 63. ſic ait, Diuitiæ ſi adfluunt, nolite cor adponere.

¶ *Diuidere*, pro dirigere. Hoſeæ 4. cap. Et fornicati ſunt, & diuiſerunt. Septuag. dirigentur. Pro irruere, Gen. 14. Et diuiſit ſuper eos nocte. Choleth enim nõ unius ſignificationis eſt diuidere, diſtribuere, tum etiam ſpoliare, & adulare ſignificat. Septuaginta, Irruit, Latinus dicit aggreſſus eſt. Pro poſſidere iure hæreditario, quod eo iure poſſidenda primum diuidantur, & dimetiantur, Pſal. 60. cap. Diuiſi Scherem & uallem Succoth, Diuidere & metiri, pro eodem accipit.

¶ *Diuini*, ſunt doctores aliarum religionum, qui non iuſticiam fidei docent, ſed opera, Eſa. 44. cap. Irrita faciens ſigna diuinorum.

¶ *Docere*, nonnũquam eſt in ſcriptura, & idẽ eſt quod ordinare, inſtituere. 1. Cor. 7. unicuiq; ſicut uocauit deus, ita ambulet: & ſicut in omnibus eccleſiis doceo. Item quũ fundamentum fidei ponitur & his prædicatur, qui nihil adhuc huius nouerunt. Exhortari autem uel admonere, ut. 2. Petri. 1. cap. Eſt prædicare his, qui ea antea audierunt & didicerũt, ut grauiter illis incumbant: & excitare eos ne ceſſent, ſed magis ut uiriliter pergant & proficiant.

Docere ſiue Erudire, pro caſtigare, punire. Iudicũ 8. cap. Et docuit illis ciues Succoth. Ebraicum ſchema ſimile Germanico, Er lert ſie. Item Docere, pro præbere, Pſal. 142. Doce me facere uoluntatem tuam. Pro oſtendere, Deut. 4. De cœlo te fecit audire uocem ſuam, ut doceret te.

Docere denicq; autoritate, Marci 1. cap. eſt potenter & cum uirtute quadam docere, ut Chriſtus docuit, ut cuius doctrina propria erat.

¶ *Doctrina ſana*, eſt nimirum quæ eſt ſecundum euangelium glorioſum beati Dei, hoc eſt, glorioſum ipſum euangelium. 1. Timoth. Glorioſum appellat illud, quod gloriam Dei, & lucẽ puram prædicet, ut eſt 2. Corinth. 3. 4. Doctrina ſana eſt forma ſalutarium uerborum. Sic eodem cap. 1 Timoth. 1. Formam habens ſanorum uerborum, quæ à me audiuiſti in fide & dilectione, in Chriſto Ieſu. Ad Titum 1. cap. Epiſcopus ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, &c. Et alibi: Erit tempus, quum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt. Sana ergo Doctrina non eſt, quæcunq; non eſt ſecundum formam ſanorum uerborum, quæ nobis in ſacris literis prodita eſt.

Doctrina literæ, eſt purã legẽ, eiusq; opera docere, abſq; diuinę gratię cognitione.

¶ *Doli* nomine, mendacium & omnis generis artes hypocriticæ intellexit Paulus ad Rom. 1. cap. Labeo Iurisconſultus, Dolum, inquit malum dicimus eſſe omnem calliditatem, fallaciam & machinationem ad circumueniendũ. Hæc ille. Dolus, adulatio, fraus eſt & ſimulatio, quando aliquis aliquid in corde tegit, & aliud loquit, dolus eſt & adulatio, & tanquam duo corda habet. Et ut notum ſit hunc eſſe Dolum, dictũ eſt in Pſalmo 11. Labia doloſa in corde & corde locuti ſunt. In corde & corde, nihil aliud eſt quãm duplici.

Dolus, uerſutus, peruerſus, conſilium, fallacia, calumnia eſt, Pſal. 10. uerſu 2. & Pſal. 17. uerſu

uerſu 3. Hinc ſepænumero inimicus Dei, dolus apud ſcripturã taxatur, Pſal. 11. Item Dolus in corde operantium mala. Omne namq; melius in pecoris commixtione Dolum contineri & adulterari dicitur, ut: Vinum dolum ſuſtinet, dum eo peius admiſcetur, ut ſi aqua illi addatur. Item, Aurum detrimentum patitur ac dolum, dum cum argento & ære coit. Sic & ueritas Dolum ſuſtinet ac damnũ facit, quando ſuis uerbis falſa & deteriora connexa ſentit. Hæc Baſilius Magnus in Pſal. 4.

Hinc propheta Dolum uocat ſpiritus, non rationis, mundi aut carnis, dicens: Pſal. 31. In cuius ſpiritu non eſt inuentus Dolus. Non enim per hunc, ſed ſpiritus per eum falli tur & decipitur, ut niſi fide queat percipi, nequaquam ſentiri, aut ratione cognoſci. Dolus in ſumma, eſt deceptio in rebus, deceptio in fraude et adulteratione in uerbo dei, quę eſt hypocriſis, et fermẽtum Phariſeorum, Pſal. 54. Et non defecit de plateis eis uſura, etc. Dolus in ſpiritu & ore, idem ſunt: eſt per hypocriſim, ſeu ſimulatam ſanctitatem ſe iuſtum putare, Pſal. 31. Beatus uir cui non imputauit dominus peccatum, nec eſt in ſpiritu eius dolus. Et Pſal. 14. Qui non egit dolum in lingua ſua, id eſt, neminem fictis uerbis decepit.

Doloſa manus dicitur, quæ malis artibus, technis doloſis ſeu impoſturis rem angere, & diteſcere ſtudet, ut Prouerb. 10. cap. Doloſa manus parat egeſtatem, ſed tantum abeſt ut illa ſequãtur, ut pereant etiam: & ſicut in Iacob & Laban cernitur, & alibi, egeſtatem opera eſt manus ſubdola.

Doloſæ lances, eſt ſine teſte occulte & ſine ullo conſcio fallere, ut apud Hoſeam 12. cap. Canaan in manu eius ſtatera doloſa, calumniam dilexit.

¶ *Domus* nomine, non ſolum manſionis locum, ſed ſtatum ſimul & familiam ac dignitatem, tribus & affines intelligit ſcriptura. In primis liberos & nepotes ac dignitatẽ patris familias, domumq; inhabitantis denotat hoc uocabulum, ut Exodi 1. cap. patet, Deum ædificaſſe obſtetricibus domos, id eſt, dedit eis maritos & filios, hoc eſt, prolem numeroſiſsimam: Domus patrum pro familia, Exodi 12. ut non cogites illic aliam ſtructuram, Et Rachel alibi dicit ad Iacob ut ædificet ex ancilla, hoc eſt, ut prolẽ ex illis accipiam, Gen. Et omnis domus tua. Et 6. cap. eiuſdẽ libri: Vt ædificer ex illa, more Hebræo, ut pueros habeam ex ea, ut creſcat & impleatur domus mea. Similiter Exodi 12. capite. Domus pro ipſa familia, non habitatione capitur. Decima die menſis huius, accipiat unuſquiſq; pecudem per domos patrias, ſingulis domibus ſingulas pecudes. Et Exodi 1. Singuli in domibus ſuis. Domus pro genere ſiue generatione, ut Domus Dauid, Domus Aaron, Pſal. 113. Pro patria & habitatione, ut Matth. 24. Sic apud Ezech. cap. 12. Domus omnem comprehendit ætatem & conditionem. Pro regno, 1. Reg. 2. fecit domum. pro populo, Hebr. 3. Sicut & Moſe in tota domo ſua.

Domum facere, eſt etiam familiam augere & poſteritatem, ſeu (ut alij uolunt) regno inaugurari, ut iam dixi. 3. Reg. 2. cap. Pro populo, Hebr. 3. Sicut & Moſes in tota domo ſua. Domus ſpecies, ædium ornamentũ planè uxor eſt, ut legis Prouerb. ult. cap. quæ refertur, à quo poſtulanda eſt, Prouerb. 19. Coniunx igitur Chriſti eccleſia, ex Apoſtolorum doctrina, ſpolia credentium opima in Pſal. 67. uariatur acceptura.

Domus ſeruorum, Exodi 13. uel, Domus ſeruitutis Ægyptus intelligitur. Et Exodi 20. cap. De domo ſeruitutis, id eſt, de loco ubi ſeruiebas ſeruitutem duram.

Domus æternitatis, Hebræi exponunt pro ſepulchro, & plangentes pro amicis portantibus funus ad ſepulturam.

Domus riſus, denotat templa idolorum: nam ea domum riſus Amos 7. cap. appellat. Et non ſtillabis ſuper domum riſus, inquit Amos.

Domus menſurarum, pro ampla, Hiere. 22. Qui dicit ædificabo mihi domum menſurarum. Septuaginta, *οἶκον*.

Domus iudicij pro angelo, ut alibi ſcriptura ait, Deus ſanctus, & domus iudicij eius.

Domus patris apud Ioannem 14. eſt ipſa cœlorum regia, in qua uiſendum exhibet beatis. De ea domo loquens Dauid canit: Beati qui habitant in domo tua domine, in ſeculа ſeculorum laudabunt te.

Domus dei, ad literam locus corporalis eſt, in quo ad colendum Deum conueniebatur. Qualis fuit ille in quo Cain & Abel obtulerunt, & uerbum dei audierunt, qualia fuerunt poſtea omnium patrum Abrahæ, Iſaac, Iacob, Noe, donec ad Moſi tabernacula

& templum Solomonis uentum est. Et nuncin plurimas eas deniq; magnificas Ecclesiarum fabricas atq; ædes sacras. Sic de domo Dei, uel templo eius, sæpius canit Dauid in Psal. 5. 121. 133. Et ita locus Domus dei uocatur, propter populum, qui uerè est templū domini, 1. Cor. 3. 2. Cor. 6. Ephes. 2. cap.

¶ *Dolores primum parturientis* frequens & familiaris locutio tum prophetis, tum apostolicis literis, & pro maximis doloribus accipiuntur, Hiere. 4. Vocem enim audio ut parturientis, angustiam ut primum parturientis. Quo significatur maximam populi angustiam futuram. Hoseæ 13. capite, Dolores parturientis uenient ei. Hoc est, ueniet tempus, cum grauissimè angor & grauiter angeris, nec ualet uia liberationis. Sicut mulieres grauissimè (quasi dicere uult Hoseas) laborant in partu, ita tuæ pœnæ grauissimè te punient. Et Esa. 37. capite de Ezechia: Venerunt filii usque ad portam & desunt uires, hoc est, sum in extremis angustijs, undique premor. Paulus 1. ad Thess. 5. capite, supplicium extremum interminans impijs, quod nequaquam subterfugere possint, similitudinem ducit à prægnante muliere quam subitus dolor partus occupat ante diem expectatum. Ea similitudo & metaphora frequentissimè occurrit in prophetis, ut uidere est Hieremiæ 6. 49. & 50. cap.

Dolores mortis scriptura, autore Chrysostomo, uocat pericula mortis, Act. 2. Quem deus suscitauit solutis doloribus mortis, hoc est, periculis mortis liberauit.

¶ *Domicilium*, pro incorruptibilitate usurpatur. 2. Corinth. 5. cap. Domicilium nostrum quod è cœlo est, superindui desiderantes. Theophilactus, per Domicilium, ait intelligi corpus incorruptibile.

¶ *Dominus dominorum*, & Deus deorū, Psal. 136. Confitemini deo deorum, Confitemini domino dominorum, &c. loquutio est, non ut deorum numerum esse opinemur, sed ob id, ut in ijs quos summa potestate pollere uidemus, aliquam potentiæ dei in summa bonitate coniunctæ imaginem concipiamus. Nam qui potentiores sunt in mundo, nescio quid diuinum præ se ferre uideantur. In ipsis enim ueneranda quædam potentiæ plus quàm humanæ lucet imago, atque id adeò, si potentiæ coniuncta sit probitas & clementia: alioqui furor est tyrannicus, si princeps exuta probitate quàm plurimum potest. Item, ut præter dominum nihil timeas, Lucæ 12.

Deum deorum illum appellat etiam, quo nulla re alia nixi, in ipso solo confidere perdiscamus, non tua iusticia confidus sed in illo solo, secundum præceptum.

Domini nomine uenire, est uenire animo & studio extollendi nominis Dei. Sic uentium caput Christus est, qui nihil unquàm aliud quàm patris gloriam quæsiuit et spectauit. Ad hoc Dauid Psal. 118. Bene sit illi, qui uenit in nomine domini. Ea uidetur primum uox fuisse Sacerdotum, qua exceperunt eum regem tum alios ad tabernaculum Domini uenientes, Vnde sequitur, Bene precabimur uobis de domo domini. De uoce Berech, Benedicere suprà diximus. Cum ea uox hominibus tribuitur, bene precari significat, nonnunquam & benefacere: cum autem deo tribuitur, semper significat eius fauorem & beneficentiam.

Dominus deniq; in hoc loco, loquutio est Gen. 28. cap. Profectò est dominus in loco isto, hoc est, hic demonstratio domini est, uel hic demonstratio dominus. Et quasi diceret Iacob, Putabā me solum esse in campo, & ecce dominus est in hoc loco, Dominus inhabitat hunc locum. Et domum Dei uocat, quod nimirum familiam dei illic uideret. Neq; in loco templum ædificatum est, sed postea, dum ex Mesopotamia rediret Iacob, ut infrà 35. cap. patet.

¶ *Donec*, quod Græci ὡς dicunt, si proprie quidem sumatur, certum temporis terminum significat, quem alteratio quædam sequi cōsueuit: in scripturis uerò sacris positum non semper eandem significationem suam retinet, Psal. 101. & Matth. 22. cap. non eum sensum nobis refert, ut alterationem quandam secuturam esse putemus, In huiusmodi locutionis genere animaduertenda est sermonis hebraici proprietas, qui nonnunquam enim quod ad terminatum refertur tempus, ad interminatum referunt: ut in Donec uidere licet, quod Latinis definitum signat tempus, his indefinitum, Ideò non simpliciter excluſiuum, neque certum tempus definit, sed ultra euentum rei se etiam protendit. Quod apud Esa. 42. cernere licet, ubi dicit propheta: In ueritate educet iudicium, Donec ponat in terra iudicium, &c. Non tempus præscribit, sed ostendit Christum per iustitiam & iudicium regnaturum perpetuū. Sic Psal. 110, Donec ponā inimicos, &c. Non quod

post iudicium Christus ad dexteram patris non sedebit. Similiter 2. Petri 1. Donec dies illucescat, Donec infinitum & perpetuum tempus notat. Et Gene. 28. Donec cõpleuero uniuersa quæ dixi, id est, perpetuo. Esa. 6. Donec ponant ciuitates, ita ut sint absq; habitatore. Quomodo & Euangelistæ aliquãdo usurpãt, ut sit idem quod nunquam. Nam scriptura id quod perpetuo durare debet, huiusmodi uerbis eloquitur. Sic Matth. 5. Nõ exibis illinc, Donec persolueris extremum quadrantem, id est, nunquam exibis. Sic Matthæi 1. cap. de Ioseph scribitur, quod non cognouerit Mariam donec peperisset filium suum primogenitũ, id est, nunquam cognouit, uel perpetuo non cognouit. Vides Lector ad quantam prolaberemur impietatem, si donec, ut ferè accipiunt Latini, interpretaremur: ut Hebio lapsus est. Est Ioan. 9. Donec uocarent parentes eius. Hoc loco uidemus significationem illus aduerbij, Id est, Ne tum quidem credebãt, quod patet ex consequentibus.

Dico amico, Vale donec rediero: non uolo tamen, ut me reuerso, amicus non ualeat, cuiusmodi exemplis, non scriptura solum, sed quælibet etiam lingua plena est. Ad hunc modum de coruo ex arca emisso legimus: nunquam tamen reuersus est, licet aquæ exaruerint è terra. Quid illud? De ipso etiam loquens Deo, A seculo, inquit, & usque in seculum tu es: sed nullum hic profecto terminũ posuit, non definitum aliquod tempus inclusit. Rursus altitudinem pacis annuncians, Donec, inquit, auferatur luna: non tamen ut post illam pacem finem statuat huius, quod spectamus elementi. Et de fratribus Ioseph legimꝰ, Donec cessauerint, pro donec satis biberint. Ioan. 9. cap. Me oportet operari donec dies est. Donec hic capitur, pro Quandoquidem, uel Dum. Sitt mol, uel Dvvyl. Vide D. Augustt. de hoc Tropo.

¶ *Donum* à D. Paulo pro eleemosyna usurpatur 2. Cor. 8. cap. Vt in hoc quoq; dono abundetis. Doni uocem generaliter dicitur quicquid boni nobis diuinitus datur, siue in corpore, siue in animo, Iacobi 1. cap. Omne donum bonum, &c. χαρίσμα donum, χαρὶς gratia, Quid aũt intersit inter χαρὶν & χάρισμα Paulus explicat Rom. 5. Multo magis gratia Dei, id est, Christus, & donum, per gratiam quæ fuit unius hominis Iesu, & cætera. Est autem Gratia, fauor Dei erga nos gratuitus beneuolentiaq; numinis gratuita. Donum uerò liberalis delictorum condonatio, quæ existit ex diuina gratia, & cõfertur per Iesum Christum, qui & ipse cum gratia tum Donum dei cognominatur. Nam Ioan. 4. & 5. Si noses, inquit ad Samaritidem Christus, donum dei: id est, illud munificum dei beneficium, quod orbi præstitit me exhibito (sequitur enim per expositionem, Et si quis sit qui tecum loquitur, Quasi dicat, Ipse qui tecum loquor, sum illud dei donum) equidem à me petisses aquam ac refrigerium.

Ad hæc Spiritus sanctus, donum dei in sacris dicitur. quem deus in corda credentium effundit, Ioan. 20. capite. Rom. 8. cap. Porrò spiritus sancti opera in sanctorum cordibus sunt fides, pax, &c. Sic Dona spiritus sancti dicuntur: ut spiritus sapientiæ, spiritus consilij, id est, donum. Esaiæ 11. capite. D. Paulus discriminat Donum à gratia, ut infrà patebit.

¶ *Dormire*, est uita decedere. Et dormiendi uocabulo pro moriendi utitur sæpiuscule scriptura 1. Corinth. 15. cap. Non omnes quidem dormiemus, omnes tamen immutabimur, 1. Thess. 4. cap. Nolo autem uos ignorare fratres de dormientibus, hoc est, de his qui mortui sunt. Mors enim somnus: unde & Lazarus qui euigilaturus erat à domino, Ioan. 11. cap. Dormiens appellatur. Receptissimũ est scripturæ, Somnum appellare mortem, non tam ob id quod somnus mortis imago est, quàm quod resurrectionis spes ita nobis adumbratur & ueluti spectanda proponitur. Nam nomine Somni & Dormitionis scriptura insinuat facillimam deo resurrectionem, Iob 14. Et uir dormit & non stabit, &c. Vbi resurrectio uenustissimis comparationibus asseritur. Ita & Christus Lazarũ Dormire ait, Ioan. 11. Si nulla est in scriptura diuina consolatio, quæ hortetur non modò rerum iacturam ob Dei amorem leuem esse, sed uitam hanc parui æstimare, ea potissimum in hoc consistit, quod finem & periodum nostram, non mortem, sed somnũ passim solent appellare. Hinc mortui Dormientes dicuntur. Vide D. Augustt. ad Honoratum Epistola 120. propter futuram, inquit, resurrectionem, uelut euigilationem.

Dormire, uocat Paulus 1. Thess. 5. cap. negligere & ignorare dominum, sicut et in parabola euangelica, id quod sequitur ex inebriatione, quam intelligere licet curas & sollicitudines, &c. ut uides Lucæ 8. Siue uigilemus, inquit Paulus, siue Dormiamus, simul

cum deo uiuamus. Vigilare hic uiuere est. Dormire uero mori. Et suprà in eodem capite intelligit per Vigilare, uitę innocentiã. Per Dormire, torpere & secordem esse, dormiunt qui securi in suis stertunt uoluptatibus, nec dei uoluntatem inquirunt, neq; monitis eius obtemperant, sed animum suum à deo prorsus abalienarunt. Proinde ne Dormiamus, inquit Apostolus, sicut & cæteri, &c. sed iam transitus est in eisdẽ uerbis. Per Diem & Noctem omne tempus intelligit: per Vigilare & Dormire, uitam ac mortẽ. Dormientes operum studiosi, & fidei negligentes, qui hactenus dormiunt, quod non sentiunt quid ipsis desit. Mortui autem dicuntur, hi qui nullum sensum legis habent, ac libenter absq; timore malè uiuunt. Sic enim deum dormire & auertere faciem dicimus, dum adeò permittit suos impijs, ut Psalmi habent. Dormire Deum nobis uidetur, cum non fert opem inuocantis. Econtra Euigilare, Expergisci, Respicereq; dicitur, cum subuenit, & dum impijs prostratis suos seruat, Psal. 44. Euigila, quare obdormis Domine? Quare faciem tuam auertis? Dormit rursum, cum finit nos peccare: exurgit à somno, cum uim nostræ addit imbecillitati nos ipsos superandi, Psal. 102.

Dormire quoq; cubare, uel requiescere, rerumq; optata pax atq; tranquillitas & summa securitas hoc uerbo designatur, non uno in loco scripturæ usus est spiritus sanctus, ut Psal. 13. Dormiam & requiescam. Inter bona quæ populo Israeli, si legem seruasset, dominus promiserat, & hoc legimus: Dabo pacem, inquit, dominus, & ad quietem iacebitis, nec est qui exterreat, Ezech. 34. De ouibus sub pastore suo Dauide habitabunt in deserto securè, & dormient in saltibus. Et Hoseæ 2. cap. Arcum & gladium & bellũ conteram de terra, & dormire faciam fiducialiter.

Dormire, interdum pro coire & concumbere, Deut. 27. Maledictus qui dormit cum uxore patris sui, Leuit. 20. Si quis dormierit cum nuru, Gen. 39. Dormi mecum, Pro cessare seu manere, in Mose alicubi legitur, Et non dormiet in mane immolatio solennitatis Paschæ. Dormiet dixit, pro manebit. Nam caro pecudis occisæ & coctæ quomodo dormiet? Quod ergo dicitur, Quare obdormis Domine. Hoc genere loquutionis dicitur & intelligitur, quare cessas et non uindicas. Obdormiscere autem pro altius contemplari est. Augustinus contra Manich. lib. 2. cap. 12. In pignore eius Dormire, est manere pignus eius apud te dum dormis aut tecum pernoctare, Deut. 24. cap.

Dormire deniq; atq; Exurgere, per duo illa extrema omne tempus, omnemq; actionem Hebræi eloquuntur: nam quæ faciũt homines, aut interdiu faciunt aut noctu, quotidiana intelligit negocia.

¶ *Dorsum ponere, aut Dorsum dari*, fugare est, & ita propulsare hostem, ut tergum illius appareat, Psal. 17. Inimicos meos dedisti mihi in dorsum. Et Psal. 20. Pones eos dorsum. Dorsum arare, est reddere curuum, & adfligere, & pœnis adficere, Psal. 129. Supra dorsum meũ arauerũt arantes. Ac si dicat. Posuerunt me curuum ante se: Vel, Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores. id est, adfixerunt me, & pœnis adfecerunt.

Dorsum incuruari, est deprimi opinione uel conscientia. Nam qui carent uerbo spiritus illuminante, hi semper ex alio errore alium pariunt. Et qui carent uerbo consolatorio gratiæ, hi subinde aggrauantur alijs & alijs peccatis, Ephe. 4. sic gentes ambulãt in uanitate sensus, &c. Rom. 1. Et Dorsum eorum semper incurua. In Hebræo legitur, Lumbos eorum fac nutare, seu trepidare, quod nõ est aliud quàm quod etiam ad Eph. 4. dicit fluctuare falsis opinionibus. Et Psal. 68. Et Dorsum eorum semper incurua, id est, non solum ut premantur omnibus malis foris inter gentes, sed etiam ut nõ uideant sursum in cœlum, & inuocare possint ex fiducia cordis dominum, ut Psal. 16. ait, Oculos suos statuerunt declinare in terram.

¶ *Dracones*, quandoquidem in promptu habet uenenũ, quo noceant, sitq; istud animantis genus inuisum hominibus, rectè hoc uerbo conueniet impios intelligi, qui rudemum suo se functos uitæ officio arbitrantur, ubi læserint uiros bonos: ueluti Pharao ille populum Dei opprimens, tandem & ipse oppressus in mari diuina potentia, ut legis Psalmo 73. Tu confregisti capita Draconis, dedisti escam populis Æthiopum, id est, submersisti exercitum Ægyptiorum in sinu Arabico, ita ut Æthiopes uicini exuuias detraxerint, mirè ditati sunt. Sic Psalmo 90. Vbi auxilium Dei credenti contra impios promittitur: Super Aspidem & Basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & Draconem. Esaias quoque capite 27. Pharaonem & Leuiathan & Draconem appellat. Et Ægypti dicti sunt Dracones, Psalmo 73. Tu concidisti capita Draconum seu ceterorum

Confitẽ-

Confringebas capita cetorum siue draconũ in aquis. Solet hic scriptura nonnunquam dei potentia, & ex eo prædicari, quod ut condidit & alit, ita solus quoq; conficiat dracones, & alias beluas hominib. inuictas: Id copiose admodũ fecit Iob 38. 34. 40. & 41. Itẽ per draconem magnum uidelicet aquatilem apud Ezech. cap. 29. Rex Ægypti intelligitur, sicut per alios pisces signantur reliqui Ægypti principes.

Dracones præterea maris, pisces maximi & quasuis immaniores beluas intelligit scriptura. Psalm. 148. Laudate Iehouah è terra, Dracones & omnes abyssi. Per Abyssos non solum maria, sed simul quoslibet lacus ac flumina significante. Sicut & Psalm. 135. uersu 6. In quibus singulari miraculo dei potentia declaratur, intellexit. Eodem uerò nomine Dracones terrestres atq; marini uocantur. Neq; enim Cete & maximi pisces aliud in aquis sunt, quàm Dracones ac serpentes in terra. Quanquam igitur nomen Hebraicum Draconum sonet, tamen pisces qui eadem forma ac magnitudine sunt, significat, & omnia monstra marina, quæ & Leuiathan dicuntur intelligimus. Psal. 148.

Draconis uox apud Danielem cap. 7. impia sunt dogmata impiorum contra Christi doctrinam. Draconis nomine saran hostis ille antiquus & Christi aduersarius, in Genesi sub typo serpẽtis propter astum, quod blãdiendo uenenum simulat letale, subinde uerò Psal. 74. 140, & in Esaia, cum ipse tum impij tyranni hostes populi dei ab ipso agitati Draconis uocabulo notantur. Et Apocalysis 12. 13. 20. pro diabolo & Antichristi regno sumit.

Draconum locus, nonnunquam in scriptura seruitutem inter crudeles gentes, auctore Kimhi, qui feritate Draconum similes sint, designat. De quibus Psalm. 144. canit. Eandem uocat umbram mortis: morte enim durius expositum esse per omnia libidini impiorum & audire continuò blasphemari nomen dei, damnare omnem pietatem & iustitiam, nihil non iniuriarum genus irrogari eius studiosis. Hanc sortem summe miseram, aliàs per profundum maris intelligit Dauid.

Draconum nomine quoq; hinc malicriosorum hominum uita exprimitur. Hier. 14. cap. Traxerunt uentum quasi Dracones. Hiob 30. Frater fui Draconũ & socius struthio num. Struthio, pro simulatore solet poni. Draconum & Struthionum luctus, seu serpentum planctus. celebris est in scriptura, in deserto horribiliter etulãtium. Et ubicunq; in scriptura mentio est illorum, ibi uastatio, horror & luctuosa miseria significatur. Sicut Esa. 13. de uastatione Babylonis, cap. 34. de uastatione Edom, Thren. 4. cap. de uastatione Hierosolymorum. Mich. 1. Faciam planctum sicut Dracones, & luctum sicut filij Struthionum, uel filiæ Serenum. Nam hoc significatur Deum non ultra miseraturum, ut Hoseæ 1. cap. Non addam ultrà miserere domui Israel. Struthio enim statim indurat ergà pullos, ac si non sint sui. Iob. 34. Et Esa. 43. ubi rursum promittitur salus: Glorificabit me, inquit, bestia agri, Dracones & struthiones, quia dedi in deserto aquas.

¶ *Ducere*, pro allicere & prouocare. Rom. 2. Ignorans quod bonitas dei ad pœnitentiam te ducit.

¶ *Duricies, Duricia*, nihil quoq; aliud est, quàm dei obuiare mandatis. Vnde illud Stephanus dicebat ad populum, Act. 7. Dura ceruice, & non circumciso corde & auribus, uos semper spiritui sancto resistitis. Durus spiritus, pro tribulato & anxio, tristi & infelici animo. 1. Sam. 1. cap. Mulier duri spiritus ego. Septuaginta, In die dura.

¶ *Duodenarius*, in scripturis, & in operibus dei illustris & sacer, neq; caret mysterio hic numerus in sanctis scripturis. Celebres sunt duodecim illi Israelitici populi patres, ex quibus carnalis illius propagatio describit, sed multo celebrior est hic duodecim Apostolorum numerus, unde spiritualis ueri Israelis dilatatio in mũdum uniuersum progressa est. Sumpsit ex Israele duodecim apostolos dominus. Mat. 10. & Ioan. 6. cap. Præterea Duodenarius, numerus perfectionis simul & uniuersitatis est, Apocal. Et in capite eius corona stellarum duodecim.

E

EBrietatis nomine potus quilibet uenit, qui inebriat, à quo est Siceron & Latinis Sicera, uinum aut naturale aut factitium Ebrietatis causa, in Deuteronomio & apud Lucam & Haggeũ cap. 1. Neq; hoc uocabulũ ubiq; temulentiam quæ uino fit uocat scriptura, sed 1 Thess. 5. Et qui inebriantur nocte sunt ebrij. Hoc loci quæ peccato fit, Ebrietatem uocat. Illud quoq; non prætereundũ quod in bono pleriscq; locis ponitur In literis autem humanioribus in bona parte penitus non inuenitur. Ebrietatis nomẽ teste D. Hieronymo, copiam & satietatẽ omnium rerum significat. Haggei cap. 1. Bibitis, & non ad ebrietatẽ. Et audi Dauidẽ loquentem: Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, hoc est, implebuntur, Psal. 35. Gene. 45. cap. Biberunt & inebriati sunt cum eo. Hoc uerbũ, inquit D. August. & pro saturitate solere poni in scripturis, quam qui diligenter aduerterit, multis in locis inuenier. Vnde & illud est: Visitasti terram, & inebriasti eam, multiplicasti ditare eam, eò quod in laude benedictionis hoc est positum, & donum dei commemoratur. Apparet hanc ebrietatem, saturitatem significare. Hæc ille.

Ebrietas Sabbati nomine significata, iuxta, Ne grauentur corda uestra crapula & ebrietate. Quod malum Sabbati nomine propterea significatum: quia hæc erat ficuti & nunc est Iudæorum pessima consuetudo, illo die delicijs affluere dum spiritu Sabbatum ignorant.

Ebrietatem uocat Apostolus 1 Thess. 5. cap. non modo uinaticam illam, sed quæ ab quibusuis uitijs oritur temulentia, quæ ipsius naturæ limites excedit mentemq; obtenebrat, ut & suprà attigimus.

Ebrij in prophetis aliquoties sunt impij hypocritæ, cæci, & indurati, qui spiritu erroris aguntur, & proprio sensu innituntur, qui & nutant ac perplexi perpetuo sunt, non uino uel sicera. Esaiæ uigesimonono capite, Inebriamini, & non uino. Hoc est immersi uestris opinionibus & studijs. Quod Gregorius Nazianzenus per similitudinem exponit, hoc est, non sunt hi qui sicera uel uino inebriantur, quæ Ebrietas paruo tempore durat, illa autem sua æterna erit.

Ebrij etiam sunt mundi sapientes, ut qui proprio sensu inniruntur imò infatuantur. Sic Esa. Ebrietatem uocat secularem sapientiam, et carnis prudentiam: nimirũ quod uelut ebria iudicio parum ualeat, sordida sit, ac ideo abominabilis, id quod propheta per uomitũ designat, Esa. 19. Sicut errat ebrius et uomens, etc. Id quod dominus misceri hoc est propinauit Ægyptijs, ut errent & seducantur in omnibus suis consilijs & factis præsertim in ipso paroxismo calamitatis. Sind eittel schwindelgeist, da einer hinauss feret der ander dort.

Ebriam uocat Esaias non à uino Hierusalẽ cap. 51. Ira aũt Ebrietas est animę, desipientem ipsam faciens uelut uinũ. Tristicia Ebrietas est, mentẽ demergens. Timor alta Ebrietas est, quũ fiat, ubi nõ oportet. Et in summa, singulæ affectiones mentem euomẽtes merito Ebrietatis nomine appellãtur. Hęc Basilius Magnus in sermone de Ieiunio.

Est etiam Ebrietas bona & sancta, Psal. 22. Calix siue (ut Ambrosius legit) poculum inebrians quàm præclarum. Et Apostolus Ephe. 5 cap. Nolite inebriari uino, sed implemini spiritu sancto. Vino enim qui inebriatur, uacillat & titubat, spiritu qui inebriatur, radicitus in Christo est. Et ideo præclara ebrietas, quæ sobrietatem mentis operatur, & ubi spiritus dei regnat. Hæc D. Ambrosius.

¶ Ecce, multũ semper momenti est in hoc aduerbio, et in pronominibus, Esa. 12. Ecce deus salutis meæ. Salutẽ enim suam tanquam miraculũ celebrat. Quasi dicat deum esse saluatorem non esse mirum, sed esse saluatorem meum, hoc omne miraculum superat.

Ecce, attentionis particula, de re subita, & improuisa, aut noua & seria, Esaiæ 7. Ecce uirgo concipiet, Lucæ 2 cap. Ecce pater tuus, &c. quasi dictura Maria de re seria, Iob 13. Ecce nunc paraui iudicium.

Ecce, aduerbiũ gaudentis & exhortantis, ac uelut remdiu & anxie expectatã demonstrantis, Matth. 21 cap. ex Zacharia: Ecce rex tuus uenit tibi mansuetus. Ecce uox, est obedientiæ, & eorum qui præsto sunt ac parati in obsequium domini: uox est seipsum dedentis atq; offerentis in plenum obsequium deo. Hebr. 10 cap. Ecce adsum.

Similiter. En me tibi, seipsum dedentis ac offerentis, apud Hebræos sunt ut Est

ut Ecce ancilla domini, id est, en me totam domini obsequio offero ac dedo. Esa. 6. Ecce ego, mitte me. Item, Ecce pro sane uel utiq; apud Hebræos frequentissimum, Genesis primo capite, Ecce dedi uobis omnem herbam uirentem, et cætera. Et capite 16. Ecce conclusit me dominus.

Ecce ego, Hac uoce uti consueuerunt dum promptum ac uoluntariũ animum (quicquid eis iniunctum fuerit) exprimere uolunt. Mose proficiscente uidere quidnam rei esset, ut rubus non combureretur, ita respondit deo: Ecce ego, ac si diceret: Quid est quod iniungere mihi uis? Septuaginta, Quid est domine. Esaias, quo domino loquente in hunc modum, Quem nam mittam? ita expeditum in medium se profert: Ecce ego, mitte me. Septuaginta, Ecce ego sum. ac si diceret, ego talis sum, qui mitti à te possum.

¶ Ecclesiæ nomen Græcis à conuocando deriuatũ esse, nemo est quem fugiat. Vnde et Latinis receptum uocabulum nunc pro cœtu, nunc pro concione, pro certa multitudine, pro populo, tum secundum carnem, tum secundum spiritum in sacris literis promiscue accipitur. Nam uidere est in ueteri testamẽto, quod ubi Hebraica ueritas habet Kahal uel Edah, ibi septuaginta transtulerunt, συναγωγήν, aut ἐκκλησίαν. Latini uero cætum, congregationem, multitudinem, uniuersum populum Israel, aut ipsum ecclesiæ nomẽ posuerunt, Exodi 12. Leuit. 8 cap. Numeri 20. Hæc autem huc solum tendunt, quod ecclesiæ nomine totum populi Israelitici cœtum, cõgregationem, concionem, exercitum, multitudinem intelligi uideamus Ecclesia dupliciter dici posse, haud ignorandum erit (teste D. Hieron.) & eam quæ non habeat maculam, aut rugam, & uere corpus Christi sit. Et eam quæ in Christi nomine, absq; plenis perfectisq; uirtutis congregetur. Quo modo sapientes bifariã nuncupantur, tam hij qui sunt plenæ perfectæq; uirtutis, quàm illi qui incipiunt & in profectu positi sunt. De perfectis dicitur, Prouerb. 9. Mittam in uos sapientes. De incipientibus, Argue sapientem & diliget te.

Ecclesia ergo prima significatione sua pro omnibus illis sumitur, qui firma spe et tota animorum fiducia uni Christo innituntur & penes hunc omnem salutem quærunt: iuxta Christi sententiam, apud Matth. 16. Secunda Ecclesia nonnunquam pro singulis parochijs sumitur. Hoc sensu enim Ecclesiam Corinthiorum dicimus, eam uniuersalis ecclesiæ partem, quæ Corinthi olim in fide Christi congregata sint.

Ecclesiæ magnæ in Psalmis meminit Dauid, Psal. 21. Ad te laus mea in ecclesia magna, confitebor tibi. Ecclesia gentium est per fidem in Christo collecta, id est, omnium timentium deum ex gentibus, per totum orbem secundum illud Ioelis 2. Et erit omnis quicunq; inuocauerit nomen domini, saluus erit. Siquidem parua erat ecclesia, quando uerbum dei deus ipse tantum erat inter Iudeos notum, Rom. 10. Acto. 9. Psal. 34. Confitebor tibi in ecclesia multa, id est magna, uidelicet gentium. Ecclesiæ ideo uocabulum non impie usurpari pro certa hominum sanctorum turba. Patrocinatur nobis Tertulianus in Apolog. aduersus gentes, capite 39. Et Moses uocauit omnes seniores filiorum Israel, Ecclesiam.

In Ecclesia quoque ingredi uel intrare, est aliquo officio aut publico magistratu fungi Deut. 23. Eunuchus non intret in ecclesia, Et manser, id est de scorto natus, non sit idoneus, qui gerat officium uel magistratum, ob despectum & ignominiam originis & natiuitatis.

In Ecclesiam autem uenire, intrare uel ingredi, est habere commercium cum populo dei, & uiuere in congregatione. Ideo differt in hoc capite Deut. 23. In Ecclesiam cõmigrare uel uenire. Nam hoc de Ecclesiastico loco non loquitur, sed de ipsa congregatione loquitur, nemo ab auditu legis & cultu dei arcetur, qui impotentes ad generandum cum lex omnibus data sit, qui de semine sunt Israelis, & nec gentes à lege & cultu dei excludit, imò hos proselytos uocãt, &c. In Ecclesia autem intrare aliud est, ut suprà.

¶ *Ecclesiæ nomina* sunt hæc: Columba, Canticorum 5 & 6. Insula, Esaiæ 21. capite. Mons Zion, Esa. 11. cap. Species siue pulchritudo domus, ut Psal. 67. Rex uirtutum, dilecti speciei domus diuidere spolia. Specula, Mons domus domini, Esa. 2. Domus spiritualis, Sacerdotium sanctum, Genus electum, Gens sancta, Populus qui in lucrum acquã possedit deus ab initio, Psal. 73. Sion Psal. 47. Domestici dei superstructi super fundamentũ Apostolorũ, Ephe. 2. Corpus Christi, Cõciues Populus fortis, Ciuitas gentiũ robustarũ, Esa, 10 & 25. Vrbs fortitudinis Zion, Psal. 2. Esa. 26. Ablactata à lacte, Esa. 8.

Aulsa

Auulsa ab ubere, Esa. 28 cap. Deserta, Esa. 35. cap. Docti à domino, eiusdem cap. 54. Omne semen uerum, Vinea electa, Hiere. 2. Formosa, Speciosa, Cant. 2. Sponsa, Amica, Soror, Hortus conclusus, Fons signatus, Cant. 4. Immaculata, Sine macula, Cant. 5. Sine ruga, Ephe. 2. cap. Suauis, Decora, Perfecta, Electa, Beatissima, Aurora, Luna, Sol. Cant. 6. Concilium iustorum, Psal. 110. Participatio timentium deum, Psal. 18. Hierusalem noua, Psal. 64. Esa. 32. Mons sanctitatis Esa. 56. Psal. 2. Ciuitas regis magni, Domus, Templũ dei, Esa. 2. Multitudo credentium, Actorum 4. cap. Semen Abrahæ, Actorum 3. Vinea domini Zebaoth, Psal. 79. Esa. 5. Regina, Vinea electa, Psal. 44. Vinea domini exercituum, Germen delectabile, Esa. 5. Filij dei nati ex deo, Ioan. 1. Filij lucis, Lucæ 16. Fideles terræ, Psal. 86. Ciuitas dei, Psal. 100. Lapides uiui. 1 Petri 2. Promissionis filij, Gal. 3. Ecclesia sanctorum, Psal. 88. Domus dei, Atrium dei, Psal. 133. Solium Dauid & regnum eius, Esa. 9. Populus habitator Zion, Esa. 10. Peculium ac hæreditas domini, Regnũ, Lex ipsa in domino. 1 Thess. 5. Ephe. 5. Templum spiritus sancti. Terra sanctuarij, Horreum, Candelabrum, Iuda & Hierusalem, Regnum dei, Regnũ Christi, Cœlum, ut Psal. 88. Et erit testis fidelis in cœlo, id est, in ecclesia sanctorum. His plura edocebit pius usus Bibliorum, quæ nobis ante omnia uel ad uerbum nota esse uult D. Augustinus de doctrina Christiana lib. 1.

¶ *Eden* pro regione certa, cuius mentionem facit Esaias 37 capite. Et Gene. 3. Hinc pro delicijs immortalibus & intelligibilibus ponitur, Ad orientem lucem sapientiæ in Eden, id est, in delicijs, &c. Eden enim deliciæ uel uoluptas uel epulum significari dicitur, si ex Hebræo in Latinum interpretetur.

¶ *Edere & Bibere* metaphoricos dicitur pro felicem & plena uoluptate degere uitã, Apocalyp. 7 cap. Item Edere & Bibere Ioan. 6. est credere, Panem & carnem edere nihil aliud est quàm credere, & fidere, ut anima fidat se morte Christi redemptum esse.

Edere panem cum aliquo, est mensæ esse participem, adeoq; symbolice familiarem esse & in amicitiam receptum penitiorem ut Iudas. uide Psal. 40.

Edere præterea panem in regno dei, idiotismo linguæ sanctæ, est participem esse gaudiorum, uitæ futuræ, & frui omnibus delicijs cœlestibus. Panis enim pro uictu uniuerso ponitur: et Edere panẽ significat uel prandere uel cœnare, imò participem esse mensæ. Et hoc quoq; est, Edere & bibere super mensam Christi, Lucæ. 22. Nam his uerbis explicatur summa felicitas & maiestas, Lucæ 22. cap.

¶ *Efficacia potentiarum* dicitur, quum aliquid fit potenter, & uiuificare & occidere, ut Petrus occidit Ananiam, Elymam excæcat Paulus. Breuiter huiusmodi est, quodait: Si dixeritis montibus, hinc tollere, &c.

¶ *Effundere* bifariàm accipitur: aliquando pœnarum magnitudinem, abundantiam & plenitudinem indignationis & feruentis iræ dei ostendit, ut Psal. 106. Effusa est despectio super principes. Et Hiere. 6. Effundendo paruulum in platea. Sic Dauid ubi interdum omne genus malorum imprecatur, ut Psal. 78. Effunde irã tuam in gentes, quæ non nouerunt nomen tuum. Et Psal. 34. Effunde frameam. Et Ezechielis 9 cap. Effundens furorem tuum super Ierusalem. Effundere omnem iram, furorem, &c. est secundũ demerita iustè punire ingratos. Vide D. Hieron. in Ezech. 9. Effundere animam atqui, est deficere, omnibus uiribus destitui, Hiob 30 cap.

Effundendi uerbum interdum in bonam partem accipitur. Nam gratiæ & muneris largitatem significat, secundum illud Ioelis 2 cap. Effundam de spiritu meo super omnem carnem. Et Psal. 44. Effusa est gratia in labijs tuis, teste D. Hieron. uel ad Principiã uirg. Et Lucas Actorum 2. usus est Effundendi uerbo, ad significandam muneris largitatem. Item Rom. 5. Charitas dei diffusa est in cordibus nostris.

Effundere uerò animum & Cor, quid sit uide suprà, explicatum est in Anima, litera A. Apud Dauidem Psal. 42. Effundite coram illo cor uestrum, hoc est, omnem animi uestri æstum ipsi laxatis habenis quærimini, unde certa scilicet consolatio petitur. Et Psal. 62. Effundite corda uestra coram illo, hoc est, si quid uos premit aut angit, laxatis dolori habenis, & quicquid est aperite, referate & effundite.

Effusio gressim in Dauide Psalmo 73 reperitur. Lapsi sunt pedes mei, sicut non effusi sint gressus mei. Eò usque enim motum se felicitate impiorum fatetur, ut propè à fiducia in deum studio'que recti excidisset. Id enim per lapsum pedum & effusionem gressuum significat.

Egredienti

¶ *Egrediendi* uerbum hebræi utuntur pro habitandi & conuersandi. Omnes, inquit Esaias, qui ex ea urbe egrediuntur. pro omnes qui in ea urbe uiuunt, Esaiæ 55. cap. Quia in lætitia egredimini. Egredi quoq; uocabulum militare est, quo prælium absq; timore fortiter aggredi significatur. Meticulosi enim in domibus latitant, quemadmodum & Apostoli ante receptum spiritum sanctum. Sic Psal. 57. Non egredieris deus in uirtutibus. Et 2 Regum 25. Egredere egredere uir sanguinum.

Egredi, est etiam deditionem facere. 1. Samuelis 10 cap. cum Emphasi dicitur: Egredie mur ad te: relictis Israelitis concedere ad partes Ammon. Item, Egredi & Ingredi ante populum, significat omnia populi negotia tranfigere & perpendere, ut 1. Samuelis 18. cap. Omnia negotia à Dauidi transacta esse & perpendisse.

Egredi de femore seu latere, utero, & ex lumbis, idem esse quod nasci aut gentes ab aliquo ducere, Exodi. 1. Egressi de femore Iacob septuaginta animæ. Erant autē omnes animæ, hoc est, homines ex Iacob. Latini ita loquūtur: Prognatus seu ortus à Iacob. Vergilius: Quo sanguine cretus. Femur pro uirili membro usurpat. Nā de muliere, Num. 5. cap. dicitur: Cum fecerit dominus corruere femur tuū, intelligit cunnum eius. Vel Putrescere faciat femur tuum, Genesis 15. cap. Qui egreditur de utero tuo. Septuag. Alius egredit ex te, hoc est, alius nascet tibi. Hebr. cap. 7. Et ipsi ex lumbis egressi sunt Abrahæ.

Egredi de ore, est statuere & eligere, Hiere. 44. Quoniam faciendo faciemus omnē uerbum quod egredietur de ore nostro.

Egredi oculos præ pinguedine (ut patet Psal. 37. uersu 7.) impiorum. Liquet allegoriam esse, & uoluisse uatem tumentis ob pinguedinem, similitudine, fastū & tumorem ob nimiam opulentiam & rerum successum significari. Egredi oculos quoq; uates, pro eo dixit, quod est euanescere, uti accidit ijs quibus nimiū genæ intumescunt: eodē Psal. Et Gene. 42. Egressum est cor illorum. Idiotismus est, pro destitui uiribus, sicut & Germani dicunt: Elapsum est cor illi, quum qui in magno discrimine desperato est corde.

Egredi, insuper significat ire ad operas, egredi ab opere ad quietem ire, Psal. 121. Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum ex hoc nunc & usq; in seculum. Egredi ergo et ingredi, idem est quod intrare & Exire, pro in loco aliquo uersari, ut infrà patebit. Hinc Egressus & Ingressus, idem quod Introitus & Exitus. Vitæ namq; actiones scriptura Egressum & Ingressum uocat. Inde dicebat Salomon. 3. Regum 3. Ego puer paruus, nec scio Egressum meum aut Ingressum, hoc est, nec quid incipiam, nec quid perficiam, quid mittam, quid'ue instituam, quę fugiam, quę'ue sequar scio. Item,

Egredi & Ingredi ad uerbum sacerdotis, Numeri 27. Egredietur & ingredietur. Egredientur & ingredientur, Id est, secundum quod ipse Pontifex à deo doctus dixerit, Iosue & filius Israel, suscipient aliquid agendum, aut desistent.

Egredi ad bellum, est obire bellum seu militiam. Numeri cap. 1. Omnium uirorū forum ex Israel et numerabitis eas. Siue quotquot egredi possunt ad bellum in Israel, numerabitis eos. Id est, quotquot obire possunt militiam. Egredi deniq; deum, ante populum suum, est ipsum pro illo suam exercere uirtutem, Psal. 60. memoratur sanctorum uerba, Deum non Egredi in exercitibus suis.

Egredi & Ingredi non possum. Id est, non possum ultra fungi munere ducis, nō possum amplius ingredi ad militiam è castris, & è militia ad castra. Egredi deniq; à facie dei, quid sit, infrà in uerbo Eijciendi patebit.

¶ *Ego sum qui sum*, Exodi 3 cap. Hebraice Eie, aser eie. Id est, Ero, qui ero: pro Ero, is enim sum qui ero. Vel: Ero, quia ero. pro Ero: ero enim. Hoc est, qui est, qui fuit, et erit. Futurum enim tria tempora comprehendit. Quasi dicat: Deus æternus. Interpres uertit, Sum, qui sum: uertendo futurum per præsens: quia æternitas nullis finibus comprehenditur, ideò nullo tempore describi potest, quo fit ut recte uocetur. Qui est, qui fuit, qui erit. Nam omnia tempora quum de deo loquuntur, confunduntur. Nomen hoc dei Græcè expressit Ioan. Apocalyp. 1. cap. Ab eo qui est, qui erat, et qui erit. Ego dominus deus uester, Leuit. 18. cap. subaudi, si hęc obseruaueritis. Vel: Ego qui sum Dominus deus uester et liberator, hęc precipio uobis. Item, Ego cum corde meo: noster interpres pro hoc idiomate legit, cogitaui. Septuaginta habent: Mihi fuit in corde. 1 Paralip. 24. 28.

Ego Domine, sermo est ad proprietatem Hebrææ linguæ compositus, in qua sese promptos ad omnia officia, imò ad quoduis facinus offerunt, dicunt, Ego domine: pro quo Latini dicunt, Eccum, ecce hic, præstò sum.

¶ *Eijcere è Synagoga*, est societate & priuilegijs Ecclesiæ priuare, siue palam pronunciare, quod nihil communionis habeas cum deo & sanctis eius. Nam idem pollere synagogam & ecclesiam scripturis constat Ioan. 9. cap. Iam enim conspirauerant Iudæi, ut si quis confiteretur eum esse Christum è Synagoga ejiceretur.

Ejicere seu Ejici aut repelli à facie dei quid sit, exponit Hiere. cap. 15. Ejice, inquit, uel emitte illos à facie mea & egrediantur. Quod si dixerint ad te &c. Vbi D. Hieronymus, Non loco recedunt à deo peccatores, sed uoluntate: quanquã legamus & Adam et Cain eiecto esse à facie dei, Gene. 3 & 4.

Ejicere foras, est tradere iudicio, Ioan. 6. Et eum qui uenit ad me non ejicio foras. Foras enim hoc tale comperies significare, ut in illa parabola Matth. 13 cap. Simile est regnum cœlorum sagenæ.

Ejicere ossa & cadauera, est inter summas ignominas ponere. Nam ossa è tumulis ejici, scriptura inter extremam contumeliam & infamiam siue cõtemptum ponet. Quę locutio apud Hiere. 8. cap. tanquam supplicij pars prædicitur.

Ejici denicp in extremas tenebras siue exteriores, ut apud Matth. 8. cap. significat his & similibus parabolis tormenta impiorum fore maxima.

¶ *Eiulatus*, Barba, Lachryma, Caluitium, Saccus. Hęc non pœnitentiæ sed miseriæ iudicia sunt, Esaiæ 15 cap. Et super Medeba Moab eiulabit, & in omnibus capitibus eius caluitium, omnis barba tonsa. In triuijs suis accinxerunt saccum.

¶ *Eleemosyna* dictio, latine nihil est aliud quàm misericordia. Quemadmodum igitur consueto more quod ex gratia datur, gratia uocatur, ita obtinuit usus, ut quod ex misericordia datur, eleemosyna, id est, misericordia uocetur. Præstiterit autem Germanis non græcam dictionem corruptam illam Almusen, id est, eleemosynam, sed germanicam, Barmhertzigkeyt, & Latinis misericordiam in ore & consuetudine esse, ut intelligatur cum quid pauper petat, eleemosynã petens, et quid dare debeat, à quo illa petitur.

Eleemosyna igitur est animi uirtus, qua alienis malis indolescimus, dum famem & miseriam qua proximus torquetur in uisceribus nostris. Capitur tamen nonnunquam iuxta uocabuli rationem pro beneficentia seu beneficio, quod ex hac commiseratione pauperibus & miseris, hoc est egenis & adflictis datur aut exhibetur, quo necessitati illorũ subuenitur. Nam à uerbo ἐλεέω misereri significat, deducitur. Hinc est quod scriptura omne officium subleuando proximo impensum, misericordiam uocet & eleemosynam, Hoseæ 6 & Matth. 6 cap. ait: Eleemosynam præstandã proximo esse, id est, ei, quẽ dominus tibi obtulerit, beneficio tuo fouendũ. Monet ut quàm maxime fratribus prosimus, idcp ad gloriam dei, quod qui spectarit, eum facile docebit spiritus, quibus maxime sit Eleemosynam præstare. Eleemosyna igitur non solum opus est misericordiæ, sed & mititatis & benignitatis. ut: Quum damus pauperi ob id solum quod pauper est & eget, opus est misericordiæ duntaxat. Eleemosyna uero proprie illud opus est, quod ex benigno corde proficiscitur, etiamsi non usq; adeo egeat cui das. Bonus es ex bonitate ingenita accurris & iuuas, etiam nullo habito personæ respectu.

Eleemosynam Paulus munificentiam, beneficentiam, benedictionem, gratiam & communionem uocat, eo quod Eleemosyna cedat in utilitatem tam dantis quàm accipientis, Rom. 15 & 2 Cor. 8 cap. clare patet. Nam ἐλεημοσύνη græce in sacris dicitur, quod Hebræis חסד id est, Benigniras & beneficentia in egenos.

Eleemosynam præstare in occulto, ut finistra nesciat, quid dextera faciat. Hyperbole cum metaphora est, qua nihil aliud docere uoluit, quàm ut uolumus ob beneficentiam hominibus esse admirationi. In occulto ergo prestatur Eleemosyna, cum animis gloriationi ambitionisq; affectu caret.

¶ *Elementa*, iuxta linguam apostolicam cui assuescendum, non sunt illa quatuor: terram, aquam, aerem, ignem intelligenda, quæ etiam nusquàm in scriptura legis Elementa appellata. Ab Ethnicis hanc appellationem accepimus, quam si uelis inferre scripturis: nimirum quàm periculose fis impacturus. Elementorum nomine, ut infrà quoque latius ostendemus in uocabulo Mundi, literas ipsas & scriptam legem intelligas, quæ uelut præludia sunt & prima sanctæ eruditionis rudimenta, hoc est, primariam institutionem, quæ rudes adhuc rerum diutnarum paulatim prouehat ad altiora, proniores uerò ad peregrinos cultus, ueluti camelis, sepiat atq; constringat. Græci siquidem & Latini literas, Elementa uocant: ita Apostolus primordia religionis, nunc legem ipsam literis,

literis,id est,elementis cõprehensam uocat,Vnde Hebr.5.cap.Iuxta rationem temporis debeatis iam preceptores seu doctores esse:nunc habetis opus,rursus Elementa primordij aut initij sermonum dei erudiri. Vide prima rudimenta cognitionis uerbi dei Elementa uocat. Alluſit enim Paulus ad alphabetarios & elementarios infantulos,quibus traduntur τὰ στοιχεῖα.Porrò στοιχεῖῶσαι est elementa tradere,& hominem rudimentis imbuere.Hinc στοιχεῖα rudimenta sunt & primordia,qualia sunt apud dialecticos & grammaticos Porphyrij Isagoge,& Donati rudimenta.Hoc consilio uocauit etiam Paulus alibi Iudaicas cæremonias,Elementa mundi,id est,externas quasdam institutiones & manuductiones.Item ad Coloss.2.cap.Videte ne quis uobis imponat per philosophiã, & inanem deceptionem,per doctrinam hominum & Elementa huius mundi.Gal.4. cap.Quomodo conuertimini rursus ad infirma & egena elementa mundi,&c.Legem huc quasi per cõremptum Elemẽta,id est,literis uocat:addit infirma & egena,cum quod nequeat quam exigit præstare iusticiam,tum quod homines uerè egenos & infirmos reddat.Vbi enim instat cor animuḿq; pietati deditum exigere,id uerò natura nequeat præstare,plane efficit,ut homo suam inopiam sentiat,at infirmitatem agnoscens,iure à se requiri,quod non solum non habeat,sed ne possit quidem habere.

Huc pertinet quod Paulus.2.Cor.3.cap.scriptum reliquit:Litera occidit,spiritus autẽ uiuificat,Has externas institutiones et pædagogias cęremonias & lac.1.Cor.3.appellat: Imò pro omni re externa,pro omni deniq; ritu & cæremonia,qua homo uel contingitur,uel consignatur.

Porrò uocat Paulus ideo ea Elementa mundi,quod externis gaudeat mundus,externis ducatur & moueatur,Insuper quod in rebus mundi,omnis illa legis obseruantia, quam nõdum spiritu renouati homines præstant,sit ita:nimirum in locis,temporibus, ueſtibus,personis,uasis,& id genus alijs.At fides nulla re mundi,sed sola dei gratia,uerbo ac misericordia nititur,neq; per rem aliquam,sed sola gratia dei inuisibili ac æterna, hominem iustum reddit,saluum feliceḿq;.Quare iuxta phrasim scripturæ per Elementa mundi intelligo externas res,siue cæremonias Iudæorum,siue ordinationes ciuiles, institutioneśq;,manuductioneśq; & humanas constitutiones,quæ non sunt in spiritu, hoc est,quæ simul cum carne pereunt,& usu consumuntur,non uiuificant, non iustificant,non conseruant,non tuentur aduersus iudicium Dei,ut ad Gal.4.Coloss.2. Nec opera legis diuinæ secundum carnem,id est,exteriorem fucum,intellecta,ut aperte uides in allegatis locis suprà,&c.dogmata & decreta illas externarum rerum constitutiones & obseruationes,ad Ephe.2.cap.

¶ *Eleuare* pro sperare,Sophoniæ 1.cap.Excisi sunt omnes eleuati argento.Translatio uulgaris habet,inuoluti argento.Eleuare uocem,est lamentari & clamare uoce magna, Iudicum 2.capite,Et eleuauerunt populus uocem suam & fleuerunt.Eleuare faciem ad deum,est cor ad sublimia inuestiganda attollere,Hiob 21.capite.Eleuare manus ad sanctitatem,Psal.134.Sustollite manus uestras ad sanctitatẽ.Helias Leuites Germanus:Eleuate manus uestras sacerdotes super suggestum sanctum.Item,Eleuare ad uentum, est suśq; deq; ferre.Iob 31.Eleuas me ad uentum.

Eleuare quoq; pro offerre,Num.8.Offeret Hebraicè est,Eleuare faciet,pro offeret.

Eleuare falcem super segetẽ proximi tui,Deut.32.cap.Id est,si quid efferre uelis,manu colliges,non falce.

Eleuare manum in cœlum,Deut.32.Cum eleuauero manum meam in cœlum.More mirantis.Per seipsum iurare solet deus:ad Hebræos 6.cap.Non est qui de manu mea possit eruere,quum eleuauerim manum,&c.id est,quum iurauero per me uiuum & uicturum in secula. Eleuationes sanctificationum,Deut.18.Pro,omnes oblationes quæ mihi dantur,uel omnes oblationes sanctas,hoc est,mihi consecratas.

Eleuare animas suas,Hiere.37:ubi noster legit,decipere animas suas:nimirum inani persuasione.Alioquin Eleuare aut leuare animam suam,utpote ad deum,longè diuersum est in Psalmorum libro.

Eleuare caput,est magno aliquẽ honore afficere.4.Reg.25.cap.Eleuauit Euil Merodach rex Babel,caput Iehoachin regis Iehudah de carcere.De hoc Tropo in nomine Caput,diffusius reperies tractatum.

Eleuare cor,est idem quod superbire & quod exaltare cor,de quo Psal.130.Non est exaltatum cor,&c.Germani tale quid exprimunt,quoties dicunt,Er erhebt sichs.

Eleuare, absolute pro exaltare, in sublimem constituere, ut Numer. 24. cap. Eleuabitur rex eius super Agag, hoc est, plus quàm Agag.

¶ *Elohim* hoc nomen deo seu domino à uirtute & robore, quod solus omnia potest, suosq; uindicare & tueri contra uim quamlibet soleat, scriptura tribuit, ut Psalmo secundo, Non est ei salus Elohim, id est, in Deo. Et Psalmo tertio, Elohim iustitiæ suæ uocat. Propter potestatem siquidem & officium tuendi, et ab iniuria defendendi homines, magistratus & iudices in scriptura Elohim uocantur, Exodi uigesimosecundo capite, Psalmo 18. & alibi.

¶ *Emortuum* pro sterili & effœto, Rom. 4. capite, Non considerauit suum ipsius corpus emortuum.

¶ *Emptus argento*, ut in Genesi legitur, pro emptitio & alienigena, Septuaginta, Emptitius seu pecunia emptus.

¶ *Ephod* pro sacerdotio, Hoseæ 3. capite. Et non altare, & non Ephod, & Theraphin. Est autem Ephod indumentum sacerdotale, quod in Exodo & Leuitico ἐπωμίδα, Septuaginta interpretati sunt, id est, super humerale, hoc autem loco ἱερατείαν, id est, sacerdotum, & Theraphim autem adpellentur figuræ & simulachra quæ nos dicere possumus præsenti in loco Cherubim & Seraphim sine alia quæ in templi ornamenta fieri iussa sunt. Hæc D. Hieronymus.

¶ *Episcopi* nomen à Paulo usurpatur interdum pro presbyteris, ut Philippensium 1. capite, Cum episcopis & diaconis. Hoc loci episcopos presbyteros appellat. Quandam enim affinitatem nomina inter se habent. Nam Episcopi tum diaconi, tum presbyteri, ac è regione presbyteri episcopi adpellantur. Testis est Theodoretus episcopus Cyrensis.

¶ *Ephraim*, licet terra unius tribus sit, Iosue terciodecimo capite, tamen in prophetis ponitur pro decem tribubus, hoc est pro regno Israel, Hoseæ 5. capite. Eo quod Hieroboam primus rex post diuisum regnum decem tribubus imperitans, Ephraimita fuerit, Hoseæ 5. capite & deinceps notissimũ est. Vnde alibi in Psal. 77. per opprobriũ omnes Iudæi audiunt: Filij Ephraim intendentes & iaculantes arcubus, cõuersi sunt in die belli. Et Psal. 59. Et Ephraim fortitudo capitis mei. Erat autem Ephraim filius Ioseph, in sorte cuius erat Silo, ubi primum erat arca Domini cum tabernaculo. Iosue 18. & illic habitauit Iosue dux populi, Iosue 19. ibiq; ex tribu Beniamin regnauit Saul rex primus totius populi, sed pòst reprobatus cum tota posteritate, & Hieroboam, ut dixi. Videbantur itaq; filij Ioseph, in primis filij Ephraim consecuti regnum, & omnia Dei sacra. Sed Silo locus est abiectus, Hiere. 7. capite, & tribus Ephraim non est electa, ut Psalmo 77. eodem, Et repulit tabernaculum Ioseph, & tribum Ephraim non elegit, sed elegit tribũ Iuda, montem Sion. Ephraim non elegit. Rachel namq; mater Beniamin, & auia fuit Ephraim & Manasse duarum potentissimarum tribuum. Vnde pro ipsa congregatione usurpetur, & pro populo Israelitico, Hieremiæ 31. capite, Quia factus, ait, Israeli pater, & Ephraim primogenitus meus est. Ephraim autem primogenitus dei dicitur, populus Israeliticus. Ideo non raro enim Israel dicitur Ephraim, propter regnum decem tribuum, aliquando ad distinctionem regni Iudæ: aliquando propter germinationem maximam & multiplicationem filiorum Dei. Hi inquam etiam dicebantur regnum Israel, licet non omnes Iudæi essent ex Israel siue Iacob. Reliquæ autem tribus fuere regnum Iuda, & terra eorum propriè Iudæa. Vide Ioannem 7. capite, Non uolebat in Iudæa ambulare.

Regnum ad hæc Israel signatur sæpe ijs nominibus in libris prophetarũ: Ephraim, Samaria, Israel, Ioseph, Iezrael, Bethauen, Bethel, & interdum Iacob. Et post diuisionem regni Hebræorum, uidelicet ætate Roboam & Hieroboam, cœpit rex Israel uocari, rex decem tribuum: Rex uerò Iuda nominibus hisce signatur: Iuda, Hierusalem & Beniamin. Hæc ex D. Hieronymo.

Ephraim deniq; quoq; apud Esaiam cap. 17. regnum Syriæ denotat. Adiutorium ab Ephraim, inquit Esaias. hoc est, præsidem Ephraim: propterea quod regnũ Israel cum Syris se coniunxerat, & fidebat auxilijs Syrorum, sicut cap. 7. eiusdem Esaiæ.

¶ *Euphrata* pro regno Iudæ, cui præfuit Dauid, hinc dictus Dauid Ephrateus: ut idem sit Psalmo centesimo trigesimosecundo, Ecce audiuimus eam in Euphrata, hoc est, in Hierusalem, ad quam Dauid Ephrateus transtulit sedem regiam. A rege itaque Ephrateo

Ephrateo, per Metonymia Hierusalem uocatur Ephrata. Sicut etiam in Germanico sæpe solemus, ut si dicam: Saxonia liberè confessa est Christum Augustæ coram Cæsare & toto imperio. Hic Saxonia significat Ducem illustrissimū Ioannem electorem Saxoniæ, qui genere Saxo fuit. Pomeranus regit Ecclesiam Vuittembergensem, hoc est, Ioannes Pomeranus.

¶ *Equitis* nomine anima uiri sancti exprimitur, quo iumentum corporis bene subditum regit, unde Ioannes in Apocalypsi 19. cap. dominum contemplatus ait, Et exercitus qui sunt in cœlo sequebantur eum in equis albis.

¶ *Equus* in scripturis indomitam ferocitatem, superbiam, arrogantiam sibi immodicè placentem, iuxta animantis naturam significat, quam quum alibi crebro, tum uerò potissimum in impijs inuenias licebit. Nihil enim deo committunt rerum suarum, sed ex proprijs uiribus toti pendēt. Sic in Psal. 19. Ridetur impiorum nimia de uiribus propriis spes & præsumptio. Hi in curribus, ait, & hi in equis, &c. Et Psal. 9. Fallax equus ad salutem, id est, caballus frustra promittit equiti salutem. Item Psal. 146. Non in fortitudine equi uoluntatem habebit, id est, Deus minimè gratas habebit equi uires. Hinc Equi pro fastu atque arrogantia sumi solent, Psal. 76. Dormitauerunt equi, qui ascenderunt Equos.

Equus interdum in scripturis propter cursus uelocitatem, pro tempore plerunq; accipi solet, quemadmodum apud Zachariam præcipuè cap. 3. uidere licet. Et Apocalyp. 6. cap. Et ecce equus albus. Equus rufus cruentas cædes signat. Id quod ex cap. 7. Danielis apparet de quarta bestia.

Equi præterea nomine lubrica uita, & stoliditas & insipientia exprimitur Psalmo 31. Nolite fieri sicut Equus & mulus. Aliquando hoc uocabulo dignitas temporalis denotatur, Ecclesiast. 10. capite. Vidi seruos in equis, & principes ambulantes quasi seruos super terram. Item præsens seculum, Genesis 49. capite. Fiat Dan coluber in uia, Cerastes in semita mordens ungulos equi ut cadat ascensor eius retro. Ad hæc rectæ intentionis præparatio, Prouerb. 21. cap. Equus paratur in die belli, dominus salutem tribuit. Dionysius in cœlesti Ierarchia, inquit, angelos uocari equos propter obedientiam & moderationem. Albos propter diuini splendoris copiam. Rufos propter ardentem charitatem, & in officijs sedulitatem. Varij coloris eò quod se nobis inferioribus attemperant, suum donum, nempe candorem nostræ humilitati, id est, nigredinem communicantes.

¶ *Equitare* super leuem nubem, idem est quod celeriter ac repente castigare, uisitare, sicut in cœlo nubes de regione in regionem transit, Esaiæ decimonono capite. Vaticinatur autem uates de Ægypto, & ait, Ecce Dominus uehitur super nubem leuem, et uenit ad Ægyptum, & nutarunt idola Ægpti à conspectu eius, & cor Ægypti in medio eius colliquescet. Nam de celerrima & inopinata hostium irruptione in Ægyptum, quos deminus adduxit, propheta uaticinatur. Et hanc ob causam dicit Dominum uectum leui nube, Ægyptijs superuenisse, & alibi ac in compluribus locis reperitur hæc deuastatio deorum, ut Sophoniæ secundo capite. Disperdet siquidem omnes deos orbis. Item Ephreim ego feci equitare, Hoseæ decimo capite, hoc est, sublimaui te in regnum, & permisi, ut & Iehuda iuxta te ararotis teneret officium

Inequitare aut Insidere Cherubim dicitur Dominus, quod per illos sua iudicia animose, diligenter & indefesse, prudenter ac magna celeritate perficiat, ut in Psalmis & Ezechiele uidere est.

¶ *Epulari*, pro festum celebrare ueteres etiam Latini usi sunt, eo quod in publicis festiuitatibus publicę etiam epulæ dabantur, 1. Corinth. 5. capite, Epulemur in azymis syncerit atis & ueritatis.

¶ *Eradicare* pro auferre, Sophoniæ 1. capite. Et eradicabo hominem à facie terræ. Septuaginta, auferam.

¶ *Errare*, nihil aliud est, quàm à uera Christi doctrina discedere, & humana amplecti. Ezechiel propheta hoc testatur: Errantem, inquit, ouem non reuocastis. Et errantem inquit Augustinus, dicit, & ouem appellat. Si quando errabat ouis cuius uocem ut erraret audiebat, proculdubio enim non erraret, si uocem pastoris audiret. Sed ideo errauit, quia uocem audiuit alieni, uocem furis & latronis audiuit. Hæc ille.

¶ *Erigere* pro susc ipere & saluare, Psalmo sexagesimo. Exaltabo te Domine, quo-

niam erexisti me Septuaginta, Suscepisti.

¶ *Eremus* in sacris scripturis pro locis saltuosis, campestribus ac irriguis, ubi non nihil succi est, utitur, Esa. 41. Dabo in Eremo, uel solitudine cedrum & myrtum. Myrtus & Olea, non uiuunt in locis nimium siticulosis, sed in ea relegat abietem, ulmum ac platanum diuina prouidentia.

¶ *Erudire*, est humiliare, castigare, increpare. Eruditio, est increpatio, castigatio, Psalmo 16. Et per noctem erudierunt renes mei. id est, castigauerunt me ultimæ cogitationes: & abditissimi adfectus, dederunt mihi intellectum rerum cœlestium, &c. Et Prouerb. 4. Audite filij eruditionem patris. Septuaginta παιδειαν id est, castigationem siue institutionem in bonis artibus.

Eruditus corde, Exodi 31. cap. Omnis eruditi, addendum ex Hebræo, Corde. Id est, ita docui, omnes artifices, in eorum animis in serendo sapientiam, ut facere possint.

¶ *Eructare*, amplitudo & ingens copia mysteriorum diuinorum non explicatur uerbis, sed fermè patente meatu eructatur, ut Psalmo 45. Propheta benignitatem Dei, qua nos absumpta carne dignatus est inuisere, & ecclesiam dicere coniugem enarrat. rus: Eructauit, ait, cor meum uerbum bonum. id est, ad auditum fidelium produxit uerbum bonum, id est, carmen suaue. Et Psalmo 19. Dies diei non annunciat uel indicat, sed eructat, non scientiam, sed uerbum. Eructant, ex abundantia cordis spiritu sancto ebrij &c. Et Psalmo 119.

¶ *Eruere*, est recte docere & patrocinari aduersus sæuitiam mundi Prouerb. 24. Erue eos qui ducuntur ad mortem.

Eruere oculos, uel Abijcere oculum, non est oculos cultro externo effodere, sed cordis concupiscentiam per fidem mortificare: qua mortificata, erutus est etiam oculus corporalis, ne aspectu mulierum non scandalizet, adeoq; hoc est pactum facere cum oculis, Iob 31. Pactum pepigi cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de uirgine, malum cordis fermentum per fidem expugnare. Nam lex adulteræ, non solum opus, uerum etiam concupiscentiam prohibet, Matth. 5. cap.

¶ *Erumpere*, pro augere & subolescere utuntur Hebræi, ut in libris Mosaicis sæpissime legitur, Esa. 54. Longos fac funiculos tuos, & clauos tuos consolida. Ad dexteram enim, & ad læuam erumpes.

¶ *Est, esse, essentia*, Est uerbum aliter accipiendum, si de Deo dicatur: aliter, si de homine. Cum de Deo dicitur, perpetuum & æternum significat, ut Exodi 3. cap. Ero qui ero, Et qui misit me. Ibid. Deut. 32. Ego sum solus, Ioan. 1. In principio erat uerbum. Prouerb. 8. capite. Vt hæreditare faciam diligentes me. Est, uel Esse, æternum scilicet & semper duraturum. Vbi D. Hieronymus, Vt diligentes me.

Esse, nonnunquam pro effici uel fieri, 1. Cor. 6. Erunt enim, inquit, duo in carnem unam. Gen. 24. Si estis uos misericordiam facientes, id est, si facitis misericordiam.

Esse in nationes, Gen 17. cap. pro, Ex ea gentes multæ nascentur, nempe ex Sara.

Esse creaturarum omnium, est à deo, & in deo. In ipso enim uiuimus, mouemur & sumus, Act. 17. Inde nomen dei essentiale. Est pro significat, Gen. 40. Tres propagines, sunt tres dies. Et Gen. 41. Septem boues pulchræ, & septem spicæ plenæ, sunt septem uberitatis anni, hoc est, sunt pro significant esse positum. Et Lucæ 8. cap. Semen, inquit, est uerbum dei, At nullum semen est uerbum dei, sed hac uoce significabat uerbum dei. Et Matth. 13. Ager est mundus. Est, non perpetuo pro esse accipitur Hebræi, sed etiam pro significare, Ioan. 15. Ego sum uitis: nec tamē erat uitis, sed uitis in morem se habebat. Patet istud uerbū Sum: nulla ratione pro Esse, accipi posse, sed pro significo, uel exprimo, ut sit sensus: Ego uitem significo, uel exprimo, uel eius in morem me habeo. Est ideo eius significantia non perpetuo pro esse accipitur, sed etiam pro significare.

Est tibi quasi anima tua, Deut. 13. cap. pro eo quod est, Diligis illum sicut teipsum. Latini uti hyperbola solent in describenda maxima beneuolentia: nempe, Dimidium animæ meæ, aut animę meæ portio. Est mihi, Hebræis etiam pro habeo est, quemadmodum Latini cum datiuo accipiunt, Gen. 32. Nunquid est uobis frater. Virgilius, Est mihi pater domi, est iniusta nouerca.

¶ *Esurire & Sitire*, apud Matthæum cap. 5. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam. Dominus Esuriendi & sitiendi uocabulis significauit ingens desiderium & modis omnibus exquisitissimum iustitiæ studium, id quod à suis requirit.

Esurientes

Esurientes hinc iustitiam dicuntur, qui egent iusticia: siue intelligas iusticiæ illam indigentiam, pro eo quod à nemine possunt quod iustum & æquum est obtinere: siue pro desiderio propriæ innocentiæ, quo scilicet discernuntur, qui iam peccata sua agnoscunt. Beatos dominus pronunciat, pauperes, lugẽtes, mites et Esurientes, hoc est, secundum carnem infelices, & quorum res accisæ & adflictæ sunt iudicio mundi, suadere uo luisse sui abnegationem, carnis mundiq; mortificationem, ut scilicet præsentibus libenter ualedicere, & ab ipso expectare cœlestia.

¶ Et, quod Hebræis est Vof, uarie utuntur. Iam rationali pro accusatiuo, pro causa li, ut causaliter exponatur, Sic Esaiæ. 64. Ecce iratus es, & peccauimus, id est, quia nos peccauimus, ideo tu iratus fuisti. Sic in salutatione angelica, Lucæ. 1. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fuctus uentris tui. id est, quia fructus ipse benedictus, ideo & tu benedicta es: nimirum non per te, sed à fructu quem gestas in utero tuo, per quem & bene dicentur gentes, ut sit ipse & benedictus & benedicens, sicut sanctus sanctificans Genesis. 3. capite. Et emisit enim dominus deus, id est, Et hæc fuit causa, ut mãdaret eum dominus, Gen. 4. Hebræus sic legit: Et concepit & peperit Cain, & dixit, Hic. Et causalis cõiunctio & dixit, hoc est, intra se cogitauit, animo statuit, Et Exodi. 10. cap. Et pro dum ponitur, ut Genesis. 7. cap. Et diluuium aquarum fuit, uel uenit, id est, dum uenit, quando uenit. Et pro tunc, Gene. 12. cap. Et dixit ad Saram uxorem suam, id est, tunc & hoc consilium iniit cum uxore. Mox sequitur, Et fiet. sic enim habent Hebraica ad uerbum, Gen. 18. Et dimittam omni loco, pro tunc. & Leuit. 1. cap. Et de turturibus, id est, Tunc de turturibus.

Et, pro igitur uel ergo ponitur, Gen. Ac si dicat: Et noui te esse uenustam: fiet igitur, quum Ægyptij te uiderint, &c. Deinde mox: Et dicẽt iterum: Et ero tunc. Tunc dicent forma scilicet tua uisa. Et me interficiant. hic copulat.

Et, quoq; coniunctio, obedientiæ promptitudinem significat, Danielis cap. 1. Et ad finem dierum, quos rex dixit, ut introduceret: & introduxit illos, &c. Sic & in uersu 20. eod. cap. Et comperiebat.

Et, pro ideo, Gen. 26. Abimelech dicebat: Potentior nobis factus es, recede à nobis. Et ille discessit, id est, ideo.

Et, pro ut, quod Hebræis frequẽs est. Gen. 20. Orabit pro te & uiues, id est, ut uiuas. Et Gen. 23. in Hebræo legitur, Et dabit mihi speluncam duplicem, pro quo Latinus interpres: Vt det mihi speluncam, Gen. 9. cap. Et erit signum, pro Vt sit signum.

Et, pro nam, uel enim, uel quia, Gen. 35. cap. & 22. Et non pepercisti unigenito filio, pro, quia non: Vel, non enim pepercisti.

Et, pro relatione, Esa. 3. capite. Et sicut grex quem colligit. Hebræus: Et sicut grex, & nemo, id est, quem nemo colligit. Et pro quod, Gen. 9. Et nequaquam, id est, quod nequaquam.

Et, pro id est, Genesis 3. Et semen tuum: pro, id est, Genesis 28. Et in semine tuo, pro, id est, Exodi 29. Et adipem qui operit intestina. Hoc loco Et, accipitur expositiuè, quasi dicat, id est, adipem tegentem intestina, Numeri 31. capite. Et tubas ad clangendum tradidit ei, Id est, tubas quoque clangore solebant in honorem Dei, quibus etiam signum dabatur in bello.

Et, coniunctio interdum omittitur, ut Exodi 17. Proijce uirgam coram Pharaone, erit in colubrum. Et, pro sed positum uidetur, Matth. 17. Et non agnouerunt eum, id est. sed. Marci 12. Et metuebant multitudinem, pro, sed est positum more Hebraico, quo Vof uice est multarum cõiunctionum. Nam pro quauis coniunctione Vof Hebræis. Item, Et, pro nam, Ioan. 11. cap. Et, pro aut, Exodi 12. cap. Iuxta quem ritum tolletis & hœdũ. Et, pro Aut, positum est.

Et, sæpe concludentis particula, non coniunctio copulatiua. 1. Ioannis 1. capite, Et uita manifestata est, & uidimus, ideo testamur, & annunciamus uobis uitam æternam, quæ erat apud patrem, & manifestata est nobis. Sic Ioan. 1. capite. In principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, & Deus erat uerbum. Nam postremum Et, concludentis est particula.

Atqui inter innumeras acceptiones istam quoque ut celeritatem & accinctam signi ficet, ut 1. Reg. 17. 14. Item. Et copulatiua, id sepe fit inter duo substantiua. Et quodcunq; uerbũ sapiẽtiæ. Apud Hebræos, Omne uerbũ, &c. Sæpenumero enim duo Et, in duob⁹

membris uim habent,quemadmodum cum & tunc,aut protinus enim:ut in Geneſi cernere licet.

¶ *Ethnicum & Publicanum eſſe*, eſt deleri è catalogo eccleſiaſtico,& recenſeri,haberiq; inter facinoroſos,quibus nihil neq; officij,neq; ſynceri tuto committas,ut nos ſolemus mœchos ἀντεφώνως deprehenſos honore & trabea exutos publice dedecorare,ut.2.Corinth.2.cap.

¶ *Euacuare*,eſt abolere,obliterare,irrita reddere,antiquare,abrogare,quo uerbo frequenter utitur D.Paul⁹ Rom.3.Interpres ſæpenumero uertit,deſtruere ἀργεῖν ocioſum. Inde κατεργεῖσθαι ocioſum & ſuperuacaneum.Item,pro præparare uſurpatur,Gen.24. tego euacuaui domum & locum camelis.Septuaginta,Præparaui.

¶ *Euaneſcere*,pro fruſtrari,uſus eſt Paulus hoc uerbo ad Rom.5.cap. Euanuerunt in cogitationibus ſuis,id eſt,uani,ſuperuacanei facti ſunt,hoc eſt fruſtrati ſunt. μάταιος enim fruſtra.inde μάταιος ſuperuacaneus & nullius uſus.Vulgo uanum uocant glorioſum & ſuperbum.Qui callent,Vanum dicunt,aut quod uerum non eſt,aut quod frinolum eſt & inane,nihil habens ſolidi.

¶ *Euangelij* uox,nec eſt Hebræa,nec Latina,nec Germanica,nec Gallica,ſed Græca eſt,& ſignificat bonum,fauſtum,& felix nuncium.Quem enim Græci angelum,unde Euangelion deſcendit,uocant,eum non nuncium uocamus.Et Euangelia Græcis dicebantur ſacrificium & ſupplicationes pro iucundo & optato nuncio ſuſcepta.Item fauſti nuncij præmia.Nam ueteres præmium τὰ εὐαγγέλια uocarunt,quod dabatur fauſta nuncianti.Sic Cicero ad Atticum.O ſuaues epiſtolas quibus Euangelium deberi fateor.Lege Budæum in annotationibus Pandectarum,in Tit.De officio præfecti prætorio.Autore autem etiam ipſo,renunciationes,& præconia,id eſt, μνήματα καὶ πυθόμενα ſignificant.Poteſt autem iſtius uocabuli uſus in prophanis quoque rebus eſſe.Si cui famelico adnunciatur,lautam et opiparam cœnam paratã eſſe,Euangelion(ſed prophanum)dici poteſt.Hoc enim nuncio exhilaratur & refocillatur animus famelici.Si quis carcere captiuus audit,ſe proximo die liberum fore,audit Euangelion,hoc eſt,nunciã animo ſuo gratiſsimum:ſi medicus polliceatur ægroto, qui multo tempore maximis doloribus excruciatus eſt,poſtero die priſtinam ſanitatem adfuturam,is certe dici poteſt ægroto Euangelion prædicare.Breuiter,quicquid iucundi,grati,& læti,triſti & cupido animo adnunciatur,id Euangelij nomine explicari poteſt.Diſcimus hinc ergo, Noui Teſtamenti ſcriptores Euangelij uocem uſurpaſſe,pro publica gratiæ ac redemptionis per Chriſtum partæ,renunciatione ac prædicatione,de qua innumera ſcripturę oracula prædixerunt.Vel,Euangelium,eſt felix illa prædicatio qua Chriſtus annunciatur nobis datus,ut per ipſum à diabolo, peccato & morte liberati, in ipſo ſanctificemur,& credentes patriæ reſtituamur,æternumq; uiuamus.Euangelion regni aliud nõ eſt quàm fauſta annunciatio,quod deus uelit regnare in ſuis,in terris: poſt hoc ſeculũ autem & hanc uitam transferre illos ad ſe in ſedes beatas,& æternum regnum,idq; per meritum Chriſti domini.Apparet Apoſtolos domini Euangelij uocabulum ex prophetis,ut & alia ferè omnia ſua,accepiſſe,Eſa.61.cap.Spiritus domini ſuper me,&c.

Euangelizare,eſt lætum,iucundum,ſuaue,bonum & acceptum uerbum nunciare, Germanicè,Gute meer ſagen,etvvas trœſtlichs uerkundigen.Id quod maximè conuenit condonationi noxæ,per Chriſtum cõſequutæ.Euangelium annunciari,nihil aliud eſt,quàm redemptionem nunciari.Et expectatæ diu,tandem exhibitæ per Chriſtum ſalutis,renunciatio,præconiumq; publicum.

Euangelij & legis diſcrimen.

Paulinas epiſtolas non minimam noui Teſtamenti partem,nemo ſanè intellexerit, ſi non probè teneat quid ſit Lex,& quid Euangelium dicatur.Solidum namq; eſt & ſine miſsimum,ſcripturam in hæc duo diſtingui,& Euangelion pro qualibet promiſsione gratiæ dei uſurpari.Nam quicquid in ea legimus,aut requirit aliquid à nobis & Legis nomine cenſetur:aut pollicetur aliquid,& dei rectè uocatur promiſsio.

Sacri ſcriptores autem promiſsiones ἐπαγγελίας, non εὐαγγέλια uocant:& per Euangelion ubiq; Chriſti & pacis,gratiæ,quam nobis reſtituit prædicationem publicam illam, & omni creatura communicandam intelligunt:id quod quiuis agnoſcat,excutiens ea noui Teſtamenti loca,in quibus hæc uox legitur.

Eſt

Est autem Lex, doctrina requirens perfectam obediẽtiam erga deum, non remittit gratis peccata, non pronũciat iustos: id est, acceptos deo, nisi legi satisfactũ sit. Et quanquam habet promissiones, tamen hæ requirunt conditionem impletæ legis. E contra Euangelium, & si cõcionatur de pœnitentia & de bonis operibus, tamen continet progenda à lege: gratis enim remittit peccata, & pronunciat nos iustos, etiamsi legi non satisfacimus. Infrà suo loco fusius dicemus.

¶ *Euangelij nomina* sunt hæc: Virga directionis, & sceptrum regni dei dicitur. Psal. 45. Remissio peccatorum Euangelium dicitur, ut Luc. 3. cap. Remissio peccatorum, peripharsis est Euangelij, aliàs Paulus iustificationem uocat more Hebraico, pro absolutione & remissione peccatorum. Nemo enim iustus est, nisi qui credit in Christum, & qui credit sibi per Christum remissa esse peccata, & is studebit se Christo confirmare. Virga ferrea appellatur, Psal. 2. Lux magna. Esa. 9. & Matth. 3. cap. Virga oris Domini, & spiritus oris labiorum, Esa. 11, & 2 Thessal. 2 cap. Lex ueritatis. Malach. 2. Lex ueritatis fuit in ore eius. Verriculum. Matthæi 13. Cornu salutis. Lucæ 1 cap. Virtus Dei. Rom. 1. Administratio spiritus & iustitiæ. 2 Cor. 3. Vterus & uulua. Esa. 46. Panis uitæ. Ioan. 6. Dies uirtutis & uterus auroræ, Psal. 109. Est enim Dies uirtutis Christi, quo filij nascimur, atque concipimur, uelut eos: nempe citra operam hominum de cœlo solo, gratia spiritus sancti. Virga uirtutis, eod. Psalmo. Huius uirgæ fastigium adorauit in manu Ioseph. Lex apud Esa. cap. 51. Lex à me egredietur, dicitur Euangelium, ut apud Paulum, Lex spiritus uitæ: quod Euangelium è Sion egressum est. Farina, pro Euangelio sumitur, Mar. 13. Scissura petrarum, cauernæ saxorum, Esa. 7. Cornu ferreum. Vngulæ æreæ, Mich. 4. Clypeus ignitus, Prouer. 30. & Heb. 4 cap. Benedictio prætextu, cuius aliquando prædicatur maledictio. Malach. 2. Fons aquæ uiuæ, Ioan. 4. ca. Granum frumenti cadens in terram. Mat. 12. quod & Christus ipse Ioan. 6. Carbo uiuus, carbunculus, uel calculus, Esa. 6. Aqua salutaris, &c. Iudicia uocat, Esaiæ 26. cap. quia Euangelion damnat omnium hominum opera & studia, & Christi tantum merita offert, quibus nitamur. Et 41 Iudic. ait, gentibus proferet. Mysterium Apostolus Euangelium uocat. Colos. 1. & 4. Aut quod non omnibus manifestandum sit: non enim quod non omnibus publicandum sit: nequaquam quod sanctum est canibus datur, neq; margaritę, &c. Aut, quia humanum ita excellit captum, & nemo hoc grande intelligat mysterium siue arcanum, nisi qui spiritu doctore susceperit. Vnde Matth. 13. Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum. Et 1 Corin. 2. Sapientiam loquimur inter perfectos. Mysterium recondi-tum à seculo uocatur. hoc est, à mundi exordio, legalibus tectum inuolucris, typicisq; designatum mysterijs. Rom. 15. 1 Cor. 2. Colos. 1. Eph. 3.

¶ *Euge*, uox est collaudantium, exultantium, & maximo gestientium plausu, applaudentis ei, qui bona fide suo functus est officio: ueluti cum nos rationem reddentis, gratæq; nobis proferentis sermonem excipimus, ac dicimus, He, das ist recht, vvol gehandlet. Matth. 25. cap. Euge, inquit, serue bone & fidelis, &c. Et, Euax, uox eiusdem significationis est. Alij ex Hebræo uertunt Euge, Vah, quæ est uox insultantis. ut habetur Psal. 70.

¶ *Erugo*, apud Matth. 6. Ne reponatis uobis thesauros in terra, ubi erugo & tinea corrumpit, &c. Per Eruginem enim intelligendum est, quicquid poterit corruptionis rebus terrenis accidere. Ergo, si fuerunt in usu, consumuntur: & si non fuerunt in usu, corrumpuntur.

¶ *Euigilare*, apud Paulum Rom. 13. est oculos & mentem recipere. Vtitur enim symbolico, siue allegorico sermone Paulus: Et hoc scientes, inquit Paulus, tempus, quia hora est iam à somno, &c. Euigilare, siue Expergisci.

Euigilare Deum, est ultionem de suo populo sumere, ut infrà patebit in tropo dictionis Exurgere.

¶ *Eudocia*, pro bona uoluntate. Ephes. 1. secundum beneplacitum uoluntatis suæ. Theodoretus, Consueuit sacra scriptura uoluntatem appellare beneficientiæ bene placitum. Vide & Budæum.

¶ *Eunuchi*, sunt lectorum custodes & cubicularij, uiri potentes apud reges, non spadones, quamuis Barbari reges, id muneris hisce molliculis ferè iniungere soliti sunt, unde & eunuchi, spadones dici cœperũt. Dan. 1. Hinc Hebræis eunuchi pro aulicis & mini

ſtris principum accipi rarum non eſt, nominis tranſitu facto, quòd Eunuchis ſeparentur primo principum uxores: deinde & ipſi principes, ſed uxorij: hoc eſt muliebres facti. Hier. 34. Sic hæc uox Act. 8. non ſexus aut impotentis denotatio eſt, ſed officij. Nam officij ueteribus miniſtri aulæ per catachreſim dicebantur Eunuchi. Et Hier. 38. Et audiuit Ebedmelech Æthiops uir Eunuchus de familia regis, &c. Vir Eunuchus: hoc eſt, ſecundum Ionathan, uir principalis, aulicus, cui non fuerũt execta uirilia, qui non fuit ſpado. Sunt autem, adfirmantibus priſcis Hebræis, crudeles.

¶ *Eurus*, orientalis uentus, cui ſumma uehementia in ſcripturis tribuitur, qui confringere ſolet naues maximas, quibus magnum mare nauigatur. Pſalm. 48. hac ſimilitudine uſus Hier. capite decimo, ubi inducit dominum ſic minari. Vento Euro diſpergam eos coram hoſtibus.

¶ *Exactores* in ſcriptura hi dicuntur, qui per opera legis iuſtificari uolunt: hoc eſt, doctores ſunt legis. De quibus Eſa. 9. Iugum enim oneris eius & uirgam humeri eius, & ſceptrum Exactoris eius ſuperaſti, & Zach. 9. cap. Et nõ tranſibit ſuper eos ultrà. Exactor legis, non amplius tibi dominabitur.

¶ *Exaltare* pro apparere, uel conſpicuum fieri interdum ponitur. Eſaiæ 49. Et ponam omnes montes meos in uiam, & ſemitæ meæ Exaltabuntur, Interdum pro demonſtrare. Pſalm. 21. Exaltare domine, in fortitudine tua cantabimus, & pſallemus fortitudines tuas. Pro laudibus uehere, ut Exodi 15. cap. Deus patris mei, & Exaltabo eum. Extollere ſeu Exaltare utuntur Hebræi per metalepſim, pro interficere: quem enim conterere uolumus, extollimus. Et hoc uerbum Exaltandi uel hodie probroſum eſt. Nam de adigendis afficiẽdisq; patibulo dicimus. Du vvurſt noch erhœcht: id eſt, ſuſpenderis, uel affigeris patibulo. Ioan. 3. Exaltari oportet filium hominis, pro mori, & cruci affigi. Hinc familiare eſt Hebræis, ut crucis ſupplicium, Exaltationem uocent, quomodo & Chriſtus hac uoce uſus eſt, Eſaiæ quinquageſimo primo. Sic habent Hebræa. Et cum dite: hoc eſt, diuitibus, Exaltatio eius. Exultare manum in aliquem, tertij Regum 11 cap. idem eſt quod mittere manum in aliquem, Nehemiæ 13. capite. Eſter cap. 9. Exaltare atqui cor ſuum in uias domini. 2. Paralipomen. 17. Septuaginta, Exaltatum eſt cor eius in uijs domini. Pro quo Latinus nofter, Cumq; ſumpſiſſet cor eius audaciam propter uias domini. Verum 2. Paralipom. 26. & 32. capitur hoc idioma in partem deteriorem. quemadmodum Pſalm. 130. Non eſt Exaltatum cor meum &c. pro eo quod eſt ſuperbire animus, mihi nunquam fuit. Dicitur etiam Eleuare cor, ut ſuprà ſatis declaratum fuit.

Exaltari in uertice mõtium, eſt ſuper omnem altitudinem Exaltari, Eſa. 2. Præparatus erit mons domus domini. In capite montium, & exaltatus ſuper colles. Exaltari manum, eſt oſtendere potentiam & exercere uirtutem, & minari ſtragem & uerbera, tanto acerbiora, quanto diutius expectata. Pſal. 10. Exurge domine & Exalta manum.

Exaltari poſtremo, idem quod exaltata quæ ſint agnoſcere & perpendere. Pſal. 48. Exaltate palatia eius. Idem ualet atq;, ut celſa ſint conſiderate. Vt enim nos dicimus: Extolli, quæ humi ſublata prædicantur: ita ſcriptura dicit, Exaltari quæ exaltata agnoſcuntur, & perpenduntur.

¶ *Exaſperare*, eſt incitare, laceſſere, concitare, irritare: nempe deum. Pſal. 68. Similiter eos qui Exaſperant, qui habitãt in ſepulchris. Hinc exaſperãs, pro incredulo. Ezech. cap. 2. Quia domus exſperans eſt.

¶ *Exatiari*, nonnunquam eſt uoluptate ob proximi incommdum adfici. Iob 16. Simul ſuper me exatiati ſunt. Hinc Exatiantur mali, ſi pij adfliguntur. Exaturabũtur ruſus omnes creaturæ in iudicio domini, propter impiorum perditionem, ut Eſaias ait: Erunt ad ſatietatem uiſionis omni carni.

¶ *Excelſum*, Idola & aræ, Hebraico ſermone Bannoth appellantur. Hoc adnotauimus propter eos, qui in Samuelis & Regum uolumine, quid ſignificet hoc uerbum, dubitant. Mich. 1. Et quæ Excelſa Iehudæ non Hieruſalem. Septuaginta, hamartia: id eſt, peccatum. Excelſum. id eſt, ſignum lupanaris, ut ſunt ſacella, delubra, aræ, lucus. Ezech. Et faceres tibi excelſum in omni platea, in omni compito coli feciſti tibi Excelſum tuum. Et Hierem. 2. Excelſa ſubſtantiue, uocabant ſua ſacella, quæ ædificabant, impoſitis altaribus, ad prohibita ſacrificia, ut ſæpe legis 4. lib. Reg. Vbiq;, inquit, es conſtuprata: id eſt, exercuiſti idololatriam tuam contra legem.

Excelſa

Excelsa inhabitare, est confidenter uiuere, & quasi in turribus altis. Sicq; animo secu rum esse, ab igne deuorante. Esa. 33. cap. Illa excelsa inhabitabit. Verè in excelsis habitat Christus, qui turrexit ad dexteram Patris in cœlestibus, & cui mors ultrà non dominabitur. Rom. 6. cap.

¶ *Excidere*, Latinis significat obliuisci, negligere, cessare, aut omittere. 1. Corin. 13. Charitas nunquam excidit. Im selbs entpfallen. Sye entpfalt. Im selbs nyemar. Vel, Sie felt nyemar. Charitati nunquam excidere, est omnia rectè agere, & ut oportet: nam charitas format omnia opera, nusquam errat. Absque charitate in omnibus erratur.

Excidere à uero, est sese in ipsum auerni barathrum præcipitare. Hebr. 6. cap. Si excidunt, denuo reuocentur per pœnitentiam. Excidi aut perire de populo suo, est separari à congregatione. Leuit. 7. Excidetur uel peribit de populis suis: id est, separabitur. Sic & Leuit. 17. Omnis anima quæ comederit, &c. interibit uel excidetur, uel peribit, idē sunt. Est non communicari inter eos, qui salutem consequuntur.

¶ *Excommunicatio*, est tantū externa pœna non admitti ad Ecclesiæ consuetudinem uel commercium externum. Sicut 1. Corinth. 5. cap. Cum illo ne cibum capiatis, &c. Ità scortator traditur satanæ. Et ad Thessal. Resistentes uerbo dei in Euangelio. Ciuitates aspernantes uerbum dei. Matth. 10. cap. Excutite puluerem, &c. & pleriscq; alijs locis excommunicantur, ut ille faber ærarius Alexander, item Hymenæus. 1. Timoth. 1. & 2 Timoth. 4. Ideo Excommunicatio nihil aliud est, quàm cum iudicio in immorigerum excommunicandum lata sententia.

¶ *Excutere puluerem è pedibus*, symbolum est excommunicationis & reiectionis contemptorum uerbi ab Ecclesiæ consortio. Hoc sensu, Quemadmodum puluis eijcitur & excutitur à pedibus, ita Deus uos contemptores sui uerbi abijcit. Matth. 10. cap. Exite, in quit, ex ædibus aut ciuitate illa, & excutite puluerem pedum uestrorum. A Marco & Luca additur, In testimonium aduersum illos. Voluit Christus primò suos testari adeò nihil terreni commodi ab his uenari, quibus uenerunt prædicatum euangelium, ut ne puluerem quidem uilissimum, qui pedibus adhæserat, uelint sibi uendicare. Deinde uoluit propter reiectam prædicationem Euangelij, eorum abhorrere communionem, ut ne in re quidem & minima & uilissima illis uelint participare porrò. In hoc ostendebant apostoli reiicientibus uerbum, quantum esset eorum peccatum, Lucæ 10 cap. Quemadmodum (sensus est Lucæ) citra negotium excutimus puluerem uestrum, ita Dominus uos nullo negotio disiiciet à conspectu suo. Et hoc quidem icon apud prophetas uulgatissimum est. Vbiq; enim impij, aiunt, disiicientur à facie Domini, ut solet puluis à facie uenti. Exemplum Excussionis puluueris habes Act. 18.

¶ *In Excubijs Domini esse*, Num. 9. Id est, tunc obseruabant præcepta Domini, ritus & cæremonias quas iusserat Dominus obseruari, ministrabant Domino, ut ipse præceperat. Hoc significat, In excubijs Domini esse.

¶ *Execrari*, est dare in maledictionem. Execrationem esse in populo. Et esse uel dare in maledictionem, idem sunt. Num. 5. De te Dominus in maledictionem uel ponat, id est, faciat te deus miserum & infelicem, & ut sis tam misera & infelix, ut publica & communis imprecatio sit.

Execratio uerò, pro iuramento ponitur, Genes. 24. cap. Innocens eris ab execratione uel maledictione: ubi Execrationem uocat, quod alibi Iuramentum uocauerat. Et Gen. 26. Fiat, obsecro, execratio inter nos & inter te. hoc est, quæ maledictis obstringit, quæ accidant qui periurauerit.

¶ *Exercitus*, Hebræis non solum pro militia & exercitu, uerum etiam pro ornatu usurpant. Genes. 2. Et consummati sunt cœli & terra, & omnis exercitus eorum. Septuaginta interpretes, cosmos, id est Ornatus, legunt. Dominus autem Matth. 13. ac Luc. 21. cap. non Exercitum, aut certamen, sed uirtutem appellat: nam Virtutes (inquit) cœlorum mouebuntur. Deuter. cap. 4. Omnis exercitus cœli. id est, omnia quæ sunt in cœlo & in terra.

Exercitus filiorum Israel, pro numero maximo. Exo. 12. Educam exercitū uestrum, uel, Eduxi exercitus uestros. id est, omnem numerum filiorum Israel.

Item Exercitus, pro astris. Psal. 103. Prædicate Iehouam omnes exercitus eius.

¶ *Exhortationis* nomen, pro doctrina. 1 Thes. 3. Siquidē exhortatio nostra non fuit ex impostura. *Ἐξαγόμενον*, hortatus propriè est nautarū adhortatio inuicem sese ad operas admonen

monentiũ. Transumitur autem ad quemlibet exhortationẽ alacrem, ut 1. Thess. 4. cap. Quoniam ipse dominus in hortatu & uoce archangeli. Vide celeusma. Quid autem sit Docere & exhortari, in litera D, in uerbo Docere, explicatum est.

¶ *Exinanire*, est uastare, consumere, & è medio tollere. In Psalmis sæpe occurrit, ut Psal. 136. Hostium populi dei uox refertur. Qui dicunt: Exinanite, exinanite usque ad fundamenta in ea: id est, uastate urbem, & subuertite usque ad solum. Et Psalm. 74. Veruntamen fex eius non est exinanita: id est, adhuc supereſt fex, quam bibent peccatores. Pro humiliare & seipsum deiicere, ut de incarnatione Christi ad Philippenses secundo legimus. semetipsum exinaniuit forma serui assumpta: Exinanitio illa filij dei non est euacuatio, sed humiliatio. At humiliatio aliud nõ est, quàm incarnatio & mors in carne perpessa.

¶ *Exhibere*. Actorum cap. 24. Lucas pro conuincere dixit & probare. Id quod Germanice sic efferimus. Sie leerdends nymmer mer mœgen vff mich bringen. Græce significantius scriptum est, ὅτι παρασχεῖσαι μὴ δύνανται: Id est, nec exhibere me possunt. Alia translatio habet: neq; probare possunt ea de quibus me accusant.

¶ *Exire*, nomen belli, & uocabulum militare quoque est, Esaiæ 47. cap. Dominus sicut gigas exibit. Zachariæ secundo capite. Sic egrediendi uerbo, pro militandi Ebræi utuntur, & Germani aussziehen, aufzreysen. 2. Paralipomen. 32. capite: Nobiscum est dominus, pugnetq; nobiscum, excitabit æmulationem. Et Exit Dominus ficut uir bellator. Interdum pro ire, aut proficisci, ueluti proconsules, præsides, prætores, præfecti in prouincias proficiscuntur, ut ius dicant. Esaiæ primo: De Zion enim Exibit lex, de Hierusalem & cætera. Pro deficiendi uerbo & sese dedere uidemus accipi. Esaiæ 36. Vt exeatis ad me. Exitus montis. Iosue decimo septimo: id est, quàm longe mons protenditur. Exitus ipsius, siue fines tui. Exire ignem, est oriri malum ex aliquo. Ezech. 4. cap. Ex his ignis exibit.

Exire præterea è medio, apud D. Paulum 2. Corin. 6. cap. Adhortatur Corinthios, ut deserta idolorum & gentilium immunditia, deo adhæreant fide per sanctimoniã. Ex his liquet facile quid sit immundũ (ut alibi inquit Paulus) non tangere, aut è medio illorum exire. Non est migrare, aut quod Iudaico more à contactu quarundam rerum abstinere cogites. Homo corpore & mente constat. Coinquinatur mens idololatria falsoue cultu sacris peregrinis, siue idolothytis, perfidia & contemptu dei, Corpus uero & scortatione, ebrietate, luxu, idque genus alijs sceleribus. E medio ergo illorum exit, & immundum non tangit, qui timorem dei retinet, & si ab inquinamentis illis animæ & corporis seruat: hoc est, pro se mundum seruare significat, ab inquinamento eorum cum quibus habitas. Hoc est Exire ab immundis. Deinde si resipiscentiæ nulla spes est, etiam corpore ab eis exire, ut Christus præcipit, Matthæi decimo cap. Hoc enim exponit Paul. 2. Corinthiorum sexto capite, quum dicit: Nolite tangere immundum. Si tamen impuri & obscœni sunt, ut nulla sit spes, Exi, & noli cohabitare impijs, &c.

Exire atqui & intrare ante populum, est præesse populo, in omnibus regere & gubernare, in omnibus rebus gerendis: qui deducat eos ad bellum, & reducat ad urbem, Num. 21. cap. Similiter Egredi & Ingredi coram populo, est dignè præesse subditisq; solicitè, proq; omni uirili prodesse, præire populo in agendis, exemplumq; præstare & regulam quam sequantur. 3. Reg. 3. cap. ut suprà quoq; declaratum est.

Exire & intrare, pro uersari in loco aliquo, Hebraismus. Sic Marci 4. cap. Dormit & exurgit homo: id est securus transigit noctes & dies, & segetem fortunæ committit ipse agens alia uitæ munia. Et Actorum 1. cap. Intrare & Exire, Hebraismus est, pro assiduum esse in aliquo loco, & in eo uersari. Et 9. cap. Et erat cum illis Intrans & Exiens. Et erat cum illis, ac uersabatur Hierosolymis, quod idem est. Item, In Exitu tuo, Deut. 33. cap. In Exitu tuo cum egredieris, subaudi ad bellum. Significat eum futurum bellicosum. Egredi & Ingredi non possum: id est, amplius fungi officio ducis, ut suprà in uerbo Egredi, expositum est.

Exire dominum à Hierusalem, ut est apud Zachar. 2. capite: est excæcare gentem Iudæorum, ut ædificetur cœlestis Hierusalem, ut iniret plenitudo gentiũ. Exire animam schemate Hebraico, est mori, è uita secedere, Genesis 35. cap. Et hoc Hebraico sermone Germani utuntur, sed cum ioco coniunctum est apud nos, & idem ualet quod uentris crepitum emittere.

Exire cor

Exire cor, uel Egredi animam, pro concidere, exinanire. Gen. 24. ca. Et exijt cor eorum, & obstupuerunt. Et in nomine Anima, istius tropi mentio facta est. Germanis is tropus sic effertur, Es entpfiel innē das hertz und sinne.

Exire à deo, est forma humana assumpta in terris apparere, & salutem nostram perficere. Deus enim à seipso non exit. Ioan. 13 cap. Quod à Deo exiuit. Et Ioan. 16, 17. cap. Exiui à patre. Exire filij, esse carnem naturamq; nostram adsumere.

Exire à facie dei, est nudatum esse præsidio diuino. Genes. 4. cap. Et egressus Cain à facie Dei.

Exire, pro diuulgare, crescere, celebrari, permanare rumor alicuius. ut 1 Paralip. 13 ca. Et exiuit nomen Domini in uniuersa terra. Et exiuit nomen eius usq; in longinquum: hoc est, in procul etiam dissitis regionibus celebri fama fuit rex. Quæ regio in terris non (ut Poeta inquit) plena laboris? Rursus apud eundem. Huc pertinet quod libro Esther cap. 9. de Mardocheo legitur, Et fama eius abijt per omnes prouincias. Vbi D. Hieronymus habet, Fama quoq; nominis eius crescebat quotidie: Et Ioan. 21 cap. dicit: Exiuit sermo inter fratres. Et hoc significatu usus est Suetonius in Nerone. Exijt, inquit, post scenicas coronas opinio. Hoc est quod Ioannes uult dicere, Permanauit rumor inter fratres, hoc est, ad Christianos cæteros, & quod illic erat dictum paucis audientibus, id serpsit ad plures, uulgante fama.

Exeundi uerbum, pro fluere accipitur, Gene. 2. Et fluuius exibat de Eden. Virgilius: Non sic aggeribus ruptis cum spumeus exit amnis. Pro effulgere, Ioan. 17 cap. Et ipsi acceperunt, & cognouerunt uerè, quia à te exiui. id est, effulsi ex substantia Patris, & humanam carnem assumpsi. Cyrillus, Ita alij quidem uerba eius seruarunt, crediderunt ex Patre illum effulsisse. hoc enim (ut arbitror) exiuisse significat. Exiuisse à Deo autem (ut suprà dixi) nihil aliud est, quàm natum esse, effulsisseq; ex substantia Patris, eo processu, quæ est, & in propria intelligitur substantia. Ioan. 16.

Exire denique ante eos, 1 Paralip. 13. est obuiam ire, aut fieri obuius in occursum. Et audiuit Dauid, & exiuit ante eos. hoc est, Obuiam iuit. Septuaginta interpretes legunt, In occursum eorum.

¶ *Expandere pallium*, est coniugale opus committere Hebræis: uel succurrere uiri alicuius, defendere ab iniuria, uel familiarius complecti. Ruth 3 capite, Expande pallium tuum super famulam tuam, quia propinquus es. Et cap. 4. clarius exprimitur. Expandere pallium super relictam fratris. quod est, hæreditatem demortui fratris emere, & ex relicta illi uxore & uidua semen suscitare secundum legem.

Expandere deinceps uestimentum, est etiam rem perspicuam facere. Deut. 22. Et expandent uestimentum.

¶ *Expauescere*, pro admirari. Dan. 3. Nabuchodonosor rex expauit. hoc est, admiratus, territus est, & obstupuit.

¶ *Expectare*, pro sperare aut fidere, certa scilicet & indefessa fide. Esa. 25. Hic est Dominus quem expectauimus. Hiere. 29. Expectatio, pro potentia, Psal. 61. Attamen Deo subdita anima mea, quia ab ipso expectatio mea. Septuaginta, patientia mea. Philip. 1.

Expectatio, interdum pro spe: & spes, pro eo quod quis sperat, capitur.

Expectare deum, est tempus miserendi Deo non præscribere, sed patienter ferre, moram certo de auxilio ferre: quandoquidem futuro, pro præsenti sæpe utitur scriptura. Psal. 27. Expecta Dominum, uiriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominū. Sustinere, in eodem significatu sumitur. Est sperare in Deum, & non frangi aduersitatibus. ut habetur Esaiæ 33 capite: Domine, miserere nostri: te enim sustinuimus, uel expectauimus.

Expellere, aliquando in hæreditatem transire, & aliquando per contrarium pelli ab hæreditate. Num. 33. cap.

¶ *Expergescere*, seu uigilare, est feruere spiritu, sicut apparet ex parabola euangelica Matth. 24. Moram faciet Dominus uenire. Et 1 Thessal. 5. cap. Ne dormiamus sicut cæteri, sed uigilemus & sobrij simus. Itaq; Somnus, est carnalis saturitas, nec timere Deum, nec credere ei. Et Psalmis ait, Expergiscere. Econtrà uigilare, est timere & fidere feruenti spiritu. Sicut ex Thessal. apparet, de lorica fidei & galea spei. 2 Corin. 15. Expergiscimini, & ne peccetis.

¶ *Experimentum*, posuit Paulus pro uarijs malis, quibus exercitabat. 2. Cor. 12. Gal. 4:

Et expe

Et experimentum mei quod erat in carne,non estis aspernati:id est,tentationem meam &c.Et 1.Pet.cap.1.Afflicti in uarijs experimentis.Adflictiones,experimenta uocat.

¶ *Expiare* aliquem, pro purgare,oblata deo hostia:id est,remouere iram dei à peccatore,deum peccatori placare,& ei ueniam ab eo impetrare sacrificijs.Num.15.cap.

Expiare animas,pro reconciliare.Exo.30.Nihil minuet de dimidio à siclo Chaber Hebræus,qui datur in oblationem domino,ad expendendas animas uestras.id est,ut reconcilietur uobis.Dies propitiationis est,ut propitietur uobis dominus deus uester,Leuit.23.& cap.1.In expiationem eius.id est,ad placandum ipsi deum.Quasi dicat,hac uictima reddetur deus illis propitius.

Expiationem facere.Leuit.14.cap.Et deprecare pro te. uel, Et expiationem fac pro te,aut placa tibi Deum,propitium tibi redde,& fauentem tibi & populo per sacrificiū. Expiationis hircus uocabatur,unde fiebat sacrificium pro expiatione peccati,Numeri cap.28. Expiationum denique dies, est ad expiandos uos coram Domino Deo nostro. Hic dies expiationum erat uelut umbra diei,qua Christus passus est pro nobis,ut expiaret nos ab omnibus peccatis.

¶ *Explanare super tabulas*, est manifestè scribere.Abacuc 2 cap.Scribe uisum,& explana super tabulas.hoc est,scriber in perpetuam rei memoriam,idq; clarissimè scribas super tabulam uel paginam,diu perseuerare ualentem,tamq; manifestis literis & sententia,ut facile & legi & intelligi possit à quolibet tranleunte,ut nullo impedimento uelocitas eius & legendi cupido teneatur,sed plenè descripta ab omnibus capiantur.

¶ *Extendere manum*, est percutere & supplicium sumere ab impijs.Sophoniæ 1 cap. Et extendam manum meam super Iehudam.Extensio quippe manus,gestus percutientis est.Hinc Extentus,pro excelso & robusto.Deuter.4.Et in manu forti & brachio extento.Et cap.11 eiusdem libri,Extentumq; brachium.quasi dicat,Paratum ad feriendū. Ezechie.6.cap.

Extendere manum,est interdum idem quod beneficia porrigere.Item Extensio,pro firmamento usurpatur,ut Genesis,Sit extensio in medio aquarum.Septuaginta habent στρωμα.

Extendere denicq; funiculum(ut est apud Prophetam alicubi)Samariæ,super Hierusalem : est uisitare, & euertere.Sensus est,Quando Hierosolymitæ tam enormiter peccant,decreui hos Samaritanorum gladio uisitare,& iam demetior eam instar fabri,quo modo dissecanda atq; findenda sit nobis robustissima.

Extendere perpendiculum super Hierusalem,Zach.cap.1.est diligenti opera instaurare. Similiter,Extendere regulam, eodem significatu est ædificare ædificium.Alicubi, euertere significat.

¶ *Exterminare,seu Demetere*, posteriora malorum regum dicitur Deus:id est,abolere,& extirpare posteritatem illorum,ne quis eius prosapiæ superstes sit.3 Reg.16.& 21 cap. Hinc Exterminatio,eruditio,seu extensio,est secundum Hebræos,qua quis moritur ante legitimū tempus,hoc est,ante quinquagesimū aut sexagesimū annū.Aliàs Hebræi atq; Latini præmaturam mortem,quæ homini inuidit,appellant.Inde Exterminatio,pro nominis & posteritatis deletione Hebræi accipiunt : atq; uerbum Exterminari, eodem significatu capiunt.

Exterminari atqui animam incircunciſi,est ferre iudicium infidelitatis. Gen.17.cap. Hæc loquutio frequens est in libris Mosaicis.

¶ *Externi*, dicuntur qui de tribu Leui non erant.Num.1. Si,inquit,alius quàm de tribu Leui propius accesserit ad dissoluendum,aut rursum erigēdum tabernaculum,interficietur,iuxta sententiam iudicum.

¶ *Extinguere*, apud D.Paulum 1 Thessal.5.cap.est aspernari,contemnere,& opprimere.Spiritum,inquit,ne extinguatis,prophetias ne aspernemini.

¶ *Extraneus*, pro gentili & infideli.Colos.4.In sapientia ambulate erga extraneos, oportunitatem redimentes.In sapientia,pro Sapientes,posuit more Hebraico.

¶ *Extremum terræ*, significat(Aben Ezra autore)quemlibet terræ locum:ut ab Extremo terræ,nihil aliud sit quàm ab extrema & ultima terra,quę sic uocatur,propter immensam à cœlis distantiam.Psal.135.Qui subuehit nubes ab extrema terra,&c.

¶ *Exultare*, hoc uerbo Theologi uolunt significari uocalem lætitiam,siue cantando,siue loquendo id fiat.Sicut gaudentes solemus iucundè loquī,aut etiam canere,gau-

ire

tire,laudare,iactare,prędicare eum in quo gaudemus,Psal.50. Exultabit lingua mea iu stitiam tuam,id est,cum gaudio prædicabit. Ita Psal.5. In æternum exultabunt: Quasi dicerent:Erunt prædicatores & euangelizatores,id quod proxime huius uerbi aliud it significatio.

De hoc ita scriptum reliquit Basilius Magnus in Psalmum 32. Exultate iusti in Domino. Consueta quidem ac familiaris est sacris uoluminibus Exultationis uox,clarissimum quendam ac uiuidum in rectis animabus statum ostendens. Exultate itaque iusti in Domino. Non autem quando rem prosperam domi habetis:non item quando corpori bene fuerit:non postremo quum ager fructibus omnigenis refertus erit:sed quod dominum habetis talem habentem pulchritudinem,talem bonitatem,talem deniq; sapientiam. Hæc ille.

¶ *Exurgere,Euigilare deum*, est ultionem de suo populo sumere. Sic Dauid pro populo orat. Exurgat deus & dissipentur inimici eius, Zophoniæ cap.3.

Exurgere item dominum,est effectum auxilij & salutis ostendere, Vnde Exurge domine,saluam me fac deus meus. Sic etiam Psal.11. Propter miseriam inopum & gemitū pauperū,nunc Exurgam dicit dominus, Metaphoricè dictum illum Exurgere,qui nescit humana imbecillitate recubare. Sed Exurgam,dicit pro appearam.

¶ *Exuere ueterem hominem*, nihil aliud iubet Paulus Ephe.4. quàm uanitatē mentis, tenebras,ignorantiam Dei,excæcationem,indolentiam & immunditiam ponere,carnem membraq; mortificare,quæ aliàs expoliatio carnis dicitur.

F

ABER, qui uitia destruunt,uirtutes ædificant,omnesq; sancti qui hæc remedia possidentes instaurant semper ecclesiā fabri appellandi sunt. Vnde et Apostolus 1.Cor.3. loquitur: Quasi sapiens architectus fundamentum posui. Et iratus apud Esaiam dominus de Hierusalem ablaturum esse se dicit architectum & uirum sapientem.

¶ *Fabula*, pro explicatione seu interpretatione ad Titum cap.1. Non attendentes Iudaicis fabulis. Fabulas Iudaicas non uocauit sacras scripturas aut literas propheticas sub figurarum inuolucro maxima continentes mysteria, sed constitutiunculas humanas,de quibus traditionibus legere in Euangelio Matth.15 & 23.cap. Marci.7. Timoth.1.cap.

In fabulam atqui esse & In Stuporem, Prouerbium. Deut.28.cap. Et eris in stupore & parabolam,& in Fabulam. Id est,audita calamitate tua,obstupescent omnes populi externi,omnes alios infelices tibi comparabunt,tuam calamitatem in ore habebunt.

¶ *Facere*,tam Latini quàm Hebræi,pro operari in loco ponunt,Esaiæ 19. Erubescent qui lanum facient & sericum. Pro conari & ordiri rem,Exodi 17. Fecerunt sic incantatoris incantationibus. Et est Hysteron & Proteron, posterius pro priore,ut Exodi 18. quomodo dicuntur fecisse,quod non potuerunt: Pro sacrificare,Exodi 10. Vt faciamus domino deo nostro. Facere bouem,3.Reg.18. pro sacrificare. Verg. Quum faciam uitulam pro frugibus,ipse uenito. Et 4.Reg.17.

Facere item pro delere, Deut.3. Et fecisti ei quemadmodum fecisti Sehon regi Amorrheorum. Pro acquirere, Gen.12. Animas quas fecerunt in Haram,id est,homines quos genuerant,& acquisiuerāt. hoc est gignendis liberis operam dare. Pro coquere & parare,Gen.18. Festinauit facere illum. Pro creare,Gen.1. Omne quod fecit. Pro attribuere, Hoseæ 2. Et aurum fecerunt Baal. Pro implere, Rom.2. Sed factores legis iustificabuntur, Pro imperare, Gen.3. Et dominus deus Adam et uxori eius tunicas pelliceas fecit,id est iussit enim togis pelliceis uestiri,& imperauit illis,in perpetuam memoriam inobedientes fuerimus domino,&c. Pro exigere, Lucę 3. Quod constitutum est uobis,faciatis, id est,exigatis. Pro uerbis perdendi atq; in nihilum redigendi, Esaiæ 26. Ne conficiatur terra. Positum est faciendi,pro conficiendi uerbo.

Facere in gentem, Gen.21.cap. pro Faciam ut multi populi nascantur ex te,capite 17. Faciam illum crescere in gentem magnam,pro Efficiam ut populus nascatur ex eo. Et Numer,32.cap.& 14. Item, Facere in turbas populorum, Gen.48. id est, Faciam ut ex te egrediantur quàm plurimi.

Facere quod bonum est in oculis tuis, Gen.16.cap. pro, Fac illi quod tibi lubet. Fac

occurrere, Gene.24.Id est,bene fortunato,saue,annue uotis, da bonum euentum.

Facere nomen magnum,id est,celebrem facere,illustrem,famigeratum,gloriosum 2.Samuelis 7.capite,Feciq; tibi nomen celebre.Facere intelligere 2.Esdræ.8.hoc est,sub monebant populum ut diligenter auscultarent,& cum fructu.

Facere mentionem nominis Dei,Periphrasis iuramenti.2.Samuelis.14.cap.Facere domum,idem est quod latini dicunt rem facere,pro locupletare,augere,curare,ampliare rem domesticam,familiam,dare sobolem.2.Samuelis.7.cap.Gene.30.Et locupletauit te dominus ad pedes meos.Et nunc quando faciam etiam ego domum meam,hoc est,locupletabo,curabo,ampliabo rem domesticam.

Facere ad manipulos,Gen.41.Fecit terra septem annos fertilitatem ad manipulos. Hoc idioma nulla lingua exprimi potest.Maximam enim abundantiam hisce uerbis designant.Facere in oculis omnium,hoc est,uidentibus omnibus,Genesis.23.cap.

Facere salutem,est opem ferre.Nam salus sæpe pro auxilio usurpatur,Exodi 14.Videte salutem domini quam faciet uobis hodie.Translatio uulgaris:State & Videte magnalia dei quæ facturus est hodie,Hebraica sic sonãt.Et 1.Regum.25.cap.Dominus fecit salutem in Israel,id est,saluificabit,è malis eripuit populum suum.

Facere aurum,argentum,æs,pro eo quod est,ex auro.Tale etiam est,operare ligna, hoc est,ex lignis,Factus in salutem,pro eo quod est,facta est mihi salus,Exodi.15.Et factus est mihi in salutem.Factus est super eum spiritus domini,hoc est,Factum est ut esset super eum,Iud.3.cap.Ex quo idiomate,& illud Ioan.1.intelligit:Ante me factus est, hoc est factꝰ est,ut esset ante me,seu prælatus est mihi,uel cœpit esse prior.1.Cor.3.Qui factus est nobis sapientia,hoc est,cœpit uel fuit nobis sapiẽtia,Ezech.16.Facta es mihi, hoc est,coniugio copulata es mihi.Facere cogitationem,Ezech.16.Et non fecisti cogitationẽ super omnibus abominationibus tuis,hoc est,non expẽdisti nec cogitasti quod feceris super omnibus abominationibus tuis.

Facere uiuere,est permittere esse liberam,Iosue 2.Et uiuere facietis patrem meum, Esa.38.Et uiuere faciet me.Facere appropinquare filij Aaron.Facere transire uocẽ,est diuulgare,Exodi 36.Et fecerunt transire uocem per castra.Facere fœtere,est abominabilẽ reddere,Gen.34.cap.Turbastis me,fœtere me fecistis coram habitatore terræ huius.Septuaginta,Odibilem & tanquam facinorosum me esse fecistis habitatoribus terrę.Metaphora sumpta à re putrida & fœtida quæ abominatur.

Factus est sermo,uel Factum est uerbum domini.Idiotismus Hebraicus est,quo serè semper utuntur,pro,Loquutus est dominus,aut dixit deus.Sic Gen.15.Factus est sermo domini ad Abraham.Id est,Locutus est dominus Abrahę:uel,Dominus dixit ad se ipsum,eiq; uerba fecit,Faciam transire,Hiere.13.figurata loquutio.Transferã,inquit, te in terram hostilem ignoram tibi.

Facere iudiciũ autem & iustitiam dei,est quod præcepit deus,& ut deo promissimus nos facturos,Deut.33.Et fecit iustitias domini,& iudicium suum cum Israel.

Facere misericordiam & ueritatem,Genesis 24.Si facitis misericordiam & ueritatem.Hebraicè,Si beneficium & fidem in dominũ meum facere uolueritis.Nam facere cum aliquo misericordiam,2.Reg.9.est bene facere ex bonitate gratuita.

Facere iudicium,est omnia rectè & ordine facere,ut nihil iustitiæ & æquitatis,nihil modestiæ & bonitatis desideretur,Sophoniæ 2.capite.Item facere iudicium,est uindicare & defendere de inimicis,Psal.9.Fecisti iudicium meum,hoc est,uindicasti de inimicis meis,& quasi aliunde sessurus in tribunali tuo,ut sententiam ferres pro me innocente contra hostes meos.

Facere autem iustitiam,idem est quod studere iustitiæ,deditum esse actibus iustis,unde & deo gloria,& proximis utilitas proueniat.Plura dicemus de nomine iusti.

Facere uoluntatem patris,nõ simpliciter opere illam exequi,sed ex animo illi studere,etiamsi opere perfici nequeat.Nam faciendi uerbũ capiendũ est,quod magis animũ quàm manus cõcernat.Nam Faciendi uerbũ pro studio et proposito faciendi positum reperimus,ut Ioan.8.ac magis animi quàm corporis notare factũ.Sic & nos Germani de illis,qui mali cuiusdam studio dediti sunt,dicere solemus,Ich vveisz vvol vvas der mensch thet.hoc est,cui rei studeat,quid meditetur.Sic Facere legẽ & præcepta subinde in scripturis,pro studio faciẽdi legem & præcepta sumit:ut,de Iosia legimꝰ 14.Reg.22. Et de Ezechia 4.Reg.18.Et de Dauide q̃d fecerit iudiciũ & iustitiã fecerit,hoc est,studio faciẽdi

faciendi iudicium & iustitiam deditus fiat. Neque enim dicere uoluit, quod non peccarit: Sic de Ezechia legitur 4. Reg. 20. capite, quod fecerit, quod non placuerit in oculis domini, ostentans nuncijs regis Babyloniæ thesauros suos. Sic & de Iosia quod mul ta fecerit, quæ fuerunt contra legem Mosi. In summa autem dediti fuerunt iusticiam & iudiciũ exequi. Hoc est Facere, studio & propositio facere, Studium, propositum, medi-tationem in utranque partem significat. Facere ergo uoluntatem patris, est credere in eum quem misit ipse, Ioan. 6. Qui hoc uerè faciunt, piè & innocenter uiuunt, & uoluntati diuinæ ardenter student, Matth. 7. Facere uoluntatem dei, discipulum denotat.

Facere præterea pro purgare apud Matth. 23. capite, more Hebraico. Stulti, nunquid qui fecit, quod foris est, fecit ut sit sensus. An uerisimile eum purgasse animum quoq; qui abundè abluit corpus?

Facere regnum, pro regem agere. 3. Reg. 21. Sic facere iudicium pro iudicare. Facere iustitiam, pro eo quod, scelus patrare, 2. Reg. 13. vvysse leut, thuu grosse thorheit. Liquet istud in Dauide patre & filijs Ammone, Absalone, & Salomone.

Facere cum deo, pro eo quod est, non sine deo, aut eius consensu, 1. Reg. 14. in Hebræo iuxta illud: Non sine consilio diuorum.

Faciens opus, pro quo noster Interpres trãstulit, Bonę indolis & industrię, 3. Reg. 11. eadem phrasi, Facere regnũ legitur, pro prudenter imperare, ut supra Regem esse. Faciam uobiscũ malum, 2. Reg. 15 quod sibi Germani uolunt, quoties cõminatiue, & Ironia admixta dicunt, Ich vvil recht mit euch umbghen. Facere uirtutẽ, Dapffer an griffe. Sic accipit 3. Reg. 1. De fœmina strenua legis Prouerb. 31. Facere postremo transire filiũ alicui idolo. Leuit. 19. id est, immolare deo Moloch. Factũ item pro natũ, Gal. 4. Factũ ex muliere. Facta pro cœpta, parata, Ioan. 13. Cœna facta, hoc est cœpta. Quemadmodum in sacris literis dicitur dies factus, quum exortus est sol, non quum peractus dies. Item, Facta, pro extitit, Ioan. 1. Per Iesum Christum facta est, id est, extitit: uel, cœpit esse, siue orta est.

¶ *Facies seu Vultus*, non in uno loco præsentiã, fauorẽ, gratiam, indignationẽ, iram & uindictam dei in Bibliis significat: ut Psal. 9. Peribunt à facie tua, hoc est, propter præsentiam adiutorij tui. Sic Psal. 37. Non est pax ossibus meis à facie peccatorũ meorum. Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ, hoc est à præsentia & instantia peccatorum meorum. Nam quamuis antea aderant & præsto erant, ipse tamen non agnoscebat: iam uerò reuelara lege dei, iudicium ipsius sentit, & re ipsa penè exprimitur. Psal. 33. Facies domini in facientes mala. Psal. 4. Exalta super nos lumen faciei tuæ deus, id est, fauorem præsentiæ gratiæ tuæ. Sic facies domini seu dei, sæpe in sacris, maximè in Dauidicis Psalmis antropopathos beneplacitum, gratiam, et amicitiam dei signat, ut: Oculi domini super iustos. Hinc colloqui facie ad faciem significat familiarissimè & amicissimè colloqui, ut Exodi 33. Loquebatur autem dominus ad Mosen facie ad faciem. Hinc quoq; deus aliquẽ respicere dicitur, dum eius miseretur, illiq; opem fert, & auxiliatur, Exodi 2. Respexit dominus filios Israel, & liberauit eos. Et Iudith 9. Respice ad humiliratem nostram, id est, Iuua nos. Dicitur etiam Respicere quæ sibi placent, &c. Et non Respicere quæ displicent.

Facie dei, interdum imperscrutabilẽ dei essentiam ac maiestatem, Exodi 32. Posterio ra autem eius dicuntur manifesta & uisibilia opera dei. Et Paulus dicit: Inuisibilia dei cognosci ex creatione mundi, per opera. Et Act. 14. Deus non expertem, &c.

Facies dei est quoq; uerbũ dei. Quia sicut homo in facie, ita deus in uerbo suo cognoscitur: & sicut uolũtas hominis relucet in facie (iratus enim contrahit frontem, & toruũ uider, hilaris exporrigit frontẽ) ita uoluntas & animus dei relucet in uerbo suo. Est aũt duplex uerbum dei, unde & duplex est Facies eius. Alterum est uerbũ Legis, alterũ uerbum Euangelij. Verbum Legis, est facies irata. Verbum Euangelij, est facies propitia. Vbi ergo cõscientia terrrei maledictionibus Legis, peccatis & morte, ibi dicitur deus non respicere facie irata. Quam faciem nemo suis uiribus ita ferre potest, ut non moriatur ac damnetur, nisi diuinitus seruetur. Et de hac facie ad Mosen dicitur: Non uidebit me homo & uiuet. Hoc est, quemadmodum nullus hominum potest in hac uita meam essentiam & maiestatem perfectè uidere, ita nullus potest suis uiribus grauitatem iræ meæ uius sustinere. Vbi autem conscientia recreatur Euangelio, ibi deus respicit nos facie propicia, & animus gaudio & salute perfunditur. De hac facie dicit Iacob: Vidi Dominum

facie ad faciem,& salua facta est anima mea.

Facies etiam omne quod externe apparet,& splendorem habet,hoc est,quod in manifesto est & contrarium abscondito,ut illic:Homo uideat ac iudicet hic deus:Ioan.6. Nolite iudicare secundum faciem,Marci.12.Non enim faciem hominis,&c.Et 1.Regum 16.Ne respicias in uultum eius. Facies,similitudo,uel species,& facies Dei,pro eodem accipiuntur:nempe pro reuelatione,dei cognitione,in qua est omnis beatitudo sita.

Facies pinguis,obesæ nares,symbola sunt robusti Iob 15.Leuit.20.Facies quandoq; pro furore,ut:Dominus ponit faciem suam contra Europam,id est,irascit nobis propter multitudinẽ ac magnitudinẽ peccatorũ.Ponã ego,inquit,faciẽ meã cõtra uirũ illũ.

Similiter ante Faciẽ domini ambulare,idem est quod studere,ut deo placeamus,& cõuersatio nostra ad uoluntatem eius fit,ut supra in uerbo Ambulare declaratum est.

Faciem Dei porrò respiciunt,quotquot carnaliter iudicant de sapientia & iustitia eius,seu propter sapientiam & iusticiam mendaciter Deum excusant.Nam in lege præcipitur,ut in iudicio nõ respiciamus personas,hoc est,ne personam iudicio proponitam, iudicemus iuxta potentiam,eloquentiam,diuitias,&c.sed iuxta causam,unde nec deus personarum respectu est,nec in electione,nec in iudicij exequutione,Iob 13.Nunquid faciem eius accipitis,& pro deo iudicare nitimini.Sic Faciem suscipere alicuius,est respectum habere unius præ alio facere aliquid ob huius præsentem petitionem,quod non facias,petente alio,Genesis 19.Sumere uultum idem sibi uult,Gen.33.Faciem suscipere,aut non suscipere,Hebraismus est,pro exaudire,aut repellere,& negare,Gen.19.cap. Etiam in hoc suscepi preces tuas,Gen.32.Forsitan suscipiet faciem meã,pro,Propitiabitur mihi, uel reuerebitur me.Hebræi dicunt,Suscepi,aut tuli faciem tuam.Septuaginta,Miratus sum,,id est, suscepi te, exosculor te, suscipio.Facies pauperis suscipi uetatur, Leuitici 19.capite.

Faciem peccatorum autem sumere,est quum iudices in peccatorum gratiam sententias proferũt.Quemadmodum alicuius faciem sumere dicimus,cuius mores imitatur, aut uitam,tum sermone,tum habitu quoque,ut in comœdijs fit,effingit.Eo igitur modo iudices peccatoris faciem assumere querimur,cum in peccatorum gratiam sententias proferunt,Psal.82.Vsquequo iudicatis iniquitatem,& facies peccatorum sumitis:hoc est,Vsquequo iudicium pronunciatis iniquum?usquequo nulla habita ratione æquitatis,in impiorum gratiam,piorum?q; ruinam sententias promulgatis?

Faciem quærere domini,est consulere oraculum domini,2.Reg.21.Sed aliter accipitur 2.Reg.10.capite.Item 2.Paralip.9.cap.Quærebatur uultus Salomonis,id est,omnes erant cupidi uidendi Salomonis.Videntes faciem regis.Quod Latinus interpres sic.Qui steterant coram rege.Huic simillimum est quod in Euangelio legitur:Angeli eorum uident faciem patris,&c.

Faciem usam deus nonnunquam abscondit,quando homines ita excæcat,ut eum neque noscant,neq; inueniant,quantumuis quærant,& iactitẽt:quæ significatio nota est ex eius contrario.Ostende nobis faciem tuam,& salui erimus.Vide Deuter.32.cap.

Item Faciem suam abscondit alia ratione,quum nec exaudit orationes nostras,de quo Tropo suprà in uerbo Abscondere diximus.

Facies dei,pro diuina cognitione intelligitur,ea ratione,qua per Faciem conspectũ quisq; cognoscitur,ut de homine noto dicimus:Facie quidem hominem noui.Ita orando deum dicitur:Ostende nobis faciem tuam,id est,da nobis cognitionẽ & intelligentiam tui.Sic & uestigia Dei dicuntur,quod iam nunc deus in fide,& per speculũ cognoscitur,1.Cor.13.Cæterum Facies Mosis cognitio legis & uis peccati est.Econtra Facies Christi,intelligentia est ueritatis Euangelicæ,& fides in Christum,2.Cor.13.cap.

Facies quoque aliquando pro prophetia usurpatur,Ezech.13.capite.Et tu fili hominis pone faciem tuam ad filias populi tui,Origenes.Faciem autem oculum uocamus, oculum autem uisiones.Pro superficie,Gen.2.cap.Omnem faciem terræ.Pro persona, Leuit.19.Et non honorabis faciem magni,ut suprà.Et 31.Et honorabis faciem senis.Et pro præsentia,1.Cor.14.Tunc aũt facie ad faciem.Non enim quod faciem habeat deus, hoc dixit,sed ut ex eo ostendat notionẽ quandam manifestam nobis & claram futurã.

In faciem spuere,est contemnere & detrahere,Numer.12.Si pater eius spuendo spuisset in faciem eius,nonne debuerat saltem septem diebus rubore suffundi.

Ante faciem tuam,locutio est Hebraica,Gen.24.Ecce Rebecca ante faciẽ tuam,seu coram

ram te,hoc eſt,Rebecca in tua poteſtate eſt,Eſa.7.Et humiliabitur ſuperbia Iſrael in facie eius,id eſt,nunc & in præſenti.

Facie ad faciem,is hebraiſmus ubi in ſcripturis de Deo dicitur.Significat manifeſtam,perſpicuam & certiſsimam ipſius cognitionem,& oſtenſionem,ut Deut.5.cap.Facie ad faciem loquutus eſt nobis in monte,id eſt,deus nobis uſque adeo euidentia uerba fecit,& ſigna exhibuit,quæ coram uidimus,audiuimus,ut inficias ire nequeat, quin Deus reuera fuerit.Ita & Iacob adfirmat ſe uidiſſe dominum facie ad faciem,Gen.23. Quum tamen uerum ſit,Deum nemo uidit unquam.Nam tametſi de ſe dicat deus Numeri 12.capite.Palàm,& non per ænigmata,& figuras deum uidet.tamen idem Moſes cupit uidere gloriam dei,& faciem eius,& audit:Non uidebit me homo,& uiuet,Exodi 33.capite.

Faciem præterea domini uidere,perhibebantur ſacerdotes legis,eò quod præſentes ſtent coram arca Dei.Nam hoc dicebant,Faciem uidere Dei,qui alioqui eſt inuiſibilis. Sic Facies Dei,arca fœderis nonnunquam dicitur,ut:ſtudioſe quærite Iehouam,& ſedem robur eius:quærite faciem eius ſemper.Pſalmo 95.De plebe autem dicitur,quod calcet atria Dei,Eſaiæ 1.capite,Quum ueneritis ad uidendum faciem meam,& calcanda atria mea.

Faciem inſuper patris uidere,notatio eſt beatitudinis & miniſterij dei,quod deo exhibent angeli.Angeli ergo ſemper uident faciem,id eſt,æternum beati ſunt,& Dei perfruuntur iucunda familiarique præſentia,præterea Deo miniſtrant.Nam Dauid Pſal.16. Satietas gaudiorum,inquit,in cõſpectu tuo eſt.Rurſus ad Ioſeph dicit Iacob,Gen.46. Iam lætus moriar,quia uidi faciem tuam.In facie patris,Gen.11.cap.

Facies Chriſti,hoc eſt,regis præſentia,Pſal.132.Non auertas faciem Chriſti tui,id eſt, ſerua præſentiam regis,ſeu ipſum regnum diuinitus donatum & conſtitutũ.Serua Domine populum tuum,ius,iudicia,æquitatem & totam politicam adminiſtrationem,ut omnia iuſto ordine fiant.

Faciem domini rogare,idem eſt quod ſuprà expoſitum eſt,quærere,eſt dominũ conſulere loco & ritu à deo præſcripto.1.Samuelis 13.cap.Ante Faciem,Hebraiſmus,id eſt, ante te:uel,ante aduentum tuum,Marci 1.Facies pro ſolo & ſuperficie,Latinis in uſu eſt pro forma,Lucæ 21.Qui ſedent ſuper faciem terræ.

Faciem ſtatuere,loquutio eſt 4.Regum 12.capite.Statuit faciem ſuam Haſael,id eſt, propoſuit & ſtatuit apud ſe Haſael aſcendere contra Hieruſalem.Alij,direxit. Faciem auertere Hebræis eſt negare,auerſari poſtulata,& non exaudire preces. Eadem forma,Faciem confundere,3.Reg.2.Ne confundas faciem meam,ideſt,Obſecro ne rubore me perfundas,ne me confuſam dimittas,non exaudiendo matrem.

Faciem ponere uel obfirmare,propoſitũ firmũ & fixum aliquid faciendi hac Hebraica loquutione ſignificatur,ut Hiere.42.Si uos ponẽdo ponetis facies ueſtras ingredi in Ægyptum,&c.Et Ezech.21.Fili hominis,pone uel obfirma faciẽ tuam uerſus Themã. Innuit præceptũ prophetizãdi,ut ſtrenuè dicat,id quod eſt Obfirmare faciẽ contra Hieruſalem.Et cap.6.Pone faciem,hoc eſt,aſpice confidenter,ita ut non retro ſpectes.

Hac loquutione uſi ſunt & Euangeliſtæ,Lucæ 9.cap.Faciem ſuam obfirmauerat,ut iret Hieroſolymam.Firmare faciem ad aliquem locum,hoc eſt,parauit ſe ut iret Hieroſolymam,ſtatuit certo apud ſe ire & proficiſci Hieroſolymam.Faciem ſuam obfirmare contra aliquem, interdum pro iraſci alicui,ut Leuit.17.cap.Obfirmabo faciem meam contra animam illius,pro,Iraſcar illi uehementer.

Facie impudens rex conſurget,Danielis 8.capite.Vel,Facie fortis dicitur,mirè audax ad quoduis facinus patrandum,ut 2.Machab.9.& 11. Facies flammarum,dicuntur erubeſcentes,quod ruboris nota flammas imitentur.Ideo pro erubeſcentia & rubore accipitur,Eſaiæ 13.capite.Facies flammarum,facies eorum,hoc eſt,aſpicientes ſe mutuò,omnes uidebant confuſos.ſignificat indignationem,& illum fremitum indignantis animi.

Facies atqui animi conſcientia eſt & appellatur,uel cor eius,uidelicet ſpiritualis ani-mę,ſicut oſtendit propheta dicens,Tibi dixit cor meum,Dominum requiram:& exquiſiuit te facies mea.Non enim facies carnea deum quærit,ſed conſcientia.Item,quomodo Facies conſcientia appelletur,oſtendit Iacob,quum fuiſſet luctatus cum homine.ut ſuprà.Hæc Chryſoſtomus in Matth.cap.9.Homel.15.

In Faciem, Hebraiſmus, idem eſt, quod contra ipſum, in ipſum, aduerſus eum. Deut. 7. capite. Qui odit deum in faciem ſuam, id eſt, contra ipſum reflectitur eius ſcelus atq; odium. Faciem operire, eſt faciem deprimere ob pudorē & erubeſcere. Sic & Faciem de ijcere pudoris ſignum, Pſal. 44. Et opprobrium faciem meam obtexit. Heſter 7. cap. Et facies Haman operta. 1. Samuelis 15. Et caput ei opertum.

Facies Dei, eſt eius iudicium, Pſal. 67. Sicut deficit fumus deficiant, ſicut tabeſcit cera à facie ignis, ſic impij pereãt à facie Dei. A Facie eorũ, Gen. 6. Id eſt, per eos opera ipſorũ, ipſis autoribus, Quaſi dicat: Ipſi repleuerunt terram rapinis & calumnijs. Item A Facie, pro, propter, Geneſis 16. A facie Sarai, id eſt, propter Saram, In Faciem eorũ, Id eſt, dum adhuc uiuunt, Deut. 7. Super Faciem agri, Leuitici 14. cap. pro, liberam eam abire ſinet, & uolare quo uolet. In ſuperficie agri, ſignificat ubiuis locorum, Leuit. 17.

Facie impudenti gens, pro barbara & inhumana, frontisq; perfrictæ, Deut. 28. cap. In Facie patris, pro uiuente patre, Gene. 12 cap. Facies tua non ierit. Interpres noſter, Si nõ tu ipſe præcedas, &c. Exodi 33. Videamus nos Facie tenuis 4. Reg. 14. Senſus eſt. Experiamur belli fortunã, uter alterum uincat. A Facie belli, noſter Interpres propter bella 3. Reg. 5. alibi aliter, ut à Facie tribulãtis, id eſt, ante tribulantẽ. Facie belli eſt ad me ante & reteo. Vbi noſter Hieron. Bellum ex aduerſo, & poſt tergũ contra ſe, Septuag. à fronte & à tergo, &c. 1. Paralip. 19. cap. Item Facies Dei, pro noticia, Pſal. 26. Faciem tuam Domine requiram. Faciem ponere contra aliquem, eſt iraſci et uelle punire, Hiere. 21. Poſui enim faciem meam ſuper ciuitatem hanc in malum.

¶ *Fallere* aut mentiri ponunt Hebræi, pro non eſſe, non inueniri, Hiere. Thren. 1. Clamaui ad amatores meos. Vel, Vocaui amicos meos, ſed ipſi fefellerunt me.

¶ *Familia*, pro ſpecie, Geneſis 8. capite. Iuxta familias regreſsi ſunt de arca. Septuaginta κατὰ γένος, id eſt, ſecundum genus. Item, Familia per domum ſignificatur, ut Pſalmo 127.

¶ *Fames* mentis, eſt ſilentium diuinæ loquutionis, Amos 8. Emittam famem in terram, non famem panis, neq; ſitim aquæ, ſed famem audiendi uerbum dei.

¶ *Faſcinare* Latinis qui aſpectu malefico lædunt, ſignificat, βασκαίνειν ſignificat apud Græcos inuidere. At Paulus Galat. 3. cap. uſurpauit pro eo quod eſt incantare, & oculis ueluti præſtigio imponere.

¶ *Fatui* uocabulo apud Matthæum 5. capite, omnis generis conuitia, contumeliaſq; puta maledicta, uituperationem, clandeſtinas proſcriptiones, & nihil non improperiorum uenit.

¶ *Fœdus*, Græci interpretes Bibliorum διαθήκην. D. Hieronymus Fœdus, alij Teſtamentum reddiderunt. Et omnino pactum ſignificat, quo nos deus in fidem ſuam recepit, & nos illum in Deum, Pſal. 89 Incidi fœdus cum electis meis. Olim enim Fœderum leges in ſaxo uel ære incidebantur, quo firmius ſeruarentur perpetuæ memoriæ conſecratæ, de quo Pſal. 50.

Fœdus ſempiternum non tam illud quod in Noe, Abraham, Moſe, Dauid pepigit deus, accipimus, quàm illud quod eſt in animis noſtris inſcriptũ ius naturæ, ſcilicet ex quo leges & iura cuncta dimanant. Sic omnes iuriſperiti unanimo conſenſu docent, leges omnes exiure naturæ deriuari, Eſaię 24. Quia tranſgreſsi ſunt legem, mutauerunt ius, diſsipauerunt fœdus ſempiternum.

Fœderis leges porrò, uel Fœdus domini eſt, ut ſicut ipſe nos ſuum populũ agnoſcit, ita nos eum deum noſtrũ agnoſcamus et colamus in præſcriptis eius, in omni ſtudio uenientes. Sic Gen. 8. Exodi 24. Eſa. 24. & Hiere. 31. Fœderis ratio deſcripta legitur.

Fœdus uel pactum habere in lapidibus, eſt non offendi à lapidibus campi, &c.

¶ *Fœtere*, eſt abhorrere, abominabilẽ reddere, Gen. 34. Et fœtere me feciſtis corã habitatoribus. Tropica loquutio eſt. Auertimur enim, & abhorremus ab his quæ fœtent et ſordeſcunt. Quaſi dicat, uilem & abominabilem me feciſtis coram Cananeis, Exodi 15. Fœtere feciſtis odorem noſtrum. id eſt, abominabiles reddidiſtis nos. Quippe cõſtat ex antitheſi & per contrariũ, quod dicunt, figurato ſermone famam ſignificare, 2. Cor. 2.

¶ *Fel & bilis* pro æmulatione et inuidia, Act. 8. cap. In felle amaritudinis, et colligatione iniquitatis uideo te eſſe. Verſtrickt. Poſuit amarũ illud. Fel & bilem atram. pro æmulatione et inuidia, qua par eſſe laborat Apoſtolis Magus homo, qui prius rerum geſtarum magnitudine famam ſibi non incelebrem comparaſſet.

¶ *Fictio*

¶ *Feneſtras cœli aperiri* dicitur, quando grauior ira Dei ſuper nos inducitur, Eſa. 24. Qui fugerit à uoce terroris cadet in foueam, & qui ſurget de medio foueæ capitur in laqueo, quia feneſtræ de excelſo apertæ ſunt. Nahum 1 cap. Effuſa eſt indignatio iræ, &c. Et in litera C. nomine Cœli, explicatum eſt, quid Feneſtræ cœli ſignificent.

¶ *Fœmina circundabit uirum*, Hiere. 31. Prouerbialis nobis uidetur eſſe ſermo, pro eo quod eſt Summa fiet, atque arctiſſima coniunctio, Iſraelis ueri ſcilicet, qui erit fœmina & uiri: hoc eſt, mariti Dei.

Fœminino genere utuntur pro neutro Hebræi. Quæ Latini neutro genere, citra pro prium uocabulum appellant: ipſi Hebræi fœminino efferunt, & hoc eis familiariſſimum eſt, ut quum dicimus: Iſtud nunciauit mihi amicus: loquuntur ipſi, Iſtam mihi, &c. Sic Eſa. 44. Qua nam re mihi comparetur, & accommodet eam mihi. Eam ſcilicet rem, qua illum mihi ſimilem putant. Similiter per fœmininum plurale eſt. Contingentes, Latini dicerent Contingentia, ubi nos dicimus, Hoc & hæc. Ipſi dicunt Hæc & has, ut in Geneſ. 42. cernere licet & alibi, Quid Deus hanc fecit nobis? Sic infrà: Durus locutus eſt nobis. Tale eſt in Pſal. Vnam petij à Domino: hanc requiram. pro, Vnam petij quod requiram. Item Micheæ Prophetæ quarto capite: Claudicantem & elongatam: ſcribuntur in fœminino genere, ut ſit ſenſus, Quod eſt, claudum, abiectum, & elongatum.

¶ *Femoris* nomine genus & generationem intelligimus. Sic Abraham ad ſeruum ſuum: Pone manum ſub fœmore meo, & iura mihi per Deum. Gen. 49. & 24. Femori imponere manum, modus iurandi.

Femur, ideo pro carne & carnis appetitu, uſurpatur. Canti. 3. Vniuſcuiuſque enſis ſuper fœmur. Et Dauid, Accingere, inquit, gladium meum circa femur, potentiſſime. Quid eſt Circa femur? quid ſignificat de femore? Carnem. unde illud eſt, Non deficiet princeps de Iuda, & dux de fœmoribus eius. Hæc D. Auguſtinus in Pſal. 45. Femur igitur, principium & fons eſt natiuitatis humanæ. Gen. 46. cap. Egreſſæ ſunt de femore il lius, id eſt, ortum & originem occeperunt ab ipſa Iacob, hoc eſt, poſteritatem.

¶ *Fœni & Arborum* nominibus, homines, & humanam fragilitatem in ſcripturis ſignificari, uel ex Pſalm. 1. & Eſa. 40. & Apocal. 8. clarum fit. Hinc & Fœnum tectorum, Pſal. 128. gramen illud quod tectis innaſcitur, quum ex humoris defectu non poſſit radices agere, facile areſcit, non expectat manum fœniſecæ, qui lætus illud cum uicinorum gratulationibus recondat in horrea. Quæ ratio pulchre in impiorum operibus, etiam in ſpeciem bonis congruit. Nam ſimilitudine Dauid fœni utitur, ut oſtendat breui duraturam tyrannidem, ut tyranni ſimiles Fano in tectis: ut Sennacherib, Pharao, Iulianus. De cuius tyrannide ſcribit uir ſanctus Athanaſius. Non tempeſtatem eſſe, ſed nubeculam Iuliani perſecutionem eſſe, ut ego euenit & exitus Iuliani probauit.

¶ *Feræ efferæ* Gentes ſunt, qui ſemper meditabantur bella, ſanguinem effundebant. Eſa. 11. Feræ autem cicuratæ dicuntur quoq; gentes, ſed uerbum in manſuetudine ſuſcipientes, aggregantes ſe unitati Eccleſiæ. Fera agri, qua quidem uoce ſcriptura omne genus animalis ſylueſtris nuncupatur, Pſal. 80. Et feræ omnis generis, inquit Paraphraſtes, quæ in agris degunt, depaſcent eam.

¶ *Feria ſecunda, tertia, quarta, &c.* Hæ locutiones Latinis à commercio Hebræorum irrepſerunt. Quum enim dicerent, Prima ſabbati, ſecunda &c. uiderunt Latini nihil aliud dici quàm primo à ſabbato. Sabbatum in ferias tranſtulerũt, ac dixerũt, feria ſecũda &c.

¶ *Fermentum*, inquit D. Auguſtinus in bono & malo accipitur: nam & in uitupera tionem Fermentum poſuit dominus, uidelicet pro doctrina impia, falſa & hypocritica mendacioq;. Sic enim interpretatur Chriſtus fermentum, apud Mat. 16. Cauete, inquiẽs, à fermento phariſæorum & ſadducæorum. Et addit mox Euangeliſta, Tunc intellexerunt, quod non iuſſiſſet cauere à fermento panis, ſed à doctrina phariſæorum & ſadducæorum. Doctrinam impiam nominat Ieſus fermentum, hoc eſt, ſectas & traditiones eorum intelligit, ir art und uuyſs, nempe fucum, ſimulatam ſanctimoniam. Sicut enim fermentum totam maſſam aridam reddit & fermentat: ſic doctrina impia totam uitam uitiat. Mar. 8. Attendite à fermento.

Fermentum farinæ commiſcetur: intelligit ergo per Fermentum ſocietatem, coniunctionem hypocriſim, conuerſationem primam phariſæorũ. Quod quidem ſerpit, uelut cãcer, inquit Paulus, alioq; commixta ſibi inficit, inflatur ac tumet: præterea amarũ ſiue

acidum est. Talis est doctrina Pharisæorum, & omnium doctorum impiorum, hoc est, humana & corrupta doctrina, hypocrisis de meritis humanarum operum. Opera humanæ iusticiæ.

Secundo, Fermentum significat impios & malos mores, malitiam & uersutiam, quibus totus homo, imò tota hominum congregatio offenditur & inficitur. Hoc D. Paulus 1 Corinth. 5 cap. per Fermentum & per Azyma intellexit, uidelicet malitiam & uersutiam: Per Azyma uero synceritatem & ueritatem. Malitiam oppositum syncerita-ti seu syncerę fidei, uersutiam ueritati, hoc est simplicitati, ut syncerita mundam uitam faciat, ueritas omnem fraudem excludat. Cum igitur nunc reuelato & annunciato Christo, uero agno paschali, perpetuum Pascha celebremus, esus azymorum panum admonet nos ut semper abstineamus à fermento impiæ doctrinæ, & impuræ uitæ, sed in panibus fermento carentibus, hoc est syncerita-te & ueritate. Hoc uoluit locus Exodi 12 cap. iudicare. Item Leuitici 2. & 6 cap.

Tertio, Et in laude aut bono Fermenti uocabulum accipitur: nam pro regno cœlorum usurpatur. Simile (Matth. 13 cap.) est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentaretur totum. Fermenti nomen uides per metaphoram sermonem scripturæ, uocatum quicquid serpit & alia inficit. Sic Euangelion se habet, in bonum, unde fermento adsimilatum est, ut in hoc adducto locum: Doctrina mala, corrupti mores, & ipsi etiã conuictores in malum, ut Matth. 16. Gal. 5. 1. Cor. 5 cap. ut supra audiuimus. In summa. Fermentum triplex in scripturis est. Vnũ est apostolicum, de quo Matth. 13. Alterum Pharisæorum est doctrina, de quo Matth. 16. Tertium est, malitiæ & nequitiæ. De isto 1 Cor. 5.

¶ *Ferri* nomine frequentissime significatur, ingens angustia, molestia, ingentes cruciatus, dolores ac animi curæ, Psal. 105. de Ioseph, Adflixerunt in compede pedes eius, ferrum penetrauit animam eius. Et Psal. 107. Habitantes in tenebris & umbra mortis, uinctos adflictione & ferro Deut. 4. Eduxi uos de fornace ferrea Ægypti. Sic Simeon Lucæ 2. dicit: Quin & tuam ipsius animam penetrauit gladius. Hoc nequaquam dictũ fuit de corporali, uerum uoluit his uerbis Simeon Mariæ prædicere futurum, ut mortis tormenta animo pateretur, etsi corpore non esset cruciatus passura. Quomodo autem id euenerit, id nemini potest esse ignotum. Tropus linguæ est Hebrææ, uti & nos nostros habemus, qui ingẽtes dolores ac animi curas uocamus, Hertz brechem, id est. Mir vvil das hertz brechen, hoc est, mihi confrangitur & rumpitur confractionem cordis.

Ferrea fornax Prouerbialis sermo hinc deriuatur, quo Hebræi quoq; frequentissimè utuntur. Dicitur enim eis Fornax ferrea, sicut Græcis & Latinis Ferrea necessitas. hoc est, angustia & tribulatio summa, de qua tamen exire liceat, Hiere. 12. intelligitur Ægyptiaca seruitus, sicut & Deut. 4. pro seruitute miserrima, durissima, grauissimaq; Ferrũ ferrum num adfligit? Prouerbium satis antiquum. Nam ferrum & æs uiderur ponere pro ferreo hoste, & ferreo propheta, quod utercq; sit insuperabilis. Liquet ex Hieremia cap. 15. Defendo te, inquit, cur ego Babylonicum hostem metuas, quem ferrum atq; impenetrabilem in Iudam mittam, & quid in te poterit qui æque ferreus est? Aut quid poterit hostilis contumacia in me quo minus te saluem, quem semper seruo.

Ferrum & Æs calceamentum tuum, Deut. 33. cap. Id est, calcatio tua. Instrumentum pro actione. Quasi dicat, quicquid calcaueris calceamẽtis tuis, erit ferrũ & æs. Est autem Hebraismus, pro in regione tua erunt metalla ferri & æris. Ferreũ-iugũ lex ipsa dicitur.

¶ *Ferre carnem dentibus*, Hiob. 13. cap. Prouerbialiter dictum, de eo qui uitam suam periculis obiicit, & sibi non parcit: sicut is sibi non parcit, qui carnem suam dentibus premit, Sic qui animam in manibus gestat, portat, eam quasi mox positurus. Alij Lacerare carnem dentibus.

¶ *Feruoris* uocabulum pro commotione, Ionæ 1. cap. Et stetit mare à feruore suo. Septuaginta, Commotione σάλου. Feruor spiritus autem, de quo Paulus disserit, est ardor quidam, ac uehementia fiduciæ in deum agendi omnia, quæ sunt dei: impetus quidam, qualem in omnibus sanctis prophetis scriptura ubiq; describit. Porrò ubi non fuerit spiritus, necesse est, carnem feruere, Rom. 12 cap. Spiritu feruentes. Nam illi credentes accensi spiritu sancto feruentes appellantur.

Feruorem Solis, pro meridie nonnunquam accipiunt Hebræi: & rursus Meridiẽ pro Feruore solis usurpant, Exodi 16. Quicunq; incaluisset sol, liquefiebat panis ille.

Festinare

¶ *Festinare*, pro offendere, impingere, errare & cadere. Qui enim Festinant, fermè præcipites concidunt, aut imprudentes errant, Esa. 28 cap. Qui eo fidat, non festinet. Apostolus Rom. nono capite, hoc uerbo usus quoque est, Qui illo nititur & fidit, non pudebit, non stupebit, non festinabit, non errabit. Qui enim ad conspectum alicuius horrent, festinant ad fugam, & qui festinant, offendunt. Et 1. Petri secundo cap. Qui crediderit non festinet. Deus ergo unicam duntaxat in orbe firmitatem constituit, cui qui innituntur non cadunt. Id quod festinandi uerbo per Metalepsin significauit. Item, pro solicitum esse, Esa. 22. cap. Ne festinetis ad consolandum me.

¶ *Festiuitas* pro expeditione, Esa. 14. cap. Viula porta, clama ciuitas, commota est Peleserh tua uniuersa: quia ab Aquilone fumus uenit, & non est solitarius in festiuitatibus eius. Hebræi enim expeditionem, festum seu Festiuitatem, id est, conuentum ob cõmunem omnium alacritatem, qualis solet esse in festiuitatibus, uocant.

¶ *Festa*, *Noumenia*, Leuit. 23 cap. significant gaudium & lætitiam conscientiæ, innouationem hominis, &c. in quibus requiescimus ab operibus nostris, non facientes uoluntatem, sed dei operantes in nobis creditum.

Festum item pro epulis capitur, ut Iacobi. 5. cap. Enutristis corda uestra, ut in festo seu die mactationis. Vide supra in Tropo, Dies mactationis.

¶ *Fides* uocabulum & uox in sacris est polysema & patet in sermonibus hominum latissime, & uarie usurpari uidemus. Principio pro tota religione, cultura & doctrina tota & qualibet. Nam dicimus fides Christiana, fides Iudaica, fides Turcica, Fides Nicena, pro doctrina symboli professione et dogmatũ collectione et religione. Sic Paulus Rom. 1. Vt obediatur fidei in omnibus gentibus.

Deinde sumitur fides pro opinione concepta ex relatione aliqua & credulitate, qua expositæ rei damus fidem, nihil interim expectantes commodi aut utilitatis ex re quam credimus. Veluti cum audimus nobis reciiari aliquid ex Indianis aut Æthiopicis historijs, dicimusq; illa nos credere, in quæ tamen non collocamus ullam fiduciam, aut ex quibus nihil omnino speramus utilitatis. Hac significatione ait sanctus Iacobus diabolum credere, & contremiscere. Tertio, nouimus etiam in scripturis notari fidem temporariam, ut Matth. 13. & Luc. 8 ubi notantur, qui ad tempus credunt, & tempore tenta tionis recedunt. Quarto, uocari item fidem dubiam adeò & subdolam, ut Dominus, credentibus in se, hac tantum fide non credat. Ioan. 2. Quinto, fidem infirmam in scripturis reperimus, ut ea prædíti, dominum, gloriam mundi anteferentes gloriæ Dei, confiteri non audeant, uidelicet Ioan. 12. describit hanc fidem non audientium Christum propter cupiditatem gloriæ mundanæ confiteri. Fidem quoq; esse de iudicio Dei terrentem, non autem ex Euangelio consolantem, qua Iacobus dicit, & dæmones credere. Item fidem mortuam hominum, hoc est, instar mortui hominis nihil se ad opera sua mouentem. Iac. 2. nouit scripturas. Item fidei nomen pro firmitudine, & pro uirtute, seu impetu designandi miracula, faciendóq; uirtutes miraculosas, & Christum prædicandi quæ hominem tamen relinquit sine studio faciendi uoluntatem Dei, ac ideo sine dilectione. Matth. 7. & 1 Corin. 13. & Mat. 17. cap. Postremo autem Fidei appellatio ponitur pro certa & indubitata rerum æternarum fiducia, & persuasio in deum & eius uerbum, & de ista sola deber intelligi, quòd Fides iustificat & saluum faciat, Ideo hoc nomen Fidei significat fiduciam misericordiæ, propter Christum dominum promissæ.

Apud Hebræos Fides, nomen habet, quemadmodum infrà dicemus, à ueritate, certitudine, & consuetudine.

Fides, latius dicitur quod fiat, quod dicitur. Vnde ille, Interroge re utrum credas? Dicis, Credo. Fac quod dicis, & fides est.

Fides, proinde est indubitata & persuasissima fiducia, &c.

Qui iam non intelligunt ista nomina in sacris scripturis perquàm usitata, nempe Fidem, Spem, & Charitatem, hæc tria, eandem rem esse: uidelicet hanc in Deum fiduciam: in multis locis frequentissime impingunt. Fidem enim, si de Christo habeas, nec in eum speres, nec redames, ad nihilum ualet. Iac. 1. cap. Porrò tota ista humani cordis fiducia, Fides interdum, interdum autem Fides & Charitas appellatur: nec quicquam aliud est, prærerquàm in Deum pietas, siue ames, speres, aut fidas. Hinc fit, ut quandoquidem tria hæc, simul complectitur una pietas, Fides tandem pro Charitate, & Spes pro Fide promiscuè accipiantur. Et hæc tria aliud nihil sunt, præterquàm ipsum

ardeus

ardens in domino cor, & una est pietas.

Hebræi suum illud Eminah, quod nos uel fidem, uel fidelitatem exponimus, ab Æmath à ueritate in quam, constantia ac certitudine deducunt, ac fideles morbos. Deuteronomij 28. capite uocant morbos infallibiles, constantes siue durabiles, & qui sunt incurabiles.

Habet & apud Græcos à certitudine & firmitate nomen. Mam pistis significat non tantum credulitatem, sed rei compertæ & exploratæ fiduciam. Iisdem dicitur πιστὸν ἀνήρ, uir cui credi debet, ac uerbo suo faciens fidem. Et πιστὸν dicitur confessum, compertum exploratumq́, cui omnino fidem negare non debemus. Hinc fides seu ueritas pro constantia capitur, ut Rom. 3. Etenim si ueritas dei, &c. Veritas Hebræis Æmeth, fidem significat, id est, constantiam dictorum & factorum.

Porrò Latinis Fides est dictorum conuentorumq́ constantia & ueritas, quæ iusticiæ fundamentū est. Vnde Cicero Offic. lib. 1. ait. Interrogo te, &c. Publicus sic sacra tractantium usus obtinuit, ut fidei nomine intelligant certum oraculorum dei assensum atque persuasionem. Vide Laurentium Vallam & Budæum in Annot. in l. 1. de ser. corre. uer. Quod ait prætor. Est autem ista uirtus uerè diuina, quę Hebręis Æmunah, Gręcis πίστις, nobis persuasio, uulgo Fides dicitur: Constans firmaq́ animi per spiritum sanctum de dei bonitate atq́ promissis persuasio, qua ut uerbis eius certam fidem habet ita & de eius erga se bonitate omnia sibi indubitatæ pollicetur, tum demerendo quoslibet, tam ipsi gratificari, quàm referre impensissime studet. Hæc confirmat epist. ad Hebr. 11. cap. Spes enim nostræ innouationis atq́ totius salutis, eò nititur quod persuasi sumus deū esse, ut omnium rerum autorem bonorumq́ fontem, ita & nostrum conditorem, seruatorem, atq́ æternum liberatorem. Sic Fidem Christi certam persuasionem, eum nostrum esse redemptorem ac instauratorem. Ex eo ergo, quod fidem scriptura pro indubitata persuasione accipit, hæc tanta ei tribuit iustum ea uiuere, quod Paulus ex Habacuc 2. ad Rom. & Galatas adduxit, nos ea iustificari, saluari æternamq́ uitam possedere, quod idemtidem & seruator ipse non uno loco adfirmat, &c.

Fides interdum semen benedictum Christum dominum denotat: Gal. 3. Cæterū antequam uenisset fides sub lege custodiebamur. D. Ambrosius hunc Tropum annotauit. Fidei nomen nonnunquam pro dono accipitur (ut 1 Cor. 12) speciali spiritus. Vni, inquit, datur spiritus sapientiæ, alij uero scientiæ secundum eundem spiritum sermo datur, alij uero Fides per eundem spiritum. Fides est hic ueritas & constantia, Trawy vnd redlyche. alij exponunt pro fide signorum. Fides sunt Rom. 1. cap. pro euangelio eo prædicatione usurpatur. Et Rom. 10. Fidem pro manifestata dei uoluntate, & fidei manifesta & publica inter Gentes ac Iudæos prædicatione accipit, quæ tempore Christi & Apostolorum primum cœpit, prius enim erat mysterium reconditum à seculo, Col. 1. Non enim propositum est Paulo, hoc loco de natura & ingenio Fidei loqui, sed de Fidei prædicatione. Sic ait: Ergo Fides est ex auditu. Ira Fidei uocabulum 1 Cor. 7 cap. pro quouis opere bono usurpatur. Et Rom. 3 cap. Fidem legem appellat, quia legis hoc nomen apud Iudæos ueneratione habetur. Fides autem quid aliud est, quàm uera de deo cognitio, per Fidem enim cognitio fit, testatur id Esaias cap. 7. dicens: si enim non credetis nō intelligetis. Fides pro fidelitate. Esa. 11.

Fides prima apud Paulum. 1. Timoth. quinto capite, ubi de uiduis iunioribus nō suscipiendis, ut aluntur ex bonis ecclesiæ, & locutio & forma loquendi, secutus est diuus Paulus prophetas qui ita loquuntur, qui ex lege coniugij uocat fidem primam, pactum primum, pactum primi præcepti. Fides coniugalis in desponsatione primum promissa est, pactum primum perpetuo seruandum, à qua fide prima & pacto primo, si deficitur per adulterium uel reiectionem, non potest fieri cum alio coniugium uel secunda Fides aut pactum secundum, sed simpliciter damnatio legis est, nisi redeatur per reconciliationem ad primam fidem, ad pactum primum, sicut cap. 3 Hiere. dicitur. Tamen tu mererix reuertere ad me. Et est pactum primi præcepti, apud nos pactum baptismi, Ego sum dominus deus tuus, A' quo auersi, iubentur ad illud reuerti. Qui defecerunt à fide iubentur ad eam reuerti. Sic & nonnulli patres hunc locum Pauli intellexerunt, Fidem primam esse fidem in Christum. Athanasius lib. 6. de Trinitate, Veh uobis, inquit, qui primam fidem baptismi, cœlitus institutam, irritam facitis. Vincentius Lyrinensis Gallus, qui uixit sub Theodosio & Valentiniano Imp. in lib. contra omnium Hæresium nouationes

nouationes. Galatæ, et cætera. Vide & D. Hieronymũ in præfatione in Epistolam ad Titum, Licet, inquit, non sint digni fide, qui primam fidem irritam fecerunt, Marcionem loquor & Basilidem, etc. Vides illos Doctores primam fidem in Paulo intellexisse fidem in Baptismo susceptam & pactum siue notum primi præcepti in Baptismo promissum, id quod etiam Pauli contextus requirit.

¶ *Fidei nomenclatura.* Diuinæ literæ Fidem iam Lumen uultus dei appellant, Psal. 88. Domine in lumine uultus tui ambulabunt, Psal. 4. Signatum est super nos lumen uultus tui domine. Hoc figuratum est in columna ignis & nube, quibus filius Israel per desertum ducebantur, quemadmodum & sola fide per itinera ignota & omni humano auxilio destituta, hoc est, passiones & tribulationes agimur & dirigimur in patriam cœlestem.

Fides, in nouo Testamento, est limes uel Funiculus hæreditatis: ipsa enim terminat fidelium numerum, extra quam quicquid fuerit termini sunt populorum, & termini impietatis adpellantur. Cingulum lumborum, Cinctorum renum, Esa. 11. cap. Vetbum abbreuiatum, Rom. 9. Iustitia dei, Rom. 1. 3. 10. Pupilla oculi, Psal. 16. Lucerna corporis oculus tuus, Lucæ 11. cap. Vmbra, Psal. 17. Vestis nuptialis. Oculus dei, Psal. 31. Dextera, Brachium dei uel domini, Psal. 43. Illuminatio uultus dei. Opus dei, Ioan. sexto capite, Conseruatio mandatorum dei, Eccle. quinto capite. Fides grano synapis comparatur, Marci 4. Lucæ 13 & 17. Funis seu Funiculi, Psal. 77. Fides item Funiculus & Perpendiculum, est, à qua qui aberrauerint, ad ædificium dei non pertinent, Esa. 28. Et ponam iudicium & funiculum, ut suprà ostensum est. Regnum cœlorum quoq; dicitur. Bonitas dei. Obedientia. Scutum. Scutum fidei.

¶ *Fidelis.* 2 Cor. 1. cap. Fidelis autem deus, quod sermo uester erga nos non fuit, etiam & non. Fidelis pro uerace, quæ fidei sunt seruantes, quiq; ueritatis studiosi sunt, quiq; & boni appellantur, hoc est fidi. Interdum pro forti & stabili, Psal. 78. Et non fuerunt fideles in pacto eius.

¶ *Fidelium appellatiua* sunt hęc. Scriptura uocat sanctos, hoc est, credentes & fideles et exquirentes dominum, quum contra impius non requirat, ut Psal. 13. Filios uocat spiritus dei, sicut Iob 1. habetur. Volentes uitam, quia regnum mortis, quo premuntur, odere credentes, infantes sunt mundi, gloriosi deo, Psal. 8. Lactantes sunt ijdem, qui nihil cibi præter dei uerbum norunt. Animalia dei, Cibus dei, Grex dei, Reliquię. Gal. 1. Israel. Solitudo, apud Esaiam. Iusti non sua iusticia, sed iusticia dei iustificati. Plura reperies in Ecclesiæ nomenclatura.

¶ *Fiducialiter agere in domino,* Lucæ euangelistę proprium est: nimirum fiduciam prædicandi uerbum dei commendare, ut apparet ipsum Psalmi 11. uersum uelut Prouerbio habuisse, Actorum 9. 14. 18. Sicq; Lucas per fiducialiter agere, aliud non uult intelligi, quam uerbũ diuinum cum fiducia, & in spiritu fortitudinis prædicare. Sed Fideliter agere, Prouerbiorum duodecimo, est ueracem esse, Fiducialiter habitare, uel dormire. Tertij Regum quarto cap. Oseæ 2. Dormire eos faciam fiducialiter. Noster Interpres, Absque timore.

¶ *Fiducia,* est qua non dubitamus, dominum uelle gratiam nobis omnium cõmisso rum facere, planeq; esse propitium, ac ex impijs nobis expertibus gratiæ, pios & gratiæ compotes reddere. Hi pij, hoc est, dei & gratiæ compotes, qui non ratione & naturæ ductu, sed per solam dei saluificam gratiam uiuunt & conuersantur, perpetuo fidentes ac timentes etiam sunt, ne quando ab hac gratia excidant, & propriam rationem, arbitriũ aut existimationem sequantur, uel à se excogitatis operibus inhæreant, Germanice nominamus, Gottselige, glaubige, gnadenselige, gottesreich.

¶ *Figura,* pro æqualitate (teste Gregorio Nysseno) Hebr. 1. cap. Qui cum sit splendor gloriæ & figura substantiæ eius.

¶ *Filius,* cuiusque rei Hebrçis uocatur, quod ab ea factum est, aut seruatur, ulla ne ratione ad illum attinet. Sic Esaias capite quinto, locum uberem & fertilem, regionem omni pinguedine affluentem, filium olei adpellat. Vinea, inquit, Esaias facta est dilecto meo in cornu filio dei. Zachariæ 4. Illi duo filij olei stantes coram domino omnis terræ. Tropo hebraico hoc ioci filios olei uocat, oleum splendidum & abundans, quod nimirum unctionem spiritus sancti designat.

Filius

Filius areæ. Esa. 21. cap. Tritura mea & filius areæ meæ, id est frumentum, uel palea sic appellata, quod triturentur & spargantur per aream, hæc Kimhi in Radicibus. Et Esaias 21. cap. uocat Babel filium areæ suæ, quòd ita ut frumētum in area, eum uellet conterere. Psal. 80. Filius pharetræ seu arcus. pro sagitta. Hiob 41. cap. Non fugabit eum filius arcus. Et Trenorum 3. cap. Introduxit in renes meos filios pharetræ suæ. Filius hominis, pro ipso homine. Psal. 144. Decore pulchrior es filijs hominum. Filij Aaron, pro filijs eius. Leuit. 9. cap. Et obtulerunt ei filij Aaron sanguinem Filia Zion, quemadmodum & Latini & Græci poetæ faciunt urbes, Nymphas, fluuios: reges, ita Hebræi fœminas & filias appellant. Filius prophetarum, pro discipulo. 4. Regum 2. Et accesserunt qui erant in Iericho ad Eliseū. Filius mortis. Psal. 101. Ad aperiendum filios mortis: hoc est, condemnatos & dignos morte. Septuaginta, Filios interemptorum. Filius anni innocente. 1. Samuel. 9. cap. Filius anni Saul in regendo ipsum. An non illi iam filij erant: scias hoc schema idem ualere, acsi dicatur, tanquam filius anni, eo quod nullum adhuc peccatum designauerat à diebus suis, sic à malitia omni & crudelitate immunis non atrox uel intractabilis, sed leuis, mansuetus, sine superbia & ambitione quacunq;.

Filius alienigenæ, pro peregrino, aut nouo homine, aduena, quem Græci proselyton uocant. Esa. 16. Hicne dicat filius aduenæ. Filij Heth, pro Hethæis, quemadmodum Græci dicunt, Filij Achiuorum: Ita Filij Israel, pro Israelitis. Gen. 23. Et responderunt filij Heth Abrahamo, Filij pauperum, idem quod pauperes, utiq; credentes. Idem pauperes populi, qui & filij pauperum. Filij uiri, qui ex concupiscentia carnis nati sunt appellantur, Septuaginta, Filij hominum. Psal. 49. Etiam filij hominum, etiam filij uiri: hoc est, filij plebeiorū & filij maiorum & nobilium. Filij dei. Gen. 16. Et uiderunt filij dei filias hominum: hoc est, Iusti uiderunt filias hominum, uel probi uiri, quos deus ut filios amore prosequebatur. Nam hoc loco nominat eos, qui deum metuebant, deum reuerebantur atq; amabant. qui à parentibus suis in religione ac cultu unius ac ueri dei educari erant, qui deum pro suo deo habebant, qui ex linea erant ac gente, ex qua futurum erat semen illud promissum. Contrà, filios hominum eos dicit, qui de parricida Cain erant geniti. Vel filij dei: hoc est, magnatum & principum.

Filij huius seculi sunt, qui uidelicet omnia prudenter in hoc seculo, & ut hoc seculo luxuriosè utuntur, instituūt. Eos Germanice appellamus, vveltkinder, peritos & excitatos rerum humanarum. Ergo filij lucis sunt: non præsentia mundi sectantes fideles, sed magis aspirantes ad uitam & lucem illam æternam. Sed in hoc mundo ignauissunt & sibi non prospiciunt. Filij lucis. Ephes. 5. Vt filij lucis ambulate: hoc est, honeste & pie ambulate. Filij filiorum, simile huic Vergiliano, Et nati natorum, & qui nascentur ab illis. Iohelis cap. 1. Et filij uestri filijs suis, & filij eorum generationi alteræ.

Filius iræ & gehennæ, nihil aliud est, quàm filius diaboli. Diabolus enim perditio est, & ira & mors. Sic filij appellantur gehennæ, qui gehennæ ignibus consumēdi sunt. Ephes. 2. cap. Filij deorum Elohim, filios enim Dei & deos scriptura uocat, Quicunque deum præsentius & insignius referūt, ampliore diuinitatis portione donati. Vnde non solum angelos, immortali uirtuteq; incomparabili deum præclare repræsentantes, sed & principes potestatesq; qua deum referunt, pellentes, filios dei & deus appellat, ut ex Genes. 7. & Psal. 82. liquet. Filij hominum, idem quod homines, Psal. 31. Græci reddiderunt, filios arietum, uel fortes istos, uel uirtute insignes. Aben Ezra astra intelligit, propterea quod hæc & Iob 28 cap. Filij deorum, id est dij dicuntur. Filius dextræ, à felici auspicio quopiam, sicut Iob ait. Tametsi mortua est mater. nihilo uilior erit apud me filius, sed preciosus erit. & in summis habebitur. hoc est, à dextris esse: nam à felici auspicio uocabat eum filium dextræ. Sic & filius dei dicitur, sedere ad dexteram patris, hoc est Patri æqualis esse per omnia.

Filios populi, nominat scriptura plebem extremæ notæ, & uilissimos quosq; de populo. Hierem. 17. Proiecit cadauer eius ad sepulchra filiorum uulgi. Filij sponsi, pro sodalibus sociis. Sic Germanicè dicimus Doripheris, mengs hiedermans sun. Mat. 9. Non possunt filij sponsi, &c. Filij iuuentutis, id est, iuuenes, Psal. 127. Filij Israel, pro omni populo. Filij nepotibus, & his qui genus ducunt ab alijs. Gen. 10. Hi sunt filij Cham, id est Omnes sunt qui originem traxerunt & genus suum ab ipso Cham, isti sunt nepotes Cham secundum cognationes suas & secundum linguas suas, id est, uaria idiomata. Genes. 38. ca. Isti sunt filij Esau, id est nepotes. Filius bouis, pro nondum adulto. Filius dō-

mus, id

mus,id est,uernaculus & emptitius,quem emisti à quocunq; alienigena,qui nõ est,hœ di uel agni,Exodi 12. Filius matris,pro uterino,Gene.43. Filius cognominis loco poni tur apud Hebræos, Nume. 1. cap. Notandum autem ex hoc loco & alijs, Hebræos cognominis loco uti uocabulo Filius & patris nomine. Eliser filius Sedeur. Et 7.cap.Nahason filius Aminadab.More hebraico nomen patris ponitur cognominis loco.

Filij Seth, pro mundo ipso.Numer.Id est,filios Adam,mundum ipsum.Filius relicti onis domus meæ, pro, Is cui curam omnem rei familiaris meæ ego reliqui & commisi. Id est,dispensator & procurator domus meæ. Filius hominis Christus dicitur, pro filius homo:ut una locutione,& dei filium & hominem confitemur.Filium facere transire alicui idolo, Leuit.18.cap. Vt consecretur idolo Moloch,ne pollues. Vel:ad transire faciendum ad ipsum Moloch,ne polluas,&c.id est,ne ullũ è filijs tuis immoles deo Moloch.Solebant autem lustrare filios suos idolo Moloch, & comburere in honorem eius idolum Moloch.Nonnulli putant esse Saturnum.

Filij dei,de quibus scribitur in Iob:Quadam autem die,quum uenissent Filij dei, ut starent coram domino,&c.sunt electi angeli,iuxta Bernardum,ut diuinæ gloriæ participes,& expressiorem imaginis dei similitudinem in se habentes.Idem asserit & D.Gregorius lib.2.Moral.cap.2.Potest tamen etiam intelligi de sanctis hominibus, qui etiam dij sunt & filij dei,ut suprà indicauimus,& infrà latius dicemus.Veniunt autem angeli boni & mali ante deum,Iob 1. cap. Quod Origenes præclare tractat. Hebræi quemadmodum eos uocant fratres qui sunt de eadem prosapia. Sic filios qui nati sunt de eadẽ posteritate.

Filios postremo dei scriptura uocat, quibus ampliter deus benefacit, & peculiari dignatione bonis suis præ alijs cumulat, tum ab ipso genitos, quum primum suam illustriorem illam charitatem erga eos prodidit. Sic Israelitæ filij dei, Deuteronomij decimoquarto capite & alias dicti sunt,quod præ omnibus mundi populis,beneficijs diuinis ornati essent. Proinde filij Dei,id est, ueri Christiani sunt, qui pie quoque uiuunt, & qui semper innocentiæ studeant, primæ Ioannis tertio capite.Filij uiri Hebræi per אישים plerunque intelligunt uirum insignem, aut cordatum, sicut per אדם hominem uulgarem accipiunt, Psalmo quarto,Filij uiri, usquequò gloria mea erit in ignominia.

Filij prophetarum,hoc est discipuli,instituendi de lege,& beneplacito dei,dicti sunt, qui præceptores suos prophetas insigniores,quorum Helias & Helisæus præcipue habebantur in toto Israele, patres nominabant,& uelut nutritios,in lege domini discenda & docenda.Nam in Galgalis quam Bethel & Iericho filij prophetarum erant, ut liquet 4 Regum cap.6. Dixerunt autem Filij prophetarum ad Helisæum,Ecce,locus in quo habitamus coram te, angustus est nobis. Clare hic discimus Filios prophetarum dictos discipulos,& studiosos uerbi dei,timorem domini discentes, ut aliquando eum docerent:ipsoq; habitasse communiter cum suo præceptore, auctosq; numero uides, ut ocum dilatare desiderarint & tentarint.

¶ *Filij Belial*, uerbum Belial est res praua, scelus Belial enim dici putant, quasi Beliaal,id est,nihili prodest,unde nihil impijssimi,maligni,pessimi et perditi homines qui destituti sunt religione,pietate & omni timore dei.1.Samuelis capite secundo,Cumque Anna mater Samuelis se à temulentia excusaret sacerdotis Heli, negabat se filiam Belial, hoc est,ebriam. Et 25. Ipse est filius Belial,et cætera. Ex his et similibus locis colligitur Belial significare scelestum, perditum, flagitiosum.Sic iam uerbum Belial scelus,flagitium, res praua dicitur,ut ex uersu 3 Psal. 10. liquet, & ex 15. cap. Deut. pro iniquo & peruerso consilio accipitur, quo quis cogitans annum remissionis propè esse,uelit fratri pauperi adesse,dando mutuo.Filios Belial, & Psal.18 uersu 5. pro malicijs & sceleratis dixit.

Ad hunc modum Filium perditionis & hominem peccati.2.Thessal. 2.Paulus dixit, quæ appellationes secundum proprietatẽ sermonis Hebraici perinde pollent, ac si quis nostro sermone dicat aliquẽ esse scelestissimũ & perditissimũ,adeoq; ipsum scelus ipsissimamq; perditionem,utpote qui sibijpsi & alijs autor fit scelerum & perditionis.

¶ *Filiarum* nomine Hebræis urbes & ciuitatum inhabitatores, atque pagos adiacentes ac municipia ueniunt. Quemadmodum Poetæ, tum Græci, tum Latini urbes, nymphas, fluuios, reges aut deos,etiam montes, heroes, aut beluas ex robustissimis

istis faciant, Numerorum uigesimoprimo capite, Et habitauit in filiabus eius, id est, minoribus urbibus, oppidulis & uicis, qui sunt sub metropoli. Erat enim Hesebō urbs regia. Filias uocat uillas & pagos, Esaiæ primo capite, Derelinquetur Filia Zion, sicut &c. Sic Zacha. 1. cap. Filia Babel, id est, populus. Et postea: Lætare filia Zion. Similiter Iacob Genesis quadragesimonono capite, de Ephraim, Iosue 15. Ækron cum filiabus et uillis suis. Id est, castellis & oppidulis. Non rarum quoq; est in literis sacris, ubi minor et infirmior pars totum populum significat, ut Zachariæ nono capite. Dicite filiæ Zion: Ecce rex tuus. Id est, toti populo Israelitico, quasi diceret: in tribu Ephraim erit magna multitudo populi.

Filiæ nomen interdum pro tribu, Exodi 2. cap. Et accepit filiam Leui. Quemadmodum Elizabet mater Ioannis Baptistæ, Lucæ 1. dicitur ex filiabus esse Aaroni de qua tamen certum est eam non genuisse Aaron. Denicq; pro nepotibus, Gene. 46. Intrauit Iacob in Ægyptum, & omne semen eius, filiæ & filiæ filiarum eius cum eo. Quum constet tamen non nisi unam filiam habuisse Dinam. Nam scriptura congregationes, feminas, matres, sorores, & filias uocat, Ezech. 23. Et Gene. 20 cap. Sara erat filia, id est, neptis Tharę patris Abrahæ. Filia oculi, pro pupilla oculi, Thren. 2. cap. Filia fœminarum apud Danielem 11 cap. id est, omnium mulierum formosissima. Filiæ pharetræ intelligit scriptura sagittas. Threnorum 3 cap. Misit in renibus meis filias pharetræ suæ.

¶ *Finis*, pro summitate & summo, Deut. 4 cap. A fine cœlorū usq; ad finem cœlorū. Sic Fines terræ, pro angulis & plagis orbis apud Hebræos sumuntur. Aliquando uero pro remotissima regione, Esa. 5. cap. Ad longinquam terram, Psal. 60. A finibus terræ. Sic appellantur & fluuiorum Fines quibus in mare defluunt ostia, Hiere. 15. Ad Fines terræ. Similiter & Gentes idem quod Fines terræ, Psal. 2. per synonymiam uel congeriē. Pro numero, Esa. 2. Et non thesaurorum eius. Septuaginta ἀριθμὸς, id est, numerus. Porrō Hebræi quod summum uolunt ac maximum, id extremum appellant æque ut Latini, ut extrema insania, neq; secus Græci ἔσχατα κακὰ, id est, extrema mala, pro maximis, Ezech. 35. In tempore iniquitatis exttemæ.

¶ A *fine*, Numeri 13 capite. Et reuersi sunt ab exploratione terræ à fine quadraginta dierum. Septuaginta μετὰ, id est, post. Deuteron. 9 cap. Et factum est à fine quadraginta dierum. Latinus cum Græco, dicit post quadraginta dies Genesis 19. cap. Omnis populus à fine. Septuaginta ἅμα, id est, simul.

¶ *In finem* atqui frequens est locutio, ut Psal. 9. Patientia pauperum non peribit in finem, pro in æternum ponitur. Et eodem Psalmo: Inimici defecerunt frameæ in Finem. In finem exuberantis affectus causa dicitur, quo exprimit uastationem in unam sic desisse, ut non sit spes, aut timor resuscitandam, pro in sempiternum, positum est. Denicq; ubicunq; inueneris Psalmum talem habere titulum, scito ea quæ in eo prophetata sunt longis temporibus implenda esse.

¶ *Finire* uerbum hoc, pro uerbis absoluere, perficere, consumere & consummare utuntur, Esa. 16. Finitus est Puluis uel populus, consummatus est miser, defecit qui conculcabit terram. Pro auferre, Esa. 7 cap. Et etiam barba finietur. Septuaginta ἀφανισθήσεται. Pro mori & Hebræis & Latinis tritissimum.

¶ *Fingere, Formare, Creare*, Obseruatum est à Basilio Magno. Fingere & Formare, ad corpus spectant. Creare autem ad animum. Qui dixerint formauit deus, dictum esse de corpore, Creauit uerò de anima, & forte non abest à uero. Vbi enim dicitur deus Creasse hominem ad imaginem suam, Creandi uerbum usurpatum est. Vbi autem de figmento corporis habetur mentio, uerbo fingendi id significatū est. Sic Psalmista: Manus tuæ crearunt & finxerunt me. Creauit enim interiorem hominem, finxit exteriorē. Nam ficto, luto conuenit, creatio uero ad imaginem dei pertinet, quare caro quidem formata, animus autem creatus.

¶ *Firmare*, tropo Hebræo significat statuere, implere, seruare, quomodo apostolus Rom. 4 dicit: Legem per fidem non destrui, sed statui, quam Rom. 5. dicit. Infirmari per carnem. Et iterum 4 cap. Promissionē, inquit, firmari per fidem. Eodem modo & Psal. 17. Et non sunt infirmata uestigia mea, id est, robustissime firmata & stabilita. Negatiua enim sæpe uehementior est affirmatiua, maxime in sacris Bibliis.

Firmare autem uultum, in malam partē utuntur Hebræi, Ego enim firmaui uultum meum, Hiere. 21 cap. Obfirmare uultum in bono ac malo ponitur, Lucæ 9 cap. in bonam partem

partē accipitur: Ipſe faciē ſuam firmauerat ut iret Hieroſolyma. Hiere. 42. cap. in malū. Nam uultū ponere uel obfirmare, nihil aliud ſignificat apud Hebræos, quàm incunctāter ſiue firmiter ſtatuiſſe. Qui ait Hieremias, cōtumaciter pergent ire in Ægyptum, etc.

Firmare pro exaltare, Pſal. 105. Et firmarunt eum ſuper inimicos eius, id eſt, ſuperiorem illum fecit hoſtibus, exaltauit eum.

¶ *Flagellarum* nomine ueniunt fames, inopia, frugum iactura, mors pecorum, peſtilentia, iræ, mulctæ principum, exactiones, bella, incurſiones, depopulationes, liberorū orbitas & aliæ moleſtiæ. Hęc omnia Dauid Pſal. 73. Laborem & Flagellum appellat. Et cum hominibus non flagellabuntur. Illi uidelicet impij in labore hominum non ſunt, hoc eſt, in nulla adflictione ſeu moleſtia homines, illi inquam, rebus ſuis omnibus intactis laute admodum mundo hoc utuntur.

Flagelli uocabulo lepra quoq; intelligitur Pſal. 90. Et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Septuaginta ἐν πόνῳ, id eſt, in dolore. Theodotio (teſte Hieron.) Eſa. cap. 53. tranſtulit: Et nos putauimus eum quaſi leproſum. Translatio uulgaris Flagellatum. Flagellū pro exprobratione et fama, Hiob. 5. A flagello linguę abſconderis. Horrēdam de hoſtibus uenturis famā aut ſtrepitum quadrigarū bellicarū ſignat. Itē Flagelli nomine uirga diſciplinæ ſumitur, qua ſuos deus in hoc mundo, quos diligit, caſtigat: iuxta illud ad Ebræos cap. 12. Et Matth. 10 cap. Vade cū pace, & eſto ſana à flagello tuo.

¶ *Flagitioſi* Hebraice Chataim, uulgo uertunt peccatores, non ſunt, qui quouis modo peccatis obnoxij ſunt, ſed qui iam perfricta fronte ita peccatis ſeſe addixerunt, ut inde meruerint cognomen. Quales ij erant, qui in hiſtorijs euangelicis peccatores uocantur, qualis illa in ciuitate peccatrix. Hoc certe nomine, Gene. 13. Sedomitæ. & 1 Regū 15 Amalekitæ Chataim, id eſt, peccatores uocantur.

¶ *Flatus*, maledictiones in ſcriptura, & execrationes, & excommunicationes horrendas ſignificant, quibus deus proſternit ſibi aduerſantes, Pſalmo nono. Sic Paulus ſpiritu oris ſui, id eſt, flatu, uel euangelio à ſe prædicato, interficit hoc regnum in cordibus multorum. Flatus dei, iuſſus eius eſt, Iob quarto. A Flatu dei perierunt, Græci aiunt, imperio uel iuſſu. Et Exodi 15. Per Flatum naris tuæ. Flatum in naribus eſſe, eſt eſſe humilem & fragilem & nullius reputationis, Eſa. ſecundo capite: Quieſcite uobis ab homine illo, meus flatus in nare ſuo. D. Hieronymus, Moneo uos atq; præcipio et quieſcatis ab homine illo, qui ita ſpirat ac uiuit, ut nos homines, quia in nihili computandus eſt? Quiſq; ne hominum ita quempiam lauder ut dicat: Cauete ne offendatis eum qui omnino nihil eſt? Ergo è contrario ſic intelligendum: Cum hæc uniuerſa uentura ſint uobis, & propherali ſpiritu prædicantur, moneo atque præcipio, ut quieſcatis ab eo qui ſecundum carnem quidem homo eſt & habet animum & ita ſpirat, & naribus halitum trahit, ut nos homines ſpiramus & uiuimus, ſed ſecundum diuinam maieſtatem excelſus & eſt & reputatur & creditur.

¶ *Flectere genua*, eſt honorare ſeu colere, Philip. 2 cap. Vt in nomine Ieſu omne genu flectatur 3. Reg. 19. Qui non curuauerunt & flexerunt genua ipſi Baal.

¶ *Florum & gemmarum* nominibus precioſæ res imò regna & urbes deſignantur apud Hebræos, & eſt perpetua eorum conſuetudo. Sic adhuc hodie Iudæi filiabus gemmarum nomina aut Florum indunt, ut Pſal. 45. Super Lilia, Suſan, roſam ſignificat, uide Suſanna, roſina uel roſacea. Hinc Suſanna & Margarita, et cætera, Habent enim hoc in more, ut id quod in delitijs habēt roſæ, floſculi, uiolæ, et cętera. nomine appellent. Sic etiam Libros ſuos appellant nominibus Florum aut aliarum inſignium rerum, ut porta nucis, &c. Sic Aſſaph, Pſal. 80, appellat totum regnum nomine roſæ. Nos germanice reddere poſſumus, von den ſpan roſen. Quod ſicut Principes geſtant monilia precioſis geminis ornata, ita populus Iudęorum, ſit peculiaris populus, quem deus geſtet in pectore, tanquam ſingulare ornamentum, decoratum politia & cultu diuinitus inſtituto, quem populum foueat, ac defendat deus. Ideo uocat gemmam dei & roſam dei. Sic duodecim tribus, duodecim gemmis notauerunt. Vt Iuda ſit Smaragdus Dei, & ſic de reliquis.

¶ *Florere*, pro fundere, Leuit. 13. Si autem florendo floruit lepra. Item, Floridus pro umbroſo, Canticorum primo, Etiam lectulus noſter floridus. Septuaginta σύσκιος, id eſt, umbroſus.

¶ *Flumen ſeu Flumina*, montes, arbores, principes, potentes & cupidos denotant,

ut ait Solomon Eccle. primo, Omnia flumina intrant in mare. Sic & ipſi potentes licet magnum habeant cenſum nunquam ſatiantur. Et Eſaiæ decimooctauo capite, Flumina regum exercitus ſignant.

Fluminum in ſcriptura nota, eſt translatio, qua uiolentiora flumina et ſubitę inundationes transferuntur, ad ſignificandum uim hoſtium ineuitabilem ac inopinantes opprimentium, Pſal. 28. ea uſus eſt fuſius 8. & 123. Alias Hiere. Threnorum 1 cap. uocat frequentiam populi uiam fluminis: Ad eum fluent, inquit, aquæ. Flumina pro Nilo, qui ſolus totam inundat Ægyptum, Pſalmo 78. Et non raro in ſcriptura, quod per Flumen Euphratem intelligunt Hebræi, Eſaiæ undecimo & decimonono capite. Iuxta flumina aquarum deducere, eſt prouerbialis ſermo, pro certo ac infallibili itinere ducere, Hieremiæ trigeſimoprimo capite.

Flumina eleuauerunt, locutio eſt apud Danielem, qua ſignificatur hoſtium contra populum dei ferocitas, Pſal. 93. Fluminis impetus ſpiritus illius cœleſtis gratia, quando ſubito adoritur hominem ac ui ſua rapit quò mauult, Elegantiſsima allegoria impetu Fluminis indicatur. Flumina, Chriſti dona ſignificãt, Auguſt. lib. 13. Confeſſ. cap. 13. Sed iam non in uoce ſua: in tua enim qui miſiſti ſpiritum tuum de excelſis, per eum qui ascendit in altum, & aperuit cataractas donorum ſuorum, ut fluminis impetus lętificaret ciuitatem tuam. Flumina, prædicatores uerbi. Vide D. Auguſt. in Annot. in Iob.

Flumen, Euphrates ſæpe in ſcriptura dicitur abſolute, Pſal. 72. Et à flumine uſque ad fines terræ. A mari, inquit, uſq; ad mare. Hi termini, ſunt mare rubrum, & mare Paleſtinæ, Flumen Euphrates, & deſertum magnum. Quia enim nullum uaſtius flumen Euphrate, Iudæis notum erat, ſcriptura illum abſolute flumen ferme uocat.

Fluuij nomine quoq; auxilia, cõſolationes dei, & fœcundum dei ſpiritum, aut dona ſpiritus ſancti, per Fluuios, riuulos, indicant multa ſcripturæ loca, Pſal. 36. Flumine deliciarum tuarum potabis eos Pſal. 46. Populum quoq; dici Flumen Eſa. 66. ac alia loca non pauca probant. Item, Flumina & Fontes doctrinam deſignare ſcripturis nõ infrequens, ut ex Prouerbijs 5. & Ioan. 4 & 7 cap. Fluuium, ſeu Flumina fluere de uentre, Ioan. ſeptimo capite. Vide D. Auguſtinum ſuper hunc locum, Item, Apocalyp. 8 capite. Item, Flumina magnæ abundantiæ iudicium. Eſaiæ quadrageſimoprimo, Aperiam in ſummis locis flumina, &c.

¶ *Fodere*, pro inſidiari, & Fodere foueam idem ſignificat, Pſal. 56. Foderunt ante me foueam, hoc eſt, palam inſidias ſtruxerunt. Prouerb. 26. Qui fodit foueam, cadet in eam. Foueam fodere, prouerbium eſt, pro necem ſtruere, uitæ inſidiari, Pſal. 18. In foueam ce cidit, quam fecit: & in rete quod abſconderunt, captus eſt pes eorum. Hac allegoria pœniali utuntur, dum qui eo perit, quo alium perdere inſtituit. Mutuata eſt ſimilitudo à uenantibus feras, quibus foueas illæ inſiliunt, capiuntur, non potentes inde rurſus emergere: lupi præcipue hoc modo capi ſolẽt, Metaphora retis ab aucupibus ſumpta eſt. Hinc Fouea pro interitu. Pſalmo nonageſimotertio, Donec fodiatur impio fouea. Item Foueæ nomine infernus uenit, ut Eſaiæ decimooctauo capite, Liberare animam meam à fouea, hoc eſt, ne corpus putreſcat, & in ſepulchro. Foueam uidere, pro ingredi infernum. Et in foueam deſcendere, eſt corpus ſub terra recondi. Idẽ ſunt hę loquutiones.

¶ *Folium*, in ſacris et in primo Pſalmo Dauidis ſignat adumbratq; uerbum & doctrinam pietatis & fidei, Et folium eius non defluet, Nam fructus arboris myſticæ hoc eſt, ſpiritualis hominis ſunt opera fidei in beato illo & pio uiro. De arbore, folio, & flore non inepte ſcribit Rabanus libro decimonono Vniuerſitatis. Flos enim, inquit, campi, Chriſtus eſt: flos fœni, gloria ſeculi, Flores autem initia fidei. Folium quoq; legis literam appellat Moſes, Leuitici 26 cap. Terrebit eos ſonitus folij uolantis, Iſychius in cap. 26 Leuit. lib. 7.

¶ *Fontes*, auxilia dei, conſolationes, ſpiritus ſancti dona deſignare ſuprà in uocabulo Fluminis auditum eſt. Cæterum hoſtes & per infeſtam Aquarum uim ſignificari ex Pſalmo 17 & 18. & Pſal. 40 & alibi liquet. Fontes quoq; inundationes & effuſiones ſignificant, Pſal. 17. Et apparuerunt fontes aquarum. Significat enim terram perfractam uſq; ad infimas aquas. Nam aquas eſſe ſub terris, & terrã fundatam ſupra aquas ſcriptura clare dicit. Tales figuratas loquutiones & in Gene. 7 ſic reperimus, uidelicet fontes ruptos, abyſſos magnas, & cataractas cœli apertas, quæ nihil aliud ſignificant, quàm infra & ſupra eruptã aquam eſſe, nõ naturali modo, ſed præter naturã uis ſit, nõ natura.

Fons

Fons sacra scriptura est, quæ sic aquam sapientiæ generat, ut & potantes reficiat, & tamen manare non cessat, Cant. 4.

Fons hortorum, puteus aquarum uiuentium, quæ fluat impetu de Libano.

Fons Israel, est populus dei, & gratia Christi, qui natus est ex Israel, cuius Israelis reliquiæ ex fonte inundauerunt gratia euãgelica, super uniuersum orbẽ, Esa. 12 cap. Haurietis aquas in gaudio, de fontibus saluatoris. Et Psal. 67. In cõcionibus benedicite deo domino de fontibus Israel. Et Ioannis 4. Fiet in eo fons aquæ uiuæ salientis in uitam æternam. Item, Fontis nomine Hebræi intelligunt rei originem, ut timor domini fons uitæ, sapientia est fons uitæ. Hinc nomen Fontis traducitur ad significandum rei principium, Psal. 68 uer. 27. In cœtibus laudate deum dominũ de fonte Israel. De fonte Israel dictum Hebræi putant pro eo quod est, qui à semine Israel estis prognati. Alias Fons pro uapore, Gene. 1. cap. Fons ascẽdebat. Item fontis uocabulo fluxus sanguinis uenit, Leuit. 20. Venam uel fontem, nocat fluxum sanguinis.

¶ *Forma dei*, loquutio est apud Paulum, Philip. secundo capite, Quum esset in forma dei: pro, Quum esset essentia deus. Vt forma ponatur pro essentia. Nam in forma dei esse, nil aliud est quàm deo per omnia æqualẽ, adeoq; ipsum deum esse, deo per omnia similem. In forma dei, inquit, erat Iesus Christus, quod quidem aliud est quàm si dixisset, Reuera unius cum deo substãtiæ erat? Formam serui assumpsit, In similitudine hominum constitutus, id est, uere homo factus, cæteris hominibus per omnia similis. Et figura repertus ut homo: id quod lingua nostrate significantius exprimimus, vnd gestalt halben erfunden, vvie ein mensch syn soll.

¶ *In foribus adesse*, dicitur allegorica prouerbiali de eo quod instat atq; in proximo est, Matthæi 24. cap.

¶ *Fortis* & robustus interdum in bonam partem accipimus, ut Iosue 1. cap. Sis fortis & robustus pro, age constanter & inconsternato animo perge. Nonnunquam in malam partẽ sumitur pro uiolento, Esa. 19. cap. Et rex fortis dominabitur. Et Micheæ 2 cap. Fortes uim faciunt fortibus, id est, uiolenti, bonos uiros recte monentes conficiunt bodum obsistunt impietati principum, ut fecit Amazias 3. Paralip. 25 cap. ut Achab uineã Naboth rapuit 3 Regum 21. cap. Habes Manassen regem 4 Regum 21. cap. Hi fortes fuerunt à seculo. In Prouerbium abiisse post diluuium: ut quoties uiderent homines magno corpore, dicerent: Iam in seculis præteritis fuerunt robustiores gigantes.

Fortis facie apud Danielem 8. Et stabit rex fortis facie. Græci, Impudens facie, hoc est, mire audax, ad quoduis malum patrandum, ita ut nullo pudore metu'ue à malis cœptis retraheretur, sane Deut. 28 cap. Idem modus loquendi est, Gentem fortem facie, quæ non eleuabit faciem senis. Vbi certe de bellatoribus loquitur, à longinquo uenientibus omnis humanitatis & clementiç expertibus, nihilq; minus quàm ullam honestatis speciem præ se ferentibus.

¶ *Fortitudo*, sæpenumero potentiam ac potestatem administrandi gubernandiq; significat, ut innumeris locis animaduertere licet, ut Psalmo 61. In deo salutare meum, gloria mea & rupes fortitudinis meæ. Pro facultate, Prouerb. 3 cap. Quum fuerit in fortitudine tua ad faciendum. Pro nomine diuino, Exod. 20 cap. Ego dominus deus tuus. Item, Ex ore fortitudinis audiuimus ea.

¶ *Fornicari*, pro negociari accipitur in Mose & prophetis, Esa. 23. cap. Et fornicabitur cum omnibus regnis. Quod hunc in sensum accipi debeat, sequentia declarant. Fornicari quoque deficere à deo, & idola colere, Leuit. 17 cap. Cum quibus fornicati sunt. Id est, quorum cultui addicti sunt: siue quos colere soliti sunt, Leuitici uigesimo capite. Hinc fornicationis nomine solet scriptura non infrequenter idololatriæ impietatem ac cordis prauitatem designare, & idola colere, id quod est uidere Esaiæ primo capite, Hoseæ 4. Hiere. tertio capite, Vadam super omnem collem excelsum & diffundar in fornicatione mea subter omni ligno frondoso, Numeri 14. Portabunt fornicationem uestram. Id est, dabunt pœnas infidelitatis uestræ, qua defeciſtis à fiducia in deum. Fornicari post Baalim, id est, meretricio quodam amore idola sectari deo relicto, &c. Porrò, Fornicatio pro incœstu ponitur. 1. Cor. 5. cap. Nam πορνία quod Græcis omnem illicitã uenerem significat, hic pro incœstu ponitur. Hinc Fornicarius. 1. Cor. 5.

¶ *Fortificari*, pro propagare, multiplicari, & in numero augescere. sic enim plerunque

uſurpat Hebraiſmus uerbum Fortificare, ut. Fortificata eſt plaga, pro inualuit. Fortificauerunt torcularia uinum, pro redundauerunt, Gene. 38. Et tu propagatoris. Hebræus fortificaberis uſq; ad mare occidentale.

¶ *Frameæ* nomine perſequutiones eccleſiæ denotantur in ſcriptura. Nam frameus uocat quibus eccleſiã ſcinderunt, perſequuti ſunt, & uaſtauerunt principes huius mundi, præſertim Iudæi, quæ penitus ceſſauerunt, ubi increpatis gentibus impĩj perierunt & nomen eorum deletum eſt in æternum: Pſal. 9. Inimici defecerunt framææ, id eſt, deſertæ ſunt uaſtationes, hoc eſt, inimicus deſiit deuaſtare. Arma nanq; ſcilicet, gladius, arcus, &c. diuinæ ſeueritatis officia, teſte Hilario. Item D. Auguſtinus. Framea gladius eſt, nec utiq; tali ferro Chriſtus occiſus eſt, ſed cruce, nec latus eius gladio, ſed lancea percuſſerunt. Translato ergo uerbo, frameam linguam dixit perſequentium, Et ne à framea animam meam, & quoque in alio Pſalmo dicitur, Et lingua eorum gladius acutus: unde quia in eius carne lingua prævaluit malignorum, orat ut animæ nihil noceat, cum dicit: Erue.

Framea uel flammea uerſatilis apud Moſen, temporales pœnæ intelliguntur, quoniam tempora uolubilitate uerſantur. Propterea & flammea dicitur, quia urit quodam modo omnis tribulatio.

¶ *Frangere*, Hebræis eſt atterere, uaſtare & occidere, ſicut & deſtruere, pati, perireq; ſumitur. Apud Eſaiam certo 23 cap. ſcribitur Confractione confringetur terra, &c. Id eſt, tota euertetur, excindetur, & deuaſtabitur funditus. Similiter apud Ezechielem cap. quinto ait, Ego quoque confringam. Et apud Matthæum 26. Quod pro uobis frangitur hoc eſt, occiditur & in crucem ſuſpenditur. Et alibi: Frangite ſeu deſtruite templum hoc, & in triduo reædificabo illud: id enim ualet loquutio perinde, ac ſi dixiſſet: Occidens hoc corpus, et cætera. Et per fractionem nihil intelligit Actorum 20 cap. quàm ipſa (quod & Beda ſentit) Chriſtianorum myſterja, diſtributionem corporis & ſanguinis Chriſti, Pſalmo 119. Fregit ſe anima mea ob deſiderium, hoc eſt, conſternata eſt admodum deſiderando iudicia tua.

Fractionem item proprie ſignificat contritionem. Quandoquidem ergo in contractu uenditionis fit diſtractio, ponitur q; Gene. 42 pro uenditione, fractio. Audiuit Iacob quod triticum uenundaretur in Ægypto. Et deinde uenditio, pro re uendita. Nam in commutatione frangitur quod tuum eſt meum. & quod meum eſt, tuum fit, pars ſilicet. Frangere ergo pro uendere, emere, commutare, adducto capite utitur Moſes, Fractio pro re diſtracta & uendita.

Frangendi uerbum plerunq; in ſcripturis ſignificat diſtributionem, ut ex Eſaia patet cap. 58. Frange eſurienti panem tuum: hoc eſt, diſtribue, partire. Et Threnorum 4. Actorum 2. cap. Frangentes circa domos panes. Et illud: Panis quem frangimus, idem eſt atq; quem inter nos diuidimus. Ad hoc enim panis frangitur, ut dari, inq; communionem & participationem uenire poſsit.

¶ *Fratris ac Sororis* uocabulo Hebræi uicinos, nepotes, conſobrinos, cognatos ſeu cõſanguineos uel conſanguineas, proximum quenq; & omnem Iudæum, ſocium, contribulem, ciuẽ Chriſtianum intelligunt, iuxta uerbũ legis Moſaicę, quomodo & Chriſtus Iudæis frater factus eſt ſecundũ carnem, Iob 19. Fratres omnes mei à me elongauerunt, Rom. 9. Sicuti prædictum erat ipſis, ut eorum fratribus olim ſuſcitaretur propheta & ſeruator. Sicut Moſes de ipſo uaticinatur, Deut. 18. Et de Emanuele ex domo Dauidis, Eſa. cap. 7 & 9. Quod literatores quidam neſcientes, neſcio quid mouent de fratribus Ieſu, imò totam gentem, ut Gene. 25. Coram cunctis fratribus ſuis obiit, id eſt, tota gente ſua & familia. Sic uides ſanguine iunctos apud Hebræos fratres ac ſorores uocari, hoc eſt, eos qui ſunt unius proſapiæ, familiæ, generis & cognationis, etiamſi gradus ſanguinis differant, ut alter ſit in ſuperiore, alter in inferiore: & hoc maxime liquet, quod legimus, Geneſis decimoquarto capite, Et audiuit Abraam quod captus eſſet Loth frater eius. Et capite decimotertio & uigeſimonono ad Loth, quia fratres nos ſumus, hoc eſt, conſanguinei: nam patruus erat Abram, Gene. 20. Verè, inquit, ſoror mea eſt, ex patre ſcilicet, hoc eſt, ex ſanguine paterno, uerũ interceſsit ex alieno ſanguine mater, fuit ſoror eius: ſicut Lot frater eius, ut ſuprà, uiri fratres ſumus, cũ fratrũ eſſent filij. Sic illã Hebræi putant fratris fuiſſe filiam, qui frater aliam quàm Abraham habuit matrem, hoc eſt, Sara neptis fuit Tharah ex filio, & neptis Abrahæ ex fratre. Item Gene. 31.

Qui

Qui adſumptis fratribus ſuis,perſequutus eſt eum,2.Reg.24.cap.Zedechias patruus dicitur & 2.Paralip.36.capite.Frater,apparet ergo fratres uariè dici Ebræis.Pro nepote, Geneſis 29.capite. Dixit ei:Num quia frater meus es.Et Geneſis 29.capite,nonnunquàm Iacob Racheli quod ipſe eſſet frater patris eius,pro conſobrinis,uterinis,conſanguineis,neporibus ex ſorore,Leuitici uigeſimoquinto capite.Pro proximo,Geneſis 8, & 9.29.De manu fratris eius,Frater ergo hoc loco proximum ſonat.Itaque dicendum: De manu uniuſcuiuſq; proximum eius requiram.Et primæ Ioannis tertio capite,Fratres uocat Hebræorum more,quos nos uocamus ſocios,ciues Chriſtianos,Geneſis uigeſimonono capite,Fratres unde eſtis? Quemadmodum mos eſt militibus ſtipēdiarijs quos Doryphoros adpellamus.Sic & Paulus hunc morem Hebræorū obſeruauit,Fratres uocat,non quibus communes eſſent parentes,ſed quibus ſtirps ac genus eſſet commune.Quà de re doctiſsimè ſimul et copioſiſsimè diſſeruit.D. Hieronymus in libro ad uerſus Heluidium, Act.7. Putabat enim intelligere fratres ſuos.Nam Marci 6.Chriſtus dicitur frater Iacobi & Ioſæ,& Iudæ & Simonis,qui re uera erat conſobrinus Iacobi,filius inquam Mariæ uirginis,quæ erat ſoror Mariæ Iacobi,Ioan.19.cap.Sic Ioan.7.fratres domini,&c.

Fratres & ſorores olim dicti,qui nunc Chriſtiani,ut 1.Cor.9.An non habemus poteſtatem ἀδελφὴν γυναῖκα περιάγειν,id eſt Chriſtianam coniugem circunducendi.Vetuſtas uocauit eos fratres & ſorores,quos nos Chriſtianos.Sic Diſcipulos fratres uocat Paulus, nō à dignitate,ſed charitate hoc eos appellans nomine.Porrò ſunt fratres Chriſti ſpirituales,quiq; fideles ex corde uocat enim fratres ſuos,Pſal.21.Narrabo nomē tuum fratribus meis:imò reges,ſacerdotes & cohæredes cum ipſo ſunt.Quę omnia eò pertinēt, ut ſciamus certo ad nos pertinere promiſsionem patris.Item fratris nomen pro fideli.1. Cor.5.cap.Si quis quum frater appellet,fuerit fornicarius aut auarus.Vnaquæq; etiam res adpellatur frater uel ſoror reſpectu ſocij ſui,Exodi 26.Quinq; cortinæ erant coniunctæ mulierem ad ſororem ſuam,id eſt,alteram.

¶ *Fraus*,in ſacris Bibliis non ſemper pro dolo,ſed interdum pro damno ponitur,2. Cor.6.Fraudem patimini,id eſt,damno afficiamini,aut fraudamini.Fraudulēti qui dicant,aut quæ fraudulenta manus uocet,infrà in uocabulo Sedulus,litera S.audiemus.

Fraudulentus dicitur,cuius conſilia nemo poteſt perueſtigare aut cauere.Inde fraudulentum cor idem eſt quod peruerſum,uerſutum & noxium.quod ad nocendū ſemper proximis nitendum eſt.

¶ *Fremere*, hoc uerbum Pſal.2.legitur:Et incaſſum fremunt populi.Eo enim uerbo expreſsit quàm feruidè,quàm cupidè conuolarint,ſibi ipſis iam uictoriam pollicētes, & iam animo omnia uaſtantes & perdentes,adeò ut anheli in Iſraelis deuaſtationem, fremerent,inconditasq; ſummæ confidentiæ & inſolentiæ uoces iactarent.Hinc fremitus,Pſal.46.Infremuerunt gentes.Per fremitum,frementem & ſtrepentem hominum multitudinem ſcriptura ſignificat.Nam fremitus uocatur in populo murmur:quin & indignantis & excandeſcentis & quaſi humanam uocem præ affectu immutantis,uox oratioq; fremitus dicitur.Ioannis 11.capite, Valde infremuit ſpiritu,ſignificat ipſum totis uiſceribus ita eſſe commotum atque concuſſum,ut uocem ullam ad tempus ædere nequiuerit.

In Fremitu & faſtu Iordanis,Prouerbium eſt apud Hieremiam capite tertiodecimo.Intelligūt autem Hieroſolymitani ſeipſos,Anathoth riuulum faciunt:ſe autem Iordanem:nam aliàs familiare eſt Hebræis aquarum flumina pro hoſtium tumultu accipere,& alibi diximus.Fremitus autem maris:eſt ululatus uincentis exercitus,Eſaiæ 5. cap.Et fremet ſuper eum in die illa,quaſi fremitu maris.

¶ *Frenum equorum*,pro rectoribus populorū apud Ioannem in Apocalyp.cap.14,ſumit.Vſq; ad frenos equorū:nimirū pro ipſo rege Antichriſto & electis eius principib⁹.

¶ *Frigus,nix,grando,nebula,criſtallus*.Per hæc malicia humana & praua opera exprimuntur,Hiere.6.cap.Sicut frigidam ciſterna facit aquam,ſic frigidā facit animam malicia ſua,Matth.24.Abundauit iniquitas & refrigeſcet charitas multorū.Pſal.147.Qui dat niuem,&c.Hæc omnia per naturam ſuam urunt atq; mortificant in nos moleſtiarum & calamitatum dolorem.

¶ *Frons ænea, frons dura*. In ſcriptura in malo accipitur nonnunquam,ut apud Eſaiam 48.capite,pro intractabili,contumace ac perduelle.Sic enim ait:Sciui quia durus

es tu,& ferreus,ceruix tua & frons tua ænea,id est,contumax,&c.Apud Ezechielem prophetam uero pro constanti & insuperabili.

Frons dura,pro rixoso & impudico,Ezechielis 3.Dura frons.Septuag. Contentiosi sunt.Frons apud Latinos pro pudore usurpatur.Frons habita est antiquitus pudori sacra.Et facies item,id quod & prouerbio testatũ est,quo dicunt pudorem esse in oculis.

¶ *Fructus uentris*,filij,liberi & posteri sunt,Geneſis 30.capite.Fructu uentris.Qui piuarur te fructu uentris,id est,liberis,Deuteronomij 28.capite.Benedictus fructus uentris tui,hoc est,abundabis liberis,& terra gignet tibi copiosum fructum:abundabis iumentis,armento,& grege,& ilico in eodem capite,Fructus uteri uocat filios & filias,Psal.4.131.De fructu uentris tui ponam super sedem tuam,id est,ex posteritate tua prorogabitur tibi imperium æternum:quippe ex Christo seruatore,cuius regnum nescit finem.Sic Psal.120.Filij merces fructus uentris,id est,hæreditas et merces domini in filijs constituitur,qui fructus sunt ueniris,Gen.7.

Fructuum præputia & incircuncisio,Per præputia intellige primos fructus trium primorum annorum qui ex arboribus decerpti,abijciendi erant,uelut hominis præputium excisum:propterea ait Moses,Præputia earum,qui sunt fructus earũ. Fructum incircuncisum,uocat immundum,aut qui habent præputia immũda sunt. Immundus propterea uocatur fructus quo uesci licitum non erat.

Fructus Lunæ,est fructus qui maturatur uirtute Lunæ,sic appellatus,quod Luna foras eum ejiciat,Deut.33.Et de pomo fructus Lunarum.

Fructus pœnitentiæ est(teste Maximo)impassibilitas animæ qua plenarie non fruimur,dum interdum passionibus instigamur.Fructus magnitudinis cordis,est blasphemia & arrogantia,Esa.10.cap.Et erit quum perficiet dominus totũ opus suum in monte Zion,& Hierusalem uisitabo super fructum magnitudinis cordis regis Assur.Septuaginta,Mentem magnam.

¶ *Frustra* pro iniustè,Prouerb.1.cap.Abscondemus innocenti frustra,hoc est,occidemus innocentem nil mali meritum.Septuaginta,ἀδίκως,iniustè.

¶ *Frumenti* uini,& olei mentio frequens apud prophetas:nam hoc tropo exprimitur rerum temporalium abundantia,ut cognoscamus omnia bona à deo uenire,Gen.17. Frumento & uino & oleo stabiliui eum.Sic Psal.4.A fructu frumenti,uini & olei sui multiplicati suut,id est,à copia & ubertate frumenti,uini & olei sui,& rerum,& bonorum temporalium abundantia & superfluitate ditati,aucti,incrassati,dilatati.Frumentum pro cibo,Psal.64.Præparabis frumentũ eorum.Septuag.τὴν τροφήν.

¶ *Fundare*, pro firmare accipiunt Hebræi,Esaiæ 14.Zion autem fundabit,& in ipsa sperabunt pauperes populi eius,id est,firmabit.Interdum pro consultare & conspirare accipitur,ut Psal.2.Fundarunt uel fundati sunt,pro consultarunt,conspirauerunt,eò quod consilium,ut ait,D.Kimhi,rei gerendæ ceu fundamentum et initium est.eiusdem sententiæ est & A.Ezra.

¶ *Fundamentum* pro origine,Esa.58.Fundamenta generationis & generationis suscitabis,Esa.16.Fundamenta parietis fictilis loquimini.Per hæc fundamẽta metaphorice magnates exprimit Moab,secundum Hebr.& Targum.

Fundamenta pluraliter interdum prædicatores sunt,Psal.86.Fundamenta eius in montibus sanctis.Fundamenta uocat Esaias principes cap.16.Super fundamenta ciuitatis Kir.Et claudos uocat uulgi fecem.Quando uerò singulari numero ponit,ipse dominus exprimitur,1.Cor.3.Fundamentum aliud nemo potest ponere,&c.Fundamenta montium,ut infrà patebit in nomine Mons.

¶ *Fugere* pro ire,Gen.27.Et surge,fuge tu ad Laban fratrẽ meũ.Fugam perire,Psal.141.Perijt fuga à me,nõ est qui quærat animã meã,hoc est,fuga mihi intercepta est.Fugere arma ferrea simile huic est:Incidit in Scyllam cupiẽs euitare Charibdim,Iob 20.Arma enim ferrea nihil aliud sunt,quàm necessitates uitæ præsentis,æs autem sententia æterna est.

¶ *Fulguri & tonitruo* prædicatio apostolica comparatur,quod per hanc annunciatur terror iudiciorum dei,quæ manent incredulos,quæ omnino sunt ineluctabilia,Apocalypsis 4.Et de throno procedebant fulgura.

Fulgur quoq; est uirtutis agnitio cœlestis,& hoc ipse dominus testatur,dicens:Sicut e nim fulgur exit ab Oriente.Fulgura aũt in pluuiam facere,significat ideo fulguribus

bus territare mundum, ut postea pluat, sicut ferè fit ipso facto, indicans legem & Euangelium, dum territat, & beneficia præstat, ut Psal. 134. fulgura in pluuiam fecit.

¶ *Fulmina*, Legimus subinde Deum, quum præsentius & reuelatius hominibus suam uoluit potentiam atque uim declarare, tonuisse, fulgurasse, & terram cõcussisse. Ita sanè fecit, quum legem daturus populo primum loqueretur, uti scriptum est Exodi 19. capite. Item quum ad preces Samuelis declararet se populo offensum, quod regem postulassent, 1. Samuelis 12. Sic quum præclarum ab Assyrijs liberationem Hierosolymitanis promitteret per Esaiam: Inuiseres ait, cum tonitrua commotione, uoce grandi, turbine & tempestate, & flamma ignis uorantis. Ita orbis redemptionem, morte filij partam, solis obscuratione & terræ motu testatus sint, illo in cruce expirante. Sic quum spiritum sanctum suis Seruator mitteret tonuit, Actor. 1. cap. Et quum postea precationem eorum se audisse testaretur, terram commouit, Act. 4. cap. Certe tonitru, uel aliqua quapiam insigni rerum immutatione deum testari suam beneuolentiam. Ita olim uulgo receptum fuit, ut Poetæ quoties Iouem fingunt supplicantibus magnis in rebus annuisse, & fulminibus suam uoluntatem esse testatum. Talibus portentis & Dauidi restitisse, & auxilij promissionem confirmasse, cõcussa terra, missis fulminibus, fulgetris, grandine & nimbis, id sæpe in Psalmis.

Fulmina atqui sagittis assimilari, alienum à scripturis non est, Psal. 17. Et misit sagittas suas, & dissipauit eos, fulgura multiplicauit & cõturbauit eos, id est, sagittas, ut Psalmo 76. & 143.

¶ *Fumus*, quum sit res uana, plurimũ tamen infestat oculos, et ui sua intercludit spiritum, ut etiam præfocet. Ita impij quanquam nihili homines & uilissimi, facessunt tamen negocium credentibus, et exagitant res iniurijs. Cæterum, breui durabit hæc molestia, quum alibi à spiritu diuino, somnio similes esse prodantur, alibi umbræ, alibi fumo, alibi pulueri, qui est ante faciem uenti. De hac loquutione habes Psalmo 36. 67. Sicut deficit fumus, deficiant.

Fumi uocabulum, Esaiæ 4. alijsq; in locis non pro errore & ignorantia, sed pro gloria usurpatur. Iuxta illud quod in eodem propheta legitur, Et domus impleta est fumo, Ioelis 2. quoq; de gratia spiritus sancti, quæ descendit super Apostolos. Et dabo prodigia in cœlo & in terra, sanguinem & ignem & columnas fumi. Id ipsum significare puto & illud in Psal. 103. Tangit montes & fumabunt.

¶ *Fumare* pro irasci. Iratis siquidem fumant nares. Psalmo 80. Fumabis contra precem populi tui. Queritur Dauid fumare eum contra precem populi sui. hoc est irasci. Intelligit autem eum precem iratum repellere, & libidinem impiorum, populum dei uexantem, non compescere.

¶ *Funes seu funiculi*, usu scripturæ dicuntur mensuræ diuisiones seu limites, quibus diuidantur hæreditates terræ. Hinc pro termino, sorte & hæreditate, portione, seu partibus ponitur, 1. Paralip. 16. Ezech. 47. Ita ut Ioseph duos funiculos obtineat. Vult autem ut Ephraim & Manasse accipiãt singulas portiones. Sophoniæ 2. cap. Væ qui habitant funiculum maris.

Funes, pro hæreditate, Psal. 16. Funes ceciderunt mihi in optimis siue in præclaris meis. Metaphora à re corporea ad spiritum. Qua dicit Christus, sibi præclaram contigisse hæreditatem. Funibus seu funiculis uidelicet sorte missa olim metiebantur agros, ut quisquis suam acquireret partem, sicut Psal. 77. Sorte diuisit eis terram, in funiculo distributionis Et 105. dicens: Tibi dabo terram Canaan, funiculum hæreditatis nostræ.

Funes pro societate & cœtu, Esa. 5. Væ trahentibus iniquitatem in funibus uanitatis.

Funiculos seu sortem mittere, sæpe pro tradere possessionem scriptura usurpat. De hoc schemate uide Psalm. 16. & 19. Funiculus est fides: ipsa enim terminat fidelium numerum, extra quam quicquid fuerit, termini sunt populorum, & appellantur termini impietatis.

Funes peccatorum, sunt mala & blasphemia in uerbum dei, sub specie sapientiæ & pietatis hypocrisi, ut Psalmo 118. Funes peccatorũ circumplexi sunt me, id est, multa mala mihi intulerunt, multorum corda auerterunt à me. Funiculum autem extẽdere quid sit, suprà in uerbo Extendere, explicatum est.

Funiculo deniq; metiri aliquos, est coæquare terræ, ut secundi Samuelis octauo cap.

Et percussit

Et percussit Moab & mensus est eos funiculo coæquans terræ,&c. Hebraica phrasis est, significat,uix tertiam partem Moabitarum superstitem mansisse,quæ seruiret Dauidi sub tributo,duabus occisis secundum Hebræos. Quasi funiculo metiens,occidēdos atque seruandos:sic subegit illos seruitute perfecta,quæ per mensurationem Funiculo adagij more intelligitur.Nam Chanaan terra per funes Israelitis distributa fuit,ut patet in libro Iosue.

¶ *Furari* aliquem,pro clam eo aliquid facere,Gen.31. Cur abscōdisti te ad fugiendū, & furatus es me. Quasi dicat,Cur clam aufugisti me nescientē,nec iudicasti. Furari cor alicuius,est ignorante uel inscio altero cōfugere,ut in eodem capite,Furatus est cor Laban,hoc est,celauit cōsilium & abscondit,seu inscio socero hoc egit,profectionē clam instituit. Trāslatio uulgaris:Noluit confiteri socero suo.

Furari autem uerbum,est praua interpretatione ad suam sententiam accommodare,quod conqueritur Dominus Hieremiæ uigesimotertio capite,Qui furantur uerba mea,quod est peruerse & malè interpretari uerbum Domini,& in sensum adulterinum torquere. Hinc fures,impios doctores uocat Christus. Fures dicuntur aliàs Paulo 1.Corinthiorum 6.capite,qui dolo malo & fraude fratribus imponunt,iuxta illud Pauli ad Ephesios quarto,Qui furabatur,non amplius furetur,&c. Furari,est imposturam exercere, fraude agere. Hinc furtum nominans Paulus,omne quod alterius damno quæritur.

¶ *Furti* ergo nomine scriptura sæpenumero prohibere consueuit omnem iniquum, fraudulentum quæstum,omnem fraudem & iniuriam in rebus & negocijs pertinentibus ad usum præsentis uitæ,simulq; omnem auaritiam,sordes,cunctam πλεονεξίαν,iniquam tenacitatem,omnes artes improbas,omnem illicitam alienæ rei cōtractionem, quibus proximo sua uel adimimus uel obstamus,quo minus ea possidere & recipere possit. Ideo non illa duntaxat quod inscio possessore clam aufertur uel surripitur,intelligit scriptura. Similiter omnis uis iniusta,iniuriq;,mendacia,fraudes,quibus ciues inter se utūtur,iniusta onera publica ab auaris magistratibus imposita furti nomine ueniūt. Ephes.4.Exodi 20.

¶ *Furoris* nomen pro redargutione ponitur,Ezech.5. Et implebo furorem meum. Origenes,Furor Dei redargutio est,Hiere.Furor magnus. Pro impetu,Hoseæ 5.capite. Effundam quasi aquas furorem meum. Septuaginta,ὄμμνα impetum. Nam nihil non facimus cum impetu dum ira commoti sumus. Ira & furor differunt,sed infrà in litera I,& nomine Ira,audiemus.

Furor Dei fumans,Deuteron.29.capite,Furor eius fumet uel fumabit,id est,irascetur. Et Exodi 23.capite. Indignabitur furor meus,pro irascar ualde. Et Numer.22.cap. Irascatur furor,id est,tunc uehementer iratus Balaam. Geneſis 49.capite,In furore suo id est,irati.

¶ *Futurorum et præteritorum*, permixtio frequens est in sacris literis. Futuris enim mistim & præteritis uerbis uti,cōstans mos est ferè omnium Prophetarum,præsertim Psalmographorum,ut Psalmo 9. In conuertendo inimicum meum retrorsum,infirmabuntur,& peribunt à facie tua. Quum reuera & res ita ageretur ab initio,quod Ecclesiæ inimici & uincuntur & uicti sunt,uincentur:atque ita stet,quod uerbum Domini manet in æternum,omniumq; seculorum hominibus cōueniat,sed semper idem operans,sed in noui Testamenti exordio abundantius.

Futura deinde eloqui per præterita propter certitudinem,rarum non est,Amos 5.capite,Cecidit nec ultra resurget uirgo Israel. Futurum pro Præterito,Gen.12. Dixit Dominus,Hebraicè per futurum legitur,quod pro præterito imperfecto ponitur,& perfectum pro plus quàm perfecto,lege Actorum cap.7.in principio uertendum igitur, Iam uerò dixerat dominus.

Quod autem Præterita mixta cum Futuris,in Prophetis passim reperiūtur,utrumque significatur. Nimirum quod ea quæ prophetantur uentura,secundum tempus uentura sunt:secundum scientiam uerò uaticinantium,pro iam factis habenda. Etiam ad consolationē & exhortationē nostram. Sic Psalmo tertio. Exurrexi, quoniam dominus suscepit me. Quod Dominus non solum suscepit caput nostrum (ut nostra uersio habet)sed ut in Hebræo legitur,suscipiet eum in omnibus membris suis,ut sit in persona sua,& omniū nostrum pro se & nobis loqui intelligit. Atq; hac ratione qui

buſdam non mediocriter eruditus uidetur ita uariare propheta, ut iam in præterito dicat: Voce mea clamaui ad Dominum,& exaudiuit. Iam in futuro: Non timebo milia populi. Iam in præſenti: Exurge Domine, ſaluum me fac. Ac rurſum in præterito: Quoniam percuſiſti omnes aduerſantes mihi: ut in perſona Chriſti patientis quidem hæc dicat, ſimul tamen hoc Chriſti exempla facta & facienda uobis eſſe eadem, & cætera.

Breuiter huic Tropo aſſueſcendum eſt, quod in Prophetis & in Pſalmis ſimul multa dicuntur, uelut pro eodem tempore, quæ tamen geruntur, & fiunt alio & alio. Quædam item pro poſteriore tempore, quæ priori geſta & facta ſunt, ut Pſalmo tertio, in perſona Chriſti: Exurge Domine, ſaluum me fac, ſpectat tempus ante paſsionem. Illud uerò quod præcedit, Voce mea ad dominum clamaui, ad tempus exactæ paſsionis pertinet.

Futuris item uerbis, pro omnibus modis & temporibus utũtur Hebræi, ut Eſaiæ 1. capite, Cuius cauſa percuteremini? Vltra adderetis prænaricationem.

Hebræis quoq; familiare, quæ ad mores & habitum pertinent futuris uerbis efferre, ut in Pſalmo: Exibit homo ad opus ſuum: ubi Exibit, pro exit ponitur. Deſcribitur etiam uſus & mos hominum, Eſaiæ 31.

Solent quoque Hebræi promiſcuè imperatiuis pro futuris: & contrà, futuris pro imperatiuis uti, ut Eſaiæ 3. cap. Cauebitis, pro cauetis, uel cauere ſoletis, Gen. 3. Sub uiri potestate eris, id eſt, ſis. Et Gen. 4. cap. Sub te erit appetitus eius, id eſt, ſit. Et alibi: Non concupiſces, id eſt, non uel ne cõcupiſces: Non habebis deos alienos: Non occides: Non furticaberis, Exodi 20. cap.

G

GEHENNAE uocabulo cruciatum ignis, ſupremam atque diriſsimam dei ultionem intelligimus, de qua Eſaias uit. cap. Et ignis eorum non extinguetur. Quod & dominus Marci 9. adduxit, ubi de Gehenna loquitur, eoq; quodammodo quid per Gehennam ſignificet, ipſe expoſuit. Ita enim bis ait: Bonum eſt tibi, ut claudus uel luſcus introeas in regnũ Dei, potius quàm duos oculos uel pedes habeas, & mittaris in Gehennam, & cætera. Et ſi quando Gehenna ſine additione ignis ponitur, accipitur nihilominus pro hac omnium maxima & diriſſima afflictione, cruciatuq;, qui eſt ab æterno iſto uermi, atque igni inextinguibili, quo cruciabuntur quotquot non fuerint conſecuti Chriſtum propitiatorem. De quo ignis cruciatu & Ioannis tertio. Et quomodo Matthæi quinto dicit eum qui fratri ſuo dixiſſet Fatue, obnoxium Gehennę ignis. Perinde erit atque ſi dixiſſet Latinè, obnoxius erit cruciatui ignis Gehennæ. Incendium omniũ maximum intelligitur eſſe ſupplicium. Certe ſcriptura Noui Teſtamẽti Gehennam ſimpliciter ponit pro loco inferorum, in quo ſupplicia dant impij, Matthæi decimooctauo. Vide Diuum Cyprianum libro de laude martyrij ad Moſen, & Maximum conſcripto.

Gehennæ filius, Matthæi uigeſimotertio capite, Facitis eum filium Gehennæ, hoc eſt, hominem damnationi deſtinatum aut ſubiectum. Gehennæ locus eſt malorum. Et interdum Tophet, ut Eſaiæ trigeſimo capite, Quoniam ordinata eſt ab heri Tophet (gehennæ) etiam pro rege eſt præparata: quàm dominus in profundum poſuit & dilatauit: cuius incendium eſt ignis & ligna multa: & flatus domini, qui eſt quaſi fluuius ſulphuris, ſuccendit eam. Adeò clarè illum locum alibi non reperies aut inuenies conſentientibus etiam Hebræis cum noſtris ſcriptoribus.

Damnatorum ergo locus uariis nominibus inſignitur. Lucas euangeliſta Abyſſum uocat: Ioannes in Apocalypſi capite nono, Puteum abyſsi, Diuus Petrus, Tartarum, ſecundo capite ſecundæ Epiſtolæ. Ablegentur, infernum, quem Gehennam Chriſtus appellare conſueuit, apud Eſaiam capite trigeſimo. Tophet, ut ſuprà, auditum eſt.

¶ *Geminatio* uerbi certitudinem ac irreuocabilis ſententiæ firmitatem in ſcripturis ſubinde ſignificat, Apocalyp. 14. cap. Cecidit, cecidit Babylon illa.

¶ *Generationis*, uocabulum reperimus apud Hebræos ſæpiuſcule pro hiſtoria & fabula

& fabula,rebusq; gestis,generationis,stirpis,aut populi huius aut illius acceptum. Sicet Moses Geneſis 36.cap.hiſtoriam texit non generationem. Hæ ſunt generationes Esau. Et Gene.11.cap.Hæ ſunt generationes Sichem,id eſt,iſta eſt hiſtoria ex Sichem nata. Hoc loci comprehendit hoc nomen non modo eius generationem,uerum etiam quæ illi contigerunt,& quæ per illum geſta ſunt. Vnde ubicunq; ponitur hoc nomen,attendendum utrum capiatur pro ipſa generatione,ac pro accidentibus,& alijs rebus geſtis,Matth.1. cap.Liber generationis Ieſu Chriſti.Pro ſeculo interdum ſiue tẽpeſtate.Sic Noe.Gene. 6.cap.Iuſtus & perfectus prædicatur in ſua generatione,idem eſt quod ſuo ſeculo,ſua tempeſtate,Nimirum ut erant homines inter quos uiuebat,Germanicè.Als da zumal leut vvaren. Quantum mortali licet eſſe iuſto. Coram deo enim nemo integer,innocẽs, aut iuſtus eſſe poteſt. Sic & 15 Quarta generatione reuertuntur huc,id eſt,quarta tempeſtate,& quarto loco.Pro creatione.Gene.2.Iſtæ ſunt generationes cœli & terræ. Generatio cœli,pro,quæ generauit cœlum,Gene.1.cap.

Generationis nomen interdum pro eo quod alicui obuenerit,Gen.37. Et hæ ſunt generationes eius. Et hæc ſunt quæ euenerũt ipſi Iacob. Generatio interim ætatem ſeu durationem interdum ſignificat,ut Eſaiæ 53. Generationem eius quis enarrabit? A generatione in generationem,Exodi 17.cap.Id eſt,per omnes ætates & in ſempiternũ. Ad generationem decimam uſq; Deut.23.cap.Vel,Ne decima quidem generatione,ideſt,nunquam poterit ducere Iſraelitidẽ in uxorem. In generatione hac,locutio Hebraica, Gen. 7.id eſt,inter homines huius temporis infideles & peſsimos. Generatio ſequẽs ſiue poſterior,nempe filij. Deutero.29.cap. In generationibus ſuis.id eſt,inter hominer ſui ſeculi cum quibus uixit. Geneſ.6.cap. In generationibus ueſtris, Exodi 32.id eſt,per ætates ueſtras quàm diu uixeritis. Per generationes ueſtras,Numeri 15.cap.ſignificat.Quibuſcunq; temporibus contigerit uos uiuere uobis & nepotibus. Hi Hebraiſmi familiares ſunt Moſi. Item,in Generatione ſua,apud Lucam 16.capite,hoc eſt,in ſuo genere, In irer gattung, In ſuis negocijs & conciliſs,de re, inquam, momentanea & peritura conceptis.

Generatio duplex præterea reperitur:Iuſta & Iniuſta. Generatio iuſta,ſunt omnes illi qui per fidem facti ſunt filij Dei,iuſtificati ſcilicet in fide, per iuſticiam Chriſti. Econtra,Generatio praua,peruerſa,& adultera,qui non credunt uerbo Dei,& Chriſto eius. Matth.12.16.17.cap.Marci.8.9.Lucæ 17.cap. Verum de triplici generatione Chriſti, una diuinitatis ab æterno altera ſecundum humanitatẽ ex matre ſine humano ſemine:tertia adoptionis,per gratiam in toto corpore Chriſti,quæ eſt eccleſia, Vide Baſilium Magnum,Cyprianum,D.Auguſt.in pluribus locis. Lact.Firmianum Inſt.lib.4.

Generatio hæc iuſtorum ſeu credentium,alio nomine populus nouus, ac populus Dei appellatur:nimirum dilecti Dei & noui homines,id eſt,filij Dei in Chriſto per ſpiritum ſanctum renati,quos & deus ipſe æterna hæreditate poſsidet,ut peculium ſuum. Sicut è regione populus uetus,dicuntur iuſticiarij,qui ſpecie ſanctitatis falſi, Adamitico ingenium nec deprehendunt, nec iuſtitiam Chriſti eſuriunt. vvelchen die alten lernen vnd ir eigen gut dunckel noch imer an hangt. Hoc eſt infracti,& non renouati, obſtinati,inueterati,& duri ceruice homines ſunt, ueterem & terrenum illum Adam & actus illis operibus,ut ſomniant,bonis:tegentes quidem atque nonnihil ornantes:ſed interim nulla naturæ mutatio in eis, uel tantillum apparet,perſeuerantq; uſque in uetuſtate corruptæ carnis. Et tantum de populo ueteri ac nouo.

Populus Dei aliàs,dicuntur pauperes,uiduæ,pupilli,omnes denicq; huius mundi ſplendore deſtituti,ut ſunt aduenæ,peregrini,orphani,Matth.5.Lucæ 6.Pupilli, Matthæi 18. Pſalmo 9.67.71.103.Leuit.16.Prouerb.17.& pluribus alijs locis. Hæc iuſtorum inquam generatio,hæreditas dei uel domini dicitur,Pſal.33.46.Pſal.2.& 16. Vnde etiam Pſalmus quintus inſcribitur pro hæreditatibus,Exodi 19. Eſtis mihi in peculium. Econtra, Hæreditas filiorum dei eſt,deum per fidem poſsidere,ac in ea omnia habere,ad Romanos octauo capite.

¶ *Gentis* uocabulum noonunquam pro infideli 1.Corinth.5 cap. Quæ nec inter gentes nominatur,hoc eſt,inter fideles. Hebræi enim omnem uirum qui non eſt Iſraelita Goim appellant,at ſacra ſcriptura omnem infidelem tam ex Iudæis quàm ex Gentibus Goim appellat,Gal.2. Vt nos in Gentes,ipſi uerò incircunciſionem pro humano genere,Eſaiæ 26. Adieciſti Genti domine,adieciſti Genti.

Gent

Gens stulta dicitur, quod idola uana & stulta adorarit, quæ est summa stulticia, adorare scilicet, quem tu tibi deum finxisti. Item Gentes stultæ sunt in hoc, quod uoluntatis & legis diuinæ non fuerunt gnari. Scire autem uoluntatem summa est sapientia, Roman. 10 cap.

Gentis item nomen pro familia, Gene. 20 cap. Num gentem ignorantem & iustam interficies? Audiuerat enim Abimelech supplicium sumptum fuisse de Sedomitis. Item, In Gentem esse. Id est, ex quo cœpit habitari, Gene. 9. Ex quo gens illa condita est. Item, In Gentem facere, Gene. 21 cap. pro faciam ut multi populi nascantur ex eo: Faciam in Gentem magnam, inquit textus. Et Numer. 14. Faciam te in gentem robustiorem. Id est, efficiam ut soboles tua euadat in gentem maiorem & robustiorem gente Israelitica: ut numero & potentia uincant populum Israeliticum.

Gentium nomine quoscunque intelligit scriptura, qui Gentium in morem deserto uero unius dei cultu, ad uanum ac superstitiosum cultum, iuxta adinuentiones uanissimorum homin um, prolapsi sunt. Gentes ideo solet Dauid in Psalmis ubiq; reliquos omnes mortales appellat, perinde differẽtes ab Hebræis atq; Græcis, Romanisq; Barbari. Omnes uerum deum non colentes, à legibus, institutisq; eorũ differentes, Gentes Hebræi uocabant. Psal. 9. Annunciate inter Gentes.

Gentium quoq; uocabulo quid intelligatur explicat Psal. 2. Gentiũ uidelicet & Populorum nominibus, plebem: Regum, eo qui rerum potiebantur: principum, qui his à consilijs erant, & prudentia celebres intelligit Dauid.

Gentes de terra perire, loquutionis genus, quo Moses Iudæis sæpissime prædixit, quod essent cito perituri de terra, quam ingrederentur, si mandata dei non custodirẽt, Psal. 9.

Gentes duæ in utero uno & duo populi ex uentre eodem, Genesis 22. Tropica loquutio est. Nam quomodo duo populi potuissent esse ex uentre Rebeccæ? Synecdoche ergo est, quasi diceret, patres, capita, fontes ac uitia duorum populorum.

Gentes deniq; sunt manifestissimi peccatores in scripturis, ut qui sciũt se scortatores, meretrices, publicanos, alijsq; obnoxios peccatis. Nomine Iudæorum ueniunt ij, quos iusticiarios uocamus à iusticijs carnis, qui olim Iudæi & hypocritæ dicebantur. Hi inquam, nolunt dici aut esse peccatores, quanquam omnibus peccatis referti. Vide Epistolam ad Rom. 1. cap. & 2. Hieronymum lib. Comment. in epistola ad Gal. cap. 2.

¶ *Gentium nomina* sunt hæc: Commotio, Gentium uocatio apud Haggeum 2. dicitur: Nam Commotio accursus est populorũ ad uerbum dei, dum uiolẽti regnũ dei rapiũt. Nazanzenus in sermone de Baptismate, Commissionem currentiũ uocat, Gentiũ nomine etiam decem tribus continent, ut Rom. 9. & Hoseæ 2. Multitudo maris quoq; dicuntur apud Prophetas, & Populus dei. Messis magna à Christo, Ethnici, Gentes, Gentiles, Paulus nominat Præputium, Incircuncisos, Alienatos à republica, Extraneos, Spolia Apostolorum apud Esaiam 2. Item, Efferas feras & cicuratas bestias appellãt prophetæ. Et Esaiæ 11. Lupum cum agno. Græci, Longinqui dicuntur. Dauid filios Alienos fiue Alienatos, Alienigenas appellat. Insulæ ab Esaia appellantur Spolia.

¶ *Genua & sinus* quid significent Esaias pulchrè insinuat cap. ult. Ab uberibus porta bimini, et super Genua blandientur uobis. Hoc uerò et Abrahæ exemplum docere nos poterit, in unius sinu Lazarus requieuit: & omnes de Oriente & Occidente uenientes, qui accumbent cum Abraham, Isaac & Iacob, Lucæ 16. Matthæi 8. cap. Hæc Hieronymus in Esaia capite ultimo. Vide Mater. de Sinu latius & diffusius in litera S.

Genu flectere gestus est adorantium, & ponitur pro adorare ac colere siue uenerari, Philip. 2. cap. Omne genu flectatur cœlestium ac terrestrium.

¶ *Genitiuum substantiuum* Epitheto Hebræi addunt. Hic color sermonis peculiaris est Hebræis, qui epitheto addunt Genitiuum substantiuum, ut filius perditionis, id est filius perditus, Deus pacis, Deus pacificus, Lex mortis, Lex mortifera, Filij obedientiæ. Alioqui quid est filius perditionis, nisi quem peperit perditio? Mammon iniquitatis, pro iniquæ diuitiæ. Filij corrumpentiũ, pro corruptissimis. Semen malicioſorũ, pro semen malicioſum. Quomodo forsan & filius hominis Christus dicitur, pro filius homo, ut una locutione, & dei filium & hominẽ cõfiteamur. Populus indignationis, pro populus qui mihi indignatur, Esa. 19. non actiue ponitur, sed passiuè capitur. Populus enim cui ego irascor. Et eiusdem capitis, Consummatio decreti, pro consummatio, aut absolutum est decretum, ubi Latini dicunt, fiat sententia.

¶ *Genitiui pro adiectiuis positi.* Nullus enim idiotismus eis frequentior est quàm huiusmodi genitiuorum pro Adiectiuis positorum. Viri misericordiarum, pro uiri misericordes, Esa. 13. cap. Vultus flammarum, hoc est, uultus inflammati, Esa. 49. Terra desolationum, uastationum, bonitatis, pro uiri boni. Item, Generalibus sententijs ferme consueuerunt uti pro uniuersalibus, ut: Qui credit in me, pro, omnis qui credit in me. Sic Esa. 20. Vt auferat spolia, & diripiat prædam, id est, ut omnia diripiat, Hebræus diceret.

¶ *Genus pro numero*, hoc Hebræis per quàm familiare est poni, ut Geneseos cap. 1. Reptile animæ uiuentis. Ponitur enim anima pro omni animali uiuente. Et Geneseos 30. capite. Accepit sibi Iacob populeas uirgas, & decorticauit decorticationes albas: quum tamen cortices albæ non sunt, sed id quod sub cortice latet. Quum ergo corticem detrahebat, fecit apparere album. Et Geneseos 1. capite, Faciamus hominem. cœpit totum genus humanum. Quæ loquēdi forma, doctorum testimonio per sinecdochen Hebræis familiaris est.

¶ *Genus pro specie*, Tropus iste familiarissimus est sacrosanctæ linguæ, Exodi 22. capite. Si autem pignus acceperis uestem proximi tui, ante solis occasum, reddes ei. Genus pro specie posuit. Sic enim dictū est, ac si de omni ueste pignus dederit, cum de illo specialiter se dicere ex consequentibus scriptura testetur, qui non habet nisi eam uestem, un de se nocte cooperiat.

¶ *Germen* pro liberis: nam peculiaris est quidam huius uocabuli usus apud Hebræos quo prorsus liberos siue filios Germen solent nuncupare: quemadmodum herbas, fructices & arbores crescentes appellamus, licet hoc nobis Romanis durum uidetur, tamē Iudæis non infrequens est. Sic loquitur Dominus, Esaiæ 14. de regno Babylonico potentissimo, ditissimoq;. Hæc dicit Dominus exercituū: Et perdam Babylonis nomen & reliquias, & germen & progeniē. Nam pueri à parentibus nascunt quemadmodū germina & ramusculi è arboribus proueniunt. Qua de causa Naturales hominem, inuersam arborem appellant. Et Esaias 4. Messiam Germen domini & fructum terræ, uocat, tectis uerbis diuinitatem illius & humanitatem exprimens. Et Esaiæ 11. Et Hiere. 23. Ecce dies ueniunt, suscitabo Dauid germen iustum. Quæ uerba propriè de Christo uaticinata sunt, de prosapia & sanguine Dauidis exorituro.

¶ *Gerundijs* carent Hebræi, & magnam participiorū partem quoq; non habent, quæ semper eandē uim habent, ut ex æquo personā atq; rem significent, ut, Superandus æquè significat eum qui superabitur (quod nos appellamus personam significare) atque ipsam uictoriam (quam nos rem quæ de illo reportat uocamus) Quum ergo Hebræus uolet de eo loqui qui superandus est, non potest dicere Amorræus superandus, sed Victoria Amorrçi, cogetur dicere, ubi tum uictoria passiue accipitur, pro eo de quo triumphatur. Sic Esaiæ 2. cap. Timor domini passiue ponitur, pro timendo domino, dicitq; potest: A facie tremendi iudicis, pro, A facie timoris domini, &c.

¶ *Gestare animam in manibus*, Prouerbialiter dictum est, pro, Vitam periculis obijcere, & sibijpsi non parcere, hoc est, seipsum adfligere, ingemiscere & corde angi, Iob 13. Vide suprà in Tropo Anima.

¶ *Gignere uel gigni* Hebræis dicit, quando gloria cuiuspiā reuelat. Ita Dauidē dicunt genitū, quando unctus est. Nos uerò etiam Christū rectè genitū dicimus, quādo gloriificatus est. Sic & Psal. 2. Hodie te genui. Iudæorum tropus est, & à D. Paulo agnoscitur.

¶ *Gigas*, pro forti & strenuo uiro, ut Psal. 33. Et Gigas non saluabitur in multitudine uirtutis suæ. Item Esaiæ 26. Mortui non uiuent, gigantes non resurgent. Propterea eos appellat Gigantes, qui de peccato superbiunt, Prouerb. 21. Vir qui errauerit à uia doctrinæ, in cœtum Gigantum commorabitur.

Gigantes atqui uocat scriptura, non inusitatum hominum genus, aut insolitam formam, sed Heroas & uiros fortes ac bellicosos. Hæc Chrysostomus. Ioannes Damascenus de his sic scribit: Gigantes eos Gen. 6. appellare scripturā existimo, qui robustissimo essent corpore. Vt illud: Non saluabitur Gigas in multitudine uirtutis suæ. Gigantes ergo sunt, homines arrogantes, potentes mundi, uiri famosi, tyranni, in mundo celebres & clari, qui potentia sua & uiribus, qui sapientia & consilijs suis nituntur, qui opibus inhiant, qui fauori studeant, qui mercationibus rem parant, qui arcium & ciuitatum extructione se tuentur, magna & ardua quædam moliuntur.

¶ *Gigantum nomina* sunt hæc: Raphaim, à seruando scilicet, quod proceres illi & heroes

roes terræ ac patriæ patres & ſaluatores dici uoluerint.

Emim, ab Æma, quod terrorem ſignificat, Terribiles & metuendi dicuntur, quod ui & armis graſſentur.

Horim, nobiles, illuſtres, candidi, optimates, à candore. Vel quod in oriente principes alba ueſte utebantur, ſicut Latini trabea & purpura: uel quod præ aliis ſpectabiles ſint. Sammeſumim à Sam, quod ſcelus aut flagitium ſignificat, uidelicet quod fuerint inſignes latrones, prædones, & pro libidine omnia audentes.

Enakim à torque geſtando, quaſi torquati, Niphlim à cadendo, quod irruant, deijciant, uiolenterq; opprimant.

¶ Gladij nomine, ira, paſsio & crux Chriſti, indignatio æterni iudicij, æternæ mortis, & ſeueritatis diuinæ uerbũ & ſententia, atq; hoſtilis potentia uenit, qualiſcunq; illa ſit, Eſa. 1. Gladio deuorabimini, dei iudiciũ intelligit. Item pro poteſtate, Exodi 18. Et eruit me de gladio Pharaonis. Septuag. ἐκ χειρὸς, de manu. Hoſtilem potentiam Gladij nomine exprimere uoluit. Pſal. 7. Niſi cõuerſi fueritis, gladiũ ſuum uibrauit, arcum ſuum tetendit, et parauit illum. Quibus uerbis iram, uindictam ac punitionẽ dei, impijs proximam, pulchrè depingit, pro uerbo æterni iudicij, de quo Hebr. 4. Viuus eſt ſermo dei, &c. Nam Gladij uocabulum ſcindendi & interficiendi opus conſignificat, quum ad id acui & uibrari dicitur, ut in adducto Pſalmo patet.

Hinc Gladius & pro bello in ſacris literis accipitur, Zachariæ 14. capite. Gladio excitabitur, id eſt, graue certamen, bellum. Pro paſsione Domini, Zachariæ 11. cap. Percute paſtorem & diſpergentur oues, Lucæ 2. Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius. Gladius hic ſignificat acerbum dolorem ſiue magnitudinem doloris, cordisq; compunctio nem. Sic Germani loquuntur. Es gieng mir ein ſtych durch das hertz. id eſt, percellebat acerbiſsimo doloris cruciatu.

Gladij uocabulum quoq; uerbum dei denotat, ut Ephe. 6. Eſa. 46. Poſuit os meum ſicut gladium acutum, id eſt, uerbum dei, Hebr. 4. Et Canticorum 3. cap. Hi tenent Gladios, & ad bella doctiſsimi. Vnde dominus Matth. 10. ait: Non ueni mittere pacem, ſed gladium. Gladios ancipites in manibus habere, hoc eſt, uerbũ et doctrinã ſpiritus prædicare: nimirũ quibus pij iudicant mundi potentiã, ſapientiã, iuſtitiam, ut cadat Satanicum regnum, Pſal. 176. Quaſi diceret Dauid: Quiſq; habet uerbum dei in ſua manu & poteſtate, ut per illud efficaciter agat uirtute ſpiritus ſancti.

Gladios autem conflare in uomeres, eſt ponere faſtum, inuidiam & animum homicidium, ſuccurrere aliorum inopiæ, omne bellandi ſtudium in pacem uertere.

Gladium imbuere, eſt iuſtitiam exercere, Eſaiæ 34. capite: Quia imbuetur in cœlo gladius meus.

Gladius malignus, pro ſubobſcuris doloſisq; inſidijs metaphorice ponit, Pſal. 144. Qui redemiſti Dauid ſeruum tuum de gladio maligno. Eodem ferè modo quo Maro Lunam malignam appellauit.

Gladius oris, Apocalyp. 2. cap. quo ſignificat, quàm omnino facile ſit illi extermina re malos, nimirum ſolo flatu oris.

In gladium incidere, eſt ſemetipſum interficere, 1. Reg. 31. & 2. Reg. 1. Innixus eſt ſuper lanceam. Verat enim ſcriptura grauiſsimum ſcelus propriis uerbis efferre.

Gladium diſtringere aut educere, Iudicum 20. Periphraſis eorum qui bellandi ſunt gnari, aut bello apti.

In Gladio uiuere, eſt artem militarem exercere, Gen. 16. Viues in gladio, id eſt, arte militari comparabis tibi uictum. Germanicè, dines ſchuuerts vvirſtu geleben. Victum tua tibi barbaries parabit, &c.

Gladium accipere, pro afferre gladium, Exodi 35. Gladius domini accipitur, 1. Paralip. 21. pro plaga peſtilentiæ. Gladium conuertere in uaginam. Item ingredi in uaginam ſuam, Hiere. 47. Ezech. 21. Ioan. 18. quod Matth. 26. legitur in locum ſuum.

Gladio deuorare carnes, de capitibus inimicorum, Deut. 32. capite. Hoc eſt, enſe amputabo capita hoſtium meorum. In Arcu & Gladio, Hebraiſmus, pro iure bellico, Geneſis 48. cap. Do tibi partem unam extra fratres meos, quam tuli de manu Amorræi in Gladio & arcu meo.

Gladij os, mos eſt ſcripturæ, ut cuſpidẽ ſeu aciem Gladij uocet στόμα, os. Nam os gladij uocant partem ſcindentem acutam, ſcilicet Germanicè, Eyn biſſen oder ſchniden, à

mordendo nimirum. Sic Græci μάχαιραν gladium uocant, quod duo ora habeat, id est utrunq; secet, Geneſis 54. Hamor quoq; & Sichem filium eius occiderunt in ore Gladij, Eſa. 3. Lucę 31. Apocalyp. 1. Et quemadmodum Gladium imbui apud Eſaiam 34. eſt iuſtitiam exeri, Gladium minari apud Ezechielem 31 ſignificat properantem, & acceleratem interitum. Sic dicit dominus: Dic gladius gladius acutus & etiam expolitus eſt, habet, uim repetiti nominis. Eadem ſignificatione reperitur Gladius acutus, quo celerius ac letalius feriat. Ideo congeminat uocem gladius gladius, quod eſt grauiter dolentium. Et Ezechielis. 5. quoq; celerrimum interitum ſignificat, allegoricè uerbum domini denotans, prædicens uaria mala.

¶ *Gloria*, uox eſt utiliſſima, & Hebræa, nihil in ſacris Biblijs uſitatius hac uocula. Significat autem Gloria maieſtatem, magnificentiam, honorem, grauitatem, ſplendorem & quandam claritatem famæ: ut ſicut diuitiæ, ſuperbæ ædes, pretioſa uaſa, magnificæ ueſtes, ſplendidæ epulæ, magnæ familiarum cateruæ, ac cætera huiuſmodi, ut Matthæi ſexto capite, de Salomone loquutus eſt. Indubiè Euangeliſta Gloriam pro maieſtate & ſplendore uel magnificentia eius poſuit. Et Heſter primo capite, Aſuerus parauit grande conuiuium, ut oſtenderet diuitias gloriæ regni ſui. Hoſeæ decimo capite. Super Gloria illius, id eſt, quicquid honeſtum & magnificum in idolis, receſſit à nobis.

Gloriæ nomen crebro Prophetæ accipiunt pro diuitijs, opibus & facultatibus. Gloria illorum (ait alibi ſcriptura) non deſcendit cum illis in infernum, id eſt, diuitiæ, ueſtes & opes, Hoſeæ 10. capite. Migrauit gloria, id eſt, quicquid honeſtum & magnificum in idolis receſſit à nobis, & diuitiæ & opes, Eſaiæ 16. cap. In tribus annis, quaſi anni mercenarij auferetur gloria, Haggæi 2. capite. Implebo domum illam gloria, Geneſis 31. capite, Fecit omnem gloriam hanc. Pro ſalute, 1. Corinth. 2. Non dominum gloriæ crucifixiſſent. Pro diuinitate uſurpat Rom. 6. Paulus, & Ioannis 1. capite, Et uidimus gloriam eius: perinde ac ſi dixiſſet, Vidimus diuinitatem, omnipotentiam & maieſtatem. Pro anima, Pſalmo 30. Pſallat tibi gloria mea, id eſt, anima quæ eſt corporis gloria, Gen. 49. capite. Et in cœtu eorum ne uniatur gloria mea. Pro principio, 1. Corinthiorum 11. capite, Mulier autem gloria uiri eſt. Scholia Græca, δόξα ἀντὶ ἀρχῆ, id eſt, gloria, hoc eſt principium.

Hæc duo, ſcilicet Gloriam & Veritatem, ſcriptura ſæpe coniungit. Gloria ſignificat omnia Chriſti deo grata ac accepta eſſe: Veritas, cuncta ſolida ac perfecta, abſque omni fuco falſaq; ſpecie, ut intelligas nihil omnino eſſe in Chriſto, quod non gratum patri, ueritate Chriſtum eſſe. Contrarium eſt in hominibus: nempe nihil niſi indignatio & falſitas, omnia eorum ingrata deo atq; fucata exiſtūt iuxta illud Pſal. 115. Omnis homo mendax. Et Pſal. 15. Omnis homo uanitas. Vnde eſt quod Gloriæ uocabulū claritatem ſeu lumen ſignificat, quemadmodum Moſes utitur. Sic & 2. Cor. 3. Gloriam uultus Moſi, id eſt, ſplendorem ſeu lumen dixit Paulus. Ad quem modum & Ioan. 15. caput intelligi uult. Ego, ait, Gloriam dedi eis, id eſt, lumen quo illuminati conceperunt lucem deitatis, hoc eſt, ſapientiam & iuſtitiam, quam deus imperrit, quam condit in cordibus noſtris. Quemadmodum 2. Corinth. 3. capite, loquitur Apoſtolus: Nos reuelata facie Gloriam domini ſpeculantes, transformamur tanquam è domini ſpiritu, id eſt, ut fiamus ſpiritus, qualis & ipſe ſpiritus eſt, in quem transformamur, ubi & gloriam & potentiam & efficaciam utriuſq; legis Moſaicæ & Enangelicæ exprimit: ſed Euangelij longe maiorem, maximè quum potentia legis ſit gloria Dei extra cor noſtrum. Euangelium uero potentia ſpiritus Dei in corde noſtro.

Summa Legis gloria hæc eſt, potentia occidendi. Summa Euangelij gloria, hæc est potentia uiuificandi. Fulgor legis, iudicium eſt, & ira ideo facit ut fugiamus dei conſpectum, iuxta illud: Sileat à facie domini omnis caro. Fulgor Euangelij gratia eſt, & misericordia, ideo efficit, ut conſiſtamus coram Deo.

Hinc eſt, quod prophetæ Gloriam domini uocant iuſticiam reuelandam per Euangelion, quaſi ante gloriam domini nō fuiſſet lege reuelata, non iuſtificabit nos coram domino ſeu deo. Nunc per Euangelion coram deo iuſtificamur, atq; adeò & glorificamur, Eſaiæ 60. Gloria domini ſuper te exorta eſt.

Gloriam autem domini reuelari, nihil aliud eſt quàm reuelari iuſticiam Dei, & coram haberi iuſtificātem nos, ſicut ad Rom. ait, Omnes ſunt uacui Gloria dei. Non poteſt autem iuſtitiam dei reuelari, niſi prius iuſtitia & omni gloria dei. Non poteſt autem iuſtitia dei

dei reuelari, nisi prius iusticia & omni gloria carnis confusa.

In Gloriam & Decorem, Hebraismus, id est, ornamentum, Exodi 18. Gloria domus pro dignitate, ut Iob 4. & Psal. 48. Quum multiplicata fuerit domus gloria. Sic, memento solij gloriæ tuæ: pro memineris, non nostri sed solij tui magnifici & honorati, hoc est, maiestatis tuæ: cuius symbolum est solium, & symbolicus sermo. Gloria pro gloriosis & inclytis, Esaiæ 5. capite. Gloriæ apparitio uulgari idiotismo posuit Paulus ad Titum 2. cap. pro glorioso aduentu iudicis Christi, quem magnum deum & seruatorem mundi adpellat.

Gloria uel Gloriæ plenus: modus loquendi familiaris prophetis. Illud enim Gloriæ plenum uocant, quando undique deus cantatur, prædicatur, dicitur Esaiæ sexto capite de regno Christi loquitur, Plena est terra cognitione domini, quemadmodum aqua plenum est mare. Habacuc tertio capite, Replebitur enim terra cognitione gloriæ domini, ut aquam mare contegit. Item, Numer. 14. capite, Viuo ego, omnis terra gloria mea replebitur. Id est, uos tentatis & dehonoratis me. Ego uerò exhibebo me uobis. sicq; uos inuadam, ut mundus gloria mea repleatur, hoc est, ut lauder, dicar, prædicer, honorerq; undique.

Gloriam in puluerem deducere aut collocare aut collabi, est nominis ac famæ maiestatem abolere, hoc est, nomen apud posteros obscurare et inglorium facere, Psalm. 7. Et conculcet in terram uitam meam, & deducat gloriam meam in puluerem.

Gloriæ uocabulum pro diuinorum beneficiorum memoria, qua in primis animus gratus Dei gloriam extollere consueuit. Psal. 20. Vt cantet tibi gloria mea.

Gloria quoque pro Lingua, Hebraicè ponitur, ut Psalmo sextodecimo, Idcirco lætatur cor meum, & exultat gloria mea. Hebraicè Cabod, pro, Lingua mea, ut Septuaginta habent, ἡ γλῶσσά μου. Alioqui Gloria & dignitatem significat, aliquando pro mente accipi Ebræis, sanè extra dubium est, ut Psal. 3. uersu, 4. & ut suprà.

Gloria interdum pro gratia capitur, Romanorum 3. capite. Omnes enim peccauerunt, & destituuntur gloria Dei, id est, regno dei carent, aut egent gratia Dei, misericordia Dei. Et Exodi uigesimonono, & primi Regum quintodecimo capite, Per gratiã enim suam exhibitam, gloria eius innotescit & illustrior fit. Et Colos. capite 1. Quæ sint diuitiæ gloriæ, id est, exhibuit nobis gloriam, id est, gratiam suam in eo quod dedit nobis filium suum.

Gloria, Claritas & Clarificatio idem significant. Diuus Augustinus enim Sermone contra Arrianos, capite trigesimoprimo: Glorificare, inquit, et honorificare, & Clarificare, tria quidem uerba, sed res una est, quod Græcè dicitur δοξάζειν: interpretum autem uarietate aliter atq; aliter positum est in Latino. Hæc ille.

Gloria pro lumine atq; splendore, Paulo dicente, secundæ Corinthiorum tertio capite: Si administratio mortis in literis deformata, in saxis fuit in gloria. Et Lucæ secundo capite, Gloria Domini circunfulsit pastores, id est, lux diuina & clarissima, & splendor, & cætera.

Gloria unigeniti, Ioan. 1. cap. est maiestas illa, quæ se exeruit in uerbo incarnato per miracula, per doctrinam uiuificam, per mortem.

Gloria Dei est cælare (ut inquit Salomon Prouerb. 25.) uerbum, id est, gloria Dei est eius sapientiæ, iustitiæ, & potentiæ cognitio.

Gloria Dei nomen eius est, quod non est, quod non est alteri per naturam communicatum, quàm filio, qui non excluditur in eo quod dicit: Gloriam meam non dabo alteri, id est, laudem, honorem, nominis celebritatem, maiestatem diuinam, &c. quum nõ sit nisi unus Deus, & pater omnium. Gloria, est opinio de Deo uel alio bono. Psalmo quinto, Tu autem Domine susceptor meus, gloria mea, id est, optimè cogitare, constanter confidere, & in hac diuina gloria gloriari, Romanorum 15. cap. Habeo igitur quod glorier, &c.

Gloriam deo dare seu tribuere, est promissionibus eius non diffidere, seu ueracem eum in illis credere, etiam contra meritum & conscientiam nostram. Vel est credere ueritati, deum ueracem confiteri, astipulari ueritati.

Gloriæ uocabulum à claritate uidetur habere nomen, & splendorem illum significat gloriæ, tamen interdum pro uana gloria ponitur. Lucæ 14. capite, Sic & pro ignominia & contemptu capitur, Esaiæ 17. cap. Et cessabit ab Ephraim, &c. sicut gloria filiorũ

Israel. Gloriam dicit per cõtemptum ex paupertate, quod tanto magis mordet, quanto potentiores olim fuerunt, & in maiori gloria propter diuitias. Gloria pro salute. 1. Cor. 2. Non dominum gloriæ crucifixissent.

¶ *Glorificare* pro fidere & iactare poni solet Hebræis, Hiere. 9. Non glorietur sapiens. Gloriatur in deo igitur, qui certo scit deum sibi esse facientem & dignantem respectu benevolo, ut placeant coram eo quæ facit, & tollerentur ac condonentur quæ non facit. Hæc est enim gloria fidelium cum Deo, quam qui non habent, potius confunduntur coram deo.

Gloriari pro gaudere & exultare aut etiam fidere ponitur. Sic enim natura comparatum uidemus, ut hi qui re amata & concupita potiantur: primum in sinu gaudeant & exultent: deinde etiam re potita fidant & nitantur, mox extra se rapti, magnifica quædam gloriosius de se non solum sentiant, sed et prædicent ac iactent apud quoslibet. Sic est Rom. 5. & Hiere. 9. Iacobi 2. cap.

Glorificare deum, est deo gratias agere, Gal. 1. Et glorificabant in me deum. Et Luc. 5. capite. Et stupor corripuit omnes, & glorificabant deum. id est, amplissimis laudibus prædicabat deum, & beneficium Dei paralyticus sanitati restitutus.

Glorificari insuper est innotescere, sed sic ut reddatur gloria, Ioan. 15. In hoc glorificatus est pater meus, id est, gloria patris innotescit nobis, scilicet quum uos uberrim fructificatis. Et glorificatur pater per filium, scilicet quum agnoscitur quod filium dederit ut nos seruaret. Glorificatur pater, quando ei gloria tribuitur, non nobis, hoc est, quando agnoscimus nos non nostra sapientia, non iustitia saluari, sed misericordiæ eius fidimus: siquidem dedit filium pro peccatis nostris, atque hanc gloriam canit Euangelium iuxta Psalmum, Cœli enarrant gloriam dei.

Glorificatur deus, quando tribuunt ei quæ debentur. Sic debebatur patri obedientia filij, debebatur item sapientia, fortitudo, &c. ne ipse si filius glorificaret, uindicãs sua sapientia aut potentia gloriam, sed expectaret glorificari à patre.

Gloriari secundum carnem dixit Paulus 2. Corinth. 11. capite, pro eo quod est de rebus externis gloriari. Glorificari deum, est Deo fidere, & eo frui, 1. Thessalonensium 2. capite. Vt Deus glorificetur, tum autem Deus glorificatur, dum eò fidimus, dum eo fruimur.

Gloriari uerbum usurpat Diuus Iacobus capite secundo, pro sedenti pacatoq; præditum esse animo. Et gloriatur misericordia aduersus, inquit Iacobus, iudicium. Glorificare aliquem, est alicui dare amplissimas opes, Numeri 22. Paratus sum honorare te, Hebræus, glorificare, hoc est, cumulare te maximis muneribus, dare tibi ingentes diuitias.

¶ *Gloriatio* in bonam partem capitur interdum, 2. Corinth. 1. capite. Nam gloriatio nostra καύχησις, aut pro gloriatione aut pro fiducia, uertræsten. Respondet enim Paulus per antipophoram. Ego uerò nihil glorior, neq; ex confidentia hoc loquor. At hoc certo scio, magna cum fide me prędicasse Euangelium. Ad Philippenses capite 1. Gloriationem uocauit Paulus fiduciam & confidentiam. Vt gloriatio, inquit, uestra exuberet per Christum Iesum, &c.

Gloriatio est certa fiducia, adeoq; & gaudium cordis de quopiam eiusmodi, ut propter id de quo gloriamur, nihil dubitemus deberi præmium, ut si glorietur de uiribus & robore Goliath, confidit nec dubitat, quin his uiribus sit uicturus. Sic hypocrita de iustitia sua nihil dubitat, quin illa sua iustitia mereatur laudem, id est, præmiũ coram deo & hominibus. sic Cicero de sua eloquentia.

¶ *Grabatum*, carnis requiem denotat, primæ Ioannis 5. capite, & Marci 2. cap. Tolle grabatum tuum, & uade in domum tuam. In quo carnis est requies, ipsa caro demonstratur.

¶ *Gradus*, nihil aliud est quàm merita uirtutum, Psal. 47. Deus in gradibus eius dignoscitur dum suscipiet eam. Hiob 31. capite, Per singulos gradus meos pronunciabo illum, &c.

¶ *Graminis simile*, in scripturis frequẽs occurrit, præsertim in Psalmis. Sic enim Dauid Psalmo 37. improbos similes facit gramini, quod ilico reseratur, & herbæ, quę quamuis egregiè nunc uireat & uernet, mox tamen marcescit ac flaueścens decidit. Et Psal. 129. Orat sanctus, populi dei hostes gramini tectorum, quod priusquam euellatur, arescit, similes reddet: cui & Esaias Assyrios similes fore prædicabat. 4. Regum 19.

¶ *Grãdo*

¶ *Gratiæ* uocabulum, uarie accipitur in Paulo, pro quo in Græcis legitur Charis. Interdum significans beneficium, & Hebraica uox sonat fauorem. Interdum donum, & ipsam participationem spiritus sancti, quæ gratuito confertur, ut Roma. 1. Per quem accepimus gratiam, quod alij uerterunt donum, scilicet ad apostolatum pertinens. Sunt enim uaria dona & charismata. 1. Cor. 12. Sic & alibi pro beneficentia. 2. Corin. 8. Et consummaret in nobis etiam gratiam istam, quo nomine frequenter est usus Cicero cum aliàs, tum lib. 1. Offic. & 1 Cor. 8. Et in hac gratia abundetis, pro beneficio & eleemosyna accipitur, ut suprà. Rom. 1. loquitur de adiuuandis liberalitate sanctis.

Gratiam præterea id beneficij appellat, quia indignum uideretur eleemosynam dicere, quæ esset in sanctos postea eroganda. Item pro gaudio. 2. Corin. 1. Et secundum gratiam. Latinis Gratiam habere dicuntur, quæ delectant. Sic 1 Cor. 16. quoq; rem ipsam appellat. hoc est, liberalitatem & munificentiam: ut arguat eos rem grandem factitare, non animo iniquo, uel ulla coactos necessitate. Hæc quippe dici gratia debet, quæ ultro offertur.

Gratiæ quoq; nomen pro misericordia sæpissime accipi reperitur à uerbo Hebraico Cheni, id est, misertus est. Itaque & Septuaginta, hoc intelligentes, Gratiam uerterunt eleos, id est, misericordiam. neq; inuenies apud Hebræos gratiam, pro uenustate accore accipi, ut sit apud Græcos & Latinos: sed beneficio, charitate, misericordiaq;, ut suprà declarauimus, & animi erga alterum propensione, siue illi benefaciendum sit, siue illius delictis sit parcẽdum, quod certe etiam beneficij præclarissimum genus est, tamq; liberalis habendus est, qui iniuriam condonauit, quàm qui suas large profudit facultates. Hocitaq; nomine sæpe in diuinis literis, deus uocatur misericors propter utrunque beneficij genus.

Gratiæ appellatio nonnunquam pro uinculo usurpatur. Philipp. 1. Consortes mihi gratiæ omnes uos estis. Pro pulchritudine, Iob 41. Et gratiam dispositionis eius. Gratiã uocat Paulus ad Gal. 2. ministerium & prædicationem gratiæ per Christum. Cumq;, inquit, gratiam mihi daram. Item, Misericordiam & beneficentiam domini. Quemadmodum legimus, Gratia dei sum id quod sum. Et gratia eius non fuit inanis in me.

Gratia item fauorem dei significat. Est autem gratia fauor dei, erga nos gratuitus beneuolentiaq; immunis gratuita, qua beneuolentia deus miseros nos & damnatos prosequitur, dum peccata remittit, culpam condonat, & nos sibi in filios adoptat.

Donum uerò liberalis delictorum condonatio, quæ existit ex diuina gratia, & confertur per Iesum Christum, qui & ipse cum gratia, tum donum dei, &c. Roma. 5. Multo magis gratia dei, & donum per gratiam.

Gratiam, misericordiam & fauorem appellat, quæ ille Christum complexus est. Gratiam isto nomine scriptura appellat, qua saluamur & iustificamur ex fide Christi, de hac scriptum est. Gal. 2. 5. Non irritam facio gratiam dei.

Gratia igitur proprie est remissio peccatorum seu misericordia, propter Christum promissa, seu acceptatio gratuita, quam necessario comitatur donatio spiritus sancti.

Gratia uobis & pax. Rom. 4. Quæ duo ubiq; imprecatur Paulus. Est ergo gratia, fauor quo nobis bene uult deus. Vnde ille, qui deo acceptus & gratus, siue qui illi placet, & quem amat, dicitur esse in gratia dei. Sicq; eruditis & pijs placet Luc. 1. ita uersam esse angeli salutationem, Aue gratiosa. Germanice, holat selige, angeneme, hulden riche. Sic ad Gal. 1. & alijs multis locis Pacis nomen apud Paulũ Roma. 4. 5. aliud nihil est, quàm tranquillitas conscientiæ nostræ erga deum, quam omnes quærunt, soli diuinus promissionibus credentes inueniunt. Iustificati igitur fide, pacem habemus ad deum, uel à deo. Hæc est illa beata tranquillitas, quæ est iuge conuiuium. De hac pace est semper intelligenda scriptura, toties eius mentionem faciens. Psal. 9. 71. 124. Ioan. 15.

Hæc duo ita inter se differunt, quod hæc Gratia, scilicet in Deo, ut ipse nobis faueat ac bene uelit: per quam Deus nobis remittit peccatum per Christum, sine omni merito, modo credamus hoc. Sic Paulus Gratiam peccatorum remissionem, & animi puritatem nominat. Illa uidelicet pax in nobis est, ut securi & certi sumus de remissis erratis, & benignitate Diuina, propter Christum Dominum. Habemus tamen ista à Deo Patre, qui est Deus spei, & totius consolationis. quemadmodum habes Rom. 15. capite. & 2. Corinth. 1. cap.

Gratia, quandoq; idem est, quod uerborum suauitas, & loquelæ dulcedo, sicut diuus

Paulus præcipit,sermonem semper in gratia sale condiri. Nam ne increpationes quidem piorum gratia carent secunda. Sic & Salomon Prouerb.10.capite postulat, ut iustorum sermo gratiosus sit.Argentum electum dicens,lingua iusta,ubi argento gratia significatur.

Gratia deinceps in sententijs Salomonis quandoq; coronam significat.Prouerb.10. ut addatur gratia capiti tuo,id est corona,quam promittit pater. Est autem in scripturis sanctis non raro usurpatum,ut apud Hieremiam in cap.5.Thren.Cecidit corona capitis nostri. Et Esaiæ cap.58. Erit Dominus corona gloriæ,& sertum exultationis residuo populo.

Gratiam innenire in oculis alicuius,Hebraica phrasi,est fauorem inuenire & reperire & gratia ualere apud regem. Psal.45. Genes.18.cap.Si inueni gratiam in oculis tuis: pro,si tibi gratus sum. Gratiam coram deo inuenire. Exo.33. Inueniſti gratiam coram me id est,gratus es mihi. Inuenit gratiam cui fauetur ab aliquo: ut,inueniam apud te gratiam.id est,sis mihi amicus,erga te omnes absint discordiæ,&c.

Gratiam inuenire in conspectu alicuius. Genes.29. Inueniam gratiam in conspectu tuo. Quæso,si inueni gratiam,id est,si tibi charus sum.

Gratiam alicuius ponere in oculis alterius. Gen.39. Et dedit ei gratiam in conspectu principis carceris.id est,reddidit illum gratiosum & charum apud præfectum carceris. Gratiã alicui dare deus coram altero,est aliquem gratiosum reddere. Exo.3. Daboq; gratiam populo huic coram Ægyptijs. i.reddamq; populum hunc gratissimum Ægyptijs.

Gratiam pro gratia,inquit Ioannes,accepimus. Ioan.1. id est,pro hac gratia in qua ex fide uiuimus,recepturi sumus aliam,nempe uitam æternam. Quid tamen nisi gratiam? Vide diuum Augustinum. Pro gratia fidei,gratiam accipimus uitæ æternæ. Gratiarum actio autem est uera sanctificatio & benedictio,autore Paulo,qui ita ad Timotheum scribit,Quicquid creauit Deus, bonum est,& nihil reijciendum,si cum gratiarum actione sumatur. Sanctificatur enim per sermonem dei & precationem. Ecce uerbum dei,precatio & gratiarum actio.

Item,Gratiarum actio est,cum dei beneficia recensentur,quo fides in deum roboratur,tanto confidentius expectandi,& id quod desideratur,& quod prædicatur.

Gratiam postremo in uanum recipere dicuntur,qui euangelium gratiæ diuinæ præconium siue testimonium audientes,uel non credunt,uel non soli deo per Christum fidunt,sed rebus quibusdam nihili inhærent,uel nihilo redduntur meliores,quin sui perpetuo similes in carne & desiderijs contabescunt.

¶ *Gratis odiri* dicitur,qui nullum commodum(inquit Augustinus)quærit,uel incommodum fingit,Sic oderunt Dominum impij,sic diligunt iusti. hoc est,gratis,ut alia præter illum non expectarent bona: quoniam ipse erit in omnibus omnia.

¶ *Grauis*, pro diuite. Gene.13. Et Abraham erat grauis ualde in pecore. id est,diues, locuples. Grauis nomen pro magno. Gen.18. Quia & peccata eorum grauia. hoc est,magna. sic etiam Septuaginta legunt. Mat.23. Act.25.

Graues corde,D,Augustinus inquit,qui sint,perpulchre Dauid ille rex Israel diuinauit,Psal.4. Filij hominum quousq; graues corde? Vt quid diligitis uanitatem,& quæritis mendacium? & à tergo ait quid quærendum sit,Scitote quoniam Dominus magnificauit sanctum suum.

Grauis ore & lingua,ut est de Mose locutio,Exod.4. Id est,tardus sum ad loquendum,& lingua impedita. Grauari autem in oculis suis. Deut.15. Id est,non erit tibi molestum dimittere illum donatum libertate,ut discedat quocunq; uelit.

¶ *Græci* uocabulo ueniunt Apostolo omnes gentes. Nam Græcos quidem,ad Roman.1.promiscue omnes gentes uocat,eo quod Græci olim late imperitarent,& eorum lingua etiamnum pleræq; gentes uterentur, Barbaros autem uocabant Romani omnes gentes exteras.

Græcus & barbarus,pro qualibet gente. Rom.1. Græcis & Barbaris,ac mox Iudæo primum & Græco. Marc.7.cap. Pro Ethnico,Hellinos. Pro Ethnica,ut Paulus Rom.1. cap. Sic & Ioan.cap.7. Num in dispersionem Gentium iturus est. Græci,pro quibuslibet gentibus. Apostoli enim Græcos appellabant omnes illos,qui non erant ex genere Iudaico, Arabes scilicet, Scythas, Ægyptios, Indos, Persos, Romanos, Græcos ipsos, Germanos,&c.

Græd

Græci dicuntur quoq; Iudæi nati apud Gentes, non in Iudæa, Actorum 6. cap. Ortum est Græcorum aduersus Hebræos.

¶ *Gremij* nomine maritalis societas coniugalisq; uenit & intelligitur, Gene. 16 cap. Ego dedi ancillam meam in gremiū tuum, honeste maritalē societatem circumloquitur.

¶ *Gressus, uia.* Gressuum appellatione motus mentiū uel profectus accipimus, Hiob 31. Et cunctos gressus meos dinumerat. Via uero est actio, Hiere. 7. Bonas facite uias uestras & studia nostra. Gressuum effusio, quid sit. Vide suprà in uerbo Effundere.

¶ *Gregis* uocabulo imperitus populus exprimitur, sponsi uerba hoc testantur, qui sponsam suam alloquitur, dicens: Cant. 1. Nisi cognoueris te ò pulchra inter mulieres, egredere & abi post uestigia gregum, hoc est, imperitorum populorum imitare. Gregis filij, idiotismo, pro agnis & hœdis, Exodi 12.

¶ *Gustare* pro edere, 2 Samuelis secundo capite. Si ante occasum solis gustem panē, uel aliud quidquam.

Gustare uerbum dei, ut D. Petrus ait: Siquidem gustastis quàm bonus sit dominus, quia hoc uerbum totum hominem refocillat, Hebr. sexto capite. Gustarintq; bonum uerbum dei, ac uirtutes futuri seculi.

Gustare uero mortem schematismo fine idiotismo linguæ sanctæ, nihil aliud significat quàm mori. Nam gustare, est gustu leniter attingere. Pij ergo gustant mortem proprie. Moriuntur, sed impossibile à morte absorberi, hoc est, non tangi tormento mortis, Sapientiæ 34. quod credentibus in Christum fit, Ioannis 5 cap. Amen dico uobis non gustabit mortem. Et Matthæi 16. cap.

¶ *Gustus* Hebræis usurpatur pro habitu totius corporis, in sermone, forma, dexteritate, gestibus corporis, et cætera. 1. Samuelis uigesimo primo capite, Et immutauit habitum suum uel gestum suum. Et 1. Samuelis uigesimoquinto capite, Benedictus gustus tuus, ait Dauid ad Abigail.

¶ *Gutturis* nomine uoracitas & auaricia inexplebilis intelligitur. Quemadmodum Apostolus ad Titum fœdissima tapinosi uentres appellat. Ita & Dauid Psalmo quinto guttur appellans. Sepulchrum inquit, patens est guttur eorū. Quasi dicat, Vos toti gutturi estis, et aliud nihil, idq; uelut sepulchrū patens, cum in aliud non incumbatis, quàm ut uoretis hominum substantias. Quo tropo dicimus, non malus, sed malicia, & scelus pro scelerato. Ita uenter pro uentris studio, Guttur pro gutturis studioso, uoracitas pro uorace, &c. Germanice, du bist ein rechter fraß.

H

Habere pro posse, Lucæ 14. cap. Non habent tribuere, pro non possunt retribuere. Nam ita frequenter accipitur ἐχω, cum adhæret uerbis infinitis 2 Corinthiorum 8 capite. Secundum id quod habet, pro posse, more Græcorum. & Ioannis septimo capite, pro potest, usus est. Habere de inde pro commiscere, rem fœdam Paulus honeste eloquitur. primæ Corinthiorum decimoquinto capite, Vt aliquis uxorem patris habeat. Item, Non Habere deum in noticia, Rom. 1. dixit Paulus pro eo quod est, deum præ oculis (sicuti nos dicimus) non habere, uel illius cognitionem siue manifestationem non suscipere uel nihil pendere.

Habere custodias siue excubias, Numer. 3. cap. Id est, munus eorum erit custodire tabernaculum. Habere fœdus uel pactum cum lapidibus: suprà expositum in nomine fœdus. Habere cor rectum, inde suprà in uocabulo Cor. Habere animam uel gestare animam in manibus, suprà audiuimus in nomine Anima.

¶ *Habitare* pro quiescere, Psalmo decimoquarto, Et quis habitabit in monte sanctitatis tuæ. Pro uersari, ut Ioan. 1. Et habitauit in nobis uel inter nos, id est, conuersatus uel uersatus est inter nos, in similitudine hominum factus, ut Paulus loquitur, in figura seu forma ut homo.

Habitare quoq; uerbum Græcis paulò significantius est quàm Latinis, pro nuptiali cohabitatione, Esa. 62. Habitauit enim iuuenis cum uirgine.

Habitare & Sedere atqui idem est quod regnare. Siquidem Lucæ 24 dicit Christus: Vos autem sedete in ciuitate Hierusalem, id est, Hierosolymis præstolamini, quiescite & habitate donec induamini uirtute ex alto. Habitare corā aliquo, est obsequi, institui, doceri,

doceri, & credere magistro uirtutis & fidei 4. Regum 4 cap. Et Heliseus reuersus est in Galgala. Erat autem fames in terra, & filij prophetarum habitabant coram eo.

Habitare autem in medio populi, est tutũ et securum habitare in populo atq; priuatim 2 Regum 4. idq; sine molestia.

Habitare confidenter, est liberum & parata conscientia esse præditum, Hiere. 23 cap. In diebus illis saluabitur Iuda, & Israel habitabit confidenter, Hoseæ 2. Sponsabo te mihi in fide & faciam eos dormire fiducialiter, id est, securos & forti spiritu aduersus omnem iniuriam peccati. Et Esa. 52. & Hiere. 23 cap. Israel habitabit confidenter, id est, secure. Inhabitare excelsa quid sit, suprà explicatum est in litera E.

Habitare terram, est regnare. Prouerb. 10. Iustus in æternum non commouebitur, impij autem non habitabunt super terram, Geneseos ult. cap. Habitator terræ Chenaneus, id est, homo. Hebræi frequenter usurpant genus pro numero. Et possidere omnia in Christo, Psal. 26. Credo uidere bona domini, id est, bona spiritualia.

¶ *Habitaculum* pro eo sumitur quod ubique tabernaculum uocatur aut intelligi potest, quemadmodum exponit Rabbi Salomon, eandem enim rem dicit appellari, Numeri 9 cap. habitaculum dei, ut tentorium siue tabernaculum testimonij pro eodem, & uocari Habitaculum dei, quia deus ut proprium locum eum delegerit: tentorium autẽ, ut esset locus ubi tabulæ testimonij reponerentur. Habitaculum dei sanctum, interdum cœlum, Deut. 26. De sanctuario tuo, & de excelso cœlorum habitaculo, de habitaculo sanctitatis tuæ, de cœlo ipso.

¶ *Habitatio* pro refugio Psal. 89. Domine habitatio tu factus es nobis. Septuaginta καταφυγὴ, id est, refugium.

¶ *Hæc dicit dominus*, loquutio Prophetis & Mosi frequentissima, particula qua certitudinem adfirmant & inferunt de personam, fusius suprà annotatũ in uerbo Dicere.

¶ *Haba* uox est gaudij & congratulationis, Ezech. 25. Eò quod dixisti tu Haha, contra sanctuarium. Ex hoc potest intelligi uocem esse siue Interiectionem insultantis & infortunium opprobrantis.

¶ *Hamus* uerbi prædicationem adumbrat, Matth. 17. Profectus ad mare, &c. Quod Hamum mittere iubet in mare, officium apostolatus indicat. Sic de Pericle gentiles dixerunt, quod aculeos quosdam in auditorum animis relinquerit. Indicant hoc sermonis eloquentiam efficacem esse. Si hæc potest eloquens & philosophica oratio, quanto plus sermo & prædicatio ueritatis? At non fit hoc loquentis uirtute, sed spiritus trahentis & uiuificantis. Nam piscatio, prædicatio est.

¶ *Heab* quoq; uox gratulantis & insultantis, Ezech. Fili hominis eò quod dixit Tyrus contra Hierusalẽ Heah. Ita aliorum lachrymis & morte pascitur inuidia suo malo.

¶ *Hebdomadæ* bifariam apud Hebræos dicuntur, aut de dierum spacio, ut à Pascha ad Pentecostẽ septem hebdomadæ, Leuit. 23. Numerabitis igitur ab altero die sabbati, in quo obtuliſtis manipulum primitiarum, septem Hebdomadas plenas, usq; ad alterũ diem expletionis hebdomadæ septimæ, id est, quinquaginta dies.

Aut Hebdomadæ annorum, pro septem Hebdomadas annorum, quę faciunt annos 99. Et Dan. 9 cap. Hebdomadæ 76. præcisæ sunt: quia non possunt esse septenarij dierũ, non iubileorum, nec seculorum, sed annorum, ut septem annorum tempus una habeatur Hebdomadas, ut est Leuitici 25 cap. Numerabitis septem Hebdomadas annorũ. Faciunt ergo septuaginta hebdomadæ illæ annos quadringentos nonaginta.

Hebdomadas plenus numerus est, Dimidiata hebdomadas abbreuiati temporis symbolum, Danielis duodecimo capite. Infrà copiosius differemus in Tropo, Tempus & Tempora, in litera T.

¶ *Hebræorum mos* Hebręis æternus mos est, rei quam scripturi sunt, Titulũ aut summam proponere, ac mox ad ordinẽ rei gestæ quibus consilijs, & ut gesta sit redire. Exemplum damus: Si Hebræus tradere uelit, quomodo urbs Roma sit à Gallis liberata, sic ordietur. Camillus Romanos liberauit ab ipso articulo, quum aurũ dependeretur, hostens, ac hostẽ urbe pellens. Hoc proponeret uice Tituli aut propositionis. Deinde ad fontes rediret, siue per partes dirigeret, ex quibus tanta clades urbi emanasset, & ad ipsius Camilli incunabula quoq;. Sic Gene. 1. Moses facit, scribit enim quomodo in principio creauerit deus cœlum & terram. Quod est uice Tituli, siue propositionis à Mose posita est, similiter cap. 12. & 31. cap. uidere est, Quæ postremo facta sunt, primum.

Econtra

Econtra quæ priore facta sunt loco, posteriore recensentur. Sicut de Laban scribit Moses primum ingressum fuisse in tentorium Iacob Leæ. Deinde in ancillarum tentoria, quomodo ergo dicit eum è tentorio Leæ, tentorium Rachelis esse ingressum? Debuit potius dicere: Egressus est tentorio ancillarum, ingressus est tentorium Rachelis. Est igitur duplex ordo, actionis & dignitatis. Si actionis ordinem spectes, nõ de Lęæ tentorio, sed de ancillarum ingreditur ad Rachel.

Tritum prorsus est & hoc, & Prophetis familiarissimum sub inuolucro rerum corporalium, ea significare quæ intus sunt in anima. Quomodo in Ezech. 26 cap. sub figura nauis, & instrumentorum eius, ornatus Tyri exprimitur. Et propter aquarum abundantiam, rex Ægypti adpellatur draco. Hierusalem, propter idololatriam lupanar. Idem mysterium habent mutatio uasorum, transmigrationes apud Ezechielem, Multer sedens super plumbo in Zacharia, apud Amos uncinus pomorum, & trulla cementarij apud Hieremiam, uirga uigilans, fractio lagenæ in domo figuli.

Multa, quàm palam præ se ferant rem sordidam, ac turpem, ad allegoriam aliquam referuntur: ut quum Hoseæ iubetur accipere uxorem fornicariam, & adulteram. Et Ezechieli præcipitur, ut comedat panem consperſum stercore humano. Et dormire super uno latere diebus 190. & in altero latere diebus 40.

Quædam iam facta fuisse intelliguntur, & per recapitulationem postmodum commemorantur. Sicut est illud, Genesis uigesimoprimo, quod Abram dicitur iurasse circa puteum iuramenti, qui tamen eo tempore nondum sic dicebatur, sed postmodum ab Abraham sic nuncupatus est, quum iniisset fœdus cum Phicol & Abimelech. Qui igitur librum Geneseos scripsit, longe postquàm acta sunt hæc, ex nomine putei coniurationis uocauit Bersaba, id est, sic appellabatur puteus, quum liber scriberetur, nomen tenens antiquum quod Abraham imposuerat. Sic quoque dictum est hoc, Numer. decimotertio capite. Venerunt usque in uallem Botri, Non quia iam illo uocabatur nomine quando transierunt, sed quum scriberetur hic liber, iam sic uocabatur. Et item illud Iudicum decimoquinto capite, Idcirco appellatum est nomen loci illius, fons inuocantis de maxilla. & plura alia huiusmodi.

Quædam dicit se primum cognoscere deus, quæ tamen haud dubie antea & ab æterno cognouit, ut quum dicit Gene. 22 cap. Nunc cognoui quoniam tu times. Quod perinde est, acsi dicat: Nunc te feci cognoscere, ut significetur per efficientem, id quod efficitur. Quemadmodum frigus, pigrum uocamus, eo quod pigrum facit.

Item in Numeris, hoc sic se habet, ut antè semper minorem, postea maiorem numerum supputet enumeretq; scriptura. Verbi gratia: Nos iuxta proprietatem linguæ Latinæ dicimus: Abraham uixit centum annos septuaginta quinque. Scriptura è conuerso dicit. Vixit Abraham annis quinque septuaginta & centum. Similiter, Natus erat sexcentos annos, Hebræis mos loquendi ferè est perpetuus: Erat filius sexcentorum annorum. Sicut Germanice dicimus, Er vvas ein gsel oder knab, von so vil iaren, so alt. Hoc Hebræi exprimunt per dictionem Ben, quæ uox filium significat, aut natum. Latini dicunt: Natus est tot annos. Et natus Latinis quoq; filium significat, quem admodum Hebræis suum Ben. Genesis, Et Noe natus erat sexcentos.

Hebræorum poetæ, hoc est, diuini prophetæ, uniuersam enim Poesim etiam in prosa oratione sibi permittunt: nam omnia sublimia, quæ scilicet aduersus deum sese erexerint, hoc enim Cedris, Libano, Quercubus Basa, Montibus excelsis, & nauibus Tharsis ui Synecdoches prophetæ significant. ut uidere licet passim in scripturis, præsertim in Esaiæ secundo capite, enumerat has metaphoras. Frequenter ubi de corde incidit sermo, anima intelligitur, ut Esaiæ quadragesimosexto capite, Audite me duro corde, quod Septuaginta uerterunt: Audite me, qui perdidistis cor, id est, mentem. Et paulo ante: Redite præuaricatores ad cor, pro, ad mentem. Hebræis hoc quoque perpetuum est, ut interim mitiora pro uehementioribus: interim uerò uehementiora pro mitioribus accipiant, Hieremiæ capite quarto. Animam penetrabit, apud Hebræos est, Tanger animam. Sic commune hoc habent cum omnibus linguis, ut crebro utantur uehementiori, pro mitiori. Et econtra, ut Esaiæ sexto capite, Mittendo uerbo, pro Abijciendo utitur.

Multa quoque sunt in scripturis, quæ incredibilia uidentur, & tamen uera sunt: multa indissolubilia, ad quæ magis expedit conuenire, quàm hærere diu, & scru-

tari

tari curiose, maxime quia scriptum est: Litera occidit, spiritus uiuificat. Quemadmodū hoc est de Mathusalem, qui uixit triginta quatuor annis post diluuium, & tamen non est ingressus arcam Noha. Et alia multa, de quibus mihi uidetur Apostolus Paulus præcepisse, ut missas faciamus curiosas quæstiones, quæ ad contentionem deseruiunt magis, quàm ad eruditionem & pietatem, Et tamen in curiosis illis scrutandis & excludendis, interdum maiorem operam ludimus, & negocium nobis facimus, quàm in his, in quibus rerum summa consistit.

Illud etiam operæprecium est nosse, quod quicunq; sunt de una tribu, de uno stemmate, fratres uocari: Patres uero non solum carnales illos, sed & præceptores, tutores & nutritios. Sic intellige quod in Euangelistis est de fratribus domini, de filijs Israel, & Mose, & Aaron, &c.

Hebræi Ablatiuus mercium præpositionem In, apponunt, quod Latinis non adeò frequens est, sed Germanis, der treybt kouffmanschatz in isen, uel mit isen.

Hebræorum quoq; consuetudo est, summam tantum subindicare, ubi ad alia properant, ut Gene. 14. cap. Egressus est rex Sodomorum in occursum eius, quum à cæde reuerteretur, &c. cætera enim tacet, quæ in occursum facta sunt aut fieri solent. Quę prudens quisq; satis intelligit, qua scilicet pompa huiusmodi occursationes fieri solent.

Hebræi respondent per Pronomina, ut: Ego domine, Matth. 21. cap. ubi Latini per uerba aut aduerbia: ut, Faciam domine.

Hebræis hoc non inusitatum imò solenne est, temporibus præsenti, præterito & futuro inuicem commutatis uti: Venio, pro Veniã: uidet et uidetis, pro uidebit et uidebitis.

Hebræi coguntur plura quàm aliæ linguæ uerbis, rem, non personam significantibus eloqui, tametsi de persona potius quàm de re loquantur. Id autem hac necessitate, quod Gerundiuis carent, ut suprà in litera G, audiuimus.

Hebræi nonnunquam solent dum præpropere aliquid fieri aut factum esse, scribere uolunt, id ipsum uerborum paucitatem significare, ut in Esaia patet: Quur uos ultra corrigerem? Adderetis prœuaricationem. Videmus id omnino esse de ui uerborum: et sic intelligas, Quò citius denuo deficeretis. Non enim habent aliam celeritatis notam Hebræi quàm uof. Facit de industria omissa, ut uerborum cursu, pro pensio ac celeritas ipsorum intelligatur. Et in Genesi nonnunquam uof litera subiunctiua nota est, ut Et ibo uias, Et docebit nos uias suas, id est, ut doceat.

Hebræi hoc quoq; familiare habent: ut quum certa persona expressa est, iam uel impersonaliter, uel etiam mutatis personis, reliqua quæ ad eandem personam pertinent efferant. Quomodo Latini quoq; nonnunquam faciunt: Tu uero quid? Ego protinus instare, orare, implorare. En certam personam ego. Deinde impersonales infinitimodi instare, orare, implorare. De personis autem mutatis exemplum nullum occurrit, nullum quantum solœciſmis excusatur.

Magnificus & splendidus, pro ad magnificẽtiam, & ad splendorem, proprerea quod illi huiusmodi loquutionibus utantur, pro finitis & disertis orationibus, ut Esa. 4. Et ipse fructus terræ magnificus & splendidus erit. Sicut cap. 9. usus est Propheta: Et dabo te in combustionem, pro, comburitur. Et Hiere. 51. cap. Et dabo te in mortem combustionis, pro comburam te à Babylone, eam enim montem uocat isthic loci.

Multæ sunt loquutiones Synecdochicæ in sacris scripturis, ubi potior & præcipua pars alicuius recensentur tacitis cæteris, quæ in summa intelliguntur. Sic Gene. ubi catalogus filiorum Iacob recensetur, non meminit nisi solius Dinæ, quæ nimirum cæteris non esset, si non Moses singulare quiddam de ea postea fuisset dicturus. Nam in numerum non recensent mulieres & filias Hebræi, quum tamen inter eos & mulieres & filiæ sint. Sic est Synecdoche, quum Paulus 1 Cor. 10. cap. Patres mare transisse dicit. Nonne & mulieres, & pueri quoq; transierant? Quare ergo mulieres non recensetur? sed in potiore parte intelligit. Sic Matth. 3. cap. Omnes uenerunt ad Iordanem, ut baptizarentur. Synecdoche est, Sic Gene. 38 cap. Moses filias quoq; recenset quum tamen priùs non dictum sit de filiabus, nisi de sola Dina. Sic deus solos mares circumcidere iubet. Fœminis à testamento & populo dei nequaquam excludens Hebræis peculiare est uerbum ad personã referre, ad quam loquuntur, ut Gene. 12. Quam ob causam dixisti, soror mea ipsa, scilicet sororem tuam? Ipsi legunt ergo sic: Quur dixisti, soror mea est, uel soror mea ipsa, scilicet est? Mos quoque Hebræorum, ut unum aliquod ex genere accipiant, ut, sitis, pro omni egestate

egestatis genere ponitur. Hier. 48. Et sedebitis in siti uel penuria. Sic diuitem pro scelera tis ponunt, &c. speciem pro genere, ut alibi dictum.

Hebræi habent & hoc priuilegium, & si uel infinitiuo, uel tertiæ personæ prima pluralis iungatur, iam tertia persona, uel quod sine persona est, in primam, cum eo quod primæ personæ est, transeat. Qua formula Hierem. 51. cap. impense utitur, & in Psalmis frequens est, ut Hier. 51. Derelinquunt eam, & abibimus, esset ad uerbum: sed hoc sensu, Derelinquemus eam & abibimus.

Hebræis non insolens est quoq; ut unum uerbum duabus particulis respondeant. Est hic uerò solida scripturæ eclypsis. Gratia exempli: seculi, & usque, subaudiendum se culum, quasi Psal. 29. dixisset: In seculum, & usq; in seculum. Quibus tamen uerbis, nihil nisi longæuam uitam significat. Olam, ut ait Aben Ezra, tempus duarum generatio num complectitur: hoc est, centum annos, quod tempus Latinis seculum dicitur. Psal. 21. autem & passim in scripturis pro longo tempore usurpari solet, ut in suo loco dicemus. Hebraicæ linguæ mos, unam rem nominare plurali numero, ut Cœli nomen plurali numero ab Hebræis uocari, ut Cœli cœlorum.

Hebræi adiectiuis in res mutatis in genitiuo cum subiecto positis utũtur, Germen iustitiæ. idiotismus eorum est, pro germen iustum.

Hebræi fœmininis ferè utuntur eo loco, quo Latini neutris. Vt dum diceret Latinis, qui efficit ipsum, scilicet quod loquatur. Hebræus dicit, Faciens uel efficiens ipsum. Et in Gen. 42. cap.

Hebræi, per fœmininum genus efferunt, quæ Latinus per neutrum. Fœmininum est, contingentes Latinus diceret contingentia. Nam Hebræi neutro careat, qui neq; alia norunt nomina, nisi masculina ac fœminina.

Hebræi habent & hoc familiare, ut indefinitos, & præsertim impersonales orationes, per uoces fœmininas efferunt, Quam quæque mensuram: &c. pro, Quam quisque mensuram dederit, reddetur ei.

Hebræis insuper, ut alijs gentibus pleraque nomina à uerbis comprehenduntur, ut inquit Aben Ezra. Ita Psal. 13. Dormiam, somnum in se comprehẽdit. Ne dormiam mortem. Eclypsis est: nam dicendum erat, Ne dormiam somnium mortis.

Hebræis & hoc peculiare est, præsertim in collectiuis, ut uerbo plurali singularẽ nominatiuum, & è contra subijciant pluralem singulari. Num. 13. Et ascẽdentes meridiem uersus, & uenit ad Hebron, ubi erant Ahimam.

Herbæ nomine gloria temporalis uenit. Psal. 89. Mane sicut herba transeat, mane floreat & transeat. Est etiam refectio diaboli, Hiob 40. hinc montes herbas ferunt. Item sustentatio prædicantium est. Psal. 146. Producit in montibus fœnum & herbam seruituti hominum. Rursum est bona operatio. Gen. 1. cap. Germinet terra herbam uirentem. Alibi quando autem scientia atq; doctrina æternæ uitæ est. Hiere. 14. Onagri steterunt in rupibus, traxerunt uentos quasi dracones, defecerunt oculi eorum, quia non erat herba, Iob 30. Et mandebant herbas & arborum cortices. Per herbas tenera ac terræ proxima bene incohantium uita, & per arborum cortices exteriora opera eorum, qui iam sublimia appetunt, exprimuntur.

¶ *Hæreditatis* uocabulum, ualde late Hebræis patet, Hæreditatem uocant terram diuisam in populum per Iosuam. Inde trãslata uox est ad omnes donationes. Terra enim Canaan simpliciter donabatur populo Israel, hinc omnes alias possessiones, proprietates & dona uocabant hæreditatem. Sic in Psal. 119. Lex tua est hæreditas mea, hoc est, donum à te mihi donatum, Mein hœchstes erbgout. Nos paulò aliter utimur. Nomen hæreditatis, pro re à parentibus nobis relicta. Sed Hebræis est donum & portio. Hinc Hæreditas, pars, calix, funes, funiculi distributionis & sors. Psal. 16. Ferè pro eodem capiuntur. Psalmo 16. Dominus pars hæreditatis, inquit Dauid, meæ & calicis mei, funes ceciderunt, &c.

Hæreditas, uel Merces Domini, Hebraico more idem est. Quemadmodum filij & fructus uentris, idem est. Psal. 127. Ecce hæreditas Domini filij, merces fructus uentris. hoc est, dona & munera dei sunt. Hæreditas possessio præcipuarũ rerum ex hæreditate est: ideo scriptura hæreditariam possessionem, pro plenissimo dominio, ac præcipue utenti iure ponit. Psal. 25. Quasi dicat Dauid, Posteri dies terræ Domini erunt, omnia in potestate sua habituri.

Hæreditas Dei uel Domini, populus Christianus est, quorum corda spiritu sancto inhabitat & possidet, atq; sceptro Diuini uerbi sui regit, secundum uoluntatem & iuxta beneplacitum suum. Nam hæreditas eius non est res corporalis, uel externa bona, sed spiritualis, in conscientijs credentium & piorum. De illa spirituali & interna hæreditate, multa loquitur scriptura, & præcipue Dauid utitur hoc uocabulo. Psal. 12. 16. 34. 46. 78. 93. 226. &c.

Hæreditas Christi, est in animarum accessione: regnum enim accepit à patre, non in prædia aut beluas, sed in animas uerbo illius credentes. Psal. 2. 15. Tu es qui restitues hæreditatem mihi. Item, Hæreditas mea præclara est mihi.

Hæreditatis uocabulum augustum, est & nescio quid dominij & unionis utriusq; & patris & filij substantiæ. Nam & homines, parentum filij & hæredes sumus, non merito aut gratia, sed ipsa natura. quemadmodum & filius dei, hæreditate, id est, naturalius dei est, non gratia aut adoptione.

Hæreditas uel subiectio gentium, uel Iudæorum, non significat mundanum (ut carnales Iudæi somniant) regimen uel dominium, super gentes uenturum: uerum est illa spiritualis promissio & benedictio, quam deus Abrahæ promisit, patrem eum futurum esse multarum gentium, & illud in semine suo, hoc est, per fidem in Christo, ut omnes generationes terræ benedicerentur: hoc est, per prædicationem Euangelij ad fidem benedicti filij dei peruenirent. De illo tropo lege Psal. 2. & 110.

Hæreditate deniq; consequi uel obtinere, uel habere creber. Hebraismus est, pro possidere. Mat. 5. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt. Et Gala. 5. Regnum dei non possidebunt, secundum Hebræos, uel regni dei hæredes non erunt.

¶ *Hiems*, pro frigore. Prouer. 20. Propter hiemem piger non arabit.

¶ *Hæresis* uocabulum, apud ueteres non fuit tam odiosum, quàm hodie apud nos est, ut Acto. 24. clare patet: Quod iuxta uiam quam uocant hæresim. Hac ergo Paulum ceu nota uulgo uoce exposuisset, quod magis ad Hebraicum idioma accedens, dixerat uiam. Quin & paulò pòst in cap. 26. Hæresis uocabulum in bonam partem, dum sic dixit Pharisaicæ fuisse sectæ, usurpat: quemadmodum & Cicero apud nos in proœmio Paradox. de Catone loquens: In ea est, inquit, hæresi, quæ nullum sequitur florem oratorius. Est & sectæ uocabulum Latinis medium.

Hæresis autem dicitur, confirmata de aliquo dogmate opinio. Et sententia D. Hieronym. lib. 3. Comment. in Galat. cap. 1. Græce ab electione dicitur, quod scilicet eam sibi unusquisq; eligat disciplinam, quam putat esse meliorem. Germanice, Ein eigenuuillige ger sin, und gout duncken, das ein ietlichen sein kopff der beste und blugste duncket. Vide D. Augustinum lib. de Credendi utilitate. Item consule Cyprianum de Simplicitate Prælatorum, tractatu 3. & ad Iubainum de Hæreticis baptizandis. Tertullianum de Præscrip. hæret. & de Hæresibus ipsis. In summa,

Hæreticos, intelligamus omnes qui alienam à iustitia Dei docent iustitiam, quales Iudæi & omnes operarij, seu iusticiarij sunt, quibus (nisi in spiritum sanctum peccauerint) deus pater sanam mentem & cognitionem Christi det.

¶ *Heri & nudiustertius*, Hebraico schemate, pro hactenus & antea ponitur, Exodi. 5. Obsecro Domine, non sum eloquens ab heri & nudiustertius. id est, hactenus & pro antea. ut Gene. 32, Animaduertit quoq; faciem Laban, quòd non esset erga se, sicut heri & nudiustertius. id est, antea. uormals, uorherre. 2 Samuel. 3. Psal. 2. Hodie genui te, Iudæorum tropus etiam à Paulo agnoscitur. Dicitur enim illis Gigni, quando gloria cuiusliam reuelatur. Ita Dauidem dicunt genitum, quãdo unctus est. Nos uero etiam Christum recte genitum dicimus, quando glorificatus est.

¶ *Heu*, dolentis uel uocantis, non condemnantis uocula est. ut Esa. 1. ca. Heu gens peccatrix. Et cap. 10. Heu Assur uirga furoris mei. Esa. Heu solatium & penam de inimicis. Quæ uox omnino diuinæ clementiæ bonitarem exprimit, cui dolet quod ultionem sumere iustitia cogitur.

¶ *Hierusalem*, uisio pacis interpretatur, autore D. Hieronymo, quia in patria futura nihil erit quod nos perturbare, uel quod nos mœrore afficere poterit, Abstersurus omnem lachrymam ab oculis eorum.

Hierusalem, quatuor modis in scriptura sancta usurpatur. Vno, iuxta Iudæos, quam plangit Christus. Mat. 23, Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis propheras, & lapidas eos qui ad te missi sunt. Secundo, sanctorum est congregatio. Psal. 86. Fundamenta eius in montibus

montibus sanctis, diligit dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob. Tertio, est multitudo angelorum dominationum & potestatum, & omne quod in ministerio constitutum est. Gal. 4. Quæ autem sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater omnium nostrum. Hebr. 12. Sed accessistis ad Sion montem & ciuitatem dei uiuentis Hierusalem cœlestem. Quarto appellatur Hierusalem, quam Iudæi & nostri Iudaizantes, Iuxta Apocal. 21. quam non intelligunt, putant auream atque gemmatam de cœlestibus ponendam. Vsurpatur etiam pro Ecclesia militante & triumphante. Apocalyp. 21. cap. Vidi ciuitatem sanctam Hierusalem, descendentem de cœlo. Galat. 4. cap. Illa quæ sursum est Hierusalem.

Hierusalem nomina sunt hæc: Ciuitas dei, regesq; eximij appellatur. Matth. 5. Mons pulchrum clima. Elegans locus, qui omnem terram exhilarat. Propterea quod deus uerbo & spiritu suo, in ea potius quàm in toto orbe tum regnauerit, indeq; doctrinam salutificam, in omnem terram sparserit, iuxta uaticinium. E Sion prodibit lex, & oraculum. Esa. 2. Solium gloriæ, est Hierusalem & templum quæ dicuntur gloriæ solium. Latus aquilonis, Psal. 48. A parte sui uocat, in aquilonari enim urbis parte Sion erat, ueluti & Esa. 14. notatur. Sacrarium, habitaculum dei. Psal. 46. Et sanctum tabernaculorum dei. In ea urbe primarius colendi Dei locus fuit, &c. Medium terræ, Hierusalem est. Situs enim terræ Chananeæ in meditullio orbis est, ad cultum Dei peculiariter, delectum est medium terræ, ut inde nomen dei, quod notum in Iudæa. Econtra, Ciuitas sanguinum appellatur, apud Ezech. 22. Spelunca latronum, Sodoma, Ægyptus, Lupanar. Esa. 1. 11. Campi syluæ. Psal. 132. Et Ephrata: Ecce audiuimus eam in Ephrata, inuenimus eum in campis syluæ. Nam campos syluæ, uocat Dauid Hierusalem. sicut prophetæ sæpius eam uocât Libanon: quod ex Cedris Libani sit ædificata, & ligna Libani, quasi migrasse Hierosolymam uideantur. Solium Domini, uocabitur Hierusalem. Hierem. 3. ca. in qua familiariter Dominus sedeat & glorificetur.

¶ *Hic, iste, ille,* uniuersitatem fidelium apud Esaiam significant. Tropo nanque tali paucitatem electorum insinuans: ut Esa. 44. Iste dicet Domini, & hic uocabit in nomine Iacob, & ille scribit manu sua, Domini. Per hoc quod dicunt, Domini sumus, & per scripturam manus commendatur, confessio fidei. Dicens autem, Vocabit in nomine Iacob, & cognominabatur in nomine Israel: charitatem proximi commendat, ut nemo quod suum est, quærat: sed quod Iacob. id est, Ecclesiæ & fratrum.

¶ *Hinnire* uerbum, pro ingenti gestientiq; lætitia, apud Hebræos usurpatur. Esa. 12. Hinni, uel exalta, & lauda. Et 24. Quum glorificatus fuerit Dominus, hinniet de mari. Hierem. 31. cap. Hinnite in capite gentium. id est, clara uoce & læta uoce cantate, iubilate, uociferate.

¶ *Hirci* nomine, principes denotantur. Esa. 14. Omnes hirci terræ. hoc est, Principes terræ. Daniel. 8. Et hircus caprarum magnificabatur ualde. Intelligit Alexandrum Magnum, Græciæ regem. Terribilius enim est agmen ceruorum præeunte leone, quàm agmen leonum, si ceruus antecedebat, ut Lacedæmoniorum Rex dicebat: Facile populi, sicut arietum oues, suum ducem sequuntur. At si illi per petras in præceps abeunt, non raro & gregem præcipitant. Ergo recte Imperatores ac magistratus in ariete & hirco figurantur. Decet enim, ut ductores gregis, & multum refert quinam pro acie positi sint.

¶ *Hodie,* absolutè in Bibliis positum, pro certo tempore, de quo sermo fit, ponitur. Etiam si non addatur Choza. Esa. 38. cap. Non ieiunatis hodie, ut in sublimi exaudiatur uox uestra. id est, Non placere Domino, qui quod in sublimi sedet. Item, non pro crastino, sed diuturno, siue ab initio mundi. Et ad Hebr. 13. & Esa. 30. Siquidem Christus, Heri, hodie, & sempiternum dicitur. Hebr. 13. ca. Christus ab initio mundi usque in finem, idem perdurat, per quem omnes iuxtà saluantur. Item de præsenti seculo usurpatur, & properè de tempore quod post aduentum Domini est. Paulus ad Hebræos: Hodie si uocem audieritis. Isychius in Leuit. lib. 2. cap. 2. Item pro æternitate & perpetuitate. Psal. 2. Ego hodie genui te. id est, ab æterno uel æternaliter. Nam Hodie, apud Deum nullo initio incepit, nullo fine concluditur. Non est enim ibi fuit, neque erit, sed semper manet, semper est, & quicquid dixeris, ille hodie est. Sicut in Exo. 3. Mose præcepit, ut de ipso diceret: Dic filijs Israel: Ego sum, qui sum: & qui est, misit me ad uos. Apud Deum enim hæc Heri, cras: sed Sempiternum & perpetuum: hodie est: ut Theophylactus in Epist. ad

Hebræos sentit. Pro hoc tempore, Hoseæ 4. Corrues hodie, & corruet etiam Prophetæ tecum. Mat. 6. Panem quotidianum da nobis hodie. pro omni tempore, seu quotidie capitur. Petimus itaque nobis dari Hodie, id est, continue & semper. Hodie, interdum totum uitæ nostræ tempus significat, testimonio Basilij Magni in Epistola ad Chilonem discipulum de Vita solitaria, cuius initium, Salutaris tibi res. ubi illud Apostoli addunt, Inuicem adhortamini & in idipsum ædificate, usquequo hodie dicitis. Hæc ille. Diuus Chrysostomus. Hodie pro semper, donec constat mundus. ad Hebr. 3. homil. 6. accipit. Sæpe quoq; obuiam sunt locutiones huiusmodi.

¶ *Vsque in hodiernum diem.* Vsque in præsentem diem. Quæ in hunc sensum accipiendæ sunt, quomodo nos dicimus, Relegatus est in perpetuum exilium: cum tamen nemo possit exulare ultra id quod uiuit. Et proprie de his rebus dicitur, quæ non ita constitutæ sunt, ut postea mutarentur ab eis, qui constituerunt.

¶ *Hodie & cras*, pro omni tempore ponuntur, & plures dies significat, innuitur autem uitæ breuitas. Itaque Hodie & cras, significant præsens, breue, certum ac definitum tempus. Et nos familiari sermone consueuimus dicere, Hodie & cras fiet hoc: non omnino intra tam breui temporis interuallum rem circunscribentes, sed statim fieri significantes. ita enim Christus dicens, Sanitates perficio hodie & cras, & tertio die consumor. Non omnino significare uoluit, quod tertio die necessario sit consummandus, sed breui mortem suam futuram declarat. Sic Luc. 13. ait, Oportet me hodie & cras, deinde tertio proficisci in Hierusalem. hoc est, breui & pauciss imo adhuc tempore, ac non multò post & certo suo ac definito tempore peragam meum ministerium, postea morte consumar & occidar. Sic numerantes sæpe dies consueuimus dicere, Ego dominico secundo & tertio die & secundo egressurus, sed solum duos dies illos enumeramus, ut manifestemus diem tertium: ita sanè & Dominus hoc loco, non quod tribus diebus uitam suam circunscribat, sed pluribus quidem diebus: uerumtamen non ualde longo tempore se mansurum significat. Theophilactus hæc in Luc. 13.

¶ *Hœdus, agnus*, Christus Mat. 25. Agnos iustos, hœdos uero iniustos appellat. Et statuet, inquit, oues quidem à dextris, hœdos autem à sinistris.

Hœdus caprarum. Samuel. 21. Et hœdum caprarum unum. Quod dixit Caprarum, non discriminis gratia, sed ut paruum significaret, additũ est, ac si diceret: Paruum enim opus erat capra matre, sic appellatur hircus caprarum, qui paruus est. Dan. 8. Et hircus caprarum magnificant.

¶ *Holocaustum*, pro magnifica oblatione, quam rebus integris ac saluis offert Noah pro gratiarum actione. Gen. 8. Ædificauit Noah coram Domino, & obtulit holocausta super aram. Item Holocaustum, diuinæ literæ peccatũ appellitant, propterea quod pro peccatis sit oblatum.

¶ *Homo*, Adam Hebraice quum in sacra scriptura inuenitur, pro utroq; sexu usurpatur. Rom. 7. Quòd lex dominetur homini. Nam quum de utroq; sexu agat, non uiro dixit aut mulier. Illud tamen haud prætereundum, quod plerunq; in bonam partem accipitur numero singulari, ut in omnibus Prophetis patere licet. Licet quoq; Homo, uox crebro in scriptura, in malam reperiatur partem pro uano, prauo, ac plane maligno homine. Apocal. 13. & Rom. 3. Iuxta hominem. id est, more impiorum hominum hæc obieci. Vel addit, Humano more. Quasi dicat, Hæc dico, ut solent homines impij loqui. Et in plurali numero in contrarium legitur. Scriptura enim sacra omnes carnalium sectatores humanitatis nomine notare solet. 1. Corin. 3. & 1 Corin. 2. ca. Pro diabolo, Mat. 15. cap. Inimicus autem homo, &c. Homo est carnalium uita. 1. Corin. 3. Nonne estis homines. Alij autem rationabiles quoq; & scripturarum eruditos, scientia hominis intelligi uolunt. Psal. 35. Homines & iumenta saluos facias domine, &c.

Homo & homo, uel uir & uir. Leuit. 17. cap. Ista repetitio quemlibet hominem uidetur significare: hoc est, ille aut ille. Vir & uir, pro unusquisq;. Quemadmodum Ezech. 14. Homo & homo de domo Israel. hoc est, quicunq; ex Israelitis quisquis randem fuerit. Et Psal. 87. Homo & homo natus est in ea. Germanice, Man und man. Homo est carnalis uel spiritualis. Hebræus ait, Homo est caro uel spiritus. Donandum est enim hoc, sunt & multa alia linguę sanctæ, quæ per epitasin hominem uocat carnem, quasi ipsam carnalitatem, quod nihil aliud sapiat, quàm ea quæ carnis & terræ sunt. Ioan. 3. 1. Cor. 2. & spiritum, quod nihil nisi ea quæ spiritus sunt, sapiat, quærat, agat, & ferat. Homo

Homo, pro quispiam. Leuit. 1. Homo qui obtulerit. pro, quum quispiam priuatus offerre uolet.

Homo dei, id est, uir propheta, spiritu propherico præditus. Deut. 33.

Homo non est qui, pro Nullus est qui. Gene. 2. Homines uirtutis. Gen. 47. id est, robustos. Homines pecoris. Gen. 47. pro pastoribus.

In Homine sanguinem humanum fundere. Gen. 9. id est, In conspectu omnium & publice. Aut, in homine. pro, Si adfuerint testes, testificantibus hominibus. ita Chaldæus paraphrastes, ac tum singulare pro plurali sumetur, more Hebraico.

Hominis uia, in scripturis est quicquid agit, quicquid conuersatur, uiuit, & omnia quibus per studium hæret, siue bona, siue mala sint, ut Psal. 1. Et in uia peccatorum non stetit. Et ilico, Nouit uiam iustorum, & iter impiorum peribit. Ecce uiæ nomen ad utrunque appositum.

¶ *Homo duplex est, uetus & nouus*, seu carnalis & spiritualis. Vetus homo, est homo non perfusus spiritu sancto, sed natura citra spiritum sanctum, qui dicitur Exterior, qui homo corpore & sensibus constat, quatenus dicatur adfectibus atq; mortalis est. Dicitur quoq; caro & corpus peccati. id est, corpus peccato obnoxiū uel animalis, terrenus.

Homo nouus est, quatenus homo imbutus est gratia spiritus sancti. Vnde & noua creatura, atque spiritus seu spiritualis & interior homo: hoc est, regeneratus opera sancti spiritus, audiens uerba Domini, & omnia sua dirigens ad dicta præscribentis spiritus sancti. Exterior ergo homo capi, diuexari, opprimi & interimi potest. Interior ipsa anima & Dei imago per fidem & gratiam in ipsis etiam adflictionibus repubescit, nec ullo pacto occidi potest. Proinde, idem Homo secundum naturam, est uetus homo, & quatenus inuitatur, & inducitur à spiritu sancto, est nouus homo. Colos. 3. Ephes. 3. Galat. ultimo cap. In Christo Iesu neq; circuncisio aliquid ualet, neque præputium, sed noua creatura.

Adhoc est Homo primus & secundus, Adam est primus, Christus alter. Primus terrenus, secundus cœlestis. De collatione Christi & Adæ legimus Rom. 5. 8. & 1. Cor. 15. Homo uetus dicitur uir primus, fomes inquam ad peccandum, legis cognitione exasperata & incitata. Vir planè turpis & qui turpissimos partus procreat, opera carnis, unde per illum dicitur fructificare morti. Vir autem secundus dicitur Christus. Ioan. 3. Qui habet sponsam, sponsus est. Mat. 9. Non possunt filij sponsi lugere. Hoseæ 2. Vocat me uir meus. 1. Corin 12. Adiunxi uos uni uiro. Ex illo uiro habemus nobilissimos fructus, nempe spiritus & iusticiæ.

Homo, in tres partes diuiditur, iuxta scripturam, quarum partium summa & nobilissima est spiritus, hoc est, uis diuina in homine: & quo spiritu comprehendit incomprehensibilia per naturam si Deus illic illuminauerit, aliud enim illic lumen non est, siue quo in meris est tenebris & ignorantia. Sunt autem hæc incomprehensibilia, quæ inuisibilia & æterna sunt. Atq; hic est domicilium fidei & habitaculum uerbi dei.

Anima, altera pars est per naturam quidem non separata à spiritu, sed per opus, quod est animare corpus & uegetare, hinc & uermen habet, & pro naturali uita accipitur. Hinc lumen est ratio, quæ non potest non errare, ubi spiritus fide non est illuminatus: est enim sapientia humana, & ut uocat Paulus, animalis homo, qui non percipit ea quæ sunt Dei.

Tertia est Corpus, pro instrumento utriusq; accipitur, cum suis membris, de cuius sanctificatione Paulus 1 Thessal. 5. disserit.

¶ *Hominis appellationes*, homo dicitur Caro, quia natus est de muliere, & est similis naturæ substantia, nec in eo quicquam est. Homo, nomen est contumeliæ & humilitatis, quod omnis homo mendacium sit & uanitas. Sic Paulus tamen uerecunde & mode ste humanam uanitatem depingit, consueuit dicere, Secundum hominem dico. ad Romān. 3. Et secundum hominem ambulatis. & 1. Corin. 5. adeò scilicet apud Deum nihil pendit homo, ut modestissime quidem, sed tamen significātissime & apertissime tangat humanæ naturæ miseriam, quoties nos hominis uocabulo scriptura censet. Psal. 9. Sic Pilatus ad Christum dicit, Ecce homo, uidelicet per contemptum & contumeliam quandam. Enos dicitur homo, ab adflictione & obliuiscentia & dolore, mœrore dictus quòd homo iuxta animam suam oblitus sit Dei sui peccatum.

Filius Adam, hoc est, Enos, miser, mœstus, pauidus, desperatus & planè inconsola-

bilis.Psal.8.Quid est Enos,uel filius Adam,quontã memor es eius. Filius hominis uel hominum,signat uilissimum in homine.Nam nihil uilius dici potest,quàm quòd sit filius hominis.Hinc enim titulus communis est,quantumlibet omnium nouissimus & uilissimus:cum non sit nisi despectus ab omnibus,nec in eo quicquam appareat,nisi quod est natus de muliere,similis naturæ substantia.sic & Christus uocatur Filius hominis.Hominem sese ubiq; appellat,idq; secundum dialectum linguæ patriæ.Significat se esse uerum & nobis consubstantialem,è homine natum hominem uerum,secundum carnem.Exprimitq; hoc Hebraismo miseriam humanæ naturæ,qua cum participet nobiscum,necesse ut omnes miserias humanas,peccato excepto,communes habeat nobiscum.Ad hæc homo dicitur Puluis & terra.Gen.1.Cinis,pollutus anima,id est,pol luto corpore,apud Hagg.2.Colles,montes,fœnum,caro,flos,caro & sanguis,uanitas, corpus peccati,&c.

Ab hominibus esse,in scriptura dicitur,quòd ab hominibus inuentum & cogitatum est,ut Mat.21.Baptismus Ioannis unde erat,è cœlo,an ex hominibus?id est,doctrina Ioannis excogitata,ab hominibus,an è cœlo missa.Sic Acto.6.Si est ex hominibus, consilium hoc potest dissolui,&c.

Per hominem uerò est,quod licet à Deo sit,tamen medio homine,ut quando discipuli apostolorum ab ipsis apostolis mittebantur.Paulus igitur illud ad Galatas 1.de se, contra doctrinas humanas,& contra illos qui mentiuntur se Apostolos,& non missi sunt à deo,uel ab illis quibus deus commisit.

Ab homine usq; ad pecus,Hebræi utuntur hoc schemate bifariàm.Primum,ut excludat,id est,nec homo,nec pecus.Secundo,ut includat tam hominem quàm pecus,loca eomplura reperiuntur in Biblijs,ut in Exodo,&c.

Secundum hominem,Gal.1.pro eo dixit Paulus,quod est humanum,siue ab homine profectum.

Secundum hominem dico.Formula loquendi est Paulo familiaris.Rom.6.Humanum quiddam dico.id est,rudius & explanatius uobiscum loquar,nonnihil humani & pristinæ uitæ intermiscens,ut uel ex anteactis & carnali seruitute spiritualem clarius intelligatis.& 1 Cor.15.Gal.3.Secundum hominem dico.Id autem pollet:ut negocium hoc magis intelligatis fratres,adducam humanum exemplum.

¶ *Homicidæ* uocabulo ueniunt inuidi,auari,immisericordes,Sunt item Homicidæ qui se saluis,omnia etiam humana pessum iri uelint.Itaq; deus sicut inopiam fidei,sortationem,ita penuriam charitatis homicidium uocat,grauius accusans iniuriam fratribus quàm sibi factam.Esa.1.Et nunc homicidæ,Christus quoq; diabolum,homicidam ab initio uocat.Ioan.8.& 1 Ioan.3.Qui odit fratrem suum,homicida est.Item Esaiæ 59. Hinc est,quod synceriores theologi per sanguinem uolunt intelligi omnem rumorem & inuidiam,ut Homicidæ & sanguinarij sunt,quiq; iracundi & inuidi.Mat.5. Qui irascitur fratri suo,reus erit iudicij.Sic & Dauid uir sanguinarius ab ædificando Dei templo prohibitus fuit.

¶ *Honoris* uocabulum latissime patet,Hadar Hebraice,Honor latine sonat.Et mirum est quàm uarie & inconstanter hoc nomen Hadar,positum sit, nunc pro decore, nunc pro honore,nunc pro magnificentia,nunc pro pulchritudine,nunc pro splendore,nunc pro dignitate.Psal.103.Confessionem & decorem induisti.Psal.104.Confessio & pulchritudo.Quæ duo Psal.44.sic redduntur, Specie tua & pulchritudine tua.Psal. 144.Magnificentia gloriæ sanctitatis tuæ.Psal.109.In splendoribus sanctorum. Prou. 14.In multitudine populi dignitas regis.Hæc omnia loca habent idem nomen Hadar, quæ ab eodem uerbo ueniunt Hadar,quod autore Ioanne Capnione significat,decorauit,honorauit,glorificauit.

Honoris & Gloriæ nomine,intelligit Diuus Paulus,quicquid honestum,uerum,iustum,celebre,iucundum & parum est.Roma.2.Sic Germani loquuntur,Er lebt loblich und herlich.

Honor,sæpe iuxta phrasim Hebraici sermonis significat subsidium & beneficia,seu benefacta collata erga aliquem.Sic autem diuus Paulus scribit in prima epistola ad Timotheum,capite 5. Viduas honora .id est,eas bonis prouide,quas omni auxilio destitutas uides.Et eodem capite ait,Duplici uerò honore digni sunt presbyteri.uidelicet,ut ex Ecclesiæ bonis,eis prouideatur, de necessarijs. Sic Matthæi decimo capite, Honorem

rem habe, hoc est, non solum uerbis aut gestu, sed rebus ipsis. Nam præcipit enim deus id quod gentilium quoq; legibus cautum est, ut liberi parentibus uel ætate defectis, uel inopia laborantibus, uel alioquin afflictis, opitulentur, & ut Græci loquūtur ἀντιπελαργεῖν. Quin & apud Latinos, Honor pro præmio gratiaq; usurpatur, quod pro merito refertur. Et apud Græcos τιμὴ à τίνω est deductum, quod quoties in bonam accipitur partem, significat dependo, siue persoluo. Rom. 13. cap. Honore inuicē præuenientes. Non uulgarem istum honorē decedere pro uia, aut aperire caput, flectere genua intelligit, quemadmodum non in uno loco D. Hieron. annotauit. Siquidem in alijs Eleemosyna dicitur: cæterum in ijs, quos ætas aut dignitas, aut alioqui meritum uenerandos reddit, adpellatur præstitum officium. Et Latini munus honorarium uocant.

Honorandi, in summa uerbo intelligitur scriptura, uidelicet externus & ciuilis honor, quo parentes afficere debemus. Deinde intelligitur & Honor beneficiorum, uidelicet, quod debeamus parentes nostra ope indigentes alere, & id genus alia beneficia præstare. Postremo intelligitur, non tantum externa officia, sed etiam honor mentis, hoc est, honorifica opinio in mente & beneuolentia intelligitur: nimirum quod debeamus de parentibus, magistratu, præceptoribus optimè sentire, & salutem eorum Domino Deo nostro commendare. Nam hæc præcipuè significat uocabulum Honoris.

Honor quoq; pro pietate & religione, ut Col. 2. Non per honorem aliquem ad expletionem carnis. Hic ponitur τιμὴ, pro abstinentia à coitu. 1. Petri 2. capite, interpretatur Diuus Hieronymus, non ut flectantur illis genua, & gemmis auroq; onerentur, sed abstinentiam à coitu: sic enim Honorem haberi uasculo muliebri, si non inquinetur libidine. Idq; indicat quod sequitur, ut non interrumpantur orationes siue precationes uestræ.

Honorare denique aliquem, est aliquem glorificare, cumulare maximis opibus, ut Numer. 22. cap. Ne quæso prohibeas te ne uenias ad me. Honorando enim honorabo te ualde, & omnia quæ dixeris mihi faciam, ueni igitur in gratiā mei, maledic, ait Balac ad Balaam. id est, ne causeris quippiam quo minus uenias ad me: nam cumulabo te maximis muneribus, dabo tibi amplissimas opes.

Honorabilis sit anima mea coram te, tertij Regum 1. capite. pro quo noster Interpres ponit, Noli despicere animam meam, &c. Honoratior tibi uidear quàm cui, quod peto, deneges.

Honor postremo membrorum dicitur apud Paulum 1. Corinth. 12. capite, tectorium, quod uerendis circunducimus, aut quod absque honoris præfatione ea nunquā nominamus.

¶ Horæ dictio nonnunquam pro tempore ipso ponitur. Sic in Romanorum 13. capite, Hora est iam nos de somno surgere: respicit enim hoc: Ecce nunc tempus acceptabile. Sic sæpe in sacris, & Ioannis 5. capite. Quia, inquit, uenit hora. & alibi certum et determinatum tempus exprimit Horæ nomen. Item, pro anno, ad Philemonem usurpat. Nam propterea forsitan secessit ad horam. Scholia Græca πρὸς ὥραν ἔτος λέγει. Pro ultima quoque ætate seculi uel nouissimis diebus. 1. Ioannis secundo capite. Filioli, nouissima hora, id est, postremum seculum & nouissimū tempus, est tempus illud totum à Christo usque ad finem mundi, iuxta illud Apostoli 1. Corinth. 10. capite. In quos fines seculorum deuenerunt. Nam omne tempus ab aduentu Christi primo usque ad secundum, nouissima Hora, & undecima, qua quidem in uineā, &c. Vnde & plenitudo temporis, & apud propheras, tempus regni Christi, per nouissimos dies signatur, Esaiæ 2. cap. & Micheæ 4. cap. Dicitur & Tempus contractum. 1. Corinth. 7. & 1. Corinth. 1. Expectantes reuelationem Domini.

Hora, apud Ioannem 13. posuit pro fatali hora, pro ipso passionis tempore. Sciens Iesus, inquit, quod uenisset hora. Et ad Galatas 2. Quibus ne ad tempus seu horam quidem cessamus, prouerbiali dixit figura. Significauit enim paruum momētum, & quod nihil illis cesserit, uidelicet subijciendo uel obediendo.

¶ Hosciana seu Hosanna, quod interpretatur, Saluifica quæso, siue salutem præsta filio Dauid, ut is nos quoque asserat & agamus prosperè, Matthæi uigesimoprimo capite, Saluifica nos obsecro, ò Domine, bene prosperare. Et uerbum est quo acclamatur regibus, seu acclamatio regibus iam inauguratis facta. Videtur enim illa uulgaris adeoq;

& peculiaris fuisse eius gentis acclamatio: quemadmodum apud Romanos, Io triumphe: & apud nos, Viuat rex. Certe Salomoni acclamatum legimus 3. Reg 1. Amplificet deus nomen Salomonis, & magnificet thronum eius super thronum Dauidis. Sic solemus bene precari & optare prosperum successum ineuntibus magistratum aliquem. Vox ergo est fausta precantium acclamatio. Eodem modo populus fiat animatus ergà Christum. Matth. 21 cap. putabat auspicaturum iam corporale regnum, ideo bene eis ominabantur & precabantur salutem. Nam Hosanna significat obsecro, da salutem, salua Deus, aut fortuna huic omnia. Acclamatio illa Hosanna filio Dauid, ex Psalmo 117. sumpta fuit.

¶ *Hostiarum* appellatione intelligebant ueteres eleemosynas, quas ceu preces reales in usum pauperum adferebant: ut Oratio hæc argumento esse potest, quâ Dominicæ secundæ Aduentus deputarunt: Placare quæsumus Domine, humilitatis nostræ precibus & hostijs: et ubi nulla suppetunt suffragia meritorum, nobis succurre præsidijs pro dominum nostrum Iesum Christum, &c. Diuus Paulus uas electionis, Rom. 12. capite usus est hoc Tropo, uocat Hostiam, sanctam, uel uiuentem, quasi ab usibus prophanis destinatam ad usus Dei. sicut pecoris ante quàm hostia fiebat, erat prophani usus. Cum sit hostia sanctum quiddam, sit & segregatum à communi usu. Sic & homo ante quàm sanctus esset, erat obnoxius prophanis usibus, hoc est cupiditatibus. Nunc cum sanctus est, non debet seruire nisi domino usui.

¶ *Humanus dies*, pro iudicio humano. 1. Corinth. 4. Aut ab humano die, id est, humana æstimatione. Item in eadem epistola cap. 5. In die domini Iesu. Consueuit enim scriptura hominis diem rei altitudinem quandam & excellentiam appellare, Hiere. 17. Et diem hominis non cupiui iuxta suprà in nomine Dies, fusius dictum est.

¶ *Humerum aperire*, est aditum facere uel firmissima & minutissima loca, ut hostibus pateant: habent enim arces & propugnacula speciem humerorum, Ezech. 25. Idcirco ecce ego aperio humerum Moab.

Inter Humeros deniq; pro, in medio sumitur, Deut. 33. Nam quod est inter humeros, est in medio. Et inter Humeros illius requiescet, inquit Moses.

¶ *Humiliare*, Hebræis est interdum idem quod deuirginare, comprimere, uim inferre, Genesis 34. cap. De Dina filia Iacob patriarchæ. Et uidit eam Sichem Hamor Heuæus princeps regionis, & accepit eam, id est, rapuit & dormiuit cum ea, & humiliauit eam, hoc est, uirgineam zonam & uirginalem pudorem soluit. Hinc quoq; Humiliare mulierem, est uim inferre, & per uim rem habere cum aliqua. Deut. 21. cap. Humiliasti eam. Hinc & omnis coitus uiolentus, uocatur oppressio seu Humiliatio. sic honesto uocabulo nuntiant Hebræi, cum stuprum oblatum puellæ, aut uenerem significare uolunt, uti solent uerbo Humiliandi. Hiere. 3. Threnorum.

Humiliare deinde pro euellere & ruinam pati. Humiliatio pro euulsione, Daniel. 7. capite, Et tres reges humiliabit. Sic Iudicum 19. cap. usurpatur pro adfligere uel constuprare.

Humiles in sacris literis dicuntur, qui erubescunt obloqui, & detrahere et secretare, uelare, Matth. 5. cap. Lucæ 1. cap. pro modestia sumitur, Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Hinc Humilitas non significat obscuritatem & abiectionem, sed uirtutem mentis. Sic Gen. 29. Vocauit nomen eius Ruben, dicens: Vidit dominus humilitatē meam. Hac humilitate uirgo Maria prædita fuit: unde et Lucę 1. Deum respexisse humilitatem ancillæ suæ, &c.

Humiliare porrò scripturæ usu (ut & suprà quoq; nonnihil attigimus) est abiicere, deprimere, in̓q; nihilum redigere, quomodo et mulieris humiliatio ad libellum repudij pertinet, Deut. 21. Quare & Christiani in plerisq; locis pauperes, adflictī humiles uocantur, Arme, nichtige, uerachte, und uerschmechte leutlin, oder das geringe und schlechte uolck. Psal. 115. Humiliatus sum nimis.

Humilitas ergo nihil aliud est, quàm cõtempta, nullius respectus, depressa, abiectaq; res uel conditio, quod genus sunt inopes, languidi, esurientes, sitientes, carceribus mancipati, tribulationibus obnoxij, morientes̓q; homines, qualis & Iob erat in sua adflictione, Dauid in sua propulsatione & eiectione è regno, & Christus cum uniuersō Christianorum cœtu in suis angustijs. Vide Basilium Magnum in hunc uersum Psal. 33. Prope est dominus ijs qui tribulato sunt corde.

Sic enim Humilitas manifestè Psal.9.Miserere mei domine,uide humilitatem meam de inimicis meis.uilitatem,oppressionem, laborem significat,quod & frequenter pro pauperibus,ut dictum est,in scripturis accipitur.

Humilitatem etiam uocamus uulgo quam Paulus τὴν ταπεινοφροσυνὴν,Latini adfectum uilitatis,aut sensum humilium rerum appellant,hoc est,uoluntatem et animum exigua et spreta,Germanicè,Zu geringen dingen vnd niderigen standt lieb vnd lust haben,grosser hoher ding nit achten noch begeren.Nihilominus ueri humiles non declinant lumina ad ea quæ humilitatem consequuntur,cæterum simplici corde ad deflexa respiciunt,imò uera humiliatio se nunquam humilem esse uocat. Econtra simulata humilitas nunquam nouit se superbum esse,&c.

Humiliter denique ambulare coram Deo,est ferre uoluntatem dei æquo animo,non indignari,non auerti à deo ad humana & illicita præsidia,sed agnoscere pœnam peccatorum,ut Micheæ sexto,Et ut humiliter ambules coram deo tuo.Hoc non solum eò pertinet,ne simus arrogantes,superbi,præsumptuosi,sed ut in cruce simus patientes sicut D.Petrus dicit:Humiliamini sub potenti manu Dei,&c.Sic Humiliatio Christi aliud non est quàm incarnatio & mors in carne perpessa.Philip.2.Humiliauit autem semetipsum.

Humiliter de se sentire,de quo Christus,Lucæ 9 cap.loquitur,nihil aliud est,quàm in se descendere,ad se redire.

¶ *Hypocrisis* proprie illa pronunciatio est,quam actores in fabulis ad imitationẽ eorum,quorum personam gerunt,exprimunt,actio item quam per simulationem mentiuntur.Par metaphoram autem transferuntur hæc ad quosuis simulatores,qui quod non sunt,uideri tamen et esse uolunt,ad quamuis denique simulationem inanem,qua uidelicet foris pulchrè omnia congruunt,in corde uerò nihil minus inuenias quàm quod simulatur foris.Cœpit ergo Hypocrisis usurpari à scriptoribus ecclesiasticis,pro ficta & simulata sanctimonia,ac Lucæ 12.doctrina Pharisæorum uocatur Hypocrisis. Et Hypocrita dici non uerè sanctus,sed speciem ueri habens:nempe cum quis externo habitu & corporis gestu sanctimoniam simulat,cum interim in animo sit impuritas,& nihil minus curet quàm sanctimoniam,ut Matthæi 6.& Esaiæ 29.cap.hypocritas suis coloribus depinxerunt.Nam Græcis Hypocritæ dicti,quod simulatores sint, qui ficta persona fabula agant apud populum,ueluti Aiacis,Hectoris,siue alterius heroïs alicuius.Simulant se habitu,sermone & moribus tales esse quales imitãtur,& quorum personam gerunt,cum re uera tales non sint.sic illi,&c.

Hypocritam uocat Christus Lucæ 13.cap.archisynagogum,uehementi et graui conuitio.Nam uocare aliquem Hypocritam apud Iudæos,nõ fuit minus quàm apud nos aliquem mendacem diceres,& certe in re idem est esse hypocritã & mendacẽ.Nam Hypocrita quid aliud est,quàm quod aliud corde gerat,aliud loquatur ore & specie præferat.Quid uerò hoc aliud est quam mentiri?

¶ *Hyssopi* nomine,fides intelligitur,qua corda purificantur Christianorum, Actorum 15.cap.& qua deus sibi ecclesiam suam dispensat,Hoseæ 2 cap.Hinc Psalmo 50.Asperges me domine Hyssopo,& mundabor.id est,infunde mihi ueram fidem,qua cor purificetur,Hebr.9.cap.

Hyssopo Euangelion significari,Psalmo 80. clare testatur.Nam sanguis Christi illo aspergitur cordibus electorum.Sic Isychius lib.4.in Leuit.14.diffinit.Hyssopus boni odoris,gratia spiritus cooperatrix emundationis nostræ est,unde Dauid Psal.51. Asperges me.Hæc ille.

I

ACERE *seu quiescere* Deus dicitur, dum sinit malos pro eorum libidine ferri. Psal. 3. Surge Domine, id est, profer, declara contra hostem in meam salutem, tuam potentiam.

¶ *Iacob*, Psal. 13. Exultabit Iacob, lætabit Israel. hoc loci, Iacob pro Iudæorum antiquo populo accipitur. Quamuis eius nomen more scripturarum plerisq; in locis pro nouo populo accipiatur.

Iacob item & Israel, pro decem tribubus accipitur, Micheæ 1. cap. Item, Iacob & Ioseph domus, capitur apud Zachariam cap. 10. pro omnibus tribubus. Ex tribu Iuda & Ioseph, hoc est omnibus Tribubus pariter saluabuntur.

¶ *Iaculi* uocabulo, concupiscentia & tentatio uenit. Ephe. 6. cap. in quo positis omnia iacula mala ignita extinguere. Idem sapere sic accipitur, ut unusquisq; alteri suum iudicium suam sententiam cedat, et probari sinat quod probatur alteri: sententia namq; diuersa animi fons est omnium schismatum, sectarum, discordiarum atq; hæresis. Hoc est unicuiq; sua sententia placet, quæ causa est ut fatuis & stultis plenus sit orbis. Sic D. Paulus inquit: Det uobis idem sapere apud nos inuicem, Rom. 15. cap. Hoc namq; loco conatur Paulus propriam cuiusuis sententiã tollere, qua nihil utiq; cum intolerabilius, tum innocentius esse potest Ecclesiæ & fidei Christi. Et alibi dicit: Nolite altum sapere, id est, ne superbi, ne tibi placeas, ne efferaris animo: siquidem hic Sapere uocat affici animo, Rom. 11. cap.

¶ *Idem sentire*, est idem sapere, eodem animo præditum esse, eundem sensum habere, ut quilibet, id de suo opere sentiat, quod de alterius. 1. Petri 3. Sitis omnes eodẽ animo præditi.

¶ *Idolum seu simulachrum*, continet omnem externum cultum, & omne id complectitur quod ad idolorum cultum pertinet: ergo cum idola prohibemur, simul prohibetur omnis cultus dei externus & peregrinus. Nam ubi idolum est, ibi basim ei oportet statuere, sedem collocare, aram extruere, templũ ædificare. Hæc protinus custodes, curatores, ministros seu sacerdotes requirunt, hostias & oblationes, anathemata, ornamẽta, serias & sumptus atq; labores nunquã exantlandos et finiendos. Eo nomine propheta appellarunt simulachra labores & dolores. Nam semel receptis idolis, nullus est neq; finis neq; modus sumptuũ atq; laborum. Ideo Idolum est quicquid deo prætuleris uel æquaueris, uel in quo spem collocaueris, Esa. 17. Ad altaria opus manuũ hominũ in scriptura dicuntur. Idolorum cultus & adulteriũ, fornicatio, auaritia. Esa. 14. 57. Concalefactũ in quercubus, sub omni ligno frondoso, immolantes pueros in torrentibus.

Idoli uocabulum, interdum non pro imagine sculpta uel materiali, sed pro deo usurpauisse, in cuius honorem & cultum idolum expositũ prostat. ut 1. Cor. 8. Scimus quod idolũ in mundo nihil est. Idolũ enim pro deo non quisquã agnoscit. Sensum hunc Paulli esse, sequentia indicãt. Et quod nullus sit deus, nisi unus, Atqui eos in primis oppugnat Apostolus, qui in idolothytorũ conuiuijs accumbebãt, illorũ esse dicens, ne huiusmodi esu simplicioribus ac infirmis quibusdam offendiculo sint, etiam si Deo illos falso nihil esse intelligant, quod ipsum se non ignorare illi gloriabantur.

Idololatria, est formam fingere, nõ secundum uerbum eius, non secundum carnale iudicium, & ponere fiduciam in aliud, in tua opera, in tuum cultum dei, quod est aliud quærere maritum, & fornicari à deo, quemadmodum loquitur scriptura.

¶ *Idolorum* nomina sunt, Infidelitas, Abominatio, Stercora. 3. Reg. 21. Hiere. 32. 4. Reg. 23. cap. Mendacium, Auaritia, Fornicatio, Adulterium, Baal, Inutile, Baalphagor, Quercus, Truncus ligni, Lignum frondosum, Stercus fœtidum, Cadauer, Miseria, Dolor, Immundicia, Vanitas, Pascentia cinerem, & uentum. Mendacium in dextera habent, id est, Idolum. Ephraim dicitur pascere uentum, amaritudines, sordes, turpitudo, tilia, Beelzebub, Bel, horrus. Scriptura solet nominibus tetris appellare idola. Idola ergo colere, est pascere cinerem & uentum, &c. ut suo loco dicemus.

¶ *Idumæa*, pro incontinente & obscœno. Malac. 1. Quòd si dixerit Idumæa, deprauati sumus. Esau enim luxuriosæ uitæ fuit, qui & prius Ædom dictus est.

¶ *Iecur*, concupiscentiarum siue delectationum sedem esse, adfirmant medici omnes. Hinc pro concupiscentia accipitur.

Etymudi

Effundi Iecur, symbolicum sermonem siue adagium apud Iudaicam gentem fuisse, testatur prophęta Hierem. Thren. 2. Iecur enim fons est sanguinis: ex sanguine uita & animus cōstat. Effundi ergo Iecur dixit Hieremias, pro exanimari. Effundebatur terræ, inquit, Iecur meum.

¶ Ieiunij nomine, abstinentia ab omni scelere, & castigationes quoq; reliquæ corporis accipiuntur. Expende enim & examina græcam dictionem. νηστεύειν enim non solum Ieiunare significat, sed ab omni illicita re abstinere, & in omnibus modū seruare. Hinc Ieiunij uocem aliæ quoq; disciplinæ castigationesq; corporis, utpote de uestibus, peregrinationibus, duritia cubilium, & id genus corporales exercitationes, apud Esaiam intelliguntur. Ergo per Ieiunium omnino omnis corporis castigatio, & uelut moderatio nobis commendatur. Ita Diuus Paulus describit, Castigo corpus meum, atque ita in seruitutem redigo, ne aliis prædicans ipse euadam reprobus. Enimuero Ieiunandum est, uigilandum est, laborandum est, uiles uestes gestandæ sunt, ac cætera omnia quæ modestia frugalitas exigit. Sed cum corporis ratio postulauerit, non certis diebus aut locis, sed quocunq; tempore & loco utile fuerit.

Ieiunium sanctificare, est ad pœnitētiam uocare, Ioelis 1. cap. Sanctificate Ieiunium, uocate cœtum. Ergo Ieiunare, in summa, est corpus in obedientiam fidei subijcere, & quasi in ordinem cogere, & carnem per abstinentiam & continentiam castigare ac domare, ne spiritui reclamet. Ieiunium uerò omnes abdicare delicias, & luctum quendam ac iustam corporis castigationem atq; adflictionem susci pere.

¶ Ignis appellatione sæpius tētationes, exacta exploratio, persequutiones, aduersitates, seditiones, crux, adflictiones, exercitationes uenit. Esa. 50. Ambulate in lumine ignis uestri, hoc est, instructi estis omni genere persecutionum, sed absumat uos ignis uester. Num. 22. Marci 9. Vnusquisq; enim igne salietur, id est, exercitatione, correctione, Psal. 16. Igne me examinasti, hoc est passione mortis & peccatorum periculis, Psal. 65. Transiimus per ignem & aquam, id est, per uaria discrimina uidelicet crucem. Hinc & Moses Ægyptiacam seruitutem, fornacem ferream uocat. Sic & D. Paulus ignem nominat probationem auri, argenti, 1. Corinth. 3. & 1. Petri 1. & 4. feruorem dicit, in quo non sit peregrinandum. Vnde est, quod ignis deuorans apud Esaiam 33. nō solum exercitum Assyriorum significat, sed & nostras aduersitates, quæ propter Christum & Euangeliū eius à diabolo & mundo ferendæ sunt. Ignis enim deuorans est, & quasi sempiternum iudiciū, ab omnibus contemni, irrideri, conspui, adfligi, spoliari, occidi, &c. Nec minus adfligitur mens nostra, quoties cogat suam infelicitatem, & se confusam coram Deo. Verè enim sempiterni foci uidentur, ut satis constat ex dictis paulò antè. Et Hierem. 8. cap. Et factum est quasi ignis ardens & æstuans.

Ignis & gladius significant horribile & durum supplicium, quo afficiet incredulos & fidelium persequutores, Esa. 66. cap. Item igne & sulphure denotantur cruciatus grauissimi quiq;, Apocalyp. 14. Et cruciabitur igne & sulphure.

Ignis deinde Dei, est subita calamitas. 4. Regum 2. capite. Nam hoc rarum non est scripturæ, Ignem pro ira Dei & plaga seu iudicio accipi, testantur plures loci sacrorum Bibliorum, Dauidis maximè, ut Psalmo 88. Vsque quò Domine exardescet sicut ignis ira tua? Et Psalmo 82. Sicut ignis cōburit syluam, ita persequeris illos in tempestate tua, & in ira tua turbabis eos. Sic & Carbones ignis aliquando magnam iram dei exprimūt, ut Psal. 17. ut suprà audiuimus in nomine Carbones. Et ad Hebrēos 10. cap. uocat Ignis uehementiam, iudiciū, qui deuoraturus est aduersarios & impios. Psal. 10. & 96. Lucæ 3. Hinc iudicij symbolum est Ignis.

Ignis carbones pro fulgetris ac fulminibus. Psal. 18. Præ fulgore in conspectu eius nubes transierunt, grando, & carbones ignis.

Ignis quoq; symbolū est purgationis & amoris. Nam in lege, Numer. dicitur, Omnem rem quæ uenit per ignem, traducetis per ignē, & purgabitur. Ignem usurpari pro amore, tritissimum est in sacris & prophanis literis, Matth. 3. Baptizari igne.

Igni dictione quandoq; uerbum diuinum uenit, nimirum qui in aliis ardorem salutis, in nōnullis uerò incendium æternæ condemnationis excitat, Hiere. 5. & 23. Verba mea quasi ignis. Et Lucæ 12. Ignem ueni missurus in terra. Igni, hic adumbratur uerbū dei, propter puritatē: & quod purgat, impura absumit, et calore spiritꝰ sancti gelida tor pidáq; membra calefacit & fouet, quo uegeta sint ad perferēda bona opera. Et ut ignis

consumit.

consumit leuia, stipulas, lignum & similia, ita uerbum Dei dissipat omnem carnis leuitatem.

Per Ignem (ait Theophylactus) prædicatio intelligitur. Sermo enim ignis est, qui consumit omnem materialem & imperfectam cogitationē, & simulachra abolet cuicunq; fuerint materiæ. Hæc ille.

Ignis pro zelo, Actorum. 2 cap. qui spiritus sanctus in linguis igneis Apostolis inf dit. Vide D. August. lib. 6. Quæst. super Iosue. Item, pro spiritu sancto & charitate siue uerbo, ut supra auditum est Lucæ 12 cap. Pro malicia mentis, Hebræorū. 10 cap. Et nunc ignis aduersarios consumit, Ioannes per uocabulum Ignis exprimit feruorem & rectitudinem gratiæ, nec non & peccatorum consumptionem.

Igne absumptos dicit interdum scriptura, quum omnimodā quorundā delectionem significare uult, ut quæ igni exuruntur, prorsus abolentur. Aut atrocitatem pœnę, ut de Ammonitis sumpsit, quo in calcis fornace concremauit. Similiter Sodomorum euersio pro qualibet diriore sæuioreq; dei ultione ponitur. Hanc ultionem minatus est Esaiæ cap. Babyloniis. Hiere. 49. Idumæis, Amos. 4. cap. Israelitis, Sophoniæ 2. Moabitis.

Ignis præterea generaliter omnem calamitatem significat, Amos 2. Mutam ignem in domum Asahel, Hiere. 19. Ignis succensus est in furore meo, & super uos ardebit. Et diuini iudicij increpatio eius quouis fulmine intolerabilior. Dicit enim Ite in ignem æternum, &c. Item, Ignis pro seditione, Numer. 21 cap. Quoniam ignis, &c. quia per seditionem multa absumuntur, ut per ignem.

Ignis alienus seu peregrinus, Numer. 3. Id est, qui cœlitus missus non fuerat.

Ignis cōsumens Deus, Deut. 4. cap. Id est, perdet te, non aliter quàm magnus ignis, qui omnia uorat: est & zelotes Deus qui non patitur riualem, uult solus summe coli. Ignis domini, Numeri. 11. Id est, ignis à deo missus. Ignis succensus in ira, Deut. 32. cap. Irascar. Ignea lex, Deut. 33. quę data sint in fulgure cum signis mirabilibus ut ostēderet eam terrere homines, non aliter quàm ignis cœlestis.

¶ *Ignorare* pro delinquere, Psal. 118. Antequàm audirem ego ignorans. Septuaginta, deliqui.

¶ *Illusores* sunt, qui sub specie sanæ, doctrinæ uenenum erronei dogmatis propināt. Neq; enim pestilentia in corporibus tam contagiosa, quàm impietatis doctrina in mentibus. Sermo eorum, inquit Paulus, ut cancer serpit. Dauid in suis Psalmis dolos & dolosam linguam appellat, ut Psal. 5. Virum sanguinum & dolosum abominabitur, & dolosam linguam.

¶ *Illic, ibi*, non solum ad locum, uerum etiam ad opus & punitionem ponunt, Psal. 35. Ibi ceciderunt operantes iniquitatem, hoc est, tali punitione impij cadent.

¶ *Illuminare*, est erudire, regenerare, uiuificare, sanctificare, liberare, iustificare, Ioan. 1. cap. Erat lux, quæ illuminat omnem hominem. Illustrare faciem & parato uultu aspicere, Psal. Illustra faciem super nos, id est, illumina uel illustra. Quasi dicat, Sereno uultu aspice, Danielis 9. Psal. 30.

¶ *Imaginis* uocabulum multipliciter licet reperire in diuinis literis: interdum pro similitudine: interdum pro re inanimata, sicut alibi in scripturis: Vir non debet uelatum habere caput, imago & gloria Dei quum sit. Et Prophera: Veruntamen in imagine pertransit homo. Hæc Chrysostomus. Ne autem insolentius in huius uitæ miseria felicitatem nostram aut uires extollamus, placuit spiritui sancto, totum hoc unde nobis placemus, non res ipsas, sed rerum quendam imaginem appellare, Psalmo septuagesimosecundo, de impietatis miserando exitu loquens, uelut somnium surgentium. Domine, inquit, in ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges, Genesis primo capite, Ad imaginem Dei creauit eum. Imaginem dixit de principatu & dominio, non de aliquo, quia Deus fecit hominem principem omnium, quæ sunt super terram manus est homine, & omnia sub potestate eius sunt. Manifestum nobis facit, quo sensu nomē imaginis posuerit quum dicit: Et dominentur piscibus maris & uolatilibus cœli.

Imago, similitudo, sculptile, pro gloria, Numeri 13. Et non per ænigmata & similitudinem dei uidebit. Septuaginta, δόξαν, gloriam, Deut. 4. per has dictiones homines intelligit. Imago mortis, Hiere. 2. cap. In terram sitis & imaginē mortis. Septuaginta, ἀνύδρου, id est, infructuosam & sterilem.

Inter

¶ *Imber*, Psalmo 68. est uerbum dei & doctrina, Hoseæ 6. Hebr. 6 cap. Imber temporaneus siue matutinus siue serotinus, iuxta frequentissimum sermonem in Prophetis, significat uerbum dei salutare, quod germinare facit iusticiam & iudicium, Psal. 84. Dominus dabit benignitatem suam, & terra dabit fructum suum, Eccle. 39. Tanquam imbres mittet eloquia, Esa. 25. Hebr. 9. Econtra, quandoq; humana inuenta, uel carnis adfectus inuentionesq; designat, ut Cantic. 2. capite, Imber abiit & recessit, haud secus arma, desperatio quoque ac incredulitas. Alias significationes ex superiore uocabulo Aquæ, ipse colligere poteris. Hinc est etiam, quod idem ipsum dei uerbum & sacratissimũ Euangelium ipsa uidelicet lex spiritus et uitæ, nouum Testamentũ uocatur pluuia uoluntaria, Psal. 67. Id est, gratia ex Dei uoluntate, ideo quod uoluntarios, spontaneos & liberos reddat fideles ad perficienda mandata dei. Vnde & Psal. 109. nominantur Christiani populi, spontanei.

Imber, apud Matth. 7. flumina & uẽtus, significant uaria pericula, & multiplices tentationes, persequutiones, morbos, & si quid aliud est, quo uexantur homines & solicitantur ad defectionem.

¶ *Immisericordes* dicuntur, qui *φιλαυτίαι* cæcati, sua in omnibus & apud omnes quærunt, & nulla commiseratione tanguntur, adeò ut iuxta Prouerbium, Quisquis uel aliquid possideat, hostis iudicetur, tantum abest ut cuiusquam miseria tantillum permoueantur.

¶ *Impersonalibus* uerbis in actiua uoce utuntur Hebræi, ut Latini impersonalibus uerbis, in passiua uoce legitur, Exodi 10. Nec quicquam eius appareat. Hebræus legit, Et non poterit uidere terram, quod impersonaliter uertendum erat.

Impersonales orationes per uoces fœmininas efferunt. Quam quoq; mensuram deferit, reddetur ei. Sic in Esaia, Quam quæ mensuram miserit, &c. Indefiniti quoque dicuntur.

¶ *Imperatiuus* modus pro indicatiuo poni, in prophetis præcipuè rarum non est, ut Ioan. 5. capite. Scrutamini scripturas. Sicut est illud, Filij eius orphani, & diabolus stet à dextris eius. Ira non uidetur præceptum esse quod dicitur: Nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram, sed potius prophetia prædicentis Domini, quia futurum erat, ut Apostoli obliti gratiæ domini & legis eius, illa adsumerent. Hæc ille. Sic & Exodi 19. Hebræus, Videte quod malũ coram uobis: uidete, pro uidetis, dicit: quod & Græcis frequens est, at cum interrogatione quadam. Quasi dicat Pharao. In hoc uideo uos mali aliquid moliri. sed hac loquutione referta est scriptura sacra.

Imperatiuum pro futuro sæpiusculè reperire in sacris literis licet, ut Geneseos duodecimo capite, Eriscq; benedictus. Et esto benedictio. Eris benedictio. id est, si credideris mihi, omnes homines bene precabuntur tibi: præterea quum quis bene precabitur alteri post hac, precabitur euenire illi sicut tibi euenit, dicentq; Vtinam tibi faciat deus sicut fecit Abrahæ.

Imperatiuis pro futuris, & contrà futuris pro imperatiuis uti solent Hebræi promiscue, ut Esa. 3. cap. Canebitis, pro canetis uel canere soletis. Imperatiue dicuntur multa Hebræis, quæ per prædictionem debent intelligi. Vide suprà De futurorum & præteritorum permixtione.

Imperatiuo ad hæc pro subiunctiuo utuntur frequentius Hebræi quòd coniunctiuis aliisq; modis careant. 1. Cor. 6. cap.

¶ *Impellere* uerbum et impulsionis metaphora frequens est diuinæ scripturæ, et ideo probè consideranda atq; pertimescẽda. Nam quos deus impellit, necesse est decidere in Gehennam, omni spe resurgendi sublata. Hoc uerbo usus est Dauid Psal. 5. Impelle eos, &c. Præcipitatio enim est, qua in totum quos impellit, comminuuntur.

¶ *Impius*, *Pius*. Quod Apostolus ad Titum 2 cap. Græcè dixit, *τὴν ἀσεβείαν*, Hebraici dicunt Rescha, nos Impietatem solemus reddere, quanquam ne hoc neq; illud significationem huius exprimat. Rescha, is affectus dicitur, quum homo persequitur id quod sibi noxiæ affectum carnis placet, nec potest ulla sana ratione, nec Dei lege ab instituto reuocari, quo minus pertinaciter & præfractò pergat, uulgò Impietas dicitur, Prouerbiorum duodecimo capite, & alibi. Hinc Rescha enim proprie significat peccatum, quo Deum colere impij dedignantur, hoc est, Deo non credunt, non fidunt, non metuunt,

ei se non committunt, ipsius uoluntati & potestati nihil deferunt, id est, non agnoscu
deum. Vnde Rescha, Impius, id est, uanus, fidei ac dei expers dicitur, ut sit Impius qui
quis sine spiritu dei fuerit: nimirum ignorans Dei, & deum non requirens. Et omn
quicunque non sola Dei cum bonitate, tum gratia fidunt, impij sunt. Hinc rectissim
apud Diuum Hilarium is dicitur, qui male de deo sentit. Impietas enim proprie
tium incredulitatis est. Et ut Basilius Magnus in Psalmo primo disserit: Impietas pro
prie dicitur in deum peccatum & infidelitas, hoc est, peruersa opinio de Deo, diuinis
uerbis & operibus. Iam alius est manifeste Impius, qui & contemnit Deum, & talis a
hominibus uideri non erubescit. Alius uero Impius est quidem, sed hypocrisi hanc ip
sam impietatem non solum hominibus, sed etiam sibi ipsi occultat, ut iusticia uideatu
id quod est mera hypocrisis & Impietas Paulus ad Ephesios Contemptores uocat. E
Abacuc capite primo, qui uidelicet nō solum contemnunt uerbum Dei, sed etiam negu
gunt, securi, temerarij homines audaces q̄, quemadmodum legimus de Dionysio tyra
no Iouis templum spoliante, Psal. 35. Dixit præuaricatio impij in medio cordis sui. Se
ptuaginta ἀμαρτάνειν.

¶ *Implendi* uerbo significatur nonnunquam infinita potentia, uirtus & essentia, q
Hieremiæ 23. capite, Num non cœlum & terram ego impleo? Hoc Latini uocant infi
tum esse, quod Hebræi omnia implere. Quamuis impletionem aut plenitudinem ali
in loco accipiant, pro ijs quæ in eo continentur, cuius plenitudo, ut Psalm. Terra & pl
nitudo eius terra est, & quicquid in ea continetur. Impleri autem faciem ignominia, q
de in litera C. Colaphum labijs infringi.

Implere, interdum Hebræis idem est quod consecrare & initiari, dedicare, sanctifi
care, ut in eo quod professus quis fuerit ceu confirmetur: quod fiebat oblatione & im
pletione pugillorum. Vnde impletio manuum Aaronis, est dedicatio illius in sacerdo
tium, Exodi 28. capite. Et implebis manus eorum, sanctificabis eos ut sacerdotio fun
gantur mihi, Col. 1. Vt impleamini agnitione uoluntatis eius, Ezech. 43. cap. Et imple
bunt manus illius. Sic & consecratio Iudæorum, Impletio manuum dicitur symbolus
initiationis, Exodi 29. capite. Est enim aries impletionis, id est, consecrationis, initiatio
nis. Nam aries repletionis dicitur, quo repletur & consecratur sacerdos, sicut exponit
Rabbi Salomon. Vel Aries impletionum appellatur, quia immolabatur in consecra
tione summi sacerdotis. Impletio quod Hebræis est, Græcis Finitio, Latinis uerò ini
tiatio.

Implere post aliquem, est apud illos consequi eius q̄ uoluntate præcedēte quasi so
sequi, perficere quæ imperantur, Numeri 33. cap. Non impleuerunt post me, habet He
bræus, uel: Et uoluerunt sequi me. Et capite 32. Impleuerunt post me, quo q̄ prosequi a
liquem, atque eius obsequi uoluntati. Et Geneseos 31. capite, pro perficere, Iosue 14. cap
te, ut Ionathas exponit. Pro uiuificare, Psal. 90. Longitudine dierum replebo uel imple
bo eum, & ostendam illi salutare meum. Implere Ephraim, idem est quod dare arcum
& iacula in manus.

Implere denique mensuram patrum, prouerbialiter pro absoluere impietatem, &
quod uidebatur deesse, adijcere impietati, Matthæi 23. capite. Implete, pro implebim
Non infrequens est scripturæ, ut suprà admonui, imperatiuos ponere pro futuris in
dicatiui.

Impleri lumbos defectione, est infirmum & imbecillem esse. Impleri spiritu sanc
cto, ut Lucæ 1. Implera est spiritu sancto, id est, mens eius nouo quodam modo illustra
ta & initiata est, dedicata, sanctificata, consecrata, hoc est Hebræis. Implere uel plenū fa
se, ubi à prophano usu res separatur ad cultum dei. Sic & Germani uueychen, separare
ac segregare aliquid ad peculiarem usum.

Implere sermonem Dei, Colossensium 1. capite. Implendi sermonem Dei. Id est, ple
nè loquendi uerbum Dei: quod uerbum prius mysterium fuit, quum Christus promis
sus tantum fuit, sed iam manifestatum & reuelatum est, his tantum reconditum qui pe
reunt, 2. Corinth. 4.

Implere animam, utpote de bonis quæ erant Hebræis erepturi, hoc est, persuade
bant sibi Ægyptij, opum plenos se redituros domum, Exodi 15. cap.

Implere nationes, noster Interpres, Crescere in gentes, hoc est, multiplicari, numero
sum reddi populum, &c.

Implere

Implere post Dominum, noster Interpres, 3. Regum 11. cap. Impleuit ut sequeretur Dominum. Habes eundem tropum, Iosua cap. 14. ubi septuaginta legunt: Decreuit se qui dominum deum, legunt in Regum quoq; tertio, Sequi dominum. Sensus est, totus adhæsit domino.

Implere dies, est abire & satis uixisse, 1. Paralip. 17. Cum impleti erunt dies tui, hoc est, quum satis uixeris, & tempus abire tibi appetierit.

Implere cor suum, est apud se statuere, Ester cap. 7.

Implere cor suum ut faceret, &c. hoc est, apud se statuere, animum ad isthuc confirmare, animum inducere, &c.

¶ *Imponere manum aut manus* aliud non est quàm ecclesiæ aliquem præficere & ordinare, 1. Timoth. 5. cap. Manus nescio cui imponas, 2. Timoth. 1. Manuum enim impositio communionis signum est. Atqui impositio manuum fuit Hebræis admodũ familiaris, ubi aliquid commendabatur uel offerebatur deo. Sic Iacob imponit manus duobus filijs Ioseph, Genesis 48. Sic manus super caput hostiæ immolandæ ponitur, Leuit. 1. capite. Sic Christus imposuit manus super paruulos, & de credentibus dicit: Super ægros manus imponent, & bene habebunt. Extremum signum est, uel omitti potest, uel aliter fieri. Electionis tantum signum erat, eratq; tempore Apostolorum ordinatio presbyterorum & uocatio per impositionem manuum super caput uocati, quo ceu signo agnoscebatur uocatus et susceptus. Ergo impositio manuum, symbolum est futuri diuini auxilij. Nam manum porrigere, auxiliari est.

¶ *Impossibile* interdum est (autore D. Erasmo in Annotationibus) idem quod rarum & difficile, ut Hebræorum sexto capite, Nam impossibile est, ut qui semel fuerint illuminati, &c.

¶ *Impietas & iniustitia*, est ignorantiam Dei habere, & ueritatem scilicet detinere ni iniustitia, id est, das unrecht fur das recht, und den falsch fur der uarheit halte, und das gœtlich nit lassen furkommen. Impietas est cõtemptus Dei pertinaciter peccans ac uerbo Dei reclamans superstitionem, idololatriam, amentiam, cæcitatem, & quæcunque huius generis sunt cõplectens. Ad Titum secundo capite. Impij sunt, illi nimirum qui ueritatem sua illa cognata uel oscitantia uel iniustitia detinent, obfuscant, & remorantur adeoq; opprimunt.

¶ *Imputari* dicitur quod re persolutum non est, sed tamen ex imputantis benignitate pro soluto habetur. Eodem pacto & deus in promissionibus suis se ueracẽ exhibet credentibus, fidem imputat ad iustitiam, 1. Rom. 4.

¶ *Immolari*, pro interficere, 2. Timoth. 4. Nam ipse iam immolor dixit pro eo quod est interficior, mactor, σπένδομαι. Alludens ad ueterum sacrificia. Immolare Deo sacrificium laudis, est se à terrenis uitijs segregare & mori mũdo, ut hostia fiat Christo, Psal. 49. Immola deo sacrificium laudis, & redde altissimo uota tua.

In, præpositio apud Hebræos inuenitur etiam sæpenumero significare, cum maximẽ quando instrumentum & τὸ μηχανικὸν denotamus, ut est illud: In hasta mea percussi eum. Et. Prævaluit Dauid contra Philistæum in funda & lapide, id est, cum funda & lapide. Et illud: Visitabo in uirga peccata eorum. Deut. 18. Lapidabis eos in lapidibus, Genesis 32. In baculo transiui, id est, cum baculo. Aliquando præpositio In, pro, propter capitur: In ualida manu, Exodi 5. Id est, propter plagas magnas & ualidas, 2. Paralip. 24. et 1. Paralip. 9. Nihil in sancta lingua quoq; usitatius, quàm quod uerba transitiua suis accusatiuis præpositionem Be, seu in præpositam habent, ut credidit in uerba, audiuit in uocem, pro, audiuit uocem, Iudicum 13. cap. Eodem capite legis, Comedere in panem, pro, comedere panem. Interroga in deum, pro, interroga deum, Iudicum 18. Et cap. 20. Apprehendi uxorem. Sic in Regum lib. Elegit in eum, pro, elegit eum. Pascit in gregẽ, pro pascit gregem. 1. Regum 16. capite. Dedit dona in hominibus, pro, dedit dona hominibus, Ephes. 4. cap.

In, præpositio aliquando pro ad, ut, Loqui in auribus Domini, id est, ad aures Domini, 1. Regum 8. In pane uenditi, id est, pro pane uenditi, 1. Regum 2. Sic 2. Regum. 14. capite. In anima, ubi noster, pro anima. Vinxit eum in funibus, id est, uinxit eum funibus. Iudicum 16. ca. In Ægypto, pro de, seu ex Ægypto. 3. Reg. 12. Et 1. Cor. 2 Sapientiã loquimur In perfectis. Beth Hebraicum hic pro De, exponitur, ut sit loquutio Hebraica, Sapientia in perfectis, pro, sapientia perfecta. Quam loquutionem aliàs sic uariant,

Sapientia perfectionis,etiam pro sapiẽtia perfecta & indubitata.Pro Ex,ut:Benedixit in corde,id est,ex corde.Sic Apostolus quoque,Psallentes in cordibus uestris,id est,ex animo.In agno,Exodi uigesimonono cap.In agno uno,id est,pro unoquoq; agno. Hebraismus,In te,pro,in urbe tua,Deuteronomij quintodecimo capite.In omnibus signis quæ feci coram eis,pro,Cum tot signa fecerim coram eis.Item,Nihil ferè Apostolo familiarius quàm Enallage prępositionum,Gal.1.capite,Glorificabant in me deum, hoc est,per me.

¶ *Inarescere* & siccari transfertur ad homines dum uelut uitali succo,atq; inde uiribus exhortantur & deficiunt.Vnde dicebat Iethro ad Mosen,Exhauriendo exhauris,uel deficiendo deficis,& tu & populus,&c.Sic & Esaias quum defecisse populum significari uult,Tanquam solium,inquit,exiccati sumus.Eadem ratione ad significandam morũ corruptelam,ingenijsq; deprauationem,uocem hanc translatam existimo,corruptis enim ingenijs,perditis hominibus,succus ualetudinis uelut exaruit.

¶ *Incedere in iustitijs Dei uel in iustitia.* Hac loquutione nihil aliud uolũt Hebræi,quàm quum Latine dicitur,Qui rectè uiuit.Sic,qui recta loquitur,perinde ualet atque qui uera loquit.Sic ait Psaltes,Qui incedit in iustitijs.Et Psal.68.Viderunt incessus tuos Deus. Incessus Dei mei,regis mei in sacrario.Vocat incessus Dei,pompam populi in cuius medio Deus incedebat,iuxta suam promissionem,Leuit.26.

¶ *Incendere lucernam*, est idem quod annunciare seu prædicare:nam ideo lucerna incenditur,hoc est,prædicatur,ut omnibus qui sunt in domo,hoc est,in ecclesia Dei,uideant,&c.ad Hebr.3.cap.

Incendemus domum tuam super te igne,Iudicum 12.capite. Germani isthuc referunt,quando aiunt,Eynem sein hausz uberin kopff anzunden.Incensum odoris quietis,significat incensum gratissimum,Numer.15. capite. In incensum seu oblationem suauissimi odoris Domino.Incensum deniq; est oratio sanctorum:hoc autem cognoscitur Apocalyp.8.cap.capite,quando uigintiquatuor seniores tenebant thuribula & dicebant,Hæ sunt orationes sanctorum.

¶ *Incircuncisus labijs* Moses dicebatur,id est linguæ impeditioris,Exod.1.Et ego incircuncisus labijs,hoc est,infacundus & inelegans sum.Septuag. ἀλογοσεύμι.Incircuncisum cor,pro improbo posuit,Leuitici 26.cap.Incircuncisus fructus,Leuitici 19.Fructum incircuncisum uocat immundum,ut qui habent præputia immũdi sunt.Immundus præterea uocatur fructus qui uesci licitum non erat.

¶ *Inclinare* uerbum maior apud Hebræos usus quàm apud Latinos,uidelicet,pro peruertere,seducere,ut sæpe uidere est in prophetis,ut Esaiæ 1.Causam uiduæ declinãt uel inclinant,id est,peruertunt,deprauant.Similiter eodem significatu iudicandi uerbũ reperitur,pro asserendi,defendendi, uindicandi,ut:Causam uiduæ & pupillorum nõ iudicant,id est,non defendunt.

Inclinare aurem,est exaudire.Psalmo trigesimo,Inclina aurem tuam ad me uelociter.Inclina aurem,Tropus familiaris Psalterio,quo tamen humilitas orantis exprimitur,& exaudientis maiestatis altitudo,qua respicit humilia in cœlo & in terra,hoc est, inclinat aurem ad preces humilium,sine dubio auertens faciem à superbis,Psalmo 16. Inclina aurem tuam,& exaudi uerba mea.Humano more loquitur ad Deum,quod inclinet aurem,aperiat oculos,illustret faciem,cum Deo omnia præstantissima sint,Danielis 9.capite. Inclinare iudicium,pro inclinare in alteram partem amore & odio, Deut.16.cap.Non inclinabis iudicium,hoc est,tu qui iudicio præfectus es,non in alteram partem declinabis.

Inclinare interdum reuerentiam alicui exhibere,ut Gen.24.Et inclinauit se uir.Septuagin. ἀνεκλίνας ἀνὴρ,id est,beneuolentiæ affectu propensus homo ille.Inclinare oculos,est nullum respiciendo despicere,Hiob.21.cap.

¶ *Incolere*,peregrinari est.Incolæ dicuntur,qui habitant in patria non sua.Omnis homo in hac uita peregrinus est,in qua orta uidetis,quia carne circunregitur,per quam alienem cor uideri non potest:ideo Apostolus dicit 1.Corinth.quarto capite,Nolite ante tempus,&c.Incola,credẽtibus et pijs parum conuenit cum hoc mundo,atq; ea ratione facit,ut ex Apostoli sententia ad Hebræos capite 13.ciues se non uelint haberi,sed incolas,id est, hospites,& breui hic moraturos,Psalmo 118.Incola ego sum in terra,pro iusto positum est.Et undecimo capite,Multum incola fuit anima mea. Et in eodem

Heu

Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est.

Incolatus dei, præsentem dei fauorem, ac præsentiam atq; incolatū. Qua phrasi pollicetur se dominus in medio terræ habitaturum. Verum, pro gratia, fauore, misericordia ac bonitate dei fermè accipiunt literæ apostolicæ. Inde enim animæ ornamentum & decus constat, quo peccatrix despolianda uenit, Hoseæ 2. cap.

¶ *Increpare* uerbum satis uenustum est. Hebræus namque non in uno loco pro iubere & imperare ponitur, ut Matthæi 8. capite, Increpauit uentos, id est, imperio suo compescuit. Et Matthæi 12. capite, pro uetare accipitur: interminatus est seu increpauit ne se manifestum facerent. Similiter Matthæi 17. capite, Increpauit mare. id est, præcepit, iussit, ut esset tranquillum. Et Lucæ quarto capite, Increpauit febrem. id est, imperauit febri. Et Lucæ octauo capite, Increpauit, hoc est, præcepit uento: nam sic suo schalat, schelten, utuntur Hebræi. Esaiæ quinquagesimo capite, Ecce increpatione mea desertum faciam te. Et quemadmodum phrasi Hebreę linguæ isti assuescendum est, qua scriptura Testatur deum omnia per uerbū suum, tum facere, creare, sicut regius propheta Dauid adfirmat: Et dixit, & facta sunt. Nam dei dicere, idem est quod facere, creare, operari, quum ipse nobis bene uult & faciet, multiplicat, augmentat, locupletat omnia nobis, sicuti in ueteri instrumento omnia bona temporalia benedictio Dei appellatur. Econtra, quando maledicit, tunc deuastat, in nihilum redigit omnia bona temporalia. Hinc maledictio Dei, est perditio, deuastatio, comminutio omnium rerum temporalium. Sic Malachiæ secundo capite, Ego maledicam uestris benedictionibus, hoc est, ego disperdam, interire faciam, deuastabo, comminuam omnia uestra bona, quæ acquisistis per meam benedictionem, hoc est, multiplicationem, siue beneficentiam meam possidetis, habetis. Sic & huic loquutioni Dei Increpare assuescendum, quod idem pollet ualetq; quod satanæ resistere, reum facere, abterrere ab instituto tuo & diuina potentia non permittente, à suis cœptis desistere. Sic Zachariæ tertio capite, Et dixit Dominus ad satan: Increpet Dominus in te qui elegit Hierusalem. Ita Psalmo nono, Increpasti gentes, & periit impius, & nomen eorum. Hic Increpare, arguere, reum facere, terrere est. De eadem increpatione ad hunc modum & Diuus Paulus differit: Deus autem pacis conterat satanam sub pedibus uestris: licet respiciat cum hoc conterere ad confimiles locos scripturæ, qui eundem habent sensum.

Increpatio capitur secundum Aben Ezra etiam pro continuo terrore superuenturum malorum, ut nunquam bono quis possit esse animo, Deut. 21. cap. Et increpationem in omnia opera tua quæ tu facies, &c.

¶ *Incorruptio*, pro resurrectione, Rom. 2. capite. His quidem qui iuxta tolerantiam operis boni gloriam & honorem & incorruptionem quærunt uitam æternam, D. Erasmus, Immortalitatem uertit.

¶ *Indignatio*, pro castigatione, Ezech. 15. cap. Et quiescere faciam indignationē meam. Origenes, Indignatio autem est castigatio. 4. Regum 22. Magna indignatio Domini. Indignatio iræ, est quando uindicta uehemens in peccatoris necem consurgit, & illud consequetur quod timet, Psal. 68. Effunde super eos iram tuam, & indignatio iræ tuæ comprehendat eos.

¶ *Indoctus* hoc nomen usurpatur pro plebeio apud diuum Paulum. 1. Cor. 14. Qui implet locum indocti, quomodo dicturus est amen.

¶ *Induere*, pro apparere, Psalmo 92. Dominus regnauit, decorem indutus est, hoc est, decorus apparuit. Mos namque scripturæ, ut eum dicat re illa indui, cuius possessor est, ac studiosus. Ita ferè dicunt hominem innocentia indutum, qui innocentiā per omnes uitæ actus referre studet. Sic de ignominia, infamia, cæterisq; aut uitijs aut uirtutibus ratiocinari fas erit.

Diuus Paulus sæpe ingeminat hoc uerbum Induere, ut 1. Corinth. 15. capite. Cum autem corruptibile hoc induerit incorruptibilitatem, & mortale hoc induerit immortalitatem. Allusit nimirum ad togam & ad prætextam, quibus olim apud Romanos non ipse homo expungebatur & abolebatur, sed honoribus augebatur et auctibus mutabatur. Vide etiam Diuum Hieronymum ad Pammachium cōtra errores Ioannis Hierosolymitani.

Frequens est hæc in scripturis meraphora, ut dicat Indui pro uestimento, quo quis abundat. Sic uocat ignominia amictum, qui illi per omnia deditus, ea ceu ueste orna-

tur. Sic Psaltes canit, Deum amictum celsitudine & robore, quod omnibus supereminet, nihil scilicet non potens.

Induere uouum hominem, est ad similitudinem Christi reformari. Induit ille hominem nouum, qui secundũ Deum creatus est, in iustitia et sanctitate ueritatis uiuens, Dei imaginem & similitudinem ad quam eramus conditi referens, &c. Vnde Ephe. 4. & Gal. 3. cap.

Induere uerò Christum, est idem cum ipso fieri, adeoq; incorporari ipsi, est iustitiã, ueritatem, omnemq; gratiam, totiusq; legis plenitudinem induere, Rom. 13. cap. Indumini Iesum Christum, Gal. 3. cap.

Indui uestę salutis ecclesiam, est credentes Deo per Christũ saluari, & amari ut charissimos filios per gratiam adoptionis electos, Esa. 61. Indui deniq; lana apud Ezechielem, est sic nuditatem tegere, ut etiam honorem assequatur.

¶ *Inducere* in tentationem, Matth. 6. Sed in tentationem ne inducas. In tentationem inducimur, cum nimium abducti consentimus malo, recedimus à bono, succumbimus in pugna, & uincimur ab hoste.

¶ *Indurare*, pro prævalere, Iud. 4. capite, Et indurauit super Iabin regem Chenaan. Indurare, est erectos animos, superbos atq; securos fieri, permittere seu non terrere ut omnia præsumant, neque iram atq; iudicium Dei metuant, Exodi 14. Deut. 2. cap. Item Dauid deprecatur, ne Deus inclinet cor suum ad rem noxiam, Psalmo 14. quod eo sensu accipiendum, quo illud indurauit cor Pharaonis. Et tradidit eos in sensum reprobum. Habet uasa iræ Deus, quæ destinauit ut suam gloriam illustrent, dando pœnas impietatis suæ. Talis Pharao fuit, talis Seon rex, & alij multi. hanc sortem Dauid deprecatur, petitq; esse gratiæ, in quo se Dei gloria beneficijs, non ultionibus exerat. Porrò tum Deus inclinat cor ad res noxias, & cogitationes impias indurat, traditq; in sensum reprobum, quum illud satanæ permittit impellendum ad ea, quibus iusta ultio prouocatur. Quod si consilium Dei, tam mira ratione suam gloriam illustrantis, non potes assequi, exclama cum Paulo, O altitudo diuitiarum sapientiæ.

Indurare cor ergo, est pertinacem esse, contumacem & pręfractum, & contumaciter resistere, 1. Samuelis 6. Cur induratis cor uestrum. Hinc induratũ cor idem quod immorigerum pertinaciter Deo resistere, eiusq; uoluntatem contemnere.

Indurare ceruicem. Deut. 10. Ceruicem uestrã ne induretis amplius. hoc est, ne posthac censetis domino obsequi. Et Ceruix dura, pro contumacia, Deut. 32. et Act. 7. Ceruicem tuam durissimam, id est, tuam contumaciam, quàm impatiens sis imperij & iugi. Et incircuncisum cor idem est, ut suprà in litera C.

¶ *Inebriari* dicuntur, qui spiritu erroris aguntur, & proprio sensui innituntur, qui & nutant ac perplexi perpetuo sunt non uino uel sicera, Esa. 26. Inebriamini, &c. Hinc Ebrietas significat secularem sapientiam, Esaiæ 19. Item, Inebriari, est saturari et repleri. Psal. 44. Visitasti, &c.

Inebriari nõ semper in malam partem sonat, sed interdum pro, ad necessitatem bibere, ut Gen. 43. Et inebriati sunt. Vitio nostro factum est, quod etiam honestissima & maximè necessaria inhonesta et turpia facit, ut iam quædam uoces honestę amplius nõ absq; risu & turpitudine efferantur.

¶ *In æternum*, semper, in sempiternum, in seculum seculi, & cætera, Hebræis significat tropo linguæ, propriè tempus incertæ & indefinitæ durationis, non autem ubique saltem, æternitatem. Vnde in lege Mosaica sæpius dicitur, Legitimum sempiternũ in generationibus uestris, quum tamen aliquando facienda essent omnia illorũ. Quod non ineptè dici uidetur, perpetuò, perenniter. Germanicè uerò Immer dar, oder Immer und immer, &c. Hinc, in æternum, pro, de cætero accipitur, Gen. 6. Non uaginabit (iudicabit) spiritus meus in homine in æternum.

¶ *Inferni* nomine simpliciſsimè intelligenda est perditio aut condemnatio, 1. Samuelis 2. Dominus deducit ad infernum & reducit. Quicquid fratres separat Infernus appellatur, Hoseæ 13. De manu inferni liberabo eum. Et propriè significatur hoc nomine Scheol, quod per Infernum redditur status mortuorum tam bonorum quàm malorũ. Nam hac uoce Scheol Hebræi perinde utuntur atq; Latini Inferorum. Sunt autem Inferi Latinis, interim omnes qui hac uita defuncti sunt: interim hi qui supplicijs addicti cruciantur. Vide D. Augustinum in Psal. 6.

Inferi

Inferi Latinis non modo Auernum illum & triſtem damnationis & ſuppliciorum æternorum locum dici, uerumetiam eorum, qui ex mundo hoc digreſsi in alium mundum migrarunt, ſedem aut habitationem. Quod ipſum Germanica quoq; uox Hell, ſignificare uidetur. Eadem quoq; Hebraici ſimul & Græci uocabuli eſt ſignificatio, è quibus hoc quidem ἄδης, illud uero Scheol eſt.

Ad infernum deſcendere, nihil aliud eſt quàm perire, peſſum ire, quod idiomate noſtrate dicitur in fundum labi. Zu grund vnd boden ghen. Eſt enim fundus unius cuiuſque rei infimum aut infernum. Sic ſimpliciter admodum Iacob dicebat, Geneſis trigeſimoſeptimo, Deſcendam lugens in Infernum ad filium meum, hoc eſt, lugens moriar. Quaſi diceret, Scio quod is caſus me foueæ uel foſſæ & ſepulchro, id eſt, morti tradet. Es bringt mich in gruben. Es vvurt myn todt ſyn. In infernum, id eſt, in foſſam, uel in ſepulchrum: non enim tantum ſignificat tartarum, ſupplicij locum, ſed & foueam ſeu ſepulchrum, ut & Actorum ſecundo capite, Non derelinques animam meam in inferno. Sic & in adducto capite Geneſis, non ſignificat locum pœnarum. Quaſi dicat Iacob filio meo mortuo, non amplius uiuere, Similiter de ſeditioſis Core & coniuratis eius ſcribitur, quod uiui deſcenderint in infernum, Numerorum decimoſexto capite, hoc eſt, ſubitanea morte perierunt. Sic Ezechielis trigeſimoſecundo capite, uſus eſt hac uoce, Tyranni deſcendunt in Infernum, id eſt, pereunt, Eſaiæ decimooctauo capite, Quia non Infernus, id eſt, foſſa uel ſepulchrum ſeu fouea, hoc eſt, defuncti hac uita non confitebitur tibi, non memorabunt ueritatem tuam, deſcendentes in foueam, id eſt, demiſsi in ſepulchrum. Siue igitur perditionem, mortem, ſiue Infernum appellaueris, idem dixeris.

Ad Infernum ergo deſcendere, eſt corpus ſub terra recondi, unde quum Chriſtus deſcendiſſe ad Inferos, aſſeritur in ſymbolo, uere mortuus & ſepultus eſſe, Infernus diſtrauit animam: damnatorum locum intelligit, Eſaiæ 5. cap. & eſt Proſopopœia. Item, Infernus & perditio loca infima dicuntur, in quibus deus operatur, hinc enim metalla eruuntur, ut Iob 16. Inferni nouiſsima, id eſt, ad terræ infimum, Deut. 32. Ex Inferno animam exaltare, uide in nomine Anima, quid ſit.

Infernus pro extremis periculis, in quæ nonnunquam conijcitur anima, ſumitur. Pſal. 86. Et eruiſti animam meam ex inferno inferiori, hoc eſt, uerſabar in periculis ſummis, tu me eripuiſti, & animam meam ueluti ab inferis ad ſuperos reuocaſti. Idem ferme quod alio loco de ſe aſſerit Dauid: Domine, inquit, eduxiſti me ab inferno animã. Et Pſal. 88. Et uita mea inferno appropinquauit.

Deduci ad inferos & reduci, nonnunquam eſt humiliare, deprimere, & curſum exaltare. Porta inferi ſeu mortis, introitus eſt mortis, ſeu mors inſtans & urgens, quæ niſi uictrice gratia dei ſuperetur, nihil differt ab æterna morte, imò uerè ipſius initium eſt, alioqui uix dormitio & ſomnus, ſeu requies ſanctorum uocatur.

Foueam uel infernum uidere, Hebraiſmus eſt, & huic Ioannis 3. capite, ſimilis Videre regnum dei, pro ingredi. Abire ad inferorum portas, ſiue domicilia, periphraſis eſt moriendi. Portæ inferorum Hebræis uocantur foueæ. Inferos enim & iſti & foueam ſepulchrumq; uocant eodem uocabulo Scheol, ut ſuprà auditum eſt. Et hæc eſt ratio, quum de ſtatu ſpirituum noſtrorum poſt hanc uitam, perparum memoretur in ueteri Inſtrumento, deſunt & nomina. Vt igitur Latini ab eo quod terra reconduntur mortui, & ita infra nos ponuntur, Inferos dixerunt, ita & ſcriptura à ſepulchro mutato nomine, eorundem conditionem Scheol, id eſt, Infernum uocat.

Inferni nouiſsima, Deuteronom. trigeſimoſecundo capite, Ardebit uſque ad Inferni nouiſsima, uel ad Infernum inferiorem. Id eſt, uſque ad terræ infimum & penetralia terræ. Hyperbole eſt, pro, etiam profunda & infima terræ loca uertam in ſterilitatem.

¶ *Inferni nomina ſunt hæc:* Fouea appellatur, ut Eſaiæ octauo capite. Liberare animã meam à fouea, hoc eſt, ne corpus putreſcat & in ſepulchro. Lacus mortis Pſalmo 87. Eſaiæ decimoquarto. Terra obliuionis, eò quod mortuorum memoria breui intereat, Pſalmo 87. Iuſticia tua in terra obliuionis, & Iob 10. Puteus interitus, Pſalmo 54. Puteus ſine aqua, Zachariæ 9. Dimiſi uinctos tuos ex puteo, in quo non eſt aqua. Id eſt, captiuitas abſque conſolatione. Abyſſus etiam pro inferis poni ſolet, ut Rom. 10. capite, Et Ionæ 2. cap. Vocat in illo cap. Ventrem inferi, Pelagus, Abyſſum, Gurgites, Ve-

ctes terræ, & insuper Cor maris, mystice intelligenda. Vmbra mortis ab Esaia nono capite, nuncupatur, Psalmo uigesimosecundo. Barathrum Iudic. quinto capite. Gehenna Matthæi quinto capite. Vermis conscientiæ, ignis est inextinguibilis, rodens conscientiam, Esaiæ trigesimoquarto & ultimo capite.

Inspectio dei quoq; dicitur, sola enim discruciatio impiorum est, Sic Exod. 3. cap. Respexisse legitur, solum super castra Ægyptiorum. Fusius tractatum est in litera D.

Inferiora terræ, pro Inferno accipit Apostolus, ad quem dominus noster saluatorq; descendit, & sanctorum animas quæ ibi tenebantur inclusæ secum ad cœlos uictor abduceret, Ephe. quarto capite. Illud ascendit quid est, in quod etiam descendit prius in inferiores partes terræ: quod autem Infernus in inferiori parte terræ sit, Psalmographus testatur dicens: Psalmo 105. Aperta est terra, & deuorauit Satan, & operuit synagogam Abyron. Inferorum portæ, Hebræis uocantur Portæ foueæ. Inferis enim isti & foueam uocant eodem uocabulo Scheol.

¶ *Infantes* dicuntur stupidi, crassi & homines simplices, & qui sua opera pro nihilo ducunt, siue sapientiæ nihil tribuunt, ex seipsis nihil quicquam faciunt, sed unum deum sapientem & prudentem esse atbitrabantur. Quocirca sustinent illi, & sese quanti sunt deo subijciunt, à quo se tandem doceri permittunt. Porrò alij nimis prudentes sunt, & à deo nihil discere uolunt, adeoq; ipsi sibi in doctrinam & operum dei censuram arrogant. 1. Cor. 1. & 2 cap.

¶ *In faucibus loqui*, est silenter loqui, Hiob 33. cap. Ecce aperui os meum, loquetur lingua mea in faucibus meis. Apertio oris & linguæ in gutture, loquutio, meditatam & non tumultuariam, in labijsq; natam orationem etiam hoc loco significat. Sapientum enim est aperire os, stultorum & imprudentium os semper patulum est. Sine iudicio omnia nugantur & effutiunt.

¶ *Infidelitas* peccatum dicitur per Antonomasiam: Filios, inquit D. Augustinus, diabolo Infidelitas facit, quod peccatum proprium uocatur, quasi solum sit si non exprimatur, quale peccatum sit. Hæc contra duas epistolas Pelagiani ad Bonifacium lib. 3. cap. 5. Ipse (inquit Euangelista) mundum de peccato iudicabit, Infidelitatem intelligi uoluit. Et ubi ait: Si non uenissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent. Non enim peccatum antea non habebant, sed ipsam uoluit intelligi diffidentiam, qua nec in prosenti & loquenti crediderunt, pertinentes ad eum de quo dicit Apostolus: Secundũ principem poreſtatis aeris, qui nunc operatur in filijs diffidentiæ.

¶ *Infirmare* est non impleri, uulgari Pauli & Prophetarum tropo, ut Roman. octauo capite. Lex erat infirma, seu imbecillis, id est, non implebatur. Et capite tertio, Legem stabilimus, quod est implere: nam Legem stabilire uel statuere, est implere. Sic et Christus in Euangelio: Non ueni soluere legem, sed implere. Ita & Diuus Paulus ait: Legem non tolli, sed impleri fide. Legem irritam facere, & Legem tolli, aut Legem abrogare, idem sunt.

Infirmitas, Tropus est Paulinus, quo exprimit cõditionis uilitatem. Infirmitas enim imbecillitas est, qua Apostoli quum essent pauperes, cõtempti, uarijs deinde persequtionibus subiecti, & ut ad Corinthios dicit: Nouissimi omnium secundum carnem, & coram hominibus omnino impotentes, & nihili habebantur. Nihilo tamen minus sub hac infirmitate operabantur uirtutes, & erant potentes in uerbo & opere, quàm totus mundus. ut alibi, Et uirtus in infirmitate perficitur. 2. Corinth. 12. cap. Et quum infirmor, potens sum. Sic Apostolus Infirmitatis nomine pressuras anxietates, persequutiones, contumelias, necessitates intelligit, primæ Corinthiorum quarto capite, Nos infirmi, uos autem fortes, hoc est, nos ignominia afficimur, uos autẽ securi estis, seu gloria & nobilitate præstatis.

Infirmare fratrem, est scandalo afficere, offendere: Infirmus Roman. 13. capite, is dicitur, qui ob fidei imbecillitatem facile offenditur, si alius robore fidei sustulitus libertate sua utatur. Infirmitas non ad corpus oris ualetudinem, sed ad animi superstitionem referenda. Vnde Latini quoque superstitionem Infirmitatem uocant, Horatius in Satyris, At summus cui paulò infirmior. Cicero, Vt enim infirmitas puerorum & ferocitas iuuenum.

Infirmitatis uocabulum in hunc modum, D. Chrysostomus ad Corinth. 2 capite 13. Homil. 29 exponit, tria, inquit, significata habet. Nam & corporalem infirmitatem significat,

significat, ut de Lazaro Christus dicebat: Infirmitas hæc non est ad mortem. Et de Epaphra Paulus. Dicitur item Infirmitas, non esse solidatum in fide simpliciter neq; perfectum esse. Et hoc significans, dicebat. Infirmum autem in fide suscipite. Est & aliud tertium significatum Infirmitatis. Quale hoc: persequutiones, insidiæ, et cætera. Et hoc manifestat Paulus: Sufficit tibi gratia mea: Virtus enim mea in infirmitate perficitur, hoc est, in persequentibus, in periculis, in mortibus. Hæc ille. Et idem 1 Cor. capite secundo, Homil. sexto capite. Persecutiones multis in locis Infirmitatem appellat, quẽadmodum illud Gal. quarto capite, Infirmitatem in carne mea non aspernati sunt. Et rursum, Si gloriari oportet, infirmitate mea gloriabor. 2. Cor. undecimo capite, etc. Et in Epist. ad Hebræos capite septimo. Homil. decimotertio capite, Infirmitatem pro peccato & morte intelligit Chrysostomus.

¶ *Infinitivus* plerunq; apud Hebræos pro præterito imperfecto usurpant, ut Psalmo centesimo quadragesimosecundo, Respiciebam ad dextram & uidebam, & non erat mihi cognitor, perierat perfugium à me, non erat qui animam meam inquireret. Sensus est, Cum respicerem ad dexteram, & uiderem, subaudi, ad sinistram, & non esset, qui me agnosceret, meiq; misericordia adductus, studeret eripere, uociferatus sum ô Iehouah.

¶ *Ingredi* pro concumbere utuntur Hebræi: honeste actum coniugalem circumloquentes, Genesis 16 capite. Et ingressus est ad Hagar & cap. 30. Et ingressus ad eam Iacob. Sic Ingredi ad mulierem ipsi usurpant pro rem habere. Similiter Venire ad aliquã, honesta circumloquutio, est maritalis congressus aut cuiuscunque concubitus. Ingredi portam, Genesis tertio capite, Omnium qui ingrediuntur portam ciuitatis eius. Ita etiam quum ciues & municipes designare uolunt, loqui consueti.

Ingrediendi uerbum pro cõuersandi, ambulandi uerbis utuntur Hebræi, tropusq; ille scripturæ familiarissimus. Hinc Ingredi & Egredi est conuersari cũ hominibus, Actorum capite primo.

Ingredi sine macula, idem quod uiuere in fide, immaculatus qui credit. Sic Iacob innocenter, simpliciterq; in domo fidei, quæ est ecclesia, uixit, qui uir simplex erat, habitans in tentoriis, umbra scilicet futuri Christiani, qui omissa carnis prudentia sibijpsi tantum modo prospiciendi, simplici ratione uixit.

Ingredi coram populo, & exire, ut est primi Samuelis decimooctauo capite. Ipse autem egrediebatur & ingrediebatur ante eos. Hoc Hebræis est, publicis regni negotijs pace & bello præesse. Similiter Ingredi & Egredi, Hebraico schemate significat summam tranquillitatem, quam nulla turbabit potestas aduersaria. Ioannis decimo capite. Et ingredietur & Egredietur.

Ingredi item & sedere cum malis positum Psal. 1. pro conspirare cum eis & scelerum inire societatem. Omnis uita, eundo, stando & sedendo peragitur: nam iacere, sub sedere comprehenditur: quanquam etiam iacendo nihil ferè geramus.

Adhæc Ingressus & egressus uitæ actionem significat (ut & supra declaratum fuit in litera E). Nam successum negotiorum, uitæq; actiones scriptura Egressum & Ingressum uocat, Psal. 121. Iehouah custodiet egressum tuum, atq; aduentum tuum, à nunc & usque ad seculum. Inde dicebat Salomon 3 Regum tertio capite, Ego puer paruus, nec scio egressum meum aut ingressum, hoc est, nec quid perficiam, quid mittam, quid'ue instituam, quæ fugiam, quæue sequar, et cætera. Sic & Lucæ octauo capite, Vt ingredientes seu intrantes & egredientes uideant. Die da herumb vvandlend. Sic enim utuntur Hebræi Ingredi & egredi, die da zehandlen vnd zeschaffen habend. Et Actorum primo capite, Qui nobiscum uersati sunt toto tempore, in quo ingressus & egressus est inter nos dominus Iesus, et cætera. More hebraico posuit pro omni & tota uitæ conuersatione.

Ingressus præterea & Introitus pro prædicatione, ut 1 Thess. 2. cap. Introitus scilicet nostet & Ingressus, id est, prædicatio nostra non fuit friuola aut inanis, neque de rebus inanibus: prius enim fuimus multis adflictionibus probati, ut patet Actorum decimosexto & decimoseptimo capite.

Ingredi denicq; per Christum est omnem fiduciam in Christum collocare: qui hoc facit, pascua inueniet: nam aliàs nemo potest pacificare conscientiam, quam Christus suo spiritu, Ioan. 10. Qui aliunde ingreditur,

Ingredi

Ingredi ad mortuum, Numeri 6. cap. Omni tempore consecrationis super mortuum non ingreditur, uel ad omnem mortuum, Id est, funeri non intererit.

Ingredi ecclesiam dei, est habere commercium cum populo dei, & habere ius docendi Israelitidem, Deut. 23 cap.

¶ *In idipsum*, Hæc dictio idem quod aduerbium, simul, significat, ut concordiam pollicitationis, Psal. 132. Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in unum, id est, simul seu in idipsum. Item Psalmo 4. In pace in id ipsum dormiam & requiescam, uide licet quod cum patribus suis, ut ita dictum est, simul dormiturum se pronunciat. Vsitatum in lib. Regum frequenter dicitur: Dormiuit cum patribus suis.

¶ *Iniquitatis* uocabulum capitur interdum pro pœna iniquitatis, ut Leuitici 5 capite. Portabit iniquitatem. et cap. 20. Portabunt ambo iniquitatem suam. Id est, pœnas iniquitati debitas. Et 4 Regum 7 cap. Si expectauimus ad auroram usq; deprehendet eos iniquitas, pro pœna quæ iniquitati debetur. Item, Iniquitatis nomen aliquando pro ignorascere usurpatur, Genesis 50 cap. Obsecro accipe nunc iniquitatem fratrum tuorum. Septuaginta, Dimitte eis iniquitatem. Pro mendacio, Deut. 19 cap. Quum steterit testis iniquitatis, Iudicum 9 cap. Vt ueniat iniquitas. Septuaginta: Filiorum Ierusalem, id est, punitio uel pœna.

Iniquitatis nomine intelligit Paulus Romanorum primo cap. omnem superstitionem & religionem falsam. Retegitur enim ira, inquit, dei è cœlo super omnem iniquitatem seu impietatem & iniustitiam, &c.

Iniquitatis præterea nomine omnia simul peccata complectuntur, Psal. 107. Salcepit eos de uia iniquitatis eorum, propter iniustitias enim suas humiliati sunt, ut iniquitatis dictio, omnia, ut ita dicam, massam uitiorum intelligi oportet. Item, Iniquitatis filius pro iniquis hominibus sumitur Psalmo octogesimonono, Et filius iniquitatis non apponeret nocere ei.

Iniquitatem operari, est impie agere, & est peccare contra dei mandatum. Iniquitatis operarij proprie sunt hi, qui contemptis dei mandatis suas cupiditates sectantur, cales autem natura sunt omnes homines, manentq; tales, donec renouantur & refinguntur spiritu dei secundum internum hominem. Iniquitas, nomine sanguinis dicitur, inquit D. August. in Psal. 61.

Iniquitatem autem manducare est, qui libenter habuerit iniquitatẽ, non poterit manducare iniusticiam. Vide August. in Psal. 48.

Iniquitatem atqui operantes fere ubique impijs, malignis, fraudulentis, uiris sanguinum, & huiusmodi componuntur, ut non possit constanter uerti molestia: omnino enim significat praue, inique & maleuole agentes. Et Psalmo uigesimooctauo, trigesimosexto, sexagesimosecundo, & 101. (ubi identidem alijs uerbis eadem sententia refertur) abunde patet, eosdem loci operantes iniquitatem, qui impij & iniquitatum, cum impietate, fraude & malicia certe cognationem habere, eandemq; animi pravitatem per eam significari, qua scilicet boni fanicq; nihil agere libet, & nostra tantum cum iniuria allorum quærimus, quam πανὸν βέλος Græcis, nobis uocabulum Iniquitatis tale exprimit.

Iniquitatem pro iniquis seu pro uiris iniquitatis accipit scriptura, ut Psal. 12. Circumquaq; ambulent iniqui seu improbi, ut exaltentur probra filijs hominum. Solet namque lingua sacra subinde hac Antonomasia uti, ut epitheta sola ponat, suppressis nominibus: fortitudinem, pro uiris fortitudine præditis, quos suo more Dauid uiros fortitudinis uocat.

Iniquitatem in aliquo aspicere, est alicui peccatum imputare, Numer. 23. Non aspexit iniquitatem in Iacob, neque uidit calumniam in Israel. Dominus, &c. Id est, Dominus peccatum Israeli non imputat, propter fidem, peccat quidem fidelis, sed statim condonatur ei peccatum.

Iniquitatem delicti facere, portare, Leuitici uigesimosecundo. Id est, ne sint in causa ut plebs peccet comedendo quæ ipsa deo consecrauerit. Iniquitas eius super eum. Numeri decimoquinto cap. Id est, dabit pœnas pro iniquitate sua quam admisit. Iniquitatem sanctuarij portare, Numeri decimooctauo. Id est, dabitis pœnas si quid peccatum fuerit in ceremonijs sanctuarij. Iniquitas sanctificationum, Exodi 28. Id est, tollet iniquitatẽ quam admittere possent Israelitæ in sanctionibus suis sanctis, & in omnibus alijs donis,

donis, si quid peccent, non ritè offerendo quæ offerri non debent, condonabitur ei propter sacerdotem summum, qui Christum repræsentabat.

Iniquitas, est hypocrisis & fucata religio fidei ac dilectionis rigore destituta, Matthæi septimo capite.

¶ *Iniuria* pro impietate, Abdias: Propter iniuriam in fratrem tuum Iacob, Septuaginta, ἀσεβείας, id est, impietatem.

¶ *Iniustitiæ* nomine Paulus Rom. 1. cap. omnem iniquitatem, omnia scelera, atque peccata, quæ falsam religionem sequuntur. Reuelatur, inquit, ira dei de cœlo super omnem impietatem & iniustitiam hominũ, qui ueritatem in iniustitia detinent, hoc est, euangeliũ cum idololatria & hypocrisi. In iniustitijs incedere quid sit, suprà expositum est, in uerbo Incedere.

Iniusti, Paulo dicuntur infideles, & ab ecclesiæ consortio alieni. Corinthiorum sexto capite, Sub iniustis, &c.

¶ *Innuti* pro sperare, confidere, Esaiæ 10. Et erit in die illa non adijciet ultra residuum Israel, & euasio domus Iacob, ut innitatur percutienti se, & innitetur super domum sanctum Israel in ueritate.

¶ *Initiari Beelphegor*, est sese adiungere, consecrare idolo Phegor, Numer. 25. Initiatusq; est Israel Beelphegor. Adiunxitq; sese Israel idolo Phegor, id est, relicto cultu ueri dei, secuti sunt cultum idoli quod colebatur in monte Phegor, de quo Numerorum uigesimotertio capite.

¶ *Innocentiæ* uocabulũ in hæc uerba explicat Basilius Magnus, dicens: Aliquando Dauid simplicitatem inexperientiamq; ac ignorationem eorum quæ necessaria sunt cognitu, innocentiam nominat, sicut in Prouerbijs dicitur, Innocens omni uerbo crede re. Et Psalmo septimo, Quoniam nos homines in plurimis ob inconsiderantiam & insipientiam erramus, Deum rogat super Innocentia ueniam. Hæc ille in Psalmum, Domine deus meus.

Innocentes hinc proprie hi sunt, quos cura & studium tenet oraculorum dei, ac ideo nihil Iniquitatis admittunt, utpote, qui in uijs dei gradiantur, eam uiuendi rationem amplexi, quam ille præscribit. De quibus Psalmo centesimo decimonono, Beatos pronunciat innocentes uita, quam uiam suo more uocat, additq; tales esse, qui iuxta dei legem uiuunt.

Innocens pro iusto usurpatur, Ionæ 1. cap. Et ne des super nos sanguinem innocentem. Septuaginta δίκαιον, id est, Iustum.

¶ *Inopia* pro adflictione seu dolore Hebræis, Psal. 88. usurpatur, dicens, Oculi mei languerunt præ inopia: hoc est præ adflictione facies mea deiecta est, ut fere idem sit loquendi modus in illo Psal. 6. Turbatus est à furore oculus meus. hoc est, facies mea præamaritudine tabida facta est, & cadaueroſa.

¶ *Inordinati* dicuntur Paulo, qui occlamant ueritati, pacem publicam interturbant, sua prodigunt, aliena cupiunt, malis artibus circumueniunt, ecclesiam onerant & sceleribus suis sanctos offendunt. 1. Thess. 5 cap. Vos fratres monete, monete Inordinatos. Hinc Inordinate uiuere, est otiari & gratis panem accipere, hoc est, qui facis simile, alio rum uescuntur laboribus. Ordinate uiuunt, qui cum labore & sudore noctes atq; dies, hoc est, assidue opus faciunt, ne cuiquam oneri sunt. 2 Thess. 3. Quoniam non inordinate gessimus nos inter uos.

¶ *Ioseph* pro Israele sæpe ponitur, quemadmodum et per Synecdochem Rachel, Matthæi tertio capite, totius Israel intelligitur. Nam Rachel mater fuit Ioseph. Item Ioseph pro fratre, Amos sexto. Sicut Dauid putauerunt se habere uasa cantici, bibentes de uiolis uinum & optimo unguento delibuti, & nihil patiebantur super contritione Ioseph.

¶ *Ipse* pro est, Genesis 40. Tres dies, ipsi, id est, sunt. 1. Samuelis 11 cap. Et filij mei ecce ipsi uobiscum, Gen. 6.

¶ *In ipso*, uulgatissimum est, In ipso, iuxta Hebraici sermonis proprietatem, poni pro eo quod est, per ipsum, Ioan. 1. cap. in ipso uita erat.

¶ *In quo, uel in eo*, Idiotismus hebraicus est, ut Psalmo 117. Mons in quo beneplacitum est deo, habitare in eo. Sic Psalmo decimoseptimo. in Hebræo, Deus uel dei immaculata, Genesis secundo capite, De ligno quod est in medio paradisi, non comedas

exeo.

ex eo. Super quo autem Hebraico schemate idem ualet, quod cuius causâ, uel cur: quem admodum Esa. 2. Super quo, uel in quo percutiam uos?

¶ *Ira*, multoties sumitur in scriptura, interdum pro uindicta & ultione punitione. neq; 1. Thessal. 5. In iram. hoc est, ultionem. Rom. 13. Vindex ad iram, ut Ephes. 5. Propter hæc enim uenire solet ira dei in filios inobedientes. Pro supplicio. Ioan. 3. Sed ira dei manet super eum. Pro pestilentia. 4. Reg. 3. Pro damnatione iusta, ut ad Rom. 5. & Ephe. 2. Eramus natura filij iræ. id est, damnationi obnoxij. Pro iustitia. Roma. 9. Quod si deus uolens ostendere iram suam. id est, iustitiam suam ostendat, potentiam suam. Pro zelo sumitur, ut Leuit. 3. Iratus Moses confregit tabulas. Iræ enim memoria in rebus reside re medici affirmant. Dan. 1. Qui si uiderit uultus uestros iratos. id est, macilentiores pue rorum uultibus.

Item, Ira capitur pro omnibus internis affectibus.

Ira Dei, in scripturis, non mentis in deo perturbationem significat, sed pœnam patientis, pro peccatis suis dignam uindictam. Thren. 3. Ira dei, itaq; est retributio peccatorum, duobus autem modis dicitur, siue quando uindicat ad salutem, ut est illud Heb. 12. Flagellat enim omnem filium quem recipit. siue quando mittit in ignem æternum, ut illud Psal. 2. Tunc loquetur ad eos in ira sua.

Ira dei, spiritus dei aliquando dicitur, Zach. 6. Et fecerunt quiescere spiritum meum in terra aquilonis. id est, iram dei.

Ira, præterea & furor. Psal. 6. & in alijs plerisq; locis scripturæ, horrendum dei iudicium significat: quod sanè nemo nisi is qui in hac uita diuinam implorat ueniam, euadere poterit.

Ira & Furor differunt. Furor, Græcè thymos dicitur, prima commotio animi, etiam adhuc latens. Ira autem Græcis orge dicta, aliquo iudicio erumpens fit, ut est in Psal. 6. Domine, ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me. Vnde maior est furor quàm ira.

Ira & Furor, nonnunquam in bono, pro animi fortitudine capi, certum est. Esa. 63. capite. Et suprà in nomine Furor, diffusius annotatum est. Quum Deus irascitur, non eius significatur perturbatio, qualis est in animo hominis irascentis uel excandescentis, sed ex humanis moribus translato sore uocabulo. Vindicta eius, quæ non nisi iusta est, iræ nomen accepit.

Iræ locum dare. Rom. 12. est cedere instituto, quo te uindicare institueras, ut Dei ira, id est, uindicta locum habeat.

¶ *Iris*, reconciliati per Christum, dei signum est: id quod credentes intelligunt. Gen. 9. Apoc. 4. Et iris erat in circuitu sedis.

¶ *Irasci*, pro despicere. Zach. 1. Vsquequo tu non misereberis Hierusalem & ciuitatum Iuda, quibus iratus es. Septuaginta, despicis. τὸν ἐλεᾶν enim dissimulare est, quum quis aliquid uidet, ira se gerit, quali non uideat. Sensus propheræ talis. Facies Assyrijs & Chaldæis, necnon Romanis, cæterisq; gentibus, qui te minimè laudant: nam despicies eos qui te honore noctu diuq; prosequuntur, quo de numero est Hierusalem & Iudæa. Ac si diceret, nequaquam. Iuxta equidem promissa tua, captiuitatis tempus expletũ est: nempe septuagesimus annus. Hocidiomate & dominus usus, Mat. 5. Quòd omnis qui irascitur fratri suo, temerè, obnoxius erit iudicio.

Irasci alicui, est pugnare. Esa. 41. Et erubescent omnes qui irascuntur in te. Cantic. 1. Filij matris meæ irati sunt in me.

¶ Ire, pro uiuere, seu conuersari, accipi, scripturæ rarum non est. Nam Ire sine macula, est uiuere in fide. Sic uia, iter, gressus, & consimilia pro conuersari. imò & pro credere & diligere, accipi uidemus. Psal. 1. Item per Ire & Stare unà, uitæ coniunctionem, & morum consprirationem significari: satis Psal. 1. & 26. probant. Nam hominis actiones, seu partes, sunt quatuor: uidelicet Sedere, surgere, ire, cubare, quæ præcipuæ hominis motiones sunt. Nam omnis uita hominis, eundo, stando & sedendo peragitur.

Ire, pro nauigare. Ionæ 1. Et descendit in eam, ut iret cum eis. Septuaginta legunt τοῦ πλεῦσαι, id est, Vt nauigaret. Pro uiuere, ut suprà. Hierem. 40. Et qui rectus in oculis tuis, ut eas illuc, perge.

Ire, eundo. Iudic. 4. Et ibit manus filiorum Israel eundo. hoc est, prospera omnia eis erant, ualde crescebant.

Ire in

Ire in pace, est esse liberum. Genesis decimoquinto capite, Et tu ibis ad patres tuos in pace, id est, non erit seruus.

Ire de uirtute in uirtutem, est de potentia spiritus in potentiam spiritus pergere. Pergant enim credentes, & semper spiritu sint ex uerbo dei robustiores, id quod & D. Paulus dicit Rom. 1. cap. Ex fide in fidem, & 2 Corinth. 3 cap. A charitate in charitatem, à gloria in gloriam, Ephe. 4. Donec occurramus omnes in uirum perfectum.

Ire uiam uniuersæ carnis, loquutione Hebraica significat mori, & eam uiam quam omnes mortales eunt. 3 Regum 2. Ego uadam uniuersæ terræ, confortare, & esto uir fortis. Ingredi uiam & ire, idem sunt. Similiter, Ire ad patres suos, eodem significatu pro mori reperitur. Et non solum mortem corporis significat, sed relegari in locum filium, & in sinum scilicet Abrahæ. Item Ire ad populum suum, idem est, Numerorum uigesimoseptimo capite. Ire post deos alienos, est sectari seu sequi cultum deorum quos colunt, Deut. 7. cap.

Ire ad linguam, est fallere, Psal. 151. Non fuit iuxta linguam suam. Septuaginta, Qui non egit dolum in lingua sua. Ire ad pedem pecudis, est sequi uestigia, Genesis 33. Et ego pergam pedetentim ad pedem pecudis. Ire in ecclesiam, est aliquo officio seu publico magistratu fungi, Deut. 23 cap.

¶ *Irrigare pede hortum*, est deducere aquam quocunque quis uult per sulcos, Deuteron. undecimo capite. Quasi dicat, humana opere irrigabatur: ut terra Chanaan de cœlo irrigabatur.

¶ *Israel, Iuda*, hoc inter se differunt, quod omnis populus prius appellabatur Israel, & postea regnante Dauide super Iudam, & Roboam filio Solomonis super duabus tribus Iudam & Beniamin, hi qui erant in Samaria, hoc est, decem tribus uocabantur Israel. Et qui regnabant de genere Dauid appellabantur Iuda. Item Israel sæpe ponitur pro Iuda, quod sæpiuscule occurrit, secundi Paralip. uigesimonono capite. Et Israelis similiter reges non raro pro regibus Iuda accipiuntur, Micheæ primo capite in fine. Item, Israel, uidens deum uel uisor & contemplator dei: aliquando populum Israeliticum carnalem: aliquando uerò electos dei, ut sæpius in prophetis, sicut Oseæ 14. cap. Nonnunquam etiam Christum ipsum designat, Esaiæ 49. Oseæ 11 cap. De quo & suprà in uocabulo Ephraim.

Israel regnum uarie in prophetis uocatum est. Regnum decem tribuum, Domus Iacob, præterea Ephraim à principali tribu, atq; ideo etiam quandoq; Domus Ioseph. Imò Israel & Ioseph pro toto populo dei, cuius Israel olim naturalis fuit pater, erant & posteri Ioseph, ut Ephraim præcipue ut etiam totus Israel interdum uocetur Ephraim, ut Psalmo 78. Item Samaria à metropoli. Item Iesrael, ab Iesrael alia ciuitate illic regia. Regnum uerò duarum tribuum uocatum est Domus Dauid, Iuda, Hierusalem, raro autem Beniamin.

Israelita si uocem interpreteris, fortis deo est: hoc nomen accepit Iacob, dum cum angelo luctaretur, Genesis 32. Hinc filij Iacob Israel dicti sunt, ut Ioannis cap. 1. Vere Israelita. Sine dolo dicit eum esse, collaudans eius simplicitatem & crudelitatem, deinde & syncerum studium cognoscendi Christum.

¶ *Insulæ* hoc uocabulum apud Hebræos multoties usurpatur, Aut pro certo aliquo tractu aut regione: ut in Esaia uigesimo capite, Æthiopia & Ægyptus, insulæ uocantur. Item, pro gente Insula, ut Esaiæ quadragesimosecundo capite, Et dicit habitator Insulæ huius. Psal. 96. Insulæ multæ. Aut sumuntur pro incredulis & pro ultimis quoq; gentibus, Esaiæ quadragesimoprimo capite, Videte Insulæ, hoc est, gentes. Et uiderunt Insulæ & timuerunt. Scriptura per Insulas gentium, non insulanos solum aut nationes solum, sed & peninsulanos atq; continentis inhabitatoris maritimos, Cyprios, Rhodios, Græcos & Italos, ac maris quoq; mediterranei incolas, Oseæ 2 cap. Per gentium Insulas significatos recte accipimus. Hæc sic habere coniecturam suppeditat illud Esaiæ 49. Attendite populi longinqui. Et 60 capite, Quoniam insulæ expectabunt me. Ex his & similibus locis, in quibus Insulam cum longe à Iudæa habitantibus atq; maritimis coniunguntur, facile est animaduertenti scripturam Synonymis continuo uti, conijcere per Insulanos quosque longinquos uersus occidentem, & uel in mari uel ad mare sedes suas habentes, intelligendos. Etenim quas gentes nominatim Prophetæ recensent, dum iram seu ultionem dei, siue benignitatem prædicunt, ferè omnes sunt, quarum

aliquam populus notitiam habebat. Nam harum utraq; fortuna prædicta plus uel terroris incutiebat uel ſpei ferebat. Reliquas uero incognitas populo gentes, generali hoc gentium nomine & terminorum orbis fere ſignificant, ut Pſal. 2. Gentium hæreditatem & poſſeſsionem finium terræ Chriſto ſeſſuram cecinit. Porrò de conuerſione Inſularū ad dominum, præſertim quæ facta ſub regno Chriſti eſt, Eſaiæ adductis locis, & capite undecimo atque ſexageſimoſexto capite, Et ueniunt & uidebunt gloriam meam. Et mittā ex eis qui ſaluati fuerint ad Inſulas longe, Pſalmo uigeſimoſeptimo, et nonageſimoſeptimo, luculentiſsimè uaticinati ſunt.

¶ *Inſipiens* more ſcripturæ incredulum & hypocritam & deo diffidentem, uirum inſipientem, hoc eſt, iniuſtum, & fide nondum à deo iuſtificatum nominare conſueuit, ut Pſalmo 91. Vir inſipiens non cognoſcet, & ſtultus non intelligit: illi ſtultitia ſunt omnia, quæ dei ſunt, primæ Corinthiorum ſecundo capite, licet maxime ſecundum prudentiam carnis quæ eſt inimica dei, ſit ſapientiſsimus. Hinc Inſipientes Paulo dicuntur Romanorum ſecundo capite, Eruditorem Inſipientium: nempe qui non ſimpliciter & natura Inſipientes ſunt, ſed qui malitioſe Inſipientes ſunt, qui uidelicet ea quæ intelligunt malitia quadam uel intelligere nolunt, uel prorſus negligunt: iſs uerò debetur caſtigatio ſiue correctio grauior.

¶ *Inſipientiam* Paulus 2 Corinth. 11. cap. uocat gloriationem ſuam, & magnificam de ſe prædicationem, quæ in tota epiſtola utitur ad gloriam dei, & pſeudapoſtolorum cōfutationem. Vtinam toleraſſetis me Inſipientia mea, &c.

¶ *Inquirere animam*, in bonā & malam partem ſcripturæ inuſitatum non eſt. Interdū pro ſeruare, Pſalmo centeſimo quadrageſimoſecundo. Non erat qui inquireret ſeu quæreret animam meam, ſubaudiendum ſeruare. In malam partem accipi uides pro uenari ad mortem, ut Matthæi ſecundo capite.

¶ *Integer*, Hebraica uox Thomim, mentis & fidei integritatem ſignificat. Sed hanc uocem Thomim, Alij Integrum, alij immaculatum, uertunt, ſed ut D. Kimhi rectè tradidit, ſignificat eum, qui miſſa prudentia filiorum huius ſeculi, hoc eſt, uerſutia & calliditate ſibijpſi proſpiciendi, & ſua quærendi, innocuam & ſimplicem uitam degat, à cura & proſpectione dei in omnibus pendens. Qualis erat Iacob, de quo habet ſcriptura Geneſis uigeſimoquinto capite, Et Iacob uir Thom, id eſt, innocuus, ſimplex, minime uafer & uerſutus, habitans in tabernaculis. Septuaginta dicunt ἄπλαστος, in quo nihil eſt fictum. Sic & Noe, nam & ille erat uir Thomim, latine dicere poſſemus Integer. Nam perfectum dicunt, cui nihil deeſt, aut eſt abſolutum. Sic uocantur fideles & pij Thomim qui abſtinent à magnis flagitijs. In cæteris communibus uitijs & quotidianis delictis quotidie pœnitent & dolent coram deo, Geneſis uigeſimotertio capite, Iacob autem ſimplex. Ideò accipitur hoc nomen pro irreprehenſibili, Geneſis decimoſeptimo capite, Fac te ipſum ambulare me, & eſto perfectus. Septuaginta ἄμωμος, id eſt, inuituperabilis. Hebræi duas habent uoces Zadik & Thom uel Thomim. Zadik ſignificat iuſtum, qui in ſe quidem iuſtus eſt, at publicis non fungitur officijs. Thom uero (quem Latinus ubiq; ferè perfectum reddit) ſignificat eum qui corrumpi nequaquam poteſt, qui ubiq; ſuo officio ſatisfacit. Vir integer, qui nuſquam cedit.

¶ *Integrum pecus* in Moſe eſt, Leuitici decimoquarto capite, quod omni uitio careat, quod non eſt maculoſum, ſcabioſum, cæcum, claudum. Integrum dicimus, qui habet ſanam & rectam opinionem de deo, ut uere credat & uere timeat deum: nimirum qui ſemper ad recta ſpectat: etiamſi quandoque cadit, ſemper tamen in deum tendit. quomodo & pij & fideles perfecti dicuntur, ratione integritatis & perfectionis Chriſti, cuius in fide uera compotes effecti ſunt, in ſe uerò planè imperfecti & peccatores exiſtentes.

¶ *Inſani* Hebræis dicuntur Holalim ſeu furentes, id quod ſe ſimulabat Dauid agnitus apud regem Aciſch regem Gath, cum inter manus ſeruorum huius regis faciem immutaſſet, & ſaliuam diſpumaret. Ibi enim hoc uerbi ſacra hiſtoria uſurpauit. Transfertur autem ad Inſanientes improbitate. Hoc ſignificatu uſus huius uerbi eſt & infrà Pſalmo ſeptuageſimotertio, ſeptuageſimoquinto & centeſimo ſecundo. Item Eccleſiaſtes multis in locis. Conſonat hic cum ſcriptura dogma Stoicorum, quibus omnes improbi & ſtulti inſanire dicuntur. Et quæ dementia, quæ inſania grauior, quàm mentem datam diuinitus in hoc ut omnibus recta ratione proſimus, totam ad lædendum hominē

mines conuertere? Id quod isti studebant de quibus Psalmo quinto loquitur, quod Hebraïm, id est, uesanos dixit.

¶ *Intelligens* is dicitur, qui prudens & cautus est, ut recte in his incedat, & nulla fallacia seducatur. Vel quia animaduertit facta & uerbum dei, id est, sapientia abest à contemptoribus dei, Prouerbiorum decimoquarto capite, In corde intelligentis, & obseruans uerbum & uoluntatem dei, iste rectè ingreditur, hoc est, qui fidit quibus est fidendum, & damnat ea quæ sunt damnanda, & rectam opinionem de deo habet, Prouerb. Vir intelligens dirigit.

Intelligentia non est, de qua Philosophi opinantur, sed fides ipsa, quæ in rebus proueris & aduersis potens est ea uidere quæ non uidentur. Ideò Psalmo secundo dicit: Intelligite, id est, facite ut sitis creduli. Ille intellectus ex fide uenit: iuxta illud, Nisi crediderit is, non intelligetis: Proinde uerbum intelligite in Hebræo sonat Asciłu, quod absoluto statu significat Intelligentes, facite scilicet, nos metipsos uel alios (ut D. Hieron. exponit) hoc est, sategite, hoc contendite, ut sitis intelligentes, & spiritualia siue cœlestia sapiatis. Simili sententia qua Psal. 31. Nolite fieri sicut equus & mulus, in quibus nõ est intellectus. Intellectus humanus in solidum ignorans dei, et uoluntatis diuinæ, tum potentiam ignorare, tum misericordiam & iram, etiamsi perpetuo doceatur, tamen intellectus nunquam credet esse deum misericordem aut iustum. Sic & uoluntas nihil affectat præter carnalia. Intellige hæc omnia de diuinarum rerum cognitione.

Intelligere super aliquem, est diligentius aliquem intueri, tertij Regum tertio capite: Intellexi super eum, siue ad eum. Noster interpres sic: Diligentium eum intuens, Est, ratione adhibita rem considerare, sic Psalmo quadragesimo, Beatus qui intelligit super miserum, hoc est, qui cordatus prudens'que est in cognoscendis calamitatibus hominis ægroti, ac sciant bene precari ægroto. Nempe, Dominus conseruet eum, & uiuificet eum, et cætera.

¶ *Interpretatio* Hebræis pro sermone claro & eleganti ponitur, ueluti sicut dicta sapientum, prouerbia, apophthegmata, et cætera. Prouerb. 1. Ad intelligẽdum parabolam & interpretationẽ. Et Abacuc 2. capite, Nunquid non omnes isti sument super eum parabolam, & loquelam, siue prouerbium atq; ænigmata.

¶ *Interrogare* apud Ioannem capite decimosexto. Et nemo ex uobis interrogat me quò uadam. Hoc loco, ut aliàs sæpe in scripturis, usurpatur pro perpendere, & exactius pensitare: quemadmodum & Germanis in usu est, dicentibus, dem fragst du nit nach. Id tibi non est curæ: non expendis quid hinc tibi oboriatur uel utilitatis uel detrimenti.

Interrogationes prophetarum duo docent. Alterum non posse inania esse uerba prophetarum, præsertim spiritu ubiq; sibi consentiente. Quod enim Micheas, Amos Hosea in Israel, idem Esaias in Iuda prophetabat: Alterum, nullum malum fieri nisi à domino, & qui reuelat illud futurum suis prophetis, tum ut pij resipiscant, tum ut impij exeeantur. Sic Noe reuelauit futurum diluuium. Sic Abraham futurum incendium Sodomæ, etc. Quis est iste qui dixit, ut fieret domino non iubente?

Sic Hebræi plerunq; solent quæ certo assumant sub interrogatione proferre. Vehementius enim monent epiphonemata quàm ἀνθρώπου πλασμὰ, hoc est, simplex forma, Genesis decimotertio capite, Num non terra tota coram te est? Num non hæc scripta sunt in libro dierum regũ Iuda, Ezechielis uigesimosecundo capite, Et tu fili hominis num non iudicas ciuitatem sanguinum, & ostendes eis omnes abominationes suas? Has interrogationes reperies in compluribus locis.

¶ *Inter te & me*, locutio hebraica est, Genesis 23 cap. Terra quam postulas, quadringentos siclos argenti ualet inter me & te. Id est, ratione amicitiæ: Quasi dicat, alteri non darem tali uili pretio.

¶ *Intrare* seu Introire, est rem habere cum aliqua. Intrare in ecclesiam, Hebraica consuetudine significat administrare, regere, Esaiæ quinquagesimosecundo capite, Sic et in Deut. 23. Non intrabit eunuchus ecclesiam domini, & Deut. 31. Non intrabit in ecclesiam dei Ammonites, quod est aliquo officio seu publico magistratu fungi. Non possum ultra Ingredi & Egredi, id est, magistratum gerere & officio publico præesse, quia uir centum annorum sum. Sicut & ipse Christus, Ioan. 10. cap. Non intrantes ouile per ostium, lupos & adulterantes ministros uocat.

Scriptum est de Barach, qui intrauit ad eam, Animaduertendum est non esse consequens, ut in scriptura dicat de uiro, quod intrauit ad aliquam fœminam, iam etiam cõcubuisse credatur. Assidue quippe sic loquitur scriptura, Intrauit ad eam, id est, domũ eius intrauit, non ut per hæc uerba intelligatur concubitus. Hæc D. Augustinus.

Intrare & Exire, perpetuam uitæ consuetudinem habere 2 Regum 3 & 3 Regum 3 et Actorum 1. cap. patet. In quo intrauit & Exiuit apud nos dominus, toram uitæ conuersationem Christi Lucas intelligit. Hinc quoq; Introitus & Exitus pro negotijs actionibus uitæ humanæ sumi, certum est. Psal. 121. Dominus custodiat Introitum tuum & Exitum tuum, ex hoc nunc & usq; in seculum, quorum quidem nullus aut modus, aut ordo, nisi turpis & confusus esse potest, ni dominus ipse consilia moueat, ac, ne errent animus, peruigil semper custos existat. Item, Introitum & Ingressum 1 Thess. 2. cap. prædicationem Paulus intelligit suam. Introitus scilicet noster non fuit inanis. Id est, prædicatio nostra. Vide suprà in litera E, in uerbis Egredi & Exire.

¶ *Interire de populo suo*, Leuit. 17 cap. Interibit de populo suo. Excidetur ille de populo suo. Id est, non censebitur circumcisus, non numerabitur inter suos populares.

¶ *Intueri*, pro obseruare atq; custodire Psal. 119. Tunc non pudefiam, dum intuitus fuero omnia præcepta tua. Hic Intueri & uidere uel considerare pro eo accipitur, pro quo obseruare atq; custodire. Similiter apud Matthæum 6 cap. Respicite ad uolatilia cœli. Græce non simpliciter habet ἴδετε, sed ἐμβλέψατε, hoc est, intuemini, non simpliciter uidete. Est enim intueri, diligenter cum animaduersione & consideratione uidere.

¶ *Inueniendi* uerbum obuiam ac paratam alimoniæ copiam significat, Ioannis 10 capite, Et pascua inueniet. Item, Inuenire pro uerbo acquirere reperitur, Genesis 26. cap. Et inuenit in ipso anno centum hordeorum, hoc loco alijs; etiam mensuræ genus supprimitur, Latinus dicit, centum modios hordeorum. Pro sufficere, Iudicum 21 cap. Et dederunt eis uxores, quas in uita conseruauerant ex mulieribus Iabes Gilead, sed non inuenerunt eas. Pro tangere & percutere, Deut. 19 cap. Et inuenerit proximum suum. Pro recipere, Genesis uigesimoseptimo capite. Seminauit autem Isaac & inuenit, &c. Quasi diceret, Seminauerat de omnigenis seminibus & centupla recepit, & demessuit, seu acquisiuit, ut suprà.

Inuenire sæpe ponere pro habere Hebræis usitatum est, Exempli causa, Dedit ei quic quid manus eius inueniebat, id est, quicquid habebat, Lucæ 1. Inueniſti gratiam, id est, habes gratiam, dominus fauet tibi. mit gott vvol dran ſin, in gnaden ſyn. Aliàs Latinis Inuenire de re quæsita dicitur. Nam Inuenire gratiam significat fauorem & gratiam habere. Sic & Genesis capite nono. Noe inuenit gratiam coram domino. Genesis 39. Ioseph inuenit gratiam in oculis domini, id est, dominus eum fauore & gratia prosequutus est, Latinus dicit: Si mihi per gratiã tuam licet, si hanc mihi gratiam faceret: familiaris locutio est apud scripturam. Sic etiam Inuenire, pro esse ponitur, Philip. 2. cap. Et in forma inuentus ut homo. Vel figura repertus ut homo, id est, in omnem modum ut rus homo est declaratus, Germanice, Es erfindt ſich. Id est, certum & compertissimũ est.

Inuenire iniquitatem est rescire, deprehendere, Noster Interpres, argui sceleris 4 Regum 7 cap. non raro occurrit, Inuenta iniquitas 4 Regum 17 cap.

Inuenire cor suum, idem est, quod deum aliquid mittere in mentem homini, ut sanciat, &c. 2 Regum 7 cap. Non Inuenire uerbum, hoc est (interpretante D. Hieronymo) non Inuenerunt quod responderent, Nehemiæ 5 cap.

In manu Inuenire, hoc schemate utuntur Hebræi, pro conuictũ & noxium esse. Manus enim symbolum est admissi criminis. Et ponitur manus pro facto. Inuenitur in manu eius, id est, manus eius noxiæ sunt. Es erfindt ſich vff im das ers thon hat. Nam quomodo alioqui in manu eius inueniretur, quod uendidisset, Exodi uigesimoprimo capite, Qui furatus fuerit hominem & uendiderit eum, conuictus noxæ, morte moriatur. Hebræus legit: Et inuentus fuerit in manu eius. Quo schemate & eodem capite usus est Moses: Si inuentum fuerit in manu eius furtum, loquutio est omnino hebraica. Inuenta est in manu mea hæc res, et cætera. Id est habeo. Sic primi Regum decimotertio capite, Qui inuenti fuerant cum eo, id est, qui cum illo erant, seu quos ille sibi adiunctos habebat.

Inuenire, nonnunquam pro parare, acquirere, siue habere, quo modo ferè Latini. Item Esaiæ 19 cap. Quasi uero mea uirtute Inuenerim, id est, parauerim.

Item, Inuentum, uocãt enim Hebræi id quod præsens est & coram uersatur. Genesis 19 cap. Surge, tolle uxorem tuam & duas filias tuas inuentas, hoc est, quas præsentes habes, ut Septuaginta ἃς ἔχεις. Item, pro fidendi & adhærendi uerbis Christus usus est, Ioann. sexto capite. Et Esaias 45. cap. Omnes gentes ad eum ueniunt. Item, pro reperire, deprehendere, Matth. 3. cap. Inuenta est in utero habens. Item, Inueniendi uerbum Hebræis pro existendi, Fiendi, Esaiæ 10. cap.

Inueniendi uerbum porrò aliquoties idem est quod agnoscere. Sic Prouerb. 18. Qui inuenit mulierem, inuenit bonum. Inuenire mulierem est agnoscere uoluntatis dei esse, habere eam cui contigit. Nam offerri diuinitus, uxores, idem Salomon adfirmat in hæc uerba capite sequenti: Domus & diuitiæ hæreditas parentum, solus autem dominus offert mulierem prudentem. Inuenire quoq; Hebræis pro sufficere, iuxta hebraici sermonis proprietatem. Iudicum 21. Vnde inuenitur: Si non inuenerit manus tua quod offeras, Numeri 11. Item, Inuenit eum malum: locutio hebraica. Deut. 31. Inuenient eum omnia mala & adflictiones: Vel, Inuenient eum mala multa & angustiæ. Id est, confitetur malis multis & angustijs.

Inuenire Hebræis pro consequi accipitur, ut Romanorum quarto capite, Quid igitur dicemus Abraham patrem nostrum Inuenisse secundum carnem. Id est, consecutũ esse & meruisse. Sic Inueniendi uerbo Græci & Hebræi utuntur: aliquando & communiter est incidere in id quod quæris, & quo caruisti: aliquando habere præter meritum, 1. Samuelis 20 capite, significat quærere, & aduertere rem aliquam. Voluit puerum latere quod fieret.

Inueniendo inuenire, Exodi uigesimo secundo capite, Inueniendo inuenerit in manu eius, hoc est, manifeste, clare deprehensus fuerit. Consentit idiomate, uidendo uidi. Quid sit, Inuenire animam, uide in nomine Anima. Inuenire deum, Deuteronom. quarto capite, Inuenies eum. Id est aderit tibi, & fauebit. Inuenire gratiam coram uobis, Hebraismus, sum uobis gratiosus, & annuite precibus meis. Item, Inuenire gratiam coram deo, Vel in oculis alicuius, Genesis 18. pro si tibi gratus sum. Et Exodi 33 capite, Inueniſti gratiam coram me. Id est gratus es mihi.

¶ *Inueterare* iuxta phrasim scripturæ, idem est, quod nondum induere nouum hominem, qui secundum deum creatus est, sed adhuc seruire legi carnis, quod est in ueteratate carnis manere, & qui uolunt spiritu innouari. Psal. 6. Inueteraui inter omnes inimicos meos. Significat autem proprie in malis obstinatum esse, ut Psal. 17. Filij alieni inueterati sunt.

¶ *Inuocare* in sacris literis pro religione dei, hoc est, colere, celebrare, prædicare, profitert. 1. Corinth. 1. Cum omnibus inuocantibus nomen domini Iesu Christi, hoc est, qui publice profitentur Christum esse deum. Et 1. Petri primo capite, Etsi inuocatis patrem, &c. posuit pro uera & solida religione seu fide, Rom. 10. cap. Dues in omnes qui inuocant, &c. Hoc loci significat Inuocare certa fide opem, & salutem apud deum quærere, ei fidere, opem implorare. Vnde Genesis 4 cap. legimus, tempore Henoch incœptum esse inuocari deum, hoc est, coli. Hinc Inuocare nomen dei, Psal. 105. sæpe usurpatur pro colere & credere, Ioelis 1. cap. Et erit omnis qui inuocarit nomen domini, Et ad Rom. 10. cap. Quomodo inuocabunt.

Inuocare deum, est prorsus dei curam habere, nihil non ab ipso expectare, nihil non petere. Nam dei cognitio efficit ut deum identidem homo nominent, uirturem eius prædicet, atque in omni necessitate eum inuocet, eiusq; opem imploret. Hinc Inuocare Deum, uel Dominum, uel nomen domini, aut ut scriptura loquitur, in nomine domini pro cultu & adoratione dei in scripturis accipitur. Vnde quum Genesis quarto capite, scribitur, nato Henoch cœpit inuocari nomen dei: idem ualet atq; cœptus est dei cultus. Ita quum subinde de Abraham scribitur extruxisse aras & inuocasse nomen domini, nihil aliud dicitur quàm instituisse eum loca colendi dei, & ibi eum coluisse, nomen eius prædicasse, ad timorem eius inuitasse, tum ibi litasse, & fidem suam esse testatum, ac cæteros ad id agendum prouocasse. Quod est ipsum cœpisse dei cultum, iam tum in primis illis rerum exordijs parum cognitum.

Idiotismus is frequens est in Psalmis, Psalmo decimooctauo, Laudans inuocabo deum. Neque enim inuocari potest, de quo salutem non expectes, de quo uerò eam speras, eum haud poteris citra laudis præfationem quicquid orare. Ergo non Inuo-

care Deum, est nullam prorsus curam, desiderium, solicitudinem dei habere, nihil ab illo expectare, nihil petere Dauid Psalmo decimoquarto, dicit, quod deum non inuocent, hoc est, omnis religionis inanes metu'que dei uacuos esse, atque scelerate & quam libet perdite uiuerent. Chaldæus reddidit, Nomen dei non prædicarunt.

Inuocari nomen dei super nubem & populum apud Danielem nono capite, aliud non est quàm ut dei peculium & hæreditas esse dicantur, de dei uero & legitimo cultu famari & gloriari, fide & obedientia dei populus agnosci & haberi.

Inuocari nomen, Modus quoque loquendi Hebræorum, pro eo quod appellationem ab aliquo sortitum esse: quem modum Daniel nono capite, obseruauit. Quia nomen tuum inuocatum est, quasi dicat: Templum & ciuitas, ac populus, quæ nomine tuo appellantur, populus & ciuitas dei uocabantur. Sic Esaiæ quarto capite, de uiris dicunt mulieres: tantum nomen tuum inuocetur super nos, hoc est, inuocari nomen eius super eis, ut uocentur omnes septem mariti nomine. Idiotismus autem Hebraicus non inelegans, ne putemus mariti nomen uocari ab uxoribus, debeat aliquo pacto intelligi. Est autem ea Enallage peculiaris Hebræis, ut dicant uocari nomen alicuius super aliquem, pro, Vocari aliquem alicuius nomine. Nihil aliud est, quàm quod uocantur uiri illarum, & ita aufertur opprobrium earum quæ uiduæ dicuntur. Erat enim sterilitas & uiduitas in maledictione. Hinc discis quod locus ille Geneseos quadragesimooctauo capite, ubi dicit Iacob: Inuocetur super illos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham & Isaac. nihil aliud uult quàm quod dicendi essent filij Israel, filij Abrahæ & Isaac. Deut. 28. Quod nomen Domini inuocatum sit super te. Id est, intelligens te uocari de nomine dei, & esse. Et Actorum 15 cap. Et omnes gentes super quas inuocatum est nomen meum, hoc est, qui nomine & numero populi dei numerantur.

Inuocatum, pro uocatum simpliciter, secundi Regum duodecimo capite, et cæterum Genesis quadragesimooctauo capite, Danielis nono capite, Domine respice, ait, ciuitatem, super quam inuocatum est nomen tuum, id est, quæ tuo nomine appellatur, Ciuitas uidelicet dei, Et Iacobi secundo capite, Et ijdem male loquuntur de bono nomine quod inuocatum est super uos? Idem est quod supra ex Genesi adductum est, Inuocabitur nomen meum super illos. Id est, illi uocabuntur appellabunturq; meo nomine. & censebuntur mei filij, &c.

¶ *Inuisere* & rationem habere, quod tam in malam partem quàm in bonam partem in Bibliis accipitur, ut benefactis declarat se deus rationem habere suorum in bonum, ita ultione manifestum facit, se rationem habere reproborum in malum, Psal. 8.

¶ *Iubilare* quasi strepere, lætari, ac uociferari. Id quod Græcis est ἀλαλάζειν. Verum etiam Latini usi hac uoce sunt, uidelicet Iubilo, à quo & eiusdem uocis uerbum, iubilum non significatur ea illa lætitia, quam innuit hoc uerbum ecclesiasticum. Dicit enim D. Augustinus Iubilare proprie beatissimarum esse gentium, & gaudijs diuinis perfruarum. Iraq; proprie in cœlo Iubilare inuenire. Hæc ille. Capitur nonnunquam Iubilare pro clamore terrrere, Hiere. 50. cap. Iubilate, pro prædicare, Ioelis 2 capite. Et Iubilate in monte sancto eius. Septuaginta, κηρύξατε, prædicate.

¶ *Iuda* nomen habet à collaudatione & gratiarum actione, quæ Hebræis nonnunquam confessio uocatur: ueluti quum libera fronte & fatemur & gratias agimus deo, quod omnia quæ habemus, à se habeamus, Hebræorum 8. cap. super domum Israel & Iuda. Id est, confitentes nomen suum, & laudantes eum in omnibus consumat testamentum, hoc titulus in cruce uoluit. Hinc Iudæus, quia dei confitentem ac confessorem significat, duplex est: uerus, spiritualis & internus, qui habet promissionem Abrahæ, & admissus est in numerum fidelium, is non probatur à circumcisione uel alio cultu externo, sed fide sola. Abraham enim quia credidit, iustificatus est. Genesis. 15. cap. Et Iudæus personatus, externus & carnalis: qui à Christo negatur esse filius Abrahæ, si fidem ueram quæ præcipua est inter opera Abrahæ, non habeat. De his duobus generibus D. Paulus Rom. 2 cap. disserit.

Iudæi populus dei uocati sunt: Exercitus cœli & stellæ & Iudæa, desiderabilis terra propter ubertatem, Danielis cap. 8.

¶ *Iudicare*, multoties & uarie usurpatur in scriptura sacrosancta. Et idem est nonnunquam quod præesse, regnare, imperare, gubernare, atque inde tam pro de-

fendere

fendere bonos, quàm puniri malos accipi solitum, ut Iudicum Samson iudicauit uiginti quinque annis, hoc est, regnauit, Esaiæ quinquagesimoprimo capite. Nonnunquam etiam pro causarum discussione. Hæc enim propria iudicantis, hoc est, regentis & gubernantis officia sunt, Genesis 29. capite, Dan iudicabit uel uindicabit populum suum, sicut una tribuum Israel. Hic regere, præesse, ius dicere, uindicare, usurpatũ. Et 1. Samuelis septimo capite. Genesis 30. capite. Sic apud Ezechielem 16. capite, In alios decernere sontes etiam tanquam merito punitos. Et Psalmo 109. Iudicabit in nationibus, id est, erit iudex & rex gentium, Et Psal. 71. Iudicabit pauperes populi, id est, reges eos, Psalmo 105. Iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in ueritate sua. Vnde iudicare homines, est officio uerbi inter eos agere, arguere, increpare, obseruare oportunè, importunè, Genesis 6. capite. Non iudicabit spiritus meus in homine, &c. Hinc est quod Apostoli principes, iudices, & quasi rectores ecclesiæ nominantur, ut quod Christus nobis reliquit non contemnendos, de quibus Dauid Psalmo 44. Constitue eos principes super omnem terram. Et Christus ipse, Matth. 19. capite, atque Esaiæ 1. cap. Redire faciam Iudices tuos, sicut in principio.

Iudicare & Iudicium deinde etiam uindicare, ulcisci, asserere, punire frequenter uertuntur Hebræi, Genesis quintodecimo capite, Veruntamen gentem, cui seruituri sunt, ego iudicabo, id est, uindicabo, asseram, rependam. Et Genesis trigesimo capite, Iudicauit mihi Dominus, id est, uindicabit & exaudiuit Dominus uocem meam. Et Dominus inter me & te iudicet, id est, uindicet, Iudicum sextodecimo capite. Iudicauitq; Israel uiginti annis, pro puniuit, ultus est hostes populi sui. Sic Deus sæpius dicitur esse Iudex pupillorum, pauperum, orphanorum, & id genus, id est, ultor & iudex. Ergo Iudicare gentem, punire est.

Secundo, pro iudicio & sententia capitur, quam ferunt inter litigantes, qui iudicijs præsunt: nempe Iudices. sic Exodi decimooctauo capite, Constitue tribunos. Terrio capitur pro condemnatione, ut Ioannis tertio capite. Quarto, pro statu quicunque post hanc uitam destinantur, Hebr. 9. capite, Constitutum est semel, etc. Quinto capitur pro ultimo illo & uniuersali iudicio, quo colliget Deus homines omnes ab initio mundi ad finem usq; fuerunt, & sunt & erunt: Matthæi 25. 2. Corinth. 5. cap. Omnes nos manifestari oportet.

Iudicare, Matthæi septimo capite, est aliena dicta uel facta, non ut emendes, sed ut notes, denigratoq; proximo, tibi uel probitatis opinionem, uel praui animi oblectationem concilies, explorare & censere. Oritur uerò ex praua quadam curtositate, & habet ferè comites inuidentiam atque animi peruersitatem, ex alienis peccatis uoluptatẽ percipientis.

Condemnare autem est contra eos, quos ita iniquo animo iudicaris, pronunciare. Hoc impium est, isthuc hæreticum: illud ex condemnatione, hoc ex auaritia factum: sic enim usurpauit iudicandi siue condemnandi uerbum, Matthæi duodecimo capite, Si scires quid sit, Misericordiam uolo, & non sacrificium, nequaquam condemnassetis innocentes. Ir hettendts nit hinder redt und usgericht. Id est, non derogassetis, non detrasissetis, neq; calumniam struxissetis, nihil malè commeruissetis. Et Romanorũ quartodecimo capito, Vescentem non iudicet, id est, damner & conuicijs proscindat, eodem significaru accipitur. Ideo, Iudicare itaque est aliena dicta uel facta ex affectu priuato & prauo, non ut proximum corriges, sed ut bilem reueles, & inuidiæ cupiditatiq; prauæ satisfacias, carpere. Beschetzen, hunderrichten und usgerichten.

Iudicare seu dijudicare apud Paulum 1. Corinthiorum 2. & 11. cap. est despicere, cognoscere, scrutari, considerare, impendere, inspicere. Spiritualis omnia dijudicat, id est, despicit, & cognoscit, ut sit iudicandi uerbum hic positum pro definiendi & censendi calculo.

Iudicare preterea apud Paulum, Romanorum secundo capite, Et iudicabit quod est ex natura, pro accusare, conuincere & damnare: sicut & Matthæi 12. capite, Viri Niniuitæ surgent in iudicio, &c. Et ad Rom. 14. cap. usurpatur alia significatione, nempe pro statuere & curare. Pro testificari, 1. Cor. 6. & Hebr. 11. cap. quoq; testificari & conuincere siue arguere. Latinus uertit, condemnare.

Iudicare, interim pro probare, in sacris accipitur, ut ibi: Iudica me Domine, id est, tenta & proba me. Iudicare populum, pro, ius reddere populo, Exodi decimooctauo,

Iudicare dicitur Deus populum suum quando uindictam sumit de aduersarijs populi sui, Deuter. 32. capite, Quia iudicabit populum, Hoc est, Vlciscetur Dominus populum suum de inimicis suis.

Iudicari uero apud D. Paulum 1 Cor. 4. in bonam partem accipitur, ut significet bene de aliquo sentire, ac loqui: quum uulgo Iudicari pro damnari usurpent. In omni iudicio alioqui duo fiunt. Vnus absoluitur, alius damnatur. Vnus lucrum, alius damnum accipit. Vnus laudem refert, alius ignominiam: id quod & in priuatis iudicijs usu uenire solet. Vtique Pharisæus ille, qui in iudicando seipsum prædicabat, simul publicanum uituperabat: eodem modo se habet in quolibet iudicio ut semper pro una parte iudicetur contra aliam. Huc respexit Paulus in his uerbis, ipse pars una erat in iudicio Corinthiorum: altera erant reliqui Apostoli, quibus ipsum præferebant: alij autem Petrum, alij Apollo iudicabant, id est, extollebant, & alij pluris habebant: eoq; quod dicit, Mihi pro minimo est à uobis iudicari: perinde ac si dixisset, nullius facio, neque tantillum me mouet Iudicari à uobis, hoc est, uestro iudicio alijs præferri & dari primas mihi. Si à domino contigerit iudicari, hoc est, probare, ero uerè laudatus.

Porrò Iudicari idem hoc loco esse, quod probari, alijsq; præferri atque commendari probant apostoli uerba in fine. Proinde intempestiuè ne iudicetis donec, &c etera. Quid hoc aliud est, quàm ne laudate ante tempus, finite ut dominus laudet: Ipsius est, qui nouit omnia, nos iudicare, probare, coronare, nobis quantum uidemus quæ patent, id nõ potest competere.

Iudicare iustè & recte, Ioannis septimo capite, est secundum res ipsas & qualitatem factorum: secundum aspectum uerò Iudicare, est secundum externam personarum existimationem, opinionem & laruam iudicare.

Iudicare iudicium, est uindicare causam, Threnorum 3. capite, Iudica iudicium meũ. Iudicare secundum carnem, Ioan. 8. capite, est ex affectibus prauis iudicare.

¶ *Iudex* pro præside, administratore, gubernatore, Zachariæ 3. capite, Iudices sunt ad ministri iusticiæ, uindices libertatis & religionis.

¶ *Iudicium* Hebræi non infrequenter tum pro iure, tum pro æquitate capiunt. Sic & pro officio ipso. Vnde liber Iudicum, à iudicibus seu rectoribus inscribitur. Psalmo primo, Non resurgẽt impij in iudicio, Psalmo ducentesimo uigesimoprimo. Quia illic sedes in iudicio. Significat usitato scripturæ more, cum quæ praua sunt, reprehenduntur, & damnantur. Id nomen familiare est apud Hebræos, quod propriè causæ actionem coram iudice significat, & sententiæ promulgationem denotat. Hinc Iudicium interdum pœnam, quæ propter peccatum irrogatur à iudice. In iudicio enim utrunque solet. Puniuntur mali, & uindicantur boni. Ideo Hebræi, Iudicij uocabulum in utranque partem accipiunt. Hinc iudicium, est sententia prolata contra aliquem, condemnatio ipsa, afflictionis pœna atque tormentum. Hinc iudicium, officium et causam comprehendit.

Iudicium pro lege sumitur, Psalmo 105. Prodigia eius & iudicia oris eius, legem sanctam, quam Mosi dedit in Sinai mõte, intelligit iudicij nomen similiter apud Matthæũ cap. 11. pro doctrina & cognitione ueritatis, quæ per regnum Christi, cum repudiata esset à Iudæis, ad gentes peruenit.

Iudicium quandoque quodlibet officium aut ritum ac morem, consuetudinemq;, Geneſis quadragesimo capite, Et dabis crateram Pharaoni in manum suam secundum iudicium prius. Auff die uorigen vveyſs, vvie uormols auch. Sic Matthæi tertio capite, dum excusabat se Ioannes, dixit ad eum Christus: siue, sic nos oportet implere omnem iustitiam, id est, oportet omnia agere iuxta decorem & officiũ, aut iuxta constitutum, vvie es gehœrt, als sich geburt. Secundum iudicium, id est, secundum morem, secundũ officium pristinũ. Hic uide Iudicium non semper significare officium iudicis, sed quodlibet officium aut ritum ac morem.

Iudicium præterea pro ultimo & uniuersali accipitur: aliquando uerò pro quotidiano, quod iuge est, quomodo Christus dixit: Nunc iudicium est mundi. Iudicium pro quotidiana Dei ultione. Pro figura & forma, 4. Regum primo capite, Cuius iudicij est uir. Plerunque pro damnatione ponitur, teste Christo, maximè illo uno testimonio apertissimo cui nemo contradicere potest, Ioannis quinto capite, quum de resurrectione loquitur, Qui bona fecerunt, in resurrectionem uitæ, qui uerò mala egerunt, in resurrectio-

resurrectionẽ iudicij. Pro ultione & uindicta, Exodi sexto & septimo. Cum iudicijs magnis. Septuaginta, Cum ultione. id est, signis quæ faciam inter eos. Vel supplicium grauissimum sumendo de illis. Hinc Iudicia magna pro supplicijs. Per Iudicia maxima, Exodi septimo capite. id est, puniendo maximè Ægyptios. Quicquid iustum est consuetudinem appellare. Dominus Matthæi quinto capite, Iudicium uocat honestum commentum iudicum. Qui, inquit, irascitur fratri suo, reus erit iudicio, id est, ut aliqui conueniant, qui iudicent. Esaię 5. cap. Et expectauit iudicium, & ecce colligantiam, iustitiam & clamor. Est etiam condemnatio nostri, & mortificatio, seu eruditio. Sic interpretatur Christus sextodecimo capite, Arguit mundum de iustitia et iudicio. Hoc loci iustitia pro fide usurpatur. Pro sententia Dei, Exodi uigesimoquarto capite, Omnia uerba & omnia iudicia. Pro imagine & exemplari, Exodi uigesimosexto capite. Item pro contractu & usu rerum, Leuitici decimono capite. Lucæ primo capite, Incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini, Δικαίωμα. Lucas dixit quod Hebræis Mispath dicitur. Est etiam executio iudicij, Psaltes, Faciet Dominus iudicium inopis.

Iudicium pro testimonio, Ioannis octauo capite, Kundt schafft geben, bezugen, beterren. Quasi dicat, Etiam si de me tester, mea probem, iudicium, id est, testimonium meum uerum est.

Iudicium capitur Ioannis nono capite. In iudicium ueni, pro discretione aut segregatione. Nam ubi fit iudicium, separatur & discernitur uerum à falsò, iustum ab iniusto. Sic Christus uenit, ut ostendat quid rectum, quid malũ, qui fideles, qui minus, quid æquum, quid iniquum. ich bin zu einem entscheid kommen. Iudicium, Ioannis duodecimo capite. Nunc iudicium est mundi. Nunc quidem iudicium extremæ damnationis aut retributionis, sed discretionis fidelium & infidelium. Iudicium denique expulsionis diaboli principis mundi, Das abkennen und absprechen.

Iudicium uocabulum Mispat Hebraicè medium est, Hoseæ secundo capite, in bonam partem sumitur, Desponsabo te mihi in iudicio, quod scilicet uult iudex esse. Hoc iudicium pijs non est formidabile, quod pij summis uotis exoptant ut ecclesiæ suæ adsit deus, & uindictam exerceat in hostes uerbi, sicut Petrus 2. Petri 2. ait. Hoseę 4. autem, Quoniam, inquit, iudicium fiet, idem est ac si dicat: Quoniam dominus iudicabit, puniet, adfliget nos, in malam partem sumitur, &c.

Iudicium Hebræorum 9. cap. non generale sed particulare intelligimus, nempe aut uitam aut mortem, Er hat seinen bescheid entpfangen uuie alle menschen die da sterbend. Hoc ita appellamus Iudicium quod Christus à morte accepit, cum gloria resurrectionis dei dextra exaltatus, mundo fuerit declaratus esse filius dei.

Iudicium pro Euangelio, Esaiæ 42. cap. Et iudicium gentibus annunciabit, et Matthæi 12. capite. Vt enim iudicio asseritur iustitia, ita Euangelio traditur nobis omnis iustitia, hoc est, remissio peccatorum per Christum, & ut uiuamus æquè, honestè, decenter, sanctè.

Iudicia pro legibus, Deuteronomij 4. capite. Iudicia sicut præcepit mihi, &c. Iudicia uocat leges. Item, Iudicium pro pectorali iudicij accipitur, uel potius iudicium pro morali ponitur, quo reuocabat filios Israel deo in memoriam. Cum iudicium arripuerint manus, Deut. 32. id est, & cœpero semel iudicium facere. Iudicia facere in aliquibus, pro ipsos punire, Exodi 12. Et in iunctis dijs Ægypti faciam, id est, sumam pœnas legitimas de idolis Ægyptiorum.

Inclinare iudicium, pro inclinare in alteram partem amore & odio, Deut. 16. cap. In statutum iudicij, Numer. 27. In statutum sancta lege et statuto perpetuo iudicia, uiç dei, Deut. 32. cap.

In Iudicio punire aut castigare, est non summo iure agere, & pro exacta iustitia, sed modo quodam & æquitate, non furore, Hieremiæ 30. capite. Sed castigabo te in iudicio.

Iudicium facere pro eo, accipitur pro iusta agere, hoc est, ut puniantur nocentes, & defendantur innocentes, Micheæ sexto capite, Vt facias iudicium. Nam hoc loco Prophera cum montibus agit, hoc est cum regibus & principibus, quibus Deus gladium commendauit. Item, pro uerbo Dei, sicut probat Psalmus 119. Idq; eam ob causam,

quod

quod uerbum iudicat homines, dum damnat mala, & docet sancta & uera. Ergo hoc in loco. Micheæ 6. cap.

Iudicium item facere, est uerbo attendere, id sequi, ei obedire, non repugnare uerbo, nõ odisse uerbum, sed id cum gratiarum actione accipere, ei parere, sine uerbo nihil suscipere, quæ uerbum mandat sedulo facere, &c.

Iudicium & Iusticia, pro quibus tamen Latini æquitate & iusticia utuntur. Quid enim Æquitas est, quàm Iudicium? amat summum ius, ne summa iniuria fiat, summo iudicio expendi: quod æquilibrium, Latini æquitatem, Hebræi iudicium uocant, Esaiæ 8. capite, Vt regnum confirmet & corroboret in iudicio sine æquitate & iusticia. Et 9 capite, Deus iudicij dominus, id est, æquus est dominus. Et Psalmo 22. Hos dirigit in iudicio suo, id est, ut recto iudicio uiuant: nempe, ut recte & ordine. Nisi quis uelit ad iudicium dei referre, ut sit sensus: Dirigit eos pro suo iudicio, id est, ea æquitate. Sic enim iudicium in scripturis, quum deo tribuitur. Similiter inter Iudicium & Iusticiam quoque hoc discriminis ponitur, ut iudicium ad cognitionem causæ & pronunciationem sententiæ spectet, Iusticia autem ad exequutionem. Iob octauo capite, Nunquid deus peruertet iudicium, & nunquid omnipotens peruertet iusticiam? Sic capite decimoterrio pro oratione qua inter disceptandum in iudicio utitur: Vtinam taceretis.

Iudicium & Iusticiam facere, frequens est in sacris. Vbicunque sane hæ duæ uoces iungũtur, significant recte & ordine quid fieri uel administrari. Ita Dauid faciebat iudicium & Iustitiam omni populo, id est, regebat populum ex uero iudicio & iustitia: nempe curans ut recte ac ordine cuncta in populo gererentur, utq; iuste & decenter quicque cum altero uiueret, Psalmo trigesimotertio, & Psalmo septuagesimosecundo. Iudicium atque iustitiam, nihil aliud eo Psalmo diffinit, quàm rectas moderandarum rerum rationes ac formulas. Deus, inquit, iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio Regis.

Iudicium in amaritudinem, & iustitiam in absynthium uertere, est sontes absoluere, insontes opprimere. adeoq; omnia tyrannicè administrare, Amos 6. cap. Quoniam conuertistis iudicium.

Iudicium elongari & iustitiam deseri, hoc modo discernuntur. Iudicium à nobis elongatum est, dum nos non agnoscimus peccatores, & quid debeamus proximo. Iustitia desideratur, si quod faciendum cognoscimus, intermittimus, Esaiæ quinquagesimo nono capite, Propterea elongatum est iudicium à nobis, & non apprehendit nos Iustitia.

Iudicium, nonnunquam scriptura accipit pro ratione, iudicio, sententia, intellectu, licet & gustum טעם, fortè quod ratio id sit menti, quod gustus corpori, Psalmo 118. Bono iudicio & scientia assuefac: uel bonum iudicium & scientiam doce me. Et Prouerbiorum uigesimosexto capite, Monile aureum in nare porci, est mulier pulchra & deserens טעם, id est, rectum iudicium. Item Prouerbiorum sextodecimo capite, Pleger in oculis suis sapiens est plus quàm septem respondentes iudicium uel sententiam. Ad hunc modum & Ionæ tertio capite usus est hac uoce, & Psalmo trigesimoquarto, Quum Saul percussisset mille, Dauid autem decem millia. Inde maximo terrore consternatus, ut uerisimile est, immutauit טעם suum, id est, intellectum, rationem, insanum se simulans.

Iudicium, Germanicè, testimonium, idem sunt. Differentias Hebræi faciunt inter Leges, Præcepta, & Iudicia. Leges sunt certæ & perpetuæ, de quibus Exodi 2. capite habes. Præcepta pro re nata mutantur aut tolluntur, huiusmodi scriptura referta est. Iusta, mores sunt, ritus, consuetudines, &c. Cæremoniæ, externa quædã signa sunt, quæ Christum adumbrant. Iudicia sunt, quæ iudicibus præscribuntur, ut secundum eam causas discutiant ac iudicent. Item, Iudicia minima per Metalepsim pro minimis causis iudicialibus posuit Paulus 1. Corinth. 6. Minimis iudicijs.

¶ *Iugum* עֹל seu funis, Hebræi pleriſque in locis pro præcepto & doctrina usurpant, Psalmo secundo capite. Et proijcere faciamus à uobis funes eorum. Septuaginta ζυγὸν αὐτῶν, id est, iugum ipsorum. Hinc Dominus in Euangelio ait: Iugum suum suaue esse & onus leue, hoc est, doctrinam suauem esse omnibus: nempe quum præ se ferret charitatem. Quid enim dulcius & acceptabilius charitate? Huc alluſisse uidetur etiam

etiam Pythagoras quum dicit, Iugum ne transgrediaris, id est legem & præceptum, Hierem. 2. Quia à seculo confregisti iugum tuum, rupisti uincula tua. Iugum & uincula, Imperium translatione significatur. Hieremiæ quinto capite. Huiusmodi translatio & in Psalmo 17. uersu tertio & sextodecimo. Psalmo 216. Iugum seruitutem, uincula, imperium, iussa. Et uinculum pro obsidione, Nahum primo capite. Et uincula tua rumpam.

Iugum ducere cum incredulis, Parœmia est tracta à Iumentis iugalibus, hoc est, bobus arantibus. Dicuntur autem idem trahere Iugum, qui similibus uitijs aut malis obnoxij sunt. Proinde sententia Pauli hæc est secundæ Corinthiorum sexto capite, Nolo participetis cum gentibus & sacris eorum, nolo cum ijs in eandem luxus refusionem accurratis, Christo per fidem dedicati estis, huic ut membra adhærete, illi in fide & sanctimonia seruitote. Vel Iugum ducere cum incredulis, est plane id quod Paulus dicit Romanorum duodecimo capite, Conformari huic seculo: quod est ea sapere & quærere, quæ mundus sapit & quærit. Et Petrus multo clarius ait: Non configurati priorib⁹ ignorantiæ desiderijs. Et Matthæi sexto capite, Christus: Hæc omnia gentes inquirunt. Vetat ergo Diuus Paulus quæ gentes inquirunt, agunt, probant, agi, quæri, seu probari. Sed ut Diuus Petrus ait, sumus filij obedientiæ, id est, parati in omnes uoluntates dei.

Per Iugum etiam Diuus Paulus Galat. 5. legem in seruitutem redigentem intellexit. Metaphora sumpta à rebus rusticis. Et ne, inquit, rursus Iugo seruitutis implicemini. Et Actorum cap. 15. Nunc ergo quid tentatis deum ut imponatur iugum super ceruices discipulorum. Quod sanè de circuncisione aut lege cæremoniali tantum intelligere nõ potuit, sed & de morali potius.

Iugum seruitutis & oppressionis signum est, id quod prouerbio quoq; ὑποζυγώδης ἄν ἄμωρ notatum est. Iugum deniq; ferre, est huius seculi aduersa æquanimiter tolerare, sine quibus in hoc mundo non uiuitur, Threnorum tertio capite. Iugum seruitutis, Gal. quinto capite, uocat legem, duram, difficilem, quæ diu noctuq; cultores suos graui opere consumit.

¶ *Iumenta* sunt quotquot non habent spiritum Christi, Psalmo 48. Homo quum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Qui absque rationabili instituto studium gerunt & scientiæ exercitia non requirunt, fideles tamen sunt animalia quidem sed munda dicuntur, Psal. 35. Homines & iumenta saluos facies Domine. Hi enim qui uerbo dei & rationabilis instituti studium gerunt, homines appellantur.

¶ *Iuuenes* uulgare & familiarissimum omnibus diuinis prophetis, ut iuuenes pro exercitu ponant, ut Esaiæ trigesimoprimo capite, Et iuuenes eius uectigales erunt.

¶ *Iurare*, est uouere, laudare, confiteri, colere, adorare Deum. Esaiæ 19. Et iurantes per deum. Iosue 2. Et nunc iurate obsecro mihi per Deum, Hier. 4. cap. Et iurabis, uiuit Dominus. Hinc factum est, ut in prophetis iurare, accipiatur sæpe per Hebraismum, pro prædicare siue publicè docere in nomine Dei, & constanter uerbum Dei, maximè proterea, quod sacerdotes & prophetæ docentes nomen Dei contestabantur dicentes: hęc dicit Dominus, Viuit Dominus, id est, uerè per Deum hoc quod doceo est uerbum dei. Falsi doctores docentes non uerba Dei sed doctrinas et mandata hominũ quasi uerbũ Dei & doctrinã iustitiæ, falso, mendaciter & in hypocrisi iurabant, neq; iudiciũ dei, neque iustitiam dei uerè docentes, quemadmodum cap. 5. dicit Hieremias: Quod si etiam dixerint, Viuit dominus, & hoc falso iurabunt.

Iurare uerè in nomine Domini, est Deum timere summumq; honorem Deo tribuere, nempe ueritatis, Psalmo sexagesimosecundo, Laudabuntur omnes qui iurant in eo. id est, quicunque illi dederitis nomina, ceu militi sacramento astricti, euehentur preconio. Et iurare in Domino, est perpetuo tenore illi per fidem adhærere, & quod adhis uerbis dicimus, In uerba illius Iurare. Ideo, aliud est Iurare Domino, aliud per Dominum. Prius enim significat Deo se dedere ac uota nuncupare, quod adorantes solent. Vnde Psalmo 131. pro eodem accipitur Iurare Domino & uouere. Hinc Iurare in Domino, ut suprà, & cætera. Posterius uerò est, Deum in testem ac uindicem inuocare. Sic Sophoniæ ait capite primo, Et supplicantes iurantes'que Domino. Nam

per

per regem iurabant,hoc est,deum alienũ,quem cum deum sibi elegerant,regem suum constituerant,sicut se dominus subinde regem Israelis in prophetis uocat,iam non unũ dominum deum suum,& supremum numen agnoscebant.Neq; infrequens est in sanctis scripturis,ut quem quiq; deum habeant,dicatur Rex eorum.Iurabant & per salutẽ regis,ut Regum 12.Quod saluã cupiant uitam regis,pro qua & mori non recusabant. Ita & sanctum monumentum dei. Viuit Dominus,quasi dicat moriar potius quàm ut aliquid uitę & glorię dei decedat.Hoc simplicius dicitur quàm Viuit dominus,testis dominus mihi est,Hiere.5.Quid autem sit Iuramentum in caput dare,in tropo Caput explicatum.Iurare ex his uerbis est,quæ adfectionem passiuam habent,sed actiuam significationem quomodo & Latini dicant Iuratus sum,pro Iuraui,uel Adactus iusiurandum præstiti.Tullius in Rhetoricis,Quid iuratus sis:sit,pro,iurauerit.

Iurandi uerbo Latinus in bonam partem semper utitur,hoc est,pro sacramẽto rogandi.Sed Deierandi uerbo utuntur pro ea iuratione,quæ uel uero uel falso fit extra sacramenti rogationẽ,quod Germanicè noua uoce possemus Zu schueren uocare,ad quam significationem etymon Græci uerbi probe quadrat ἐπιορκῶ. Vide suprà in uerbo Deierandi fusius expositum est.Iurare Dei deniq;,promittere est.Psalm 89.Semel per sanctitatem meam iuraui,haudquaquam Dauidem fefellero.

¶ *Iuramentum* in scripturis solenne est:quia Deus fons uitæ est,ut in manu eius est, ut uiuificet & occidat.Iuramentum igitur quod in deo fit,sanctum esse debet,firmum, ratum,uerum,inuiolabile,quoq; Deo ipsi soli rata tribuitur ueritas. Per nomen,inquit Moses,illius iurabis:id est,ipsius duntaxat nomini ueritatẽ tribuito:quod qui agit,nihil deo dignius augustiusq; esse confitetur.

Iuramentum,est quo quid pollicemur,quum nihil sit quàm uoluntatis,inuocato Deo,attestatio,perpendendum in re qualibet erit,quid uir bonus queat et debeat uelle. Iam is nihil uolet unquam,quod displiceat Deo:nihil igitur tale uel iniuratus uel iuratus facturum se recipiet.Sic iusiurandum siue iuramentum omnis controuersiæ inter homines finis(ut Paulus dicit ad Hebrços)nempe,quod per eum iuraũ,qui mentiri nõ potest:atq; homo qui homini nõ credit,Deo(qui à iurante in testẽ uocaũ)credere cogit.

Iurabant ueteres illi manu sub femore atq; genitali(femur nanq; totam genitalem partem amplectitur)parte posita,quod inde posteritas esset futura,atq; adeò ueluti res sacra haberetur.Vel,ut Rabi Salomon sentit,quod illic esset signum fœderis,nempe, Circunciſio:uel quod hoc iudicio dabatur intelligi potestas superioris & promptus inferioris obsequendi animus,ut Aben Ezra autumat:dicitq; hunc modum adhuc obseruari in terra Iudææ.Gen.48.Pone manum tuam sub femur meum.

Iuramentum interdum pro execratione usurpatur,Esa.65.Et relinquatis nomẽ uestrum in iuramentum.id est,in execrationem.

De *Iurandi formula.*

Habet quæuis natio atq; gens Iusiurandi suas formulas.Nos pacti aut stipulationis formula fermè utimur:ut,Hæc seruaturus sum,Sic me Deus seruet.Si hæc præuaricer,Dei & religionis hostis iudicer.Hebræi uerò conditionem quidem exprimunt,sed stipulatum indicant hoc modo,Abraham si non multiplicauero semen tuum pro numero siderum.Hæc est conditio,sed stipulatum siue consequutio obmittitur,puta quid nam luiturus sit Deus,si non faciat.Vnde in Regum uolumine stipulatio sæpe adumbratur:Hæc faciat mihi Deus,& hæc addat.Hęc enim Iusiurandi forma est Hebræis,ut per conditionem ponant quid facere,aut non facere se recipiant,nec addũt,quid sibi imprecetur si fidem fallant.Sic 1.Samuelis 3.Formula est adiurandi & obtestandi.Sic faciat tibi deus,& sic addat,si cæles me uel uerbum,&c.Sensus est,Ira te tractet,ut me erat tractaturus,quin grauius puniat si me cæles.Vbi nondum produntur quæ nam sibi iurãs comprecatur,aut quibus se malis ac diris deuoueat.Quod ego religiosè fieri arbitror. Caueri enim ne dira deuotio uulgaris facta,in contemptum abeat.Videmus enim proh dolor,Iusiurandum non modo uilipendi ac præteriri,sed pro quauis leuissima re interponi,imò in quotidianis fabulamentis,in friuolis commentationibus temerè & atciſi mendaciter,& si non mendaciter asciscatur,irreligiosè uiolari.

Iuranti quoq; hic erat mos apud Hebræos,Viuit Dominus,ut passim in ueteri instrumento est uidere,& est perinde ac si dicat:Per Deum uiuentem:cum interim Gentes per deos immortales iurarent.

¶ *Iustitia*

¶ Iustitiæ nomen absolute positum plerunq; significat Iustitiam, non Dei, meam aut tuam, sed qua inter homines iuste uiuimus, nulli nocentes, sed omnia sua tribuētes. De hac iustitia loquitur Christus Matthæi quinto capite, Dico enim uobis, nisi abunda uerit uestra iustitia, & cætera. Apparet hic Iustitiam uocare, totius uitæ rectitudinem uel integritatem, aut certe plenam diuinæ legis obseruantiam: ut iustus sit ille qui omnis iuris & æqui seruans est, quem gentiles literç uirum bonum uocant. Sic Paulus 1 Tim. 1. capite, Iusti dictione absolute usus est cum dixit: Iusto non est lex posita. Sic Psal. 14. Qui ingreditur sine macula, & operatur iusticiam. Et Tit. 2 capite, Sobriè & iuste & pie uiuamus in hoc seculo. Hæc Iustitia autem uera dicitur, quæ deo reddit quod dei est, hominibus quod hominum est, cauet ne lætali uulnere concidat anima. Quid autem debemus aliis, illud quoque Christus Matth. 6 docet, Quæcunque uultis ut faciant uobis homines, eadem & uos facite illis. Et iuxta Paulum ad Rom. 13 capite, Nulli quicquam debeamus, nisi ut inuicem diligamus. Licet hæc cum iusticia fidei penè per omnia cōueniant, Fides enim per dilectionem operans, reddit unicuique quæ sua sunt, & de omnibus bene mereri studet, uel citra omnem remunerationem unius dei gratia.

Iusticiæ nomine quoque scriptura uitam per omnia legi dei respondentem, et omni uirtutum numero absolutam intelligit, Psalmo 1. & 23. Deducit me in semitis iusticiæ, hoc est, ita format, ita regit ut iusticiæ totus studeam, omnis uita mea cum ueritate coniuncta sit, Psalmo 1. Hinc Iustitia, pro bonitate ponitur, ut Psalmo 50. Annunciate cœli iustitiam eius, significare uoluit Iusticiam, id est, bonitatem Dei, ubique inuulgandam. Quę nanque cœli annunciant, omnibus nota fiunt, quum illi ab omnibus conspiciantur, & luce sua cuncta detegant. Hinc quoque Iustitia et Iudicia Dei in scripturis eadem sunt, & idem quæ eius bonitas & fides uel ueritas, de quibus Psalmo trigesimosexto canit.

Iudicia dei uel domini, alia quoq; ratione dicuntur, nimirum quod nihil iniquitatis habent: sed quicquid ipse facit, iusto et recto iudicio facit, nulli iniuriam faciens, Psalmo 7. 18. & 118.

Iustitiæ uocabulum pro innocentia poni, scripturæ sacræ contrarium non est, ut David Psalmo 4. Iustitiam suam uocat innocentiam & animum de omnibus benemerendi, quo eximio sanè præditus, neque iniuria cuiusquam regnum inuaserat, quod falsè et impiè ei Semei filius Gera improperabat, secundi Regum sexto capite. Copiosius uerò Psalmo 17. 26. 101. Et sacra scriptura meminit secundi Regum octauo capite, quod fecerat iudicium & iustitiam omni populo. Et Moses uir Dei hac iustitia contra sediciosos quærebat. Et Samuel coram uniuerso Israele testatus est. Et Diuus Paulus de sua innocentia, synceritate & fide in Euangelio prædicat ad Corinthios & Thessalonicenses. Et Ezechias rex suam iustitiam extollit. Paulus suis laudibus nihil aliud quàm Euangelio fidem & innocentiæ suæ in Christianis æmulationem quæsiuit. Ad hunc ergo modum intelligi debet, quod de sua iustitia in Psalmis compluribus Dauid iactat. Sic & Esaiæ 54. cap.

Iustitiæ nomine interdum uenit beneficentia & integritate sine fide capitur, qua usus est Iacob erga socerum suum Laban, Genesis trigesimo capite, Respondebit'q; mihi cras iudicia mea, quando placitum tempus aduenerit coram te. Pro misericordia, Deuteronomij sexto capite, Et Iustitia erit nobis. Septuaginta, ἐλεημοσύνη. Pro impletione Legis & cæremoniarum Dei accipitur, Matthæi tertio capite, Omnem iustitiam.

Iustitia & benedictio Dei nonnunquam sunt idem, scilicet ipsa misericordia & gratia Dei nobis collata in Christo. Nam iustitiæ nomen comprehendit in se misericordiam & benignitatem, ut, In Iustitia tua libera me. Item, pro gratia & amicitia, Esaiæ quarto capite. Hæc hereditas seruorum Domini, & iustitia eorum apud me: hoc sunt: Hanc meis innocentiam dabo, hac gratia prosequar: huius, amicitiæ fœdera cum eis iniibo.

Iustitia capitur quoque pro ipsa ordinatione ciuili, uel qui recta & iusta iudicat, Pro uerbiorum decimo septimo capite. Malum est, principem percutere, pro, Iustitiam. Pro sceleribus per Antiphrasim Iustitia usurpatur, ut Esaiæ 57. cap. Quin potius Iustitiam tuam prodam.

Iustitiæ uocabulo Diuus Petrus usus per Heterosim, pro Iustis, 2. Petri 3. capite. In

quibus Iustitia inhabitat. Iusticiam fidei uocat Paulus Romanorum tertio capite, Iustitiam testimonio legis et prophetarum cõprobatam. Quod autem Iustus, ut Galat. tertio capite. Paulus disserit, fide sua uiuet. Id est, quod fide iustificentur sancti, tradidit sanctissimus propheta Abacuc capite secundo. Et 2 Corinth. 6 capite, Iustitia per fidem ex deo est, tribuitq; ea quę dei sunt Deo, & hominibus quod ipia suadet charitas. Iniusticia deum nec agnoscit, nec hominem curat, se quærit in omnibus, nihil sani, nihil æqui, nihil moderati uel temperantiæ habens.

Iusticiam omnem explere, Matthæi tertio capite. Loquutio est Hebraica, qua frequenter utuntur. Quum enim rem ut oportet & conuenit, factam esse significare uolunt. Kamischpat uel Bemischpat dicũt, Secundum Iudicium Germanicè, vvie man sol, vvie es recht ist, vvie sich geburt, quasi diceret, Quod à deo est ordinatum nos exequi decet: etiamsi maior te sum, tamen ita deo uisum est, ut à te baptisma recipiam, ut qui me recipiũt, & in me baptizantur, agnoscant me fratrem & consortem, quum idem symbolum cum illis gestem.

Iusticia seculorum Christus appellatur, qui est omnium seculorum & sanctorum ab exordio mundi ad finem usque, iustitia & sanctificatio, Danielis nono capite iuxta Hebræum. Denique Iustitiam iusticiam sequi, Deut 16. capite, id est, quod maxime iustum est. Nihil aliud quàm sequeris Iusticiæ sacrificia, Deut. 33. Id est, sacrificia quæ secundum legem fieri debent. Iustitiam habere coram deo, Deut. 24. capite. Id est, hoc tibi putabitur ad iustitiam, & opus tuum probabit Dominus.

Iustitiam imputari, idem esse quod iustificari & remitti peccata tegi'que, idem esse quod imputari iustitiam, Igitur Paulo iustificari, idem est atque à peccatis absolui. Sic Romanorum octauo capite dicit: Quis accusabit electos Dei? Deus est qui iustificat. Et 1. Corinth. 4. cap. Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non iustificatus sum, id est, iustus iudicatus.

Iustitiam & iudicium facere, est rectè & iustè uiuere, Geneseos quinto & decimooctauo cap. Postremo, Iustitia est duplex: una Mosaica, altera Christiana: una externa, altera interna: una carnis, altera spiritus: una humana, politica, ciuilis: altera diuina, cœlestis & spiritualis: una Pharisaica, altera uera: una uetus, altera noua: una immunda, altera munda una hypocritica & uana, altera uera: una temporalis, altera constans: una operum, altera fidei: una Legis, altera Euangelij: una meritorum, altera gratiæ. Illa præcipit & nihil præcipit, & tamen omnia implet, quia Christum habet, qui est Legis impletio, quiq; spiritum suum donat, per quem remissionem peccatorum consequimur, ad quoduis bonum faciendum hilares & spontanei, qui facit ne imputetur peccatum. Nam perpetuo luctatur cum carne & sanguine. Hæ duæ iustitiæ ex diametro pugnantes, inuicem colluctantur, donec caro & sanguis manet. Nam prudentia carnis Iustitiam spiritus non capit, nec suam argui patitur. Contrà prudentia spiritus Iustitiam carnis laudari non fert, sed unam fidei & gratiæ Iustitiam prædicat. sicq; fit, ut perpetuo bello conterantur hi duo paruuli, Iacob & Esau in utero Rebeccæ. Item, Iustitias carnis, Hebr. 9. cap. exteriorem iustitiam uocat Paulus.

¶ *Iustitia Dei* quæ dicatur, linguæ sacrosanctæ assuescendum est, utiq; bonitas dei dicitur. Vt nanq; iustitiæ nomine omnẽ uirtutem, ita & Hebræi summam morũ rectitudinem, & absolutam bonitatem Zadik uocant. Vel iustitia dei, pro ipso deo. Nam iustitia dei, pro ea qua ipse iustus est, hoc est, undequaque perfectissimè bonus accipi solet, ut Psal. 5. Deduc me in iustitia tua propter inimicos meos, hoc est, deduc me per bonitatem tuam, qua iustus es, & bonus. Deduc me, ut quemadmodum tu es, ita ego quoq; sim et bonus & iustus.

Iustitia dei est quoque, qua nos iustificat, non qua iudicat, ut idem pollere intelligas, quod gratia. Vltricem enim illam iustitiam scriptura iudicium appellat, Psalmo 22. Venient & annunciabunt iustitiam eius,, &c. hoc est: benignitatem mirificam præstitit, redimens eos à seruitute satanæ, & donans beata libertate regni cœlestis. Sic & alibi Dauid Iustitiam accipit pro summa uirtute Dei ex qua uiri boni uocantur, ut Psalmo tertio, In Iustitia tua eripe me. Romanorum tertio capite, Ad ostensionem iustitiæ suæ, pro ueritate Dei ponitur. Et Psalmo septuagesimoprimo. In tua iustitia libera & eripe me. Valet autem pro tua æquitate, pro tua bonitate, non pro meo merito aut dignitate, Psalmo trigesimoprimo, In Iustitia tua uindica me. Hic Iustitiam pro summa bonitate, gratia

gratia, misericordia accipit, secundum hanc ergo se orat hic sanctus iudicari, nequaquam secundum seueritatem eius, hac sua bonitate siue iusticia, qua suos refingit, deducit, saluos nos reddit, & uerè absolutum sese illis præstat. Iustitiam Dei sæpe pro ea qua Deus ipse iustus, hoc est, summè bonus accipit scriptura, ut suprà, & Psalmo 71. Alio modo potest Iustitia Dei accipi, pro ea quam nos decet, & in nobis probat Deus. De hac Iustitia plura diximus in nomine Bonitatis.

Sicq; constat multoties Iustitiam Dei accipi in diuinis uoluminibus, pro misericordia, ueritate Dei, gratia, fauore, & beneficentia Dei erga nos: hac ratione, quod Deus iustus est, & præstat quod pollicetur. Pollicitatio ex misericordia, est quod præstat, iustitia est, Genesis uigesimo capite, Hanc misericordiam facies mecum. Similiter pro eleemosyna in fide facta, Esaiæ 58. cap. Ibit ante te iustitia tua. Quomodo & opera iustitiæ deus remunerare solet: nimirum ut fructus spiritus, uerè ac unicæ fidei euidentissima argumenta & iudicia, Romanorum 10. capite, Ignorantes dei iustitiam, iustitiam dei sibi in Christum uocat.

Iustitia enim Dei dicitur, non qua iustus est Deus, at quam dat homini Deus, ut iustus sit homo per Deum. Iustitia uerò hominis est, qui de suis uiribus præsumebant, & qua impietores Legis seipsos ex sua uirtute iustos asserebant. Iustitia dei deniq; dicitur, quæ deo iudicante subsistit, quæ deo probatur, ac grata est. Hanc in hominibus non in uenitri, fides ipsa dictat, & sacræ literæ abundè testantur, Iacobi cap. 1. Ira uiri iustitiam non operatur.

¶ *Iustus*, qui iustitia præditus est, & scriptura Zadikim, & Latini iustos uocant, quos iure intelligimus eos qui proximos uerè diligunt, eoq; Legem totam seruant, omni uirtutum genere ornati, atque spiritu Dei donati: indeq; germani filij Dei, sancti & boni. Hæc uerò quum hic inchoata tantum & imperfecta omnia sanctis adsint, ideo imperfectè quoque iusti sunt, quicunque hoc nomine in præsenti uita censentur. Veruntamen ita uocantur, quibuscunque & iustitiæ fundamentum, eò quod in quibuscunque hoc fuerit, hi plenam olim & cõsummatam iustitiam percepturi sint, iuxta illud: Quos prædestinauit. Hinc scriptura iustum ferè ubique pro credente, pro fideli, & in Deum per Christum ex corde confidente accipit, Psalmo septimo, Dirriges iustum, id est, credentem. Et Romanorum primo capite, sicut scriptum est, Iustus ex fide uiuet. Tales fuerunt Noe, & Abraham: hij autem erant fideles, qui non aliunde uiuebant nisi per fidem, Matthæi uigesimo septimo capite, Iusti in uitam æternam. Lucæ primo capite, Erant ambo iusti.

Iusti uocabulum quandoque pro uerace accipitur. Sic Deus fidelis, iustus & uerax est in omnibus sermonibus suis. Iustum accipi pro robusto, scripturæ rarum non est, Esaiæ quadrageſimonono capite, Equidem captiuitas à forti tolletur, id est, iusto. Pro sacerdote, Ezechielis tertio capite, Et si conuersus iustus à iustitia sua fecerit iniquitatem, &c. Pro innocenti, Genesis sexto capite, Vir Zadik, id est, iustus, hoc est, innocens. Pecaui, inquit Iudas Iscarioth, tradens sanguinem iustum. id est, innocentem. Prouerbiorum decimo capite, Iustitia uerò liberabit à morte. & capite secundo, Iustitia exaltat gentem, Iustum & bonum, Romanorum quinto capite, per Heterosim rem iustam & bonam significat.

Iustus, in scriptura sæpenumero, non qui perfectè iustus est, sed iustitiæ amans & studiosus est, Psalmo 125. Quia non relinquit Dominus uirgam peccatorum super sortem iustorum, hoc est, non diutius patietur, &c.

Iustus, is interdum inops, Psalmo quartodecimo appellatur, hoc est, rebus omnibus mundi huius denudatus, qui Dei præsidium ac uoluntatem hominis præsidio & uoluntati præfert.

Iustus & rectus is dicitur, qui à iustitiæ rectitudine nusquam deflectit, sed in omni iam semel arrepto proposito perstat fixus et immobilis, contra eius morem qui ad tempus credit, & in tempore tentationis recedit, Psalmo 33. Nam rectos decet collaudatio.

Iustorum uia, fides est, diuinorumq; præceptorũ cura atq; obseruantia, nõ elumbis, aut languida, sed uirilis & perseuerans, Psal. 1. Quoniam nouit dominus uiam iustorũ.

Iustus & perfectus, exponitur Genesis sexto capite, Noe, inquit Moses, atque perfectus fuit in generatione sua. Ebræi hoc loco alias habẽt uoces, Zadik & Thom uel Thamim. Zadik significat iustum, qui in sese quidem iustus est, at publicis non fungitur of

ficijs. Thom uerò (quem Latini ubique perfectum reddit) significat eum, qui corrumpi nequaquam potest, qui ubique suo officio satisfacit. Noe fuit uir integer. Ein uffrechter, styff, treuue, redlich man, qui nusquam cedit.

Denique Iustum aliquoties idem, quod Leges dictant. Æquum, quum illud ipsum Iustum habita humanitatis ratione, nonnihil temperatur secundum personarum & aliarum circunstantiarum exigentiam. Id Græci τὸ ἐπιεικὲς uocant, Latini æquum uel moderationem, aut clementiam iuris. Sæpe quum Deus dicitur Iustus, id est, solidè probus, sic accipere conuenit, non quod in se probus existat, sed quod probos nos efficiat. Nam quæ deo et Christo seruatori nostro scriptura tribuit, omnia ad nos referēda sunt, eo quod non, quid Deus in se, sed quid nobis esse soleat, illa prædicet. Propterea illa uerba Zachariæ 9. capite, Rex tuus uenit tibi Iustus, sic accipienda sunt: Venit ut te iustificet sola sua gratia per se ipsum. Hoc sensu utitur isto uocabulo D. Paulus Rom. 3. ut ipse sit iustus & iustificans.

¶ *Iustificare & iustificari*, constat uerbum forense esse in scripturis præsertim Ebraïs, & significare propriè secundum aliquem iudicari, causamq; alicuius comprobari, absoluere ut sic dicam, Populus Romanus iustificauit Scipionem accusatum à tribunis, id est, absoluit, seu iustum pronunciauit. Similiter & in sacris, ut Deuteronomij uigesimo quinto capite, Cum inter litigantes iudicandum est, iustum iustificent, & impium condemnent. Et Prouerbiorum decimoseptimo capite, Qui iustificat impium, aut qui condemnat iustum, uterque est abominatio Domino. Item Esaiæ quinto capite, Qui iustificant impium propter munus. Ab isto autem forensi usu deductum est, ut iustificari significet in genere approbari aliquem, uel ut iustum agnosci, atque laudari. Hinc Lucas de populo & publicanis, qui ad prædicationem Ioannis baptizati sunt, scribit, quod iustificauerunt deum, id est, iustum agnouerunt, & confessi sunt. Item Psal. 51. In te solum peccaui, ut iustificeris in uerbis. sed & illud Domini fuit ad Pharisæos: Vos iustificatis uos coram hominibus. Et Matthæi 12. cap. Ex uerbis iustificeris, hoc est, liberaberis, absolueris. Sic Germani loquuntur, Er ist gut geben, Er ist böss geben. Rom. 8. Quos uocauit, eos & iustificauit. Hinc in Euangelio Iustificari, ait Christus: uel iustificatam esse sapientiam à filijs suis, hoc est, filiorũ suorum iudicio absolutam, quum non habeant quæ parte accusent. Nam si duriter uiuentem requirant, habeant Baptistam, qui tamen Christo suffragatus sit. si uerò suauem ac blandum, Christum se ipsum, Esa. 50. Iuxta est qui iustificat me, id est, absoluat. Sumpsit igitur Paulus uerbum Iustificandi, ex cõsuetudine Ebraici sermonis pro absoluere, & iustum, id est, acceptum pronunciari: ut si dicas, Dauid est iustificatus à peccato, id est, absolutus & recõciliatus, seu receptus in gratiam. Sic Paulus Rom. 4. inquit, Credenti in eum qui iustificat impium, id est, absoluit. Apposito igitur significatu uerbũ hoc Iustificari coram deo usurpamus, hoc est, pro eo quod est hominem à deo propter mortem filij sui Domini nostri Iesu Christi, cõdonatis peccatis, recipi in gratiam, adoptari, regenerariq; in filium, & hæredem uitæ æternæ.

Iustificari uerbi huius est & alia significatio, pro approbari bene agentem, qua significatione usus est Diuus Iacobus, cum ex eo quod Deus laudauit Abraham propter obedientiam suam, quam immolatione filij sui exhibere paratus erat, promissionem ei iterum confirmauit, multiplicandæ posteritatis, & donandi seminis benedicti, Christi domini, concludit, Abraham iustificatum esse etiam ex operibus, nõ ex fide solum. Hæc autem iustificatio aliud non fuit, quàm rectè facientis collaudatio, et remuneratio, non personę in gratiam receptio, & in sortem filiorum dei adoptio. Constat ergo accipi uerbum hoc aliquando & pro approbari alicuius bonam causam, pro laudari scilicet & remunerari à Deo aliquem ob iustitiam, & præstitam ipsi obedientiam. Sic uidemus usurpatum hoc uerbum à Paulo, cum scripsit: Non auditores, sed factores Legis iustificantur coram Deo. Similiter uocem hanc in Apocalypsi capite uigesimosecundo usurpatam esse, pro proficere in iustitia.

Iustificari igitur operibus, significat consequi remissionem, & iustum seu acceptum deo esse, propter proprias uirtutes & facta. Econtra uerò iustificari fide in Christum, significat consequi remissionem, & iustum, hoc est acceptum reputari non propter proprias uirtutes, sed propter mediatorem filium dei.

Iustificare uerbum interim usurpatur pro excusare, Geneseos 44. capite, Quid loquemur, & quo nos iustificabimus. Item, quod idem sit se iustum & probum existima-

16. &

re,& gloriari & ostentare,& iusto censere & laudare,sese expurgare ab omni culpa uitioq; absoluere,& se pro iusto uenditare. Quemadmodum legimus de Pharisæo, Lucæ 10.capite, Ille autem uolens iustificare seipsum,id est,expurgare,&c. Et Lucę 16. At ille Iesus,ut suprà: Vos estis qui iustificastis uos coram hominibus,&c. Id est,existimatis uos probos,iustos.

Iustificatio,hinc aliud non est quàm absolutio,reconciliatio seu acceptatio diuina personæ ad uitam æternam. Hoc est,Iustificatio,significat remissionem peccatorum,&c tranquillam conscientiam & certam spem uitæ æternæ. Iustificari,mundari siue absolui est,Gal.2.cap.

Iustificationes dei autem sunt uerba promissionum eius,quibus dum credimus,à deo iustificamur,quemadmodum mendacijs creditis damnamur. Psal.118. Vtinam dirigantur uiæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas,id est,utinam recta incedant uiæ meæ,hoc est,adfectus cordis mei & conuersatio mea,& non seducatur aliena doctrina, alienis mandatis,alienis iustificationibus,Psal.104. Vt custodiant Iustificationes eius,legem requirãt,id est,ut credant uerbo eius,qui ueritatẽ sui uerbi in omnibus declarauit. Iustificationes Diuus Paulus ad Hebræos uocat,non uerba & promissiones diuinæ,sed ea quæ declarant Iustificationem in speciem,etiamsi eam non præstent,ut sunt sacrificia,purificationes legis,Rom.2.capite,Iusta & conditiones fœderis. Sic & apud Lucam uidentur poni pro externa religione,ritibus inquam et cæremonijs à deo institutis. Hæ autem Iustificationes dicuntur non quod per se iustificẽt,sed quod fiant à iustificatis:iustificationisq; modũ per Christum,sacramentali ratione representẽt & iustificatos in cultu dei exerceant,Lucæ 1. In omnibus iustificationibus. Iustificationes facere, est mandata domini humilitatis sensibus operari. Psal.118. Inclina cor meũ ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem.

L

ABIVM, pro sermone,lingua,loquela & idiomate ponitur,Genesis 11. Et erat omnis terra labium unũ & uox una omnibus. Labiũ,unum sermonem dicit,& idipsum iterum per uocem,significans omnes usos eadem uoce & lingua. Et eodem capite: Confundamus illis labium illorum,id est,loquelam,ne alter alterius linguam audiat,id est,intelligat. Item uocauit nomen eius Babel,quia ibi confudit dominus labiũ omnis terræ. Item sub Labijs eorum,uenenum aspidum. Nam sæpe enim ea quæ sunt sensuum ad animum transferimus:ut, Videre,pro intelligere. Est enim uidere oculorum. Rursus quæ sunt animi,sensibus tribuimus,& id frequens est in literis sacris.

Labium deinde pro littore, 4.Reg.2. Et reuersus stabat super labium ipsius Iordanis. Extremitates quoq; oris,& aliarum rerum,labia Hebræi uocant,2.Paralip.4. Et fecit mare fusile decem cubitis à labio suo usq; ad labium suum.

Labium præterea pollutum uel impurum,est dum quisque quod suæ carni probatur,loquitur. Vnde Esaiæ sexto capite,se & populum suum polluti labij esse confessus fuit,quod non ut seraphim Dominum collaudassent,sanctumq; celebrassent,Sophoniæ tertio capite.

Labium purum atq; purgatũ & electum est,quod iugiter celebrat bonitatem dei, Sophonię 3. Vt omnes inuocent nomen domini. Et Psal 45. Diffusa est,inquit,gratia in labijs tuis. Spiritus laudat spõsum,uidelicet Christum ab eloquentia,leporeq; sermonis.

Labiorum uirum atqui,Iob 11.cap. rhetorem uocat. Ita incircuncisis labijs se ait Moses,minus se idoneum ad loquendum significans. Et in Psalmis gloriantur impij & arrogantes. Labia nostra à nobis sunt. Labiorum uerbum Esa.36.capite,pro uerbis,quæ ulua uoce proferuntur.

Labia aliquando pro occulto uerbo,nonnunquam uerò pro manifesto usurpatur. Pro occulto,ut est illud Solomonis,Prouerb.10. Labia iusti considerant placita. Pro manifesto autem,Prouerb.8. Aperientur labia mea,ut recta prædicent.

Labia oculi siue blanda,iucunda,quæ ad rem respondent,hoc est,rectè iudicant et docent. In rebus enim humanis amplectuntur eos,qui aptè respondent,alios ineptè, reijcimus. Sic in rebus spiritualibus illa labia nobis blandiuntur,quæ aptè respondent cõscientijs nostris,ut quum dicitur: Crede in Christum,is est Pontifex,accedamus cum

fiducia ad eum. Quid enim iucundius posset esse conscientiæ hoc labio, ut Prouer. 24 cap. Labia osculi, quæ respondent appositè.

Labia dolosa, in scriptura dolosum falsum & excogitatum cor, quod os aliud loquitur, quàm homo corde sentit. Hoc est, Labia dolosa sunt, quæ loquuntur contra sententiam cordis & conscientiam, et mentiunt proximo ad decipiedũ, Psal. 12. Et Psal. 17. Dauid corde orat, non in labijs dolosis, id est, tu scis quod ex corde loquor. Hypocritæ labijs dolosis orant: de quibus dicitur Matthæi 7. Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, &c. Et Esaiæ 29. cap. Populus iste, ore me honorat, cor autem longè à me est.

Labia uenenata, lingua quæ intensa est, Prouerb. 16. cap. Ita labia uenenata cum malo corde congruunt, id est, Dignum (ut in adagio est) patella operculum. Spurcum os improbo peccatores. Similes habent autem labra lactucas, conuenit cum illa sententia Christi, Ex abundantia cordis os loquitur. Venenatum os prodit & probat malitiam cordis, sicut in Pharisæis, quando dicunt Christum habere dæmonium, quod est summa contumelia & blasphemia id attribuere Deo, quod est Satanæ. Proinde ut arguenti scoria est, quæ uas fictile cingit, ita labia uenenata cum prauo corde conuenunt.

Labium porrò ueritatis, ueritas est, & cor simplex, ut per Antitheſim, labia mendacij, omnis hypocrisis, Prouerb. 10 cap.

Labijs colaphum infringi, idem est quod deludi, contumelia adfici. Vide superius in litera C.

Labiorum egressio, Numer. 30. capite, Omnis egressio labiorum eius, in uotis eius, & in obligatione animæ eius, erunt infirma: Vir eius dissipauit illa, &c. id est, quicquid dixerit uouendo & obligando animam suam, irritum erit, quia maritus contradixerit: que peccauerit in Dominum, si non reddiderit uota illa.

Laborare, significat nonnunquam anxium & in magna difficultate esse. Ita enim Esaiæ 52. cap. accipitur pro eo quod laborauit anima eius, id est, uehementer anxia fuit, sicut ait, Tristis est anima mea usque ad mortem. & Dauid Psal. 6. Laboraui in gemitu meo: significat anxiũ, et in magna difficultate sese fuisse. Hic inquam labor cogit, ut tam ardua & grandia sit promptus, tum facere, tum pati, Beati qui lugent. Et Exodi 29. Ventuersumq; laborem qui accidisset eis. Id est, omnem molestiam & sustinuissent & pati si essent. Sic enim & uocabulum laboris, pro adflictione & calamitate sumitur, ut supra Esa. 53. ostensum est. Laboris nomen item pro prauitate, malicia, iniquitate, Psal. 45. usurpatur. Et labor in medio eius, quæ prauitas insignis tum corporis tum animi deformitas ac peruersitas: qui enim huiusmodi mentis affectus est labe, quid non cum labore, æstuq; animi molitur & agit?

Laborare interdum pro pecunia affici & deficere, Exodi 7. cap. Laborabunt Ægyptij ad bibendum aquam de flumine. Et quemadmodum Hebræi uerbo Laborandi utuntur, sic & Latini quoq; eleganter, Laborant bonæ literæ. Sic & Hebræi interdum, ut Exodi 7. capite, hoc uersu usus est Moses, Ægyptij carebant aquis, Et laborabant Ægyptij ad bibendum aquam de flumine, dicit Hebræus, Laborauit ut bibant, pro, non possunt bibere, Exodi 7 cap.

Laboraui sustinens, loquutio est Hebraica. Esaiæ capite primo, Laboraui sustinens, Symmachus (teste Diuo Hieronymo) uertit ἐκοπώθην ἐπασκόμενος, id est, defeci miserans, ut ostendat se nequaquam ultra misereri, quia aliud sit seruos ad se missos occidere, aliud filium. Hunc sensum & in Hosea legimus: Perditio tua Israel, tantum in me auxilium tuum. Quod ita intelligitur, Pereas Israel, quia non tuo merito, sed meo tantum saluaris auxilio.

Laborantes & oneratos uocat Christus, qui iam peccata sua sentiunt, & pauperes spiritu existunt, quod non alij, quid Christus sit agnoscere queant. Satisfactio enim est pro peccatis, mediator & intercessor eorum, qui iratum Deum timent.

Labor & Dolor, duæ illæ Hebrææ uoces, Anen & Amal, quas possumus adflictionem et laborem uertere, sæpius maximè in prophetis coniunctim ponuntur, opusq; est ut nobis familiares faciamus: genuinũ enim usum cõplectuntur. Alter quo nauseam, & grauamen significant. Hoc opus, hic labor est. ita & Psalmo octuagesimonono de senio confectis ait: Quod si diu uixerint, ad octoginta annos peruenient, quod supra est, Anen & Amal est, id est, adflictio & miseria uel labor est, eò quod secum difficilis & infelix res uitaq; sit. Alter, quod iniquitatem, nefas & malitiam significent, quomodo

prophetis in usu est, ubi in impios inuecti, pessimam illorum uitam, adflictionem & laborem nominant, ut Psal. 9. de Antichristo ait: Sub labijs suis adflictio & labor. In Proverbijs Iusticiæ hominum labor & dolor appellantur. Quia in his iusticijs sine charitate, multum est operis & laboris, & nullus fructus. & Psal. 139. Labor labiorum ipsorum operiet eos. Psal. 7. Ecce parturiet iniusticiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem. id est, Anen, hoc est, laborem parturit, dolorem & anxia studia depingit. Et Ecclesiast. capite 10. Labor stultorum adfliget eos. & sæpius eodem libro, Vanitas & adflictio. Ita enim prædixerat Dominus Mosi populum Israel se esse traditurum in manus hostium, ut ibi seruirent dijs alienis, qui nō darent eis requiem, nec die, nec nocte. & Dauid Psal. 13. Contritionem & infelicitatem. Et alibi scriptura uocat Vastitatem & inquietudinem. Viæ difficiles. Sap. 5.

¶ Lactis nomine omnis prima inductio fidei, & rudimenta rerum Christianorum, id est, simplex doctrina uenit. Hebr. 5. & 1 Corin. 3. cap. Quoniam sicut lac sine labore & sine opere dentium manducatur, & manducantem suauitate sua delectat: sic & mirabilia Dei multum laborem uidentibus admiratione delectant, & ad fidem molliter inuitant. Panis autem perfectioris doctrinam iustitiæ significat. Hæc autem habentur apud Chrysostomum.

Lac, Diuus Paulus imperfectam doctrinam & humilem sermonem uocat, & de minimis differentem. Solidum uero cibum, quæ perfectiora & altiora, dicit ad Heb. 4. cap. Et facti estis opus habentes lacte, & non solido cibo. Lacte uos potaui, non esca. Vbi & hoc annotauit Bulgarius in Epistolam ad Hebræos, scilicet uerba Diuina pro ueris & cernoribus nutrimentis esse pijs. Dabo enim, inquit, his famem audiendi uerbum Dei. Hæc ille.

Lac rationale. 1 Petri 2. cap. Spirituale, non corporale lac intelligit. Lac uero istud, aliud nihil est, quàm ipsum Euangelium fide comprehensum, quod idem & semen est, quo concepti sumus atque renati, idipsum etiam cibus est, quo postquàm adulti euasimus, pascimur: armaturaq; est quoq;, qua induimur & armamur.

Lac dolo expers, hoc est, syncerū, ut non iuxta carnem sapiamus, aliàs fit insynceram & corruptam. Diuus Petrus ex Esaia cap. 66. transsumpsit, inter quæ uerba Lactis meminit: hoc est, donorum spiritus sancti, cœlestis sapientiæ, Euangelij & genij diuini. Inest enim lacti quidam ueluti genius, qui in pueros per ubera ferè transfunditur.

Lactantes præterea sunt ij, qui nihil præter Dei uerbum norunt. De quo in Canticis, Mel & lac sub lingua tua. Sugunt enim duo ubera: id est, Testamenta dei, de quibus rursum in Canticis, Meliora sunt ubera tua uino. Idcirco docti non ad mundum, sed ad regnum cœlorum, proferunt de thesauro suo & noua & uetera. Sic & infantes, qui paruli mundo uidentur.

Lac & mel, significant omnem adfluentiam, ubertatem & abundantiam rerum. Sic Chanaan terra promissionis lacte & melle fluere, non raro in scripturis dicitur, & regio Sodomorum hortus uoluptatis erat.

Lac & mel manare, hyperbolicos omnem fertilitatem hisce uerbis demonstrant Hebræi. Num. 14. Et Verg. Mollia fluant illis & rubus asper ferat amomum.

Lacte & melle fluens terra. Exo. 3. id est, quæ abundat optimis quibusque fructibus & rebus delicatissimis. Et Exodi 33 capite, In terram fluentem lacte & melle. Id est, plenam omnibus suauibus. Per Lac autem intelligit omnes res necessarias ad uictum. Et Numer. 14 capite, Lacte & melle manantem. id est, quæ abundat omnibus necessarijs ad uictum hominis. Ioelis 3 cap. ubertatem, fertilitatem & abundantiam, per dulcedinem & lac designantur.

Lactare deniq; pro blandiri. Hoseæ 2 cap. Propterea ecce ego lactabo eam, & ducam in solitudinem.

¶ Lacus, *puteus*, Hebræis sunt maria: nam quoslibet lacus maria uocant, Sic pisces maris quoslibet intelligunt, quod piscium in mari & in lacubus maior soleat esse copia. Soph. 1. Aufero uolucres cœli & pisces maris.

Lacum deinde Hebræi ponere usitati sunt pro ergastulo carcere, & reorum detentione aut neruo. Esa. 24. cap. Et congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum. Hoc de impijs, tum angelis, tum hominibus accipiendum. Hierem. 17. cap. Ingressus est in domum laci & in ergastulum: sic in Exodo dicitur, A primogenito Pharaonis

usq; ad primogenitum captiuæ, quæ erit in lacu. Hic lacus nominatur subterraneus foſ-
ſæ cuſtodiæ captiuorum aptæ, & in multis quidem modis. Sic & Hieremiam in lacum
iniecerunt, plura apud Baſilium in Pſal. 29. Exaltabo te Domine.

Lacus adhæc nomen apud ſcripturam in malam partem plerunque reperiri, ſicut &
Puteus in bonam. Lacus enim eſt, in quo Ioſeph à fratribus deiectus fuit, Et in Pſalmis
Deputatus ſum cum deſcendentibus in lacum. Et in Hieremia, Effode tibi lacus pertu-
ſos, qui non poterant aquam continere. Et in Daniele lacus leonum ſcribitur in quem
ipſe coniectus eſt. Puteum autem effoderunt Abraham & filij Iſaac. Et ad puteum ex-
ens requieuit Moſes, & mandatum à Salomone accepimus, aquam potare ex fontibus
puteorum noſtrorum. Denicq; ſeruator noſter ad puteum cum Samaritana diuinis my-
ſterijs eſt loquutus. Hęc ex Baſilio Magno in Pſal. 7. Domine deus meus. Vide latius ip-
ſum de Lacubus ſalſis in congreſsione quarta die tertio, &c.

Lacus interdum ponitur etiam pro Inferno & ſepultura foueali, & pro mundiſſima
profundiſsima calamitate, Pſal. 87. Poſuiſti me in lacu nouiſsimo in tenebroſis & in
profundis, Pſal. 142. Non auertas faciem tuam à me & ſimilis ero deſcendentibus in la-
cum: hic pro ſepultura. Et Eſa. 14. pro inferno et morte ipſa uide Rabanum. Pro lapide
& diſcrimine mortis Lacus parauerunt pedibus meis.

Lacum, foueam, Infernum etiam & Sepulchrum ſolet ſcriprura, pro rebus huius mo-
di terrificis, atque horrendis ponere, ut Pſal. 30. Domine eduxiſti ab inferno animam
meam, ſaluaſti me à deſcendentibus in lacum, horrorem illum ac metum, qui in con-
ſcientia peſsime de ſe conſcientia uolutatur, manere uelle.

Lacum inſuper aperire & effodere, eſt innocentem perdere, ſanguinem effundere
proximi, ut Iudæi Chriſto fecerunt: de his impijs Pſalmo 7 & Prouerb. 1. Vide ſuprà in
uerbo Aperire.

Lacus denicq; iræ dei, Apocalypſis 14 cap. magnum & profundiſsimũ pelagus, immi-
ſamq; uim adflictionum ac tormentorum dixit unde nemo poſsit enatare, aut quoquo
pacto emergere, Lucæ 16.

¶ *Lachryma*, *Plenitudo*, Deut. 22. Ne ſanctifices plenitudinem. Plenitudinem uoca-
fructuum duriorum. Quemadmodum et Lachrymam, fructuum liquidiorum. Sepa-
ginta τὸ γένημα, id eſt, germen, fructus, uidelicet olei uel uini. Item pro primitijs & de-
mis uſurpant, Exodi 22 cap. Sanctificari hoc loci pro pollui uſurpatur. Lachrymas pro
cibo habere. Locutio eſt apud Dauidem hyperbolica, Pſalmo quadrageſimoſecundo.
Fuit mihi lachryma mea panis die ac nocte, &c. Cauit ſe ita doluiſſe, ut nihil æque ha-
buerit, quàm lachrymari, & id dies noctesq; ut lachrymas iam pro cibo habuerit, non
minus ſcilicet cupide illas effundens quàm quis ueſcatur cibo, omni cibi deſiderio po-
nimiam animi ægritudinem profligare.

¶ *Lambere* pro depopulari, Nume. 22. Et dixit Moab ad ſeniores Midiã, nunc lambet
congregatio illa.

¶ *Lampadis* nomine opera bona, & laudabilia exprimuntur, Matth. 25. Tunc ſurre-
xerunt illæ uirgines, & aptauerunt lampades ſuas.

¶ *Lamia*, *Ericius*, Eſa. 34. Ibi cubauit lamia, & inuenit ſibi requiem: ibi habuit foue-
ericius, Per Lamiam, hypocritæ. Per ericium, malicioſum demonſtrantur.

¶ *Languor*, *Infirmitas*, pro peccato & commiſſo ſeu culpa, Eſaiæ 53. Profecto ipſe por-
tauit languores & infirmitates noſtras tulit. Docet prophera Chriſtum ſanaſſe morbos
infirmorum. Et locus hic manifeſte ad peccata attinet, ut 1. Petri 2 cap. habemus, Cuius
uibice omnes ſanati ſumus à peccatis.

¶ *Languere*, pro diminuere, Ioelis 1. cap. Quia deuaſtatum eſt frumentum, confuſum
eſt iniuſtum, elanguit oleum. Septuaginta ἀλιγώθη, diminutum eſt.

Languere omne cor & mœrere omne cor. Eſaiæ primo capite, Tropice dicit, quod
& prophetæ & magiſtratus peſsime haberent. Sunt enim caput & cor ſenſus & mentis
arces, &c. Item, A' planta pedis uſq; ad uerticem. Quæ identidem in hac ſententia ſunt.
Nam Eſaias uult oſtendere per omnem populum, neque in patribus, neque in plebe
quicquam eſſe ſaluum.

¶ *Lapis*, Hebræis interdũ eſt plumbatum illud, quod in uirga Geometrica perpen-
det. Sic fieri poteſt, ut & Eſaiæ trigeſimoquarto cap. Et pondere exinanitionis exper-
det, de perpendiculi lapillo loquitur. Alias tamen ponderum lapides, abſolute lapides
uocant.

uocant. Pro pondere usus est Micheas 6 cap. In sacculo tuo lapides doli, Deut. 25. Non erit tibi in sacculo tuo lapis & lapis.

Lapides ferrum sunt in ea patria, Hebraismus, pro, in qua sunt fodinæ ferreæ, Deut. 8. cap. Item Lapides perfecti, non fecti, Deut. 27 cap. Et de saxis informibus & impolitis seu lapidibus perfectis. Lapides plenitudinũ uocat Moses, Exodi 25. gemmas quæ auro & argento includi solent, ut uidemus in annulis quas parabant ad ornandum superhumerale & pectorale.

Lapides repletionum uocat eos, qui palis aureis includi solent, Exodi 35. Et lapides repletionum, pro superhumerali & pectorali.

Lapis, pro omni (iuxta sententiam Kimhi) eo quod lapis sit unum corpus, Genesis 49. Inde pascar lapis Israel. Item, Lapides gentes denotant, Matth. 3. cap. Lapides quos digito Ioannes nimirum monstrabat, gentes duras reiectis Iudæis elegit, Matth. 21 cap. Lapis angularis siue angulus, Christus est, duos parietes Iudæorum & Gentium in unitatem fidei, spiritus & pacis coniungens. Ad hoc Iudæorum populus lapis.

Lapidis nomine ueniunt Apostoli & uiri pij, sine opera iusticiæ & fidei. Nam Petræ aut Lapidis uocabulum in scripturis multifariam sumi constat: nonnunquã enim uetros & materiales lapides significat, aliquando homines induratos & rigidos ut Ezech. 11 cap. & 36. & Matth. 3 cap. Alibi uerò pro eximijs & primatibus, ut Threnorum 4 cap. Interdum Christum denotat, ut 1. Petri 2 cap. Insuper duriciem cacodæmonis, & Antichristi mentem excæcatam & induratam. Cor eius indurabiliter tanquam lapis. Sic cor Nabal emortuum intrinsecus & factus est quasi lapis, Sic Lapides et puluis Zion, significant homines. Vnde constituenda est Zion, siue ecclesia ex uiuis lapidibus, ut Apocalyp. 21, & Psal. 101. Quoniam placuerunt seruis tuis lapides eius, hoc est, angelis, prophetis, doctoribus. Et addit: Et puluerem eius miserebuntur super puluere, contritione & uastatione Zion. Cuius lapides, principes & pastores iudicio tuo abiecti sunt, & pulijs reliquũ populi conculcatur à gentibus, ab impijs principibus, mendacibus & lupis, qui se pastorum persona uenditant. Nam puluis nonnunquam pro terra sumitur, more hebraico, ut Iob 20 cap. Ferrum de puluere sumitur.

Lapis super lapidem non relinqui, Matthæi 24. pro eo quod est totum ita subuertetur, ut nihil integri sit relinquendum. Ductum apparet ab ædificijs quæ subuertuntur à fundamentis.

Lapis ferro politus, culter est in scriptura, uel lapis tonsus uel rasus quoq; dicit, Exodi 20 cap. Non uteris illis politis, uel rasis uel tonsis pro ædificio. Et Cultrum usurpat scriptura pro quocunq; instrumento. Item, Lapis pro homine, Esa. 44. Et portas tuas in lapides sculptos. 1 Petri 2. cap. Æs & Lapis in scripturis corda insensibilia significant 1 Cor. 13. cap. Si linguis hominum, &c. Ezech. 11. cap. Tollam à uobis cor lapideum & dabo uobis cor carneum. Lapideæ tabulæ quæ dicantur, in litera T, infrà disseremus.

Lapide & pugno percutere, est eminus uel cominus percutere, Exodi 21 cap. Si rixati fuerint uiri, & percusserit uir proximum cum lapide aut cum pugno.

¶ *Laquei* uocabulum pro dolore capitur, Psal. 17. Præuenerunt me laquei mortis. Et in eodem Psalmo pro doloribus sumitur. Pro scandalo, Exodi 10 cap. Vsquequò erit ille nobis in laqueum, Septuaginta, offendiculum Apostolus laqueum occasionem & necessitatem adpellat. 1 Cor. 7. cap. Non ut laqueum uobis injiciam, id est, quenquã uel ad hoc uel illud uitæ genus obstringam, & deuinciam necessitate quadam, &c.

Laquei significatione late scriptura utitur, pro quauis nimirum implicatione & perplexitate. Tum diuinam ultionem semper ita describit, ut subitam faciat, & res hominum irreparabiliter impediat, intricet, perturbat, confundat. Inde Psalmo 69. Fiat mensa eorum coram eis in laqueũ, Esa. 24. Idem de Moab dicitur Hiere. 48. Et Psal. 11. Pluet super improbos laqueos, ignem, &c. hunc sensum habet. Deus subita & omnia impliciante ultione improbos corripiet.

Laquei, sunt scripturæ doctrinæ, siue ex diuinis deprauatæ, siue ex humanis confictæ. Quæ non modo opinionem, sed conscientiam quoque lædunt. Sicut secundæ Timothei secundo capite, Resipiscant à diaboli laqueis à quo captiui tenentur. Præcipuè pluraliter, ut diuersi generis errores accipiamus, quibus tamẽ sic capitur, ut nihil quàm laquei uideantur, ita fulgente specie ueritatis & pietatis. Quid aliud est uerbum dei peruertere, & opinionibus hominũ cõtaminare, quàm laqueos animabus ponere, ubi

ueritatis

ueritatis dei obtuitu errorem sequitur. Sic apud Iob 22 cap. Laquei sunt pericula, Tenebræ anxietatem, Aquarum uis aceruum malorum, cui resisti nequeat, significat.

Laqueus denicq; uenantis apud Dauidem Psal. 91. Nam ipse liberabit te à laqueo uenantis, Laqueo uenantis uidetur significasse, insidias & clancularias inimicorum machinas, & cætera.

Laqueo se suspendere, pro eo quod est sibiipsi mortem conscire, Actorum primo capite, Et Germani dicunt ei laqueum esse paratum, cui ante fores subsistit præsentaneum exitum.

¶ *Lasciuire*, est improbius & petulantius lædere, Gen. 16. Vidit Sara filium Hagar Aegyptiæ quem genuerat Abrahæ, lasciuientem, mutvvillen vnd spotten. Hinc Lasciuiam D. Petrus uocat. 1. Petri 4 cap. quando procacibus uerbis ac gestibus animi libido prodi tur. etiamsi opus non sequatur, & loquendo tantum atque audiendo intemperanter re geras. Vnde mox & praua desideria succenduntur, & ad factum nonnunquam progreditur. Inde nasci solet Idololatria. Ambulantes, inquit, in lasciuijs, cupiditatibus & uoluptatibus. Ἀσελγείαις alibi ponit pro ἀσωτία luxu & petulantia. Budæus in Cõment. Linguæ Græcæ ex Cyrilli & Æschinis autoritate, pro libidine, & obscœnitate stuprorumq; fugitiosa consuetudine exposuit. Breuiter per Lasciuiam omnem intellexit D. Petrus luxum, obscœnitatem & libidinem procacem.

Lasciuire autem uel sterrere in cubilibus, est corporis uoluptati studere, tum sterrẽdo ultra modũ tum impudentius alijs gestibus, atq; operibus, quæ à saturis & bene potis, atque ociosis ac pigris uentriculis in cubilibus solent admitti, tam die quàm nocte, tam solitarijs quàm in congressu & conuentu aliorum, quæ omnia etiam naturales tenebras, atque loca occultiora requirunt, quæ sunt à D. Paulo per Cubilia atque Lasciuias designata, Rom. 13. Nam comessari & Inebriari, est supra modum corporis necessarium uel bibere uel edere.

¶ *Lassus* pro adflicto, Esaiæ 28. cap. Hęc est requies mea, quiescere facite lassum. Quid autem sit Pes lassus, in litera P, infrà habebimus.

¶ *Latus*, pro insatiabili, Psalmo 100. Altum oculis & latum corde. Septuaginta ἀπλήστῳ. Latera Aquilonis pro Hierusalem usurpari constat, Esaiæ 14 cap. In cœlum ascendam sursum, ad stellas dei exaltabo solium meum, & sedebo in monte festiuitatis in lateribus Aquilonis, Psalmo 13. Montes Zion, latera Aquilonis.

¶ *Latitudo*, In prophetis hebraismus est, Metaphora uel Metonymia scripturæ propria, quam nos sine figura consolationem dicimus: Sicut è contra angustiam, tristitiam & adflictionem dicimus. Sicut enim cor & omnes sensus contrahuntur, dum fugimus & horrent tristia: ita dilatantur & distenduntur dum ablato malo rursum bona & iucunda conferuntur. Et sanè quàm proprie eo uerbo exprimitur naturæ tristitiæ & lætitiæ. Nam & in fronte, & uultu toto uidemus, quàm contrahantur tristibus & dilatentur rebus iucundis. Ideò de impijs Psal. 17 dicitur, Et cõtrahentur in angustijs suis. Piè autem dicit, Psal. 117. Inuocaui dominum & exaudiuit me in latitudine dominus. Vnde & Apostolus Rom. 2 cap. duo illa componunt, tribulationem & angustiam, malum scilicet & fugam mali. De quo tropo & suprà in litera D. Item Psal. 119. Ambulabam in latitudine, id est, conuersabar in latitudine, hoc est, spiritus libertate & libera conscientia siue mente, disceptatione. Sic & Psalmo 17. Et eduxit me in latitudinem, hoc est, in latum campum, & liberum ex angustijs et manibus aduersariorum. Sicut latitudine capi gaudent cerui, ex angustijs locis ubi impetebantur libertate, & fugiunt ad altiora loca, ubi circumspicere possunt & cauere insidias.

Latitudo cordis dicitur 3 Regum quarto cap. quæ omnibus gerendis sufficeret, amplissima memoria, circumspectio & hilaritas animi, qua laboribus non deficeretur & tristicia euentuum siniſtrorum non turbaretur. Dedit, inquit, deus latitudinem cordis: pro innumera rerum cognitione intelligunt Hebræi.

Porrò Latitudo, longitudo, profunditas & celsitudo, quam Apostolus optat Ephesios comprehendere, indubie bonitatis dei est, in omnia sese effundentis, ut quocunq; animum & oculos intenderent omnia ut sui gratia condita: ita suæ saluti seruire agnoscerent, dicereq; possent cum Dauide, Benignitate plena est terra. Benignitas domine tua in cœlis, & fiducia tua, & usque ad nubes, fides tua, & similia. Animus nanq; de deo per fidem recte sentiens, obuiam habet bonitatem eius, quocunq; se uertat.

Lumen

¶ *Latronis* nomen sumitur apud Matthæum capite uigesimoprimo, pro spoliatore ac depredatore. Is speluncæ tenebris sese abdit, et uias occulte obsidet, ut transeuntes adoriatur nihil minus cogitantes: Ita qui in domo dei quæstum exercent, specie cultus dei sese obtegunt, ut inde ueluti ex insidijs simplicem plebeculam adoriantur ac spolient. Vt enim latronem occulit speluncæ obscuritas, ita hypocrisis & species cultus dei istos uarios & latrones obtegit, ne agnoscantur.

Latrones similiter pro militibus mercenarijs usurpant Hebræi. Nam & olim Latinis dicti sunt, qui in cæde & ex cæde uiuunt, dicti sunt Latrones, maleficijs & sceleribus pascuntur, Ebræis Gedudim, Blutharst. secundi Samuelis quarto capite. De Latruncubus plena est Biblia.

¶ *Lauare manus* in usu habuerint ueteres, cum se nihil commertij habere in negotio aliquo ostendere uoluerunt. Nam manibus opera, ac omnem externam uitam attribui manus. Sic enim ait Dauid Psalmo 62. Lauabo innocentia manus meas. Intelligit uitam suam puram exhibiturum se, dum manus loturum se dicit. Pilatum hunc in modum fecisse, nulli non notum. Allusit Dauid uero hoc dicto ad frequentia ueteris populi baptismata. Fieri quoq; potest, ut ad ritum precantium respexerit. Solent enim serio precantes manus ad cœlum tendere. Nihil ergo nisi uitæ puritatem & innocentiam professus est. Hinc & Paulus puras manus leuare monet in oratione & sceleribus expiatas. Vsus & Esaias Lauandi uerbo cap. 1. Lauamini, mundi estote. Omnis pœnitudo quæ peccatorum sordes abluit, lauacrum appellatur, Psal. 51. Lauabis me & super niuem dealbabor. Qui sanguine plenas dicũt manus, quum omnium scelerum commaculationem significant, ut Esa. 1. & 59 cap. ait. Hinc Lauare manus (quæ symbola sunt actionum) quum ab omni genere malefactorum præcipiunt abstinere à fraude, ui, rapina, furto, &c. ut Iacob. 4 cap. Emundate manus ô peccatores, &c.

Lauare manus in innocentia, est quoq; fraternum amorem et charitatem erga proximum exhibere, Psalmo septuagesimotertio. Sunt opera charitatis de quibus Esaias. Labuere fideles & pius.

Lauari septies, ut 4. Regum 5 cap. de Naaman Syro. Indicat pios lauacro uerbi per spiritum oportere iugiter baptizari, ne quis semel lotus absq; timore dei agat. Septenarius namq; numerus, est Hebræis numerus multiplicatus.

Lauare pedes, nequaquam scriptura pedũ tantum lotionem exigit, sed ueræ dilectionis studia seu officia quæuis. Synecdocha enim est, ut ex eo quod seruilissimum uidetur, omnia officia intelligas, ut Ioannis decimotertio capite, Qui nanq; eò se demiserit, ut ex syncera dilectione etiam hosti nedum fratri lauet pedes, quid ille ministerij, quid officij detraheret? Abigail illa dicebat nuncijs Dauidis: Ecce me famulam tuam, ut lauẽ dem lauare pedes seruorum eius detrectatura esset. Sic & D. Paulus accipit Lauare pedes, quum uiduam requirit, quæ lauarit pedes sanctorum, id est, quolibet ministerio illis reseruiret. 1 Timoth. 5. cap. Per Lauare pedes, breuiter omnia charitatis opera intelligit Christus, Ioan. 13. & seruire proximis in omnibus.

¶ *Laudis* nomen ponitur pro assertione defensione'q;, primæ Petri secundo capite. Laudem recte agentium. Item Paulus ad Romanos tertio capite. καύχησιν, id est, gloriationem appellat, Deuteronom. decimo, Ipse laus tua. Et alibi Paulus, Vbi igitur gloria seu laus tua. Hinc Laudatio, pro oratione reperitur, Psal. 81. Inclina aurem tuam ad laudationem meam. Septuaginta ἀνεσιν, id est, precem.

¶ *Lætari* uerbum ad uoluptatem impiorum conceptam ex piorum persequutione pertinet, Micheæ 7. cap. Ne læteris inimica mea super me, quod cecidi consurgam: quũ sedero in tenebris, Dominus lux mihi, Psal. 88. Exaltasti dexteram deprimentium eum, & lætificasti omnes inimicos eius. Et Psal. 136. Memento filiorum Edom in die adflictionis nostræ, qui dicunt, Exinanite, hoc est, nostris malis gaudent.

Lætari, pro delectari, Psalmo nonagesimoprimo, Quia lætificasti me domine in ope re tuo. Septuaginta ἐψφρανας, id est, delectasti. Quid autem sit Lætari & Contristari. Vide in litera D, Deum tristari, &c. Lętari atqui dominum, est benefacere: misereri, est à malis cernere. Esaiæ nono capite, Propter hoc super adolescentulis eius non lætabitur dominus, & pupillorum eius, & uiduarum non miserebitur.

Le*tulus*

¶ *Lectulus* id quo fidimus, in quo conquiescit animus, designat, Prouerb. 16 cap. sicut fores in cardine suo uoluuntur, sic uoluitur piger in lecto. Item, In sacro eloquio lectulus, &c. secretum cordis solet intelligi, Canticorum tertio capite, In Lectulo meo per noctes quæsiui quem anima mea. Psalmo quadragesimo, Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubiculis suis. Hiob septimo capite, Loquens mecum in stratu meo terrebis me per somnia. Est etiam repansatio in bonis operibus, Actor. 9. Ænea sanet te dominus Iesus Christus, surge & sterne tibi. Est corpus quoq; & requies temporalis, Psalmo 40. Vniuersum stratum eius uersasti in infirmitate eius.

¶ *Leonis* nomen interdum scriptura pro regio accipit fastu, Dormisti, inquit, propheta, ut leo & catulus leonis, quis excitabit eum? Nonnunquam pro rapina, ut Leo inquit, & rapiens & rugiens. Hæc Chrysostomus in epist. ad Timoth. 2 cap. 3 Homil. 8. Et pro tyranno usurpat nomen Leonis D. Paulus 2 Timoth. 4 cap. Et ereptus sui ex ore Leonis, Neronem Cæsarem intelligit, iuxta illud Prouerb. 28. cap. Leo rugiens & ursus excurrens est princeps impius populo pauperi. Similiter apud Ezechielem pro principibus 19 cap. Quare mater tua leæna, inter leones cubauit, in medio leuncularum enutriuit catulos suos.

Leonis imagine prædam corripientis & dilaniantis ferociam & ardorem, se perdendi hostium, Psalmo 7. & alibi scriptura exprimit: Catuli leonum, maligni sunt dæmones parui homines, & ministri Antichristi. Catuli Leonum rugientes ut rapiant. Iacob patriarcha catulus leonis dicitur in uaticinio, Esa. 21. Et clamauit Leo, &c.

Leonis rugitui comparatur prædicatio euangelij, quod passim exauditur per totum orbem terrarum, & est eiusmodi doctrina, qua animi commouentur, non amplius securi sunt, sed anxie circumspiciunt de salute, ut patet Actorum secundo capite, Amos primo & tertio. Leo rugiet, hoc est, dominus deus loquutus est, & quis non prædicabit? Apocalyp. 10 cap. Hoseæ 11. cap.

Leonis uocabulum in bono & in malo reperitur. Interdum ponitur in laude, ut Leo significat Christum, ubi dicitur, Vicit Leo de tribu Iuda. Ponitur & in uituperationem, & significat diabolum, ubi scriptum est apud D. Petrum: Aduersarius uester diabolus tanquam Leo rugiens circumit, quærens quem deuoret. Ita Serpentis nomen in bono est: Astuti ut serpentes. In malo autem, serpens Euam seduxit astutia sua, Leonum catuli dæmones sunt: uidelicet principum & potestatum aeris huius dæmones & angeli diaboli. Vide August. in Psal. 100.

Leonis nomen regna quoque denotat apud Danielem capite septimo. Leo significat Chaldæos & Assyrios & eorum regnum. Leones, ecclesiæ præfecti intelliguntur. Vide in templo domini, Leones cum bobus ex ære in basibus templi fieri mandantur. Antichristũ quoq; adumbrat, Psalmo 10. Sedet in insidijs in occultis sicut leo in cubili suo. Leones quoq; pernicioſi, nocentes homines sunt, ut Psal. 3. Deus, inquit, cõminuedentes eorum in ore eorum, maxillares, quos instar leonum habent, obtere ô domine.

¶ *Leæna* est sancta ecclesia, eo quod contra aduersa audax est, Hiob 28. Non calcauerunt eam filij institorum, nec pertransiuit per eam Leæna. Aliquando uero nomine Leænæ huius mundi ciuitas, id est, Babylonia exprimitur, quæ contra uitam innocentium immanitate crudelitatis effrenatur, quæ antiquo hosti, quasi sæuissimo leoni data persuasionis, peruersæ eius fœmina concipit, & reprobos ex se filios ad similitudinem illius quasi crudeles catulos gignit.

¶ *Lenire butyro os*, locutio est apud Psalmo 55. Lenierunt præ butyris os suum, id est, uerba oris eius fuerunt leuia & blanda ueluti butyrum. Notat perfidiam & blandicias inimicorum. Quasi diceret Iurares quidem non uerba, sed mel ipsum ex simulatorum illorum ore cadere, adeo omnia continue, mollè, suauiterq; disponere callent prudentes, si deo placet, aucupes. Molliti sunt inquit, sermones eius super oleum, et ipsi sunt iacula. Is enim perfidiosorum mos est, ut suos ita ad audientium animos attemperent sermones, blandeque effingant, ut nihil minus de illis suspicari queas, quàm quod perfidiam machinentur.

¶ *Lepræ* nomine uocat Moses, ut clarum est ex Leuitici capite decimotertio, omnem scabiem, diuersum colorem, siue pustulam in cute, & sanguine ortam, unde conciliari possit moribus ille immedicabilis, Item, pruriginem, quæ lepræ similis, aut ex qua naci potest Lepra.

Lepræ

Lepræ quoq; uocabulo Marcus cap.1.quamlibet immunditiam mentis & uitæ intelligit:tales enim licet corpore in Ecclesia habitēt,mente tamen sunt excommunicati. Item Lepra quoq; aliegorice & proprie doctrinam humanam & falsam significat,quæ ut cancer serpit.Et ut paucis perstringam,omne contagium impietatis,ideo diligenter cauendum ex iudicio & ministerio Leuitarum,Modicum enim fermentum totam massam corrumpit.Augustinus lib.2.Quæst.Euang.cap.40.Leprosus est quicunque doctrinas erroris profitetur,& auaritiæ similis Giezi.4 Reg.5.

¶ *Leuare*, Hebræis idem est quod Latinis eleuare. Eleuare autoritatem alicuius, quum dicunt,intelligunt contemni,susq; deq; haberi.Pro exondendi & spoliandi uerbis quoq; utuntur Hebræi,ut Hierem.4.Nam pro remittendi uerbo,Moses usus est.Genes.8.An remisissent aquæ.Esa.9.Primo tempore alleuiata est terra.Verti potest, Leuiter adfligebantur.

Leuare manum,seu exaltare manum,significat prævalere & potentem esse in opere,seu ostendere & exercere uirtutem,ut Esa.49.Ecce leuabo ad gentes manum meam. Et Psal.70.Leuo manus in superbia eorum.& Psal.10.Exurge domine deus,& exaltetur manus tua.& Psal.4.Leua super nos lumen uultus tui.Leuare,hoc est aliud nihil, quàm lumen fidei,quod seipso altissimum est,super nos effundere,quo ipsi eleuemur.

Leuare manus suas in aliquem,est uiolentas manus inferre.2 Reg.18.& 20.Ab hoc autem diuersum est in Psalmis,Leuare manus,est bonis operibus occupari.Psal.118.Et Leuaui manus meas ad mandata tua quæ dilexi.Vel, Leuare manus ad Deum,uel ad dominum,ut Psal.27.est egestas orantium,laudantium & benedicentium. Leuat Moses manum.Leuare puras manus.1.Timo.2.nihil aliud est nisi innocentiæ studium.Eleuantur manus ad cœlum,eleuetur & mens.uide Esa.1.& suprà &c.

Leuare præterea manum,interdum pro iurare,ut in litera M dicemus.Leuare manum,uel sustollere in cœlum quoq; non iurantis habitum indicat,sed potestatis indiciū est,ut Ioannes in sua Apocal.10.cap.

Leuauit manum suam ad cœlum.Vides illic quod iuret per semetipsum,qui manibus extrema cœlorum coniungit,pedibus terra & mari superior sese illorum omnium dominum indicat. Et Daniel.12. eodem modo loquitur cap.20. Leuaui manum meam ad semen domus Iacob.Quia id iurantium est,pro iurare accipitur.

Leuare pedes,significat uelocem esse in uia,ut Gen.29.Vbi nos habemus,Profectus ergo Iacob.Hebræus dicit,Et leuauit pedes suos Iacob.

Leuare autem peccatum,dicunt Hebræi,pro parcere,tollere,adimere,dimittere.Genes.4.Maior est iniquitas mea.Et cap.18. Et non parces loco propter quinquaginta,id est,non tolles peccatum.

Leuare signa,nonnūquam Hebræi de quouis signo aut symbolo dando ad aliquid designandum aut annuendum:interim uero pro signum militare proferre ac propone re,ut milites dent nomina,accipiunt.Esaiæ 3.capite,Et leuabit signum ad gentes è longinquo, &c.

Leuare calcem,calcaneum seu plantam magnificare,est contemnere,opprimere,per fidum esse erga aliquē.Germanice,mit dem letzen schencken schlagen.Scriptura enim per magnificare supplantationem,oppressionem intelligit. Quem enim calcaneo truseris & supplantaueris,prorsus habes prostratum.Ioan.13. Qui edit mecum,&c. Quid autem sit supplantare,suo loco tractabimus.Et Psal.41.Magnificauit contra me calcaneum suum.

Leuare solium,apud Esa.6.significat,quum accōmodatur hoc uerbum ad rem corporalem,attollere,seu in altum tollere.

Leuare atqui oculos.Gene.31.Leuaui oculos meos.Septuaginta, Et uidebam oculis ei in somno.Nihil ferè frequentius hoc idiomate Hebræis in usu,per hoc nanq; impetum quendam ac incœptionem declarant.Zach.2.ca.Leuaui oculos meos,nimirum ad sublimia & cœlestia contemplanda,auocatis à terrenarum rerum oculis admiratione. Ioan.4.Leuate oculos uestros & uidete regiones.Psal.120.Leuaui oculos meos in montes,unde ueniet auxilium mihi.

Leuare deinde oculos super labia,est directe prospicere.Hierem.2.ca.Leuare oculos tuos super labia.

Leuare animam, est anhelare,multum cupere & desiderare,Hoseæ quarto capite,

Leuauerunt animam suam. Animam interdum pro anhelitu & spiritu accipimus, id est magno desiderio desiderabant peccare populum. & unde ipsis magnum emolumentum decederet.

Leuare caput, pro restituere in integrum, inq; priorem statum. Et Genes. 40. Adhuc tres dies leuabit Pharao caput tuum hoc est, restituet in pristinum locum & statum. Septuaginta, restituet te. Vide fusius hunc tropum in nomine Caput, tractatum.

Leuare ad hæc manum, est mala inferre, apud Ezech. 44. Nam iurantis est, ut audi tum suprà. Item potest etiam gestus esse eius, qui potentiam & robur suum exerit. Insuper qui percutit & punit. Ezech. 20.

Leuare manum contra aliquem, est imponere tumultum, ire bellare. ut 2 Samu. 20.

Leuare onus contra aliquam gentem, est prophetiam onerosam ac tristem prædicare. 4. Reg. 9. Leuare postremo numerum seu accipere, pro numera. 1 Paral. 27.

¶ *Leui* dicuntur omnia, quæ ad sacerdotes, & specialiter ad pontificem pertinent. Malach. 2. Vt esset pactum meum cum Leui.

Leuitici sacerdotij nomine, Paulus Hebr. 7. intelligere quicquid cæremoniarum & rituum comprehenditur in sacerdotio illo externo.

Leuis autem pro ueloci. Hier. 2. Leuis explicans uias suas.

¶ *Leuiathan*, Hebræis cete significatur, Chaldæa periphrasis posuit Psalm. 5. Leuiathan ob immanem magnitudinem. Et Psal. 104. Ibi naues uadunt Leuiathan, ipsum finxisti, ut ludat in eo. De Leuiathan, cuius meminit, immaniores maris beluas significat numero singulari. Et Psal. 74. Pharaonem & Leuiathan & Draconem appellat. Nam Leuiathan, scriptura allegorice mundum, maris, & principes mundi, magnorum piscium nomine uocat. Esa. 27. Sic Ezechiel regem Ægypti uocat Draconem in flumine. Ita Esaias Cete uocat tam Ægyptium quàm Assyrium, quorum alter ad Euphratem, alter ad Nilum imperabat. Tortuosum leuiathan uocat, quietum imperium. Rectum autem bellicosum. Sicq; omnia regna complexus est. Quasi dicat, Et illa regna quæ sunt in armis duo belli usu, & quæ sunt quieta, omnia à Romanis debellabuntur, ut sic pax paretur Euangelio. Cetum enim seu Draconem posuit pro plurali: quasi dicat, Quicquid ubiq; est imperiorum, & regnorum, & principum. Quanquam etiam scriptura soleat nonnunquam Dei potentia, & ex eo prædicari, quod ut condidit & alit, ita solus quoq; conficiat Dracones, & alias beluas hominibus inuictas. Id copiosè Iob 38. 34. 40. 41. & cap. 17. Iob ait, Extrahes ne Leuiathan? Vnde & Græcus uertit draconta, qui non capitur hamo, nec fune ligari potest. nec uncino apprehēdi, nec à furore suo compesci. Iam ut ille marinus draco nullis retibus capi, & nullo funè ligari potest, ita nec Satan ullis humanis uribus, astutijs, aut consilijs prehenditur, nec compescitur, ne pro libidine sua dominetur, à solo Domino uinci potest, & per eum ab omnibus credentibus. Hinc est quod sub eius nomine Satan & regnum Antichristi intelligitur. Vide suprà in nomine Draco.

¶ Lex, à delectu, ut Ciceroni lib. 1. cap. de Legibus, placuit, nominata est. Iubet siquidem quæ eligenda faciendaq; sunt, & prohibet contraria. Omnis itaq; ratio recte & pie uiuēdi lex & institutio dei iure uocatur, siue ea animo solum inscripta sit, siue etiam literis excepta.

Legis nomen accipiunt Hebræi, non tantum pro decretis & sanctionibus, sed pro omnibus diuinis oraculis, carminibus, & rebus in gente sua gestis, quæ nos Canonicos ueteris Testamenti libros uocamus. Quæ omnia quid aliud sunt, quàm cœlestis disciplina? Esa. 2. Lex de Sion exibit. Hæc autem quando aliàs, quàm Christus per orbem prædicaretur, publica gentibus facta est. Et perinde est, ac si aliquis se iactaret, Religionostra, leges, mores & constitutiones, apud exteras quoq; gentes colentur. De hac lege de qua Esa. 2. loquitur, pro gratia & amicitia synecdochice capitur, quam deus erga genus humanum gerit, quam tamen præcipue genti Hebraicæ, atq; ante omnes alias, impartitus est, ac tandem misso filio suo in omnes gentes propagauit.

Legis ergo dictionem uidemus uarie accipi. Aliquādo pro uniuersa illa Mosaica populi Iudaici institutione, cum uniuersis illius cæremonijs usurpatur. Nonnūquam pro cæremonijs tantum aut operibus legis: quandoq; etiam pro decalogo. Sic Rom. 2. cum gentes Apostolus naturaliter, quæ legis sunt facere, scribit. Ac proprie Lex dei, Thoralis, est uitæ institutio ad uoluntatē dei ordinata. Vel, est mens illa & uoluntas dei, ad quam uita

uita nostra omnibus est dirigenda. Sic Paulus plenitudinem legis uocat dilectionem. Rom.13. Est enim deus charitas, ideoq; & unicus legis scopus & plenitudo est, ut charitatis spiritui imbuamur ac reformemur. Ita & Christus Mat.22. dicit: In his duobus mandatis tota lex & prophetæ pendent. Et apostolus Gal.5. Omnis lex in uno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut teipsum. De hac lege dei loquitur Christus Mat.5.

Legis uocabulum uarijs nominibus regius propheta Dauid Psal.9 & 118 celebrat. In Ebræo sunt fermè sex aut septem uocabula Legis.

Thora, aut Thorah, primum proprie legem significat, & ab instruendo nomen habet, unde uocatur Instrumentum. Thora, quod nos instruant & erudiant, ne bestiæ simus, & in tenebris agamus. Dauid Thorah, legem uel doctrinam uocat. Psal.118. uel iuxta Hebræos 119. quod uiuendi recteq; agendi rationem præscribat, & à docendo dicta, pro tota lege & institutione Domini accipitur.

Mizua, Præceptum est, ut in Mose legitur sæpius, sicut præcepit mihi Dominus. Mizua, quod in se habeat, & quæ exigit à nobis Deus & quæ uerat. Dicta Mizua, quod nos ligent & exigant, ne libere contemnamus quæ edocti sumus.

Huka, uel Hukim, alij Statura, alij Cæremonias reddiderunt. Nam proprie significant statutum & morem sacrorum, quæ statuta uocãtur alias, ut Psal.2. Narrabo præceptum Domini. Ebraice, Narrabo de ritu & statuto, scilicet de nouo ritu & cæremonia uera, quæ est credere Christum filium dei, & ibidem sequitur, in quo omnes omnium cæremoniæ implentur & referuntur. Dicuntur autem Hukim, præscripta dei quæuis, quod non ex Psal.119. sed etiam ex Deut.6. ac alijs scripturæ locis liquet. Et Latini per cæremonias, ritus certos & leges significant: etiam aliarum rerum, quàm cultus deorum. Vnde Cicero pro Sex. Roscio, legationis cæremoniam polluisse, pro uiolasse ritum & legem legationis, dixit. Kimhi scribit ea præcepta Legis dici Hukim, quorum tecta sit ratio, ut sunt cæremoniæ tabernaculi. Non tamen recipiendum est, quod quidam tradunt, ritus sacerdotum & sacrificiorum tantum, hoc nomine significari.

Pikud, id est proprie quod Latini Mandatum dicunt: Germanice, befelhen. Nam uerbum Pakad, uisitare, constituere, ordinare, censere, & omnino mandare significat. inde uenit Psal.108. Pikuda, quod episcopen Græce, siue diocæsin dicunt: Et episcopatũ istius accipiat alter. id est, officium demandatum seu administrationem. Noster uertit Iustificationem ferè ubiq; Pikudim siue Pakudim, id est mandata quod cõtineat, quæ nobis deus obseruanda mandauit. Pakudim uolunt Iudæi esse præcepta iuris naturæ, quæ inscripta sunt omnium cordibus: sed & ipsum significat dei mandata quælibet, quæ scilicet commissa nobis sunt, ut ea seruemus. Vel, Pikudim, quod mandatur ad exequendum, ut habeamus quod agamus, ne ocioſi simus.

Eduth, id est Testimonium, uel Oraculum, quod Deus per legem suam & uerbum sese testetur adesse, & de uoluntate dei nobis testatur, & nos curare, quo conscientiam de deo habeamus, quem aliàs neq; uidemus, neq; sentimus, neq; intelligimus. hoc est, certa conscientia ipsum ubique & semper præsentem habeamus. D. Kimhi putat hoc nomine peculiariter dici præcepta, quibus aliqua Diuinæ beneficentiæ memoria præcipitur, ut præceptum Sabbati, Festorum, aliorum signorum Legis, quæ debebant habere in uestimentis, & Precationum. Verum & huius uocis significatum generalius est.

Mispat, seu Mispatim, constanter reddunt Iudicium, uel Edictum potius, & Iudicatum. Mispatim, Iudicia uel edicta, & iudicata. Nec male, nisi quod opus est scire latitudinem eius uocabuli in Ebræo. nam significat & ipsum officium, seu administrationẽ iuris, quod Mispat, recto iudicio agere omnia instituat, ut Psal.1. Non persistent impij in iudicio. quod alij dicerent, in regimine. Item Psal.71. Deus iudicium tuum regi da. Inde est liber Iudicum, qui Latine diceretur Liber principum, rectorum, consulum, uel magistratuum. Item Psal.109. Iudicabit in nationibus. id est, regnabit. Secundo significat ipsum opus & executionem iudicij. Hinc illa uox passim in scripturis, Facere iudicium & iustitiam. Faciet dominus iudicium inopis. Et, de uultu tuo iudicium meum prodeat. & Locutus est cum eo iudicia. Vltimo, significat proprie id quod latine Iura, scilicet leges, quibus homines inter se ciuiliter in rebus prophanis disponuntur. unde & sæpius pro consuetudine & more aliquo accipitur, uelut pro iure gentium aut naturali, ut Exo.22. Secundum iudicium filiarum faciet cum ea. Et Psal.118. Secundum iudicium diligẽtium nomen tuum. Ita & eodem Psal. sæpe bifariàm pro decretis, edictis & legibus Dei, iuxta

quæ cum proximis uiuendum est, ut in adducto Psal. uersu 13 & 20 & similib. Aliquando pro insignioribus domini factis, quibus suos adiuit & hostes eorum reprimit, ac ita se iudicem omnino declarer. Sic accipit iudicia dei, in Psal. 75. 52. 62, & locis alijs.

Mismereth, Obseruantiam, seu Custodiam sonat, scilicet generale nomen super omnia prædicta, imò si diligenter cõsideremus, duo aut tria tantum erunt uocabula, legem proprie significantia, nempe Huka & Mispat, Statutum & Ius, quorum alterum ea tradat, quibus erga deum ordinamur, scilicet Huka alterum ea, quibus erga homines ordinamur, scilicet Mispat. Sic enim & Deut. 4. Mose incipit: Audi statuta & iura, quæ ego doceo, uelut ijs duobus uerbis omnia cõplectens. Quasi dicebat, docebo uos quomodo recte uiuetis coram deo & hominibus. Ideo Mismereth, quod diligentiam & obseruantiam sui requirant, ne segnes & sternentes simus in faciendis illis. Præter hæc sunt & illa, Dabar & Amirah nonnunquam pro dictis & iussis dei accipiũtur, ut uersu 9. Psal. 119. aliquando pro promissis, ut uersu 25 & 38 & alibi. Dorek, quod uiam significat, pro agendi ratione uitæq; instituto sumitur. Inde Halac, quod ambulare significat, pro uiuere & conuersari usurpatur. Zedeck, id est Iustitia, quæ nihil aliud est quàm absoluta bonitas, de qua copiose satis declarauimus in nomine Iusticia. Item Neum, Verbum, eloquium, dictum. Item Dathan & Taam, sed hæc duo raro in usu, ut Psal. 119. Bonum tuum & scientiam doce me. quod nos bonitatem & disciplinam habemus. Aliquando significat ferè gestum illum, quem nos mores & habitus corporis uocamus, sicut Psal. 34. Dauid mutauit mores suos coram rege Ahis, ut habet eius Psalmi titulus. Reliqua ergo sunt duo illa, Huka & Mispat, statuta & iura, in scripturis celebratissima. Ab hoc uenit iudices & iudicandi potestas. Ab illo uero regendi in spiritualibus magister, quem Mehokek uocauit Gen. 49. Nec dux de femore eius, Ebræus, nec doctor de sub pedibus eius, id est, semper erit in Iuda, qui diuina doceat, & ad pedes habeat discipulos, à quibus non tolletur, donec ueniat Silo. Porrò fatentur & Iudæi in Psal. 119. Legem, cæremonias, precepta, mandata & oracula: pro lege & institutione accipi, qua uita gloriæ Dei & salutis proximorum studiosa præscribitur. Ebræorum quidam, ita hæc inter se distinguunt. Thorah ea in scripturis uocant, quibus certa agendi lex præscribitur, ut sunt leges sacrificandi, purificationem, & huiusmodi. Æduth, quæ sunt fœderis inter deum & populum uelut testes, ut tabernaculũ erat, Sabbatum, & huius generis reliqua. Pakudim, quæ sunt legis naturæ, ut honor parentum & similia. Ea enim ratione omnium hominum commendata sunt. Mitznoth, id est præcepta, quæ deus exigit ab homine. Timorem dei, præcepta negatiua quæ uetant, hoc est, quæcunq; uetat deus. Iudicia, quibus leges uiuendi cum proximo explicãtur. Equidem uero uidemus subinde uoces his significationibus accipi. Porrò cum uaria cõtineat lex, in unum tamen desinentia, uarijs illam uocibus appellat uates, modo legem, modo præceptum, modo testimonium, modo iudicia, eãdem ipsum nominans. Psal. 19. Lex domini immaculata conuertens animas. Lex enim quedam pactum fuit cum populo illo initum, fuit mandatum, fuit testimonium, fuit statutum, fuit tandem diuinæ uolũtatis expressa significatio, obtecta tamen uulgo. Psal. 99. Custodiebãt testimonia eius & præceptum quod dedit illis. Vocant Hebræi Iirah, hoc est Timorem, uel reuerentiam potius Iehouæ, quod timere deum doceat, & ueram religionem ingerat.

Legem & Euangelion Theologi quidam, ut infrà audiemus, sic distinguunt: ut hoc promissiones tantum: illa præcepta sola contineat, quibus deus aliquid exigit & uetat. Sed non solum in scripturis prophetarũ, uerum nec in apostolicis quidem, ad hunc modum ista uocabula semper accipiuntur. D. Paulo quidem Lex, nonnunquam pro præceptis accipitur, & non semper, sed neq; Euangelion illi promissio est, sed promissæ potius redemptionis per Christum enunciatio.

Legis ergo diffinitio est, sententia qua recta præcipiuntur, mala uetantur, uerbum illud dei, quo docet ac requirit, quæ obseruanda, quæ ue omittenda nobis sunt. Euangelij diffinitio quæ sit, suprà in litera E, explicata.

Duæ in uniuersum scripturæ sunt partes, Lex & Euangelium. Lex, peccatum ostendit, Euangelium gratiam. Lex morbum indicat, Euangelium uitam & pacem. Lex, uirtus peccati est, ut diui Pauli uerbis utamur. Euangelium, uirtus salutis omni credenti. Sparsæ porrò sunt promissiones in omnes libros Veteris ac Noui testamenti. Rursum Leges etiam sparsæ sunt in omnia cum ueteris, tum noui instrumenti uolumina. Le-

gis

gis nomine quid diuus Augustinus intelligat, consule ipsum de Trinitate lib. 15. cap. 17. Inter alia uerba dicit, Lex data est, ut gratia quæretur: gratia data est, ut lex impleretur. Et in sententijs decerptis ex ipso diuo Augustino. Et ad Optatum Epist. 157. de Origine animarum.

Legis nomenclatura.

Lex Diuina à sacrosancta scriptura uarijs appellationibus ornatur. Iugum oneris, uirga humeri, sceptrum exactoris. Esa. 9. cap. Vincula colli, Esa. 32. cap. Malleus conterens, Hierem. 23. cap. Iugum ferreum, Hierem. 28. cap. Et Deuter. 28. cap. Lapideæ, siue saxeæ tabulæ, Exo. 24. cap. Sic & Deuter. 6. cap. Ignis maximus, Deuter. 18.. Agnitio & uirtus peccati. Rom. 3. cap. & 1 Corin. 15. cap. Elementa mundi. Coloss. 2. cap. & ad Hebræos cap. 5. & Galat. 4. Importabile onus & iugum, Actorum cap. 15. Occasio peccati, Rom. cap. 7. Administratio mortis & condemnationis. 2. Corinth. 3. cap. Sepis nomine Legem appellare consueuit scriptura, quæ per Mosen data, quam sicut maceriam & sepem quandam inter Ethnicos & Iudæos posuit Deus. Atramentum. 2. Corinth. 3. cap. Lex apud Iudæos uarie accipitur. Aliquando hoc uocabulum in genere omnes scripturas Veteris Testamenti complectitur. Aliquando uerò Lex, Mosis libros significat, ut Matth. cap. 11. Lex & Prophetæ usque ad Ioannem. Aliquando partiuntur Iudæi Veteres libros in Legem, Propheras & Psalmos: ut Lucæ cap. 24. Et Ioan. cap. 10. pro doctrinam, nam Thorah Hebraice, doctrinam Latine significat, aut directorium, seu directionem, uel regulam. In Lege, inquit, scriptum est, Ego dixi Dij estis. hoc est, In Psalmis. Sic Matth. cap. 5. Lex scripturæ, pro doctrina & uitæ institutione accipitur. Per Legem itaque & Propheras apud Matthæum intelligimus dei doctrinam, scripturis sacris comprehensam, qua ad pie atque salubriter uiuendum homines instituuntur. Et similiter Ioan. 10. capite, Nonne scriptum est in Lege uestra. id est, in scriptura quæ sæpe uocatur Lex, id est Thorah: quod tamen non tam Legem, quàm doctrinam significat. Iam scriptura recte docet ubique. Recte igitur tota Ebræis Thorah, qnod nos Legem interpretamur, dicitur. Et Matth. cap. 7. Legis & Prophetarum uocem intelligi omnem doctrinam Dei Diuinis literis comprehensam. Lex & Prophetæ usque ad Ioannem, Lucæ 16. id est, quicquid Lex typis expressit, figuris adumbrauit, quicquid Prophetæ uaticinati sunt, hoc totum in me complerum. Quicquid deinde sacrificiorum, totum in me cessit. Et Matth. 22. cap. Maximum præceptum quodnam est in Lege. id est, maximum est in omni scriptura, Aliquando Lex, pro cæremonijs Legis. nam in Lege & in cæremonijs uiæ continentur, simulq; spiritualia ad quæ ducunt, & ob quæ instituta sunt: ut agnus, circuncisio, sacrificia. Sic Paulus dicit, Legem non purificare conscientias. hoc est, externa sacrificia non purificant animum. Interdum Lex capitur pro mente Legis spirituali, ut Deum super omnia diligere, & Proximum ut temetipsum. Hic enim nucleus est Legis, Deum diligere & Proximum. Deinde in species dirigitur, Non occides, Non furtum facies, &c. Legis nomine similiter apud diuum Paulum, omnis sacra scriptura uenit. Rom. 3. cap. Scimus autem, quod quæcunq; Lex dicit, ijs qui in Lege sunt. Intellexit per Legem, omnem scripturam in genere sacram. Sic enim solent Hebræi suum Thorah usurpare. Et Ioan. 8. cap. Legem appellant scripturam, à parte totum, per synecdochen: Vt compleatur, inquit, qui in Lege eorum sermo scriptus est. Et in eodem cap. ad Rom. 5. cap. Lex, pro Lege scripta accipi non potest: sed per metalepsim ponitur pro opere, aut merito. Absque Lege iusticia, inquit, Dei manifestata est. Ad Galat. 3. cap. Legis nomen, pro ipsis operibus Legis posuit Paulus apostolus. Diuus autem Augustinus hunc locum enarrans Legem, ait, hic pro ipsis operibus Legis posuit, quod de posterioribus manifestatur. Ait enim, Lex non est ex fide, sed qui fecerit ea, uiuet in eis. Non ait. Qui fecerit eam, uiuet in ea: ut intelligas Legem in hoc loco, pro ipsis operibus posita. Per Legem, inquit Paulus, manifestatur peccatum & damnatio: itaque pro peccato. Roman. 6. cap. Mortificati estis Legi. id est, peccato. Hebr. 6. cap. Hac autem significatione tunc dicimur liberati à lege, cum per crucem Christi, ea nobis peccata credimus esse abolita, quæ iudicio legis cognouimus esse peccata. Lex quoq; pro uindicta ponitur, quam de maleficis sumere iubet Deus. Christiani à lege liberati dicuntur, quod aliàs per fidem iusti sint, ut nemini noceant, & in leges istas non incidant. Sic Paulus dixit, Iusto legem non esse positam. Lex Dei, est perpetua & optima dei uoluntas, in hoc digito dei exarata, & exposita per Mosen, uulgataq;, quo omnes homines Dei uoluntatem (quod in omni uita sua faciant, & quid omittant) cognoscant, & cognitam, id est, toti ab ea pen-

dentes,ita ut deus præscripsit,uiuant. Hanc Legem perspicuitatis ac docendi gratia diuiserunt in Moralem,Iudicialem & Cæremonialem.

Lex moralis,institutio est morum ac uniuersæ uitæ nostræ,comprehensa decalogo, & huius compendio siue summis capitibus fide & charitate,dilectione,inquam,Dei & proximi. Hæc lex moralis,inquam,informat mores,adeoq; uirtutum formas tradit,demonstrans quantam à nobis deus iustitiam,sanctimoniam,obedientiam & perfectionem requirat. Hanc omnium perfectissime præstitit Christus,& perfectionē suam gratuito confert credentibus, dicente Apostolo,Perfectio legis Christus ad iustificationem omni credenti.

Lex iudicialis,docet iusticiam publicam,humanitatem,honestatem,beneficentiam, & tranquillitatem publicam conseruat & præcipit. At hæc omnia in una charitate complexus Dominus,legem hac parte non destruxit. Dilectio enim, Apostolo teste,proximo malum non operatur,consummatio ergo Legis est dilectio. Et alibi,Iusto lex non est posita,sed iniustis & inobsequētibus. Ad Galatas dicit,Si spiritu ducimini,non estis sub lege. Vos autem carne ducemini,ergo estis sub lege quæ uobis maledicit,& de nobis supplicium sumere iubet. Ideoq; Euangelium nullibi ciuilem magistratus ordinationem damnat.

Cæremoniales leges,quà cæremoniæ traditæ fuerunt de ritibus ecclesiasticis & sacris,de cultu Dei externo,deq; personis & rebus ad cultum illum pertinentibus,ministrantibus & destinatis sacris. Quia uero hæc res diuinitus,nō nisi ad tempus correctionis erant institutæ,quod quidem correctionis tempus, Christi tempus erat, non potuit aduenientis in mundum Christus aliud facere,quàm quod fecit,abrogare,umbratiles illos typos Christi negocium adumbrantes. Ergo per hoc ipsum quod hac parte legem abrogat,legem cōplet: pro figuris & umbris ipsam rem & ipsum corpus reponens. Di qua re uidere licet epistolam ad Hebræos. Lex data à Domino,primum quidem ut peccatum,& qualis natura simus,ob oculos statuat: & per hunc modum,ceu pædagogus ad Christum deducat,deinde & officia uitæ præscribat.

Lex naturæ,est dictamen conscientiæ,adeoq; directio quædam ab ipso Deo hominum animis & cordibus insita,admonens quid uel faciant,uel omittant. Et conscientia quidem,cognitio est,iudicium & sensus hominis,quo apud semetipsum in animo suo sibi quisq; cuiuslibet rei peractæ uel non peractæ,conscius semetipsum uel damnat,uel absoluit. Et hic sensus proficiscitur ex deo,dictante inscribēteq; iudicia sua hominū cordibus & animis. Natura uero est ingenium cuiusq; rei proprium. Porrò ingenium hominis plane corruptū per peccatum,ut cæcum,ita in omnibus est prauum. Deum non nouit,Deum non colit,sed & proximū non diligit,seipsum potius amat & sua quærit. Vnde nimirum Apostolus dixit,nos esse natura filios iræ. Proinde lex naturæ dicta est, non eo nomine quod in natura uel ingenio hominis ex semetipso sit illuminatio quædam,ratio deprecans ad optima & operatio sancta: sed quod Deus notiones quasdam & principia religionis æqui & boni generalia animis nostris impressit aut insculpsit, quæ quasi insertæ & nobiscum natæ & idcirco ueluti naturales esse uidentur.

Lex spiritualis,non ideo dicitur,quod allegoricas in se contineat sentētias,sed quia spiritum exigit,& uult ut omnia faciamus sicut spirituales. Lex spiritus uitæ. Rom. 7. est uiuificās illa fidei uis,imò ipse dei spiritus: quo donati,scimus quæ per Christum nobis donata sint,uita,redemptio & sanctificatio. Lex spiritus est,quæ non penna uel atramento scribitur,neq; ore enunciatur,perinde atq; Moses lapideis tabulis rem agebat,sed nihil aliud est,quàm ipse spiritus sanctus,aut quod in corde perficit opus. uide 2. Cor. 3.

Lex literæ autē uocatur,quod in literis maneat,nec subeat pectus,nec opera etiam sequantur,nisi hypocritica plane & coacta. Vnde populus quoq; litera manet & caro. Literæ minister est,qui typum,cæremonias,legalia,ipsam,inquam,carnem,ac hominis uires meritaq; prædicat. Spiritus ergo minister est,qui non legalia prædicat,sed unicum Christi meritum inculcat. Igitur Apostolus non totam legem,neq; sensum legis literam uocat,sed ipsius doctrinæ genus totum quod ab illis Nazareis tradebatur. Spiritum uocans ipsam Euangelij & gratiæ Dei prædicationem,quæ uni Christo tribuit omnia,cæremonijs,legalibus,operibusq; atq; uiribus nostris nihil.

Lex Domini,uocatur uerbum Domini,quod nobis diuino spiritu præditum est,& quicquid spiritu agnoscimus placere deo. Psal. 1. Et in lege Domini meditabitur die ac nocte

nocte, id est, assidue, iugiter. Lex metonymicè, opus Legis uocatur.

Legis uocabulum interim pro ingenio & natura accipitur, quam Deus omnibus indidit creaturis. Veluti & abyssos certa lege uallauit, Prouerb. 8. Sic elephanto, omnium terrestrium animalium maximo, legem indidit Dominus, ut uestigio hominis animad uerso (olfacit enim ueluti canis) pertimescat. Id quod Plinius & alij uehementer admirantur. Moses autem pulchrè causam reddit, Gen. 1. & 9. Terror uester ac tremor sit super cuncta animalia terræ. In hac significatione usus est & Paulus ad Rom. 7. cap. Video autem aliam legem in membris meis, &c.

¶ *Legem ponere*, est docere, Hiere. 31. capite, Et dabo leges meas in cordibus eorum, uel, ponam. Et Psalmo 119. Legem pone mihi Domine, &c. Et Psalmo 24. Legem ponet ei in uia.

Legem implere, est facere ea quæ lex mandat, corde hilari & erecto, & alacri, id est, sponte & ultro Deo uiuere, & bene operari, etiam si nulla esset lex. Lex impletur, uel cum fiunt quæ ubi præcepta sunt, uel cum exhibentur quæ ibi prophetata sunt. Lex enim per Mosen data est, gratia & ueritas per Iesum Christum facta est. Ipsa Lex cum impleta est, gratia & ueritas facta est. Talis uerò alacritas, hilaritas & propensa uoluntas ac ardens affectus, non cõtingit cordibus nisi per spiritum uiuificatorem, & uiuum eius impulsum ac agitationem in corde, sicut cap. 5. dicit: Hic spiritus cor nouat, exhilarat & exicat & inflammat, ut sponte faciat ea quæ uult lex. Ac tum demum ex fide, sic in corde efficaciter à gente & uiuente sponte, fluunt opera uerè bona. Hæc Paulus ad Rom. 3. cap.

Legem stabilire uel statuere, est implere. sic ait Christus in Euangelio Matth. 5. cap et Rom. 3. Non ueni soluere legem, sed implere. Legem uerò soluere, est eam transgredi, sicut Matth. 9. ait. Nam Christus non uenerat transgredi legem, sed stabilire & perficere. Et eodem cap. Qui soluerit unum ex minimis, &c. id est, trangressus fuerit.

Legem infirmare, est non implere, ut Rom. 8. cap. Lex erat infirma seu imbecillis, id est, non implebatur.

Legem irritam facere, est tolli & abrogare legem. Ita & Paulus ait legem non tolli, sed impleri. De his Tropis suprà.

¶ *Sub Lege esse*, nihil aliud est, quàm eam uitam agere quàm agunt qui adhuc sub lege sunt pauidi, attoniti, uiribus suis innitentes, interim nihil agentes. Vel sub Lege esse, est sub peccati dominio esse, ut Lex accipiat pro peccato quod lege iudicante cognoscitur. Vel, est eam nõ implere, uel, est esse obnoxiũ maledictioni legis, adeoq; non posse legem implere: quia lex ideo maledicit, quia non impletur, Gal. 3. Rom. 6. Non enim estis sub lege, sed sub gratia, hoc est, fide in dominũ Iesum percepta, tales posthac non sumus, quales eramus cum in lege, id est, pristina uita ageremus: nunc enim noui homines facti, omnia possumus per eum qui nos spiritu suo confortat, & in hanc uocauit gratiã. Vide August. ad Hieron. de Petro reprehẽso, Epist 19. Contrà, sub gratia esse, est à peccato liberatũ, & nouũ hominẽ factũ esse, auxiliũ dei sentire, & à spiritu sancto agi.

¶ *Sub pædagogo esse*, idem est quod sub lege esse, Gal. 3. Lex pædagogus noster fuit ad Christũ. Lex lata est, quæ mala (cuiusmodi sunt idololatria, uarij generis flagitia, præcipuè autem sui fiducia) prohibeat, metu terreat, pollicitationibus proliceat, atque ita ad Christum rectà ducat, quia solus est perfectio legis, salus & iustitia credentium.

Sine Lege peccare, est cum ignorantia legis Mosaicæ peccare: nam alioqui nulli deest lex naturæ: maior tamen condemnatio est in lege peccare. Vnde Moses est qui condemnat Iudæos, Rom. 2. cap. Quicunq; enim sine lege peccauerunt. Sibi ipsi legem esse, est habere legem naturalem.

Esse sine lege, Rom. 8. est sine condemnatione esse. Nulla igitur enim, inquit Paulus, condemnatio, qui sunt in Christo Iesu, &c.

À Lege mortis liberari, est ab onere legis seu tyrannide legis liberari, & accipere spiritum, per quem, legem facere possimus. Est & liberari per legem, et inseri Christo, ut quamtenus etiam non sit lex, tamen non impuretur, ut Gal. 3. 4. Rom. 6. & 7.

Legi uiuere, est esse sub lege, & dominio eius. Roman. septimo capite, Lex in homine dominatur quanto tempore uiuit, sicut seruus quamdiu non redimitur, domino suo uiuit per legem seruitutis, & ius gentium. Ita & nos cum extra fidem sumus regnante concupiscentia, legi seruimus coacti eius opera facientes, ac per hoc legem non implentes, quæ dilectionem fidei tacitam impletur. Legi mori, est liberum fieri

à lege, ſicut debitor quiſpiam quũ mortuus eſt, liber ab exactore ſuo. Ita dum per fidei gratiã homo ueus incipit occidi, & deſerere peccatum, quod per legem abũdauit, morimur hac ſancta morte, id eſt, uiuificamur ad iuſtitiam. Sicut copioſe Rom. 6. & 8. diſputat eodem uerborum tropo: Mortuos peccato, uiuos iuſtitiæ. Quare Legi uiuere, eſt legem non implere. Lege mori, eſt legem implere. Hæc per fidem Chriſti fit, illud per operа legis. Sic Rom. 4. Arbitramur enim hominem iuſtificari per fidem: quam & legem fidei dicit, Rom. 8. Lex ſpiritus uitæ, hoc eſt, fidei, liberauit me à lege mortis & peccati, id eſt, lege quæ mortem & peccatum operatur & auget, ut eſt omnis lex, ſiue diuinitus ſiue humanitus data. Vide Origenem ſuper Numer. 18. cap.

Legem porrò appellat D. Paulus in membris ſuis, onus ipſum mortalitatis, in quo ingemiſcimus grauati. De quo fuſius D. Auguſt. ad Simplicianum lib. 1. Ex Legis operibus eſſe dicuntur, qui per opera legis iuſtificari quærunt, Gal. 3. At hos pronunciat Apoſtolus eſſe maledictos, idq; probat ſententia lib. 5. Moſis capite 27. deſumpta. Maledictus qui non implet uerba huius legis, ut faciat, & dicet omnis populus, Amen.

Sine Lege eſſe, eſt etiam uiuere in peccatis, in idololatria, in impietate, quemadmodũ eſſe gentilem, quàm non pertinere ad populum Dei. Lex ueritatis pro Euangelio, Malachiæ 2 cap. Lex ueritatis fuit in ore eius.

¶ *Legitimum* & ſtatutum in Moſe idem eſt, Leuitici ſexrodecimo capite, Legitimum uel ſtatutum, id eſt ritu perpetuo obſeruabitis hoc, Exodi 28 capite, Legitimum, hoc eſt. Ita induentur & id obſeruabunt quotquot fungentur ſummo ſacerdotio. Et 12. capite eiuſdem libri. Cuſtodi uerbum iſtud legitimum. Obſeruabis igitur rem iſtam in ſtatutum. Hinc legitima pro ſtatutis. Nec in legitimis eorum ambuletis, id eſt, ne uiuatis iuxta eorum ſtatuta.

¶ *Libani* uoce ubertas & fertilitas deſignatur, Nahum primo capite, Infirmatus eſt Baſan & Carmel, & flos Libani languit. Libanus item crebro in ſcripturis ſignificat ipſum templum Hieroſolymitanum, quod erat inclytum atq; ſublime, uel etiam tota Iudæa, lignum & urbs Hieruſalem. Ezechielis 17. capite, Venit ad Libanum. Nam propter Libanum, quia altas cedros habet, per metaphoram uocant regna florentia. Meminit & Zacharias iſtius inclyti templi, capite undecimo, Aperi Libane portas tuas, & comedat ignis cedros.

Libanum conuerti in Carmelum, Eſa. 29. uſus eſt hac loquutione. Et conuertetur Libanus in Carmel, et Carmel in ſyluam reputabit, hoc eſt, qui modo excelſi ſunt, ut cedri Libani erunt, ſicut arbores Carmeli quæ ſunt humiles. Et Carmel in ſyluam reputabit, id eſt, ij q modo ſunt humiles ut arbores Carmel, erunt excelſi ut arbores ſyluę Libani.

¶ *Liber*, pro enumeratione, recenſione Hebræi uſurpant. Sepher Hebraicè ferè eiusmodi librum ſignificat, in quo aliquid recenſetur & numeratur. Sic Geneſis 5. capite, Liber generationis. Quaſi dicat, hæc eſt collectio & ſumma, atque iſta eſt enumeratio eorum quos genuit Adam, ſiue eorum qui originem habuerunt ab Adam. Vnde Librum iuſtorum, librum dei, in quo iuſti inſcribuntur, ſic legimus appellatum, Exodi 32. Ioſuę decimo capite. Et Matthæus ſuum Euangeliũ auſpicatur: Liber generationis Ieſu Chriſti. Non titulus libri hoc, ſed initium ſubiecti catalogi, in quo enumerantur ij, ex quibus Chriſtus ſecundum carnem natus eſt. Liber itaque in hoc loco perinde ualet atq; catalogus, recenſio, uel denarratio. Nam Hebræis ſepher habetur, quod à uerbo numerandi, recenſendi atq; denarrandi uenit.

Liber quoq; idem eſt quod relictus ſiue derelictus, & Libertas derelictio, ut Pſal. 87. Æſtimatus ſum cum deſcendentibus in lacum. Factus ſum ſicut homo ſine adiutorio inter mortuos liber. Sicut & Paulus Rom. 6. quum inquit, ſerui eſſetis peccati, liberi eratis iuſtitiæ, id eſt, derelicti.

Liber inter mortuos, quicunq; hanc uitalẽ aurem captamus, morti ſumus obnoxii, atq; adeò gehennæ. Nec quiſquam eſt qui ita ſit ſoluendo, ut ſeipſum etiam queat redimere: tantum abeſt, ut fratrem, aut alium quem malit. Sic enim docet propheta Pſal. 48. Frater non redimet: redimet homo? & dabit deo unde placetur? Quum uiderit ſapientes morientes: ſimul inſipiens & ſtultus peribunt. Itaq; Pſal. 81. unus atq; adeò ſolus deſcribitur Chriſtus dominus, qui inter mortuos habeatur liber, ac facilè poſſit redimere debitores, modo ſe illi fide ſyncera commodent.

Liber præterea uerborum dierum ſeu geſtorum, tale reddit Interpres noſter. Liber memorialis

memorialis, unde emanauit quod Chronicon appellant, Reddit item Annalis, unde Esther 2. & 5. cap. Liber iusti uocatur liber legis, 2. Samuelis cap. 1. Quasi dicas, Liber iuris in quo æquum & iustum discitur.

Librorum nomine quoq; epistola apud Esaiam cap. 37. intelligitur. Et tulit libros Ezechias de manu nunciorum.

Liber atqui uitæ, in quo electi, ante conditum mundum scripti perhibentur, propter certitudinem, ut Exodi. 23. De quibus etiam Christus dicit: Gaudete quod nomina uestra scripta sunt in cœlis. Impij delentur ex eo, ut Psal. 69. Deleantur ex libro uiuentiũ & cum iustis non scribuntur: quomodo delentur è libro, qui nunquam in eo scripti sunt. Respondeo. Ipse se exponit, dicens: Cum electis non scribantur, ut hoc sit deleri è libro uitæ, quod cum iustis non scribi. Vel hoc Deleri, ut suprà quoq; in litera D. meminimus, nihil aliud, quàm declarari, non esse adscriptos. Et Libro uitæ inscribi, cuius meminit Moses, Exodi 32. Id nihil aliud est, quàm æterna dei electio et prædestinatio. Istius Tropi mentionem facit D. Paulus ad Philip. 4 cap. Quorum nomina sunt in libro uitæ. Id est cum apud Deum cognita sint ac pretiosa. Nullus sane liber apud Deum est, cui omnia semel ac semper præsentia sunt.

Liber nomẽ adhæc pro scriptura sacra, Ezech. 2. Et uidi & ecce missa manus ad me in qua erat liber inuolutus. Liber autem inuolutus est scripturæ sacræ eloquiũ obscurum, quod profunditate sententiarum inuoluitur, ut non facile sensum omniũ penetretur.

Librum comedere apud Ezech. capite, 2. Aperi os tuum & comede, quicquid ego dedero tibi, &c. Vide suprà in litera C. Librum comedere, aperire, apud eundem Ezechielẽ 2. cap. Christus est, qui accepit potestatem, & habet ad aperiendum septẽ signacula eius: quia nemo inuentus est, qui dignus esset ut aperiret librum, & solueret signacula eius, Apocalyp. 3. cap.

Librum ponere in humero, est scripturam sacram operando perficere, Hiob. 31. cap.

¶ Licere, hoc uerbum pro in potestate esse positum reperimus. 1. Cor. 6. Omnia mihi licent: sed ego non redigar sub ullius potestatee.

¶ Ligare, pro onerare, Iudicũ 19. Duo asini ligati & concubina cum eo. Et Esa. 3. Non ero alligans. Ligare, pro inire, 2. Paralip. 13. Et ligauit Abiah prælium, Hiere. 46. Ligate equos, hoc est, sternite. Nam חבש propriè est sternere iumenta.

Ligare quoq; est peccata retinere, & est prædicare Euangelium, cui qui non credit, ligatus est, Matth. 16. hoc est, nihil aliud est quàm errori relinquere. Hoc modo Paulus ligauit Actor. 18. quum in Iudæos uerbum auersantes, puluerem excutit, & ad Gentes transit. Similiter Actorum 13. Ligare igitur uerbo, aliud non est, quàm ubi non capitur iuxta Christi præceptum, deserere, nihilq; cum contemptoribus commune habere. Soluere, est peccata remittere, & prædicare Euangelium, cui qui credit, solutus est à peccatis suis. Sic enim Ligare, est ab ecclesia arcere, & peccata retinere, ac obstinatam mentem deserere. Soluere uerò, est in ecclesiam recipere, & peccata remittere, & desperantem saluti mentem, ad certam spem erigere, Ioan. 20. cap.

Ligare autem & signare legem, est datam legem diligenter obseruare, Deut. 6. Erunt uerba hæc quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo, & narrabis ea filijs tuis, & meditaberis sedens in domo tua & ambulans in itinere tuo, & ligabis ea quasi signum in manu tua, Esaiæ 8. Liga contestationem, signa legem in discipulis meis.

¶ *Lignum*, more Hebraico pro arbore, & ligna pro ipsis arboribus, ut Gen. 1. & 2. Produxit dominus omne lignum: quasi diceret, Moses dixit deum creasse uaria arborũ genera. Et eodem, Ex omni ligno edite, id est, ex omni arborum genere. Et, Prohibuit nos Dominus ne comederemus de ligno boni & mali. Item, Lignum, pro dijs ligneis, Deut. 28. capite, Lignis & lapidibus, id est, ligneis & lapideis.

In ligno pendere, Deut. 21. Quia maledictus à Deo est, qui pendet in ligno. id est, quamuis Deo admodum execrabilis sit qui uitam suspendio finit, tamen iure sepulturę non est defraudãdus, neq; deber cadauer eius pernoctare in patibulo. Suspendium fuit grauissimum supplicium apud Iudæos, tantumq; in crucem agebantur ab Israelitis blasphemi & idololatræ. Qui aut propter blasphemiam, aut propter idololatriam uitam suspendio finiebant, erant Deo execrabiles: nam enim ita finiebant, ut dictum est. Lignum, insuper pro cruce usurpat, & Hieremias ita accipit cap. 11. Mittamus lignũ in panem eius. Nihil aliud est, quàm cruce uitam interrũpere aut præripere. Nam et aliàs

Deus

Deus & gula offenduntur, si quid in pane lignosum occurrerit. Prouerbium est plane istud, Corrumpamus: ex Hebræo, Perdamus, uel perire faciamus ligno panem eius. Paratet eius sensus ex sequēti ephexegesi, quum dicit: Exterminemus eum de terra: iam ligno crucem intelligūt Hebræi: primum enim apud eos supplicium erat cruce discerpi. Cibum siue panem, pro uita accipi, & diuinis & humanis literis consonum est, cum commeatus siue annona pro uictu capiatur, & uictus à uiuendo dictus. Quo dicto significant Hieremiam cum prædicatione & prophetia, hoc est, fructu & cibo eius, perdituros.

Lignum interdum pro hominibus iustis & iniustis, Ezech. 17. Ego dominus humilians lignum sublime, & exaltaui lignū humile, & siccaui lignum uiride, & frondere feci lignum aridum. Et cap. 20. quoq;. Nonnunquam incarnata dei sapientia, Prouerb. 3. cap. Lignum uitæ est his qui apprehenderint eam, si in uiridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet, Lucæ 23. Lignum humidum appellat floridam & fructiferam arborem. Aridum lignum uocat sterilem arborem. Pro humida arbore repone iam Dei filium, pro arida, gentem Iudaicam.

Ligna secare & uulnerari ab alijs, est accersere sibijpsi periculum, Ecclesiast. 10. Et qui secat ligna, uulnerabitur ab eis.

Ligna aquarum apud Ezech. 31. cap. Propterea, inquit, ut non exaltentur in statura sua omnia ligna aquarum. Intelligit regem Assyriorum, & alios reges denotat. Hos nominat ligna aquarum, qui ut arbores in altum fatigati sunt, ob copiam rerum secundarum, quæ sunt amplissimo regno, quod aqua radicibus admota. Attollunt enim in humectis locis in altum robora plerunq; arbores, & quum pro uoto cuncta succedunt regna, uehementer accessionem accipiunt.

¶ *Lingere terram, limum, puluerem*, significat subiectionem & prosternationem, Psal. 72. amplitudinem regni Solomonis describens, canit: Incuruandos Zijm, et inimicos eius terram linecturos, hoc est, prosternendos, ut ore terram contingant, ad testandū subiectionem. Mos enim Orientalium hodie est, quum regem adeunt, ut aliquādo terram coram eo deosculent. Quod autem Salomon adusq; promissæ terræ terminos regnū obtinuit, Christi typū gessit, cui pater subiecit totum orbem, imò & cœlos. Sic et Micheæ 7. Lingent puluerem, id est, pauebunt, terrore agitabunt. Non solum hac figura Prophetia externam humiliationē, sed etiam humiliationis causam, nempe agnitionem peccati & sensum maledictionis. Curuari uerbum eodem superiori significatu accipitur: nam eo Psalmo, ultima gentium et incolarū deserti, summam canit subiectionē, quam per Curuari & limū lingere, quod prostratis oreq; terram contingentibus usuuenit, significat.

Lingere puluerē uerò pedum, est sermone diuino terrena opera abstergere, Esa. 49. Vultu demisso adorabunt te, & puluerē pedum tuorū lingent. D. Hieron. Hoc significat quod reges & principes quicquid in pedibus ecclesiæ terreni operis adhęserit, suo sermone tergūt atq; delingūt, unde & apostolos præcipit, ut excutiāt puluerē pedū suorū. & ad Petrum dicitur; Quod qui semel lotus sit, non habeat necesse, nisi pedes lauare.

¶ *Linguæ* uocabulo Hebræi nationes ac populos intelligunt, Esaiæ 11. cap. Et desolabit dominus linguam maris Ægypti, id est, oram. Nilus hic periphrasticos lingua maris dicitur. Nam Hebræi ostia fluminum, item sinus, littus maris, uel tractum, ductum, alueum, littora circunscribunt. Iosuæ 15. A lingua maris, hoc est, scopulo & saxo.

Linguæ uocabulum pro flamma, Esa. 5. Propterea sicut comedit stipulam lingua ignis. Nam et Latini flammæ tribuunt, quod linguę est, puta lambere. Hinc metalepticos Lingua pro flammis, nō in uno loco scripturæ reperitur. Pro loquela, Act. 2. Loquebantur uarijs linguis. Vnde & linguis loqui est.

Lingua angelorum, potentia quædam est intelligendi, qua inuicem diuina communicant sensa: cui ex nostri ad uerba promenda organi huius similitudine, nomen indidit Apostolus 1. Cor. 13. Si linguis hominū loquar & angelorū. Neq; id quidē quod angeli linguas habebant, dixit, sed melius quiddam & præstātius uolens exprimere, quod humanas excedere linguas. Quemadmodum alibi, ut in nomine Iesu flectat omne genu cœlestium, &c. Philip. 2. Quibus etsi neq; ossa insint, nec nerui, intentius tamen per hæc illorum expressit obsequium. Hæc Theophylactus ex Chrysostomo.

Linguæ præterea flagellum apud Iob 5. cap. nonnulli putant intelligi horrendam de hostibus uenturis famam, aut strepitum quadrigarum bellicarum. Vt enim flagellū corpus, ita fama hostium aut tumultus curuum bellicorum, impium cor extimulat, ut tan-

tum non

tum non metu emoriatur, Hiere. 50 cap. Ecce populus uenit ab Aquilone, uox eorum quasi mare sonabit. Audiuit rex Babylonis famam eorum, et dissolutę sunt manus eius, angustia apprehendit eum, dolor quasi parturientis.

Lingua adhæc est doctrina, uel recta uel praua, ut in Solomone: Lingua prauorum peribit, Prouerb. cap. 10.

Lingua percutere seu ferire, est calumniari, aliquem accusare, aut nomẽ deferre apud regem, nullam excusationem recipere quidquid dixerit, quidquid fecerit, moriendum illi est, Apud Hiere. 18 cap. loquutio hæc reperitur: Feriemus, inquit, eum lingua. Seu: Verbis & edictis eius prædicationem incitemus contra eum, ut hæreticum plebeculam.

Per Linguam atqui & Dentes sermonis instrumenta, noxias & pestilentes assentatorum delationes atq; consilia Dauid Psal. 57. intelligere uoluit, quare & inflammantes eos uocat.

Lingua loqui apud Paulum 1. Cor. 14. est recensere, ut solent, qui uolubili lingua psalmos obstrepere percurrunt murmure. Mente loqui, est interpretari. Sed qui lingua, inquit, loquitur, id est, qui coram ecclesia orat uel legit, utens peregrina lingua, hominibus non loquitur.

¶ *Linum*, Iosue 2. Et abscõdit inter lina arboris: Linum arbustum hoc loci appellat. Hebræi enim quicquid in culmum ascendit, arborem seu lignum nominant. Vnde linum fumgans apud Euangelistam Matth. 12. Esa. 42.

¶ *Litera* significat non solum literalem seu historicum, ut Origenes putat, sed & omne opus, omnem doctrinam, nempe quicquid scribitur, & quod non uiuit in corde per spiritum. Item, Omnis cogitatio, & omnia opera, siue Mosi, siue Christi, quæ non uiuunt per spiritum sanctũ. Item, Lex litera est, Euangeliũ, cognitio Legis, simulatio Legis, litera sunt. Item, Socratica uirtus, &c. Litera pro tuco & externa specie: significat eum speciem credentium, Rom. 2. Si Legem seruauerit te, qui per literam & circuncisionem transgressor es Legis: Circuncisio cordis, circuncisio est, quæ spiritu constat non litera, Rom. 1. cap. Vbi circuncisionem literam uocat, pictam circuncisionem carne extrinsecus. Et Rom. 17. In nouitate spiritus, non in uetustate literæ. Literæ uerò uetustas, est corruptus hominis animus à primo parente insitus, qui subinde nititur externis & ad hypocrisim procliuior est. Spiritus nouitas, est restituta per spiritum sanctũ mens, quæ in innocentia uitæ ambulat, & spiritu Deum colit.

Litera, breuiter omne opus externum quantũuis speciosum in speciem, litera est. Adeoq; quicquid nõ uiuit in corde per spiritũ & gratiam, litera est. Literæ quoq; in sacris literis usurpatur pro ipsis scripturis sacris, quemadmodum Latini per literas intelligimus non raro eruditionem uariam & multiplicem. Ioan. 7. Quomodo hic literas scit.

Spiritus est, quod spiritu gratiæ in corde uiuit, & quicquid in nobis fit per spiritum sanctum. Spiritus est amor Dei, & proximi uerax & uiuens in corde, quæ est lex digito dei in corde inscripta, nõ in tabulis lapideis. Spiritus est fides, qua uerè & ex corde creditur Euangelio. Sic usurpat illa uocabula Diuus Paulus, tum ad Romanos secundo capite, tum aliàs, quum ait: Circuncisio cordis, &c. Vbi satis clarè cordis circuncisionem affectu faciendæ legis, literam externum opus uocat. Sic & ad Rom. 7. cap. dicit, Legem spiritualem esse, ut suprà declaratum est.

¶ *Liuoris* dictio, uestigiũ plagæ in cute, uel tumor ex plaga concretus, Ein blut mosß, significat. Intellexit autem hac dictione prophera Esaias crucem et uerbera, uulnera, sanguinis effusionem & ipsam mortem, quæ uita & emundatio nostra est, 1. Petri 2. Sic ait Esaias, Ex liuore eius sanati sumus.

¶ *Locustarum* translatio in Ioele propheta, impetũ Assyriorum et Chaldæorum, quo Iudæa deuastata est, significat. Locusta allegoricè populus Iudaicus est, Matth. 3. Locustas & mel syluestre comedebat. Est aliquando cõuersa gentilitas, Ecle. 12. Florebit amygdalus, impinguabitur locustæ, dissipabitur capparis. Est etiam adulantium lingua, Exodi 10. Ventus urens leuabit locustas. Per comparationem uerò resurrectio dominica, uel prædicatorum uita exprimitur, Psal. 108. Excussus sum sicut locusta.

¶ *Locus*, pro congregatione, Gen. 1. cap. Congregentur aquæ quæ sub cœlis sunt in locum unum. Septuaginta, συναγωγὴν, id est, cõgregatione. Item, Locus sanctus, pro, dei habitaculo, Psal. 68. Deus in loco sancto suo.

Longanimis

¶ *Longanimis*, μακρόθυμος dicitur, qui ſuum furorem compeſcit, & in longum protrahit ſero puniens, cuius furor non ilico efferunt, ſed maxima interponit interualla, ut detur peccantibus reſipiſcendi locus.

Longanimitatem Diuus Paulus à Tolerantia diſtinguit, ut Romanorum ſecundo ca pite, Diuitias bonitatis illius & tolerantiæ & longanimitatis contemnis? Eſt uerò hoc nomen ex lingua Hebræa mutuatum: ea enim in Pſalmis & alijs locis ſcripturæ. Deus identidem prædicatur lentus ad iram, ut intelligas non tantum tolerantem, qui malum ferat, ſed qui etiam differat ultionem, atq; ita ſe gerat, ut qui malit noxam condonare, quàm pœnas de peccatoribus ſumere, quamlibet meritus, quamlibet etiam ad id prouocetur. Atq; ita intelligimus longanimitatem latius patere quàm Tolerantiam.

Tolerantia eſt, quum iniuriam quis fert: Longanimitas, quum non fert modo, ſed etiam ita fert, ut de ultione nec cogitet quidem, ne malè cuiquam in uindictam precatur. Inuenias nanq; qui multa ferant, atq; tolerantes maneant, ſed cogitant tamen erit tempus, ut iſtis rependatur, idq; quodammodo optant tempus appetere. Et longanimes etiam optant, ne aliquando talionem qui ipſos lædunt accipiant, ſed magis ut reſipiſcãt & conſequantur ſalutem. De qua longanimitate D. Paulus ad Coloſſ. cap. 1.

¶ *Longinqui*, gentes ſignificant. Ephe. 2. Vos qui quondam eratis longinqui, propinqui facti eſtis per ſanguinẽ Chriſti. Pro more ſuo D. Paulus propinquos uocat Iudæos, longinquos Gentes, id quidem ſumpſit ex Eſaiæ 57. cap. Extranei & alieni à republica gentes apud Paulum dicuntur.

Longus & breuis iris, locutio Hebraica eſt apud Ioelem 2. cap. Quia benignus & miſericors eſt longus iris & multæmiſericordiæ, id eſt, tardus ad iraſcendum. Septuaginta, μακρόθυμος, id eſt, longanimis, Prouerb. 14. cap. Breuis iris faciet ſtultiam, id eſt, feſtinus & uelox ad iram.

Longinquus manibus apud Eſaiam 22. cap. locutio eſt, Ad longinquam, ait, terram manibus, hoc eſt, longè diſtantem.

¶ *Loqui* uerbum multipliciter accipitur, pro apparere interdum, Pſal. 39. Deus loquutus in ſancto ſuo. Pro promittere, Gen. 18. Quatenus adducat Dominus ſuper Abrahã omnia quæ locutus eſt ad eum, Rom. 1. Quod ante promiſerat per prophetas ſuos, id eſt, prædixerat, locutus eſt. Item, Loqui nonnunquam apud Hebræos intelligitur pro meditari aut cogitare, ut Pſal. 36. Lingua mea loquetur aut prædicabit iuſtitiam tuam, omni die laudem tuam. 1. Corinth. 1. capite, Idem loquamini omnes, hoc eſt, ut omnes unum ſapiatis, ſentiatis ac cogitetis, ut unanimes ſitis, Et Pſal. 37. Os iuſti loquetur ſapientiam, diſſeret ſapientiam. Sed in his & ſimilibus locis hoc uerbum in accuſatiuo conſtruitur, Pſal. 1. Et in locis in quibus eodem quo primo Pſalmo, ſenſu poſitũ uidetur, conſtruitur cum ablatiuo, intercedẽte præpoſitione In, et ſignificat non tam loqui, quàm meditari, cogitare, meditari, cõmentari, aut certe ſecum loqui ac immurmurare tantũ: id quod conſueuerunt, qui ſolicitè & anxiè de re aliqua ſecum cogitant, quibus uelut ex feruenti cogitationum corde exæſtuare atq; ebullire ſolent uerba incondita quædam uel ſuſurrium potius. Ad hunc modum uerbo hoc uſus uidetur uates, Pſalmo 61. & 77. In omni opere tuo loquar, & quaſi ſuſurrabo. Nec alio acceptum ſignificatu uidetur hoc uerbũ Eſaiæ 1. Vbi in hunc modum illi præcipitur: Nec recedat uolumen Legis huius ab ore, loqueris uel meditaberis in ore tuo die ac nocte. Vſurpat & D. Paulus Loqui pro meditare uel cogitare, Hebraico more, ut 1. Cor. 1. ſuprà oſtẽſum. Loqui Pſal. 34. uerſu 4. & Meditari pro eodem accipiunt Hebræi. Quaſi, id lingua mea loquutus ſum, idem ſit atque in meditatione mea.

Loqui deinde pro cõcumbere, Auguſtinus Quæſt. ſuper Exodum lib. 2. Græcus habet, ἐμιλίαν, id eſt, locutionẽ, quo nomine intelligitur ſcriptura honeſtius appellare concubitum. Quid eſt autem concubitũ non fraudabit, niſi pro concubitu mercedẽ dabat.

Loqui in in ira, eſt arguere, cõſcientiam perturbare, terrere, &c. Pſal. 2. Tunc loquetur ad eos in ira ſua. Nam loqui deum in ira ſua, idem eſt quod deſtruere, diſperdere, ac extirpare, Hiere. 18. cap. Repente loquar aduerſus gentem, & in regnum, ut eradicem et diſtruam & diſperdam illud: nimirum mandato & uerbo dei omnia fiunt, ira & furor illi dei fuit Pſal. 2. impetus Romanorum. Et Eſaias dicit 10. cap. Væ Aſſur uirga furoris mei (cui adducto Pſalmo) abſolutè accipiendum, id eſt, uerbo ſuo ſtatuet, mandabit, ordinabit, ſed quod ſit contra eos, non pro eis.

Loqui

Loqui porrò deum, est cordibus manifestare, ac reuelare, iuxta illud Dauidis, Psal. 84. Audiam quid loquatur in me Deus, hoc est, quod menti meæ iudicet ipse, animaduertã.

Loqui in me, est mihi ostendere, Abacuc. 2 cap. Et contemplabor, ut uideam quid in me loquatur. Prophetica enim uisio & eloquium Dei, non extrinsecus ad prophetas fieri solitum est, sed intrinsecus interiori homini respondere. Vnde & Zacharias cap. 1. Et angelus, inquit, qui loquebatur in me. Psal. 84. Audiam quid loquatur in me dominus.

Loqui præterea uerba, est constituere de quapiam re obeundi uoluntatem seu consilium destinare ad aliquid faciendum Hoseæ. 10 cap. Locuti sunt uerba.

Loqui loquelam idem est, Esaiæ. 8 cap. Capescite consilium & idem euanescet: loquimini loquelam ea non subsistet.

Loqui adhoc in pluribus Bibliorum locis satis constat pro docere usurpari. Sic Psal. 119. Loquebar in testimonijs tuis, Psalmo Deus loquutus est in sancto suo. Apud Lucam cap. 1. reperitur, Locutus est Deus, id est, promisit. Et, Sicut locutus est Dominus, pro, sicut uult, Genesis 24. Locutus est, pro uult, frequentissimum apud Hebræos, Sicut uult dominus.

Loqui ad aliquem bonum uel malum, Gene. 24. hoc est, non possumus cõtradicere tibi in ulla re.

Loquutus est malum pro populo suo, Exodi 32. Placatusq; est dominus ne faceret malum, quod locutus fuerat aduersus populum suum, hoc est, pœnituit itaque Dominum malu quod locutus fuerat populo suo, id est, quod proposuerat facere plebi suæ. est enim singularis Ebraismus.

Loqui in auribus aliquorum, Gen. 20. Et loquutus est uniuersa uerba hæc in auribus eorum, timueruntq; omnes uiri ualde. Modus est loquendi Ebraicus. Latinè, Narrauit illis hæc omnia, quæ illi dixerat Deus.

Loqui iuxta cor alicuius, Geneseos 50. Et blandè ac leniter est locutus. Hebræus, Et locutus est iuxta cor eorum, pro uerbis blãdis lenire dolorem illius. Hoc est, Loqui in uel ad cor, est amanter loqui, & sic, ut cor persuadeas & tranquillum reddas, exempto omni metu, cap. suprà adducto. Et loquutus est in uel ad eorũ. Similiter Gen. 34. de Dina, Loquebaꝰ ad cor uel super cor eius, Germanicè, Er redt ir ins hertz, hoc est, uerbis eam demulcebat, blãdè loquebaꝰ: hoc est, loqui super cor uel ad cor, familiariter loqui, consolari, dolorem eximere, Consolatus, inquit, est Dinam.

Hunc tropum communiter reddunt, Blandè alicui loqui. Latina translatio habet, Tristem delinuunt blanditijs. Septuaginta sic: Locutus est secundum mentem uirginis, quod est amicè compellare & consolari ancillam, ut Ruth 2. cap. Iudicum 19. 2. Paralip. 30. & 32. Esaiæ 40. Loquimini ad, uel in cor Hierusalem. Hoc est, blanda & suauia & iucunda loqui, quæ cor libenter audit, ut scilicet respondeat prædicatio Euangelij gemitui cordis.

Loqui insuper cor seruorum, 2. Regum 19. sic reddit noster: Alloquens satisfac seruis, Loqui super corde suo, pro eo quod est, loqui in corde suo, 1. Regum 1. cap.

Loqui ad ædificationem, est loquutione conari, & eo tendere, ut prosit auditoribus, 1. Cor. 14. capite.

Loqui, pro agere, 2. Cor. 13. cap. Quandoquidem experimentum quæritis in me loquentis Christi, id est agentis.

Loqui in porta, Ebraismus est, Psal. 127. Non confundetur, quum loquetur inimicis suis in porta. Non tantum significat loqui, sed politicè loqui, hoc est, leges condere, per leges gubernare, edicta proponere, coercere nefarios, exequi, urgere carcere, uinculis & pœnis improbos, irritare in se furorem malicioſorum hominum. Quasi dicat Solomon hoc Psalmo: Vbi tales sunt iuuenes qui sciunt in porta loqui, hoc est, in Reipublicæ negocijs rectè uersantur, sunt gubernatores, conseruatores Reipublicæ & legum, &c.

Loqui Dei uel Deum, est inuisibiliter sine sono uocis, uel quolibet strepitu occultè in mentibus sanctorum uoluntatem suam atq; rectum intellectum inspirare, seu futura sicut sanctis prophetis reuelare, ut apud Iob & Hebr. cap. 1. Item, Loqui Dominum, est facere, operari, pœnam sumere de aliquo: nam Domini dicere, eius facere est, Psal. 2. Esa. 45. Gen. 1. Dixit seu loquutus est, & facta sunt: ideo loqui Dei, est facere.

Loqui stultitiam, est de rebus terrenis uel caducis nugari, uel etiam sacris, & id sine spiritu & intellectu, Esaiæ 9. cap. Et toto ore loqueris iustitiam.

Loqui mendacium, pro diuulgare traditiunculas hominum uanas, ut Psal. 5. Perdes eos, qui loquũtur mendacium, quod est doctrinam iniquitatis. Quod Loqui stultitiam idem est, hoc est, nostras inuentiones iactare, uel sacra præter spiritum enarrare.

Loqui de bono ad malum, Hebræum schema est. Sic Geneſis. 31 cap. ad ueritatem lebraicam: Caue ne loquaris cum Iacob de bono ad malum. Quo Hebræi bifariàm utuntur. Primo pro neq; bonum neq; malum, hoc est, omnino nihil, ut alibi sæpe. Secundo, ut tantum ualeat ac si dicas: Nihil mali loquaris cum eo, sed tantum bonum, seu, præter bonum nihil loquaris cum eo. Vtrunq; hic in Genesi per Synecdochem exprimitur.

Loqui autem ueritatem in corde suo, nihil aliud est, quàm ex animo ueritatẽ loqui, hoc est, fide optima omnia cum proximis agere, promissis nunquam deesse, neq; aliud simulare uerbis, aliud spectare animo. Quæ ueritas, Fides Latinis dicitur, & distinitio a Cicerone Offic. 1. Vnde & scriptura ipsam ubiq; fere cum Iustitia coniungit, & ubicunque concidisse illam quæritur, & huius casum deplorat, Psal. 15. & 12. & alijs multis. Loqui Lingua & mente quid sit, uide in nomine Lingua.

Loqui in Hosea & ad Hoseam discrimen est, ut Hoseæ cap. 1. Tunc dicitur, dominus loquutus est in Hosea, uult intelligi, Dominus prophetice loquutus est in Hosea, inspirauit cor eius: ut in Psalmo, Audiam quid loquatur in me Deus. Is modus loquendi indicat adflatum interiorem Domini in Prophetis. Audite quale initium fuit, admodũ rarum & inuisibile, ut quis posset offendi, sed postea ad Hoseæ dedit Dominus præceptum. Vnde non est abundantia in ijs uerbis, neq; temerè illa repetũtur, quę faciunt ad constitutionem prophetæ. Ita dominus loquutus in Haggæo, id est, assumpsit illum in ministerium.

Loquitur sanguis Christi melius quàm Abelis, quia & nunc sanguis hic loquitur nam fama apud omnes, et nomen celebratur. sed domini sanguis uocem clariorẽ emittit & maioris significantiæ, quum ipsis ex rebus uniuersis inclamet se sanctitatem lari. Vel etiam, ut nõ nullis uidetur, Abel sanguis in germanum obclamitabat, Christi uerò pro nobis patrem adfatur. Hæc Vulgarius in Epistolam ad Hebræos.

Loqui deniq; Linguis, est textum scripturę seu Psalmos seu prophetas, seu legem seu preces alia atq; alia pronũciari. 1. Cor. 15. Sectemini Charitatẽ. Vide in uoce Lingua.

Loquimini in cordibus uestris super cubilia uestra, Psal. 4. Est sensus, Pensate, deliberate, nolite præcipites esse, nec statim proferatis: quia uia uiri iustitiam dei non operatur.

Loqui, pro uocare usurpatur. Psal. Deus deorum dominus loquutus est, & uocauit terram.

Loqui in auribus domini, id est, ad aures domini. 1. Regum 8. cap.

Loqui in animam suam, id est, sic loqui ut uerba per iugulum redire cogantur. Aut certo cupitis discrimen loqui, &c. 3. Reg. 2. A loquendo ad eum, Hebraismus. Nostri interpres sic. Ita ut nemo possit ei loqui. 1. Reg. 25.

Loqui uisionem cordis, est quod sibi bonum uidetur, & non quod à spiritu Dei, uel alijs quoq; prophetis reuelatum est. Hiere. 23. infrà fusius dicemus in uocabulo Visio.

Loqui in aurem, idem est quod ponere in aurem. Hebræis, palàm est loqui. Exodi 17. Vide suprà, In aurem ponere.

¶ *Luctus*, est animi ægritudo & deiectio, quę ex amissione rei uel charę uel necessariæ uel ex illatione tristium & aduersorum nascitur. Hinc Luctus nomine Iudæis ueniunt calamitas, paupertas ieiuniumq;. Deut. 26. In Luctu meo, id est, in calamitate mea, uel in paupertate siue egestate mea pressus.

¶ *Lucernæ* uocabulo uerbum dei dicitur, partim quod qui hoc uerbum sequitur, in errorem impingere non possit. Vnde Psal. 119. Lucerna pedibus meis uerbum tuum, et lumen semitarum tuarum.

Lucerna, est bonorum operum claritas. Lucę 12. Sint lumbi uestri præcincti, & lucernæ ardentes. Est etiam intellectus animæ. Psal. 17. Quoniam tu illuminas lucernã meã.

Lucernas ardentes habere, id est, mentes à fide accensas, & operibus ueritatis relucentes, atq; ita expectare dominũ, id est, Christum. Tertulliani 4. aduersus Marcionem libro uerba sunt.

Lucerna Israelis, periphrasis Israel est. Id autem propter æternos ignes, qui de Mosis instituto iugiter alebantur purissimo oleo, Esaiæ 14. Erit autem Lucerna Israelis ignis.

Lucernam incẽdere, est idem quod annũciare, prædicare: nam ideo Lucerna accenditur

ditur,hoc est,prædicatur,ut omnibus qui sunt in domo,hoc est,in ecclesia Dei,ad Hebræos 3 capite.

Lucerna posita super candelabrum,est in propatulo.Non potest enim occultari Lucerna uerbi operibus bonis,prodit se cor purũ operibus bonis,probatur ob quid enim aliud uerbũ dei in Ecclesia prædicatur,nisi ut retegantur ex multis cordibus cogitationes.Lucæ 2.Marci 4.

Lucerna atqui pedũ denotat actiones hominis dirigere,Psal.118.Lucerna pedi meo uerba tua.Vt qui in tenebris ambulat,semper offendit:ita ubiq; peccat,cui nõn prælucet lex dei.Canit ergo sanctus,hoc uersu,hanc se uelut lucernã pedibus,id est,actionibus suis habuisse,& iuramento firmasse,se illi omnibus uicturum.

¶ *Ludere* pro dimicare,2 Samuelis 2.cap.Surgant obsecro pueri & ludant in conspectu nostro.Ludere dicuntur magnæ beluæ marinæ,quando uastis corporibus ingentes faciunt maris commotiones,deuorant minora animantia,& euertunt naues cum hominibus,Psal.105.

¶ *Lugere*,pro ieiunare,Danielis 10.hoc est,cibi delicatiore abstinere,& à consuetis cessare operibus,precibus addictus.Ego Daniel fui luctu repletus,uel,ego lugebã,hoc est, ieiunabã per tres hebdomadas dierum.Polychronius exponit ieiunans.Consueuerunt enim Iudæi ieiunium,luctum appellare.Hoseæ 4.Propter hoc lugebit terra,hoc est,euertetur,Threnorum 4.Luxit fortitudo Hierusalem & antemurale.

Lugere terram dicitur,quando omnino destituta cultoribus suis in squalorẽ & soli rudinem redigitur,hoc est,præ hominum inertia,raritate et solitudine non coli,non cari,nõ germinare,optima quæq; dum pauci fiunt coloni,dum fame,peste,gladio truncantur habitatores,&c.Esaiæ 33.cap.

Lugentes dicuntur in scripturis hi,qui pressi magna calamitate plangunt & lamentantur,qui tamen simulatq; Christo fidem habuerint,gratiam patris promittenti non possunt non magnifice cõsolari.Christus quoq; Matth.5.cap.Lugentes beatos pronunciat esse,eos inquam qui dolent & deplorant apud semetipsos peccata commissa,errores,studium nimium terrenarum,& neglectum diuinarum rerum:qui item tanguntur alienis malis,infortunio scilicet fratrum,incredulitate,ingratitudine et perfidia muudi, quæ omnia apud se deplorant serio.

¶ *Lumbi*, carnis libidinem exprimunt aliquando.Adfectus enim is in lumbis situs est,ut Gen.46.cap.de Iacob.Vnde cum Hebræi Lumbos aut femora dicũt,ad promissi seminis generationem & testamentũ alludunt,Gen.35.Reges de lumbis tuis egredientur,ut sit in lumbis symbolum generationis.Per Lumbos aliquando animi fortitudinẽ & uirtutem accipit scriptura.Vide Isychium lib.1.in Leuiticum cap.5.Similiter Præcinctum Lumbum esse,est fortem esse,quod D.Paulus dixit,Stare in pacis Euangelio,id est,gloriari in persequutionibus.Rom.5.Esaiæ 5.cap.

Lumbos succingi,strenuitatem significat.Tertullianus 4.aduersus Marcionem lib. Succingere(inquit)debemus lumbos,id est,expediti esse ab impedimentis lasciuiosæ uitæ & implicitæ.Succincti lumbis sunt,qui omnia animo impedimẽta ueritatis deposuerit,totumq; deo animũ deuouere soli.Et D.Petrus 1.epist.1.Quapropter succincti lumbi mentis uestræ,&c.Metaphora transsumpta ab ijs qui impedimentis omnibus positis expediti accinguntur itineri.Lumbos enim non corporis,sed mentis dixit,à corpore ad animum transiens.

Lumbis præterea impingere,signum est doloris ingrauescentis,cum lumbis manus impingunt parturientis.Sic Hiere.30.Cum summam comminetur mœsticiam ciuibus suis,dicit se iam uidere,ut parturientium ritu doleant.hoc enim uelut symbolo dolorẽ circunscribit.

Lumbos nutare & Dorsum incuruari,ut Hebræi Psal.69.legunt,est falsis deprimi doctrinis & opinionibus,in uanitateq; sensus ambulare,ut quondam gentes ambulasse queritur Paulus.Lumborum ad hæc nutationem & obtenebrationem.Psal.68.precatur Dauid adimi inimicis,hoc est,omne rectum iudicium & agendi uires.Lumbus est luxuria.Lucæ 12.& 1.Petri.1.cap.

Lumbos confortare apud Naum,est accingere armis.Roborare uirtutem,exercitum congregare.Naum 1.cap.

Lumbis præcinctis apparere apud Danielem 10.est strenuorum & præparatorum

ad ministeriū: ut alij gladijs, ita ille Christus auro purissimo præcinctus est, de quo Daniel uaticinatur.

¶ *Lumen* pro cognitione dei, Colos. 1. cap. In parte sortis sanctorum in lumine. Pro felicitate Iob 31. Si uidi solem cum fulgeret & lunam incedentem clare. Est gloriari felicitate, & ea pro sua libidine non tam uti quàm frui. Siquidem lumen communi phrasi pro prosperitate, felicitate & pace sumitur. Et Esaiæ 58. E regione mos scripturæ est, per Solis & Lunæ obscurationem stellarumq; obtenebrationem & similia, summæ ultionis diuinæ tempestates significare. Sic Esaiæ 13. & 24. Hiere. 15. & 23. Ioelis 2. & Amos 8. Michææ 3. & locis alijs legimus, dei ultionem nunc Iudæis, nunc alijs gentibus prædictam. Etenim in summa angustia constitutis uiderur totus mundus perturbari, sol obscurari, luna esse sanguinea, stellæ lucem suam retrahere, terra tremere, mare fremere, et cuncta ruinam minari, non quod ita re ipsa accidat, sed quod adeò homines angustientur ac si illa acciderent.

Sub nomine diei, luminis, noctis, solis, lunæ atq; exustionis in genere omnes tentationes & pericula omnia intelligit Psaltes Psalmo 121. mala illa omnia à suis depulsurum, quocunq; tempore accidant. Per diem sol, inquit, nō uret te, nec luna per noctem.

Lumen oculorum non est mecum, locutio Hebraica, idem est quod confundi. Nam hi enim quos pudet, dimittunt oculos, & tristitiam in uultu ferunt. Sic ait Dauid Psalmo 37. Et lumen oculorum meorum, scilicet dereliquit me hoc est, alacritas uultus illa, id est, ego confundor. De lumine uultus diuini, suprà in litera & nomine Fidei. Nam Luminis appellatione cognitionem diuinorum intelligi manifestum est, ut Psalmo 4. Signatum est super nos lumen uultus tui domine.

In Lumine lumen uidere, nimirum hoc prophera Psal. 35. indicans quod ad ingenij perspicacitatem attinet, multos uideri industrios & egregiè oculatos, qui tamen in media luce cæcutiant, ac densa premantur caligine. Non tam ob aliam causam quàm ob Christi certæq; in illum fidei neglectum. Sic Psalmo 126. Vanum est, inquit, uobis ante lucem surgere. Et Psal. 42. Emitte lucem tuam, & ueritatem tuam. Quomodo autem intelligendum sit illud Geneseos 1. cap. Et uidit deus lucem esse bonam, conatur Basilius Magnus in congressione secunda diei primi explicare.

¶ *Lunæ* nomine uenit mensis, Exodi 2. Et abscondit eum tres lunas. Septuag. μῆνας, mensses. Interdum pro mutabilitate huius mortalitatis ponitur, hoc est, mortalitatē carnis huius, propter augmenta & detrimenta, propter transitoriam speciem. Augustinus in Psal. 88.

Luna, est, sententia Rabani, & Abacuc 1. Eleuatus est sol, & luna stetit in ordine suo. Item Martyrum passio. Item, huius seculi uicissitudo. Aliquando mentis humanæ inconstantia. Stultus ut luna mutatur: quia uir duplici animo est in omnibus uijs suis. Hæc ille.

¶ *Lupi* nomen raro in bonam, sæpius autem in malam partem accipitur. Nam aut diabolum notat aut pseudoprophetas seu impios doctores, aut nocentes et pernicioſos homines. Lupus rapit & dispergit oues. Item, hypocritas & dolosos. Intrinsecus sunt lupi rapaces. Item, Ecclesiæ persequutor lupus est. De perniciosis hominibus Psalmus 5. loquitur. Lupi in ecclesia, qui obliqua docent, non simplicia, ut Actorum 20. cap. Quod ingressuri sint post discessum meum lupi graues, id est, rapaces, quos Germani uocamus, vværvvœlff. Et Christus Matth. 7. cap. Notat inexplebilem pseudopropherarū inguuiem & auaritiam. In bonam partem accipi in Genesi legimus, Beniamin lupus rapax diuidet sero spolia sua. De Diuo Paulo omnes optimi sacri scriptores hanc propheciam Iacob intelligunt.

Lupi uespertini, apud Zephoniam 3. hoc est, fame accensi uesperi, ut quid rapiant: oberrant etiam ossibus non parcentes, nihilq; usq; ad mane relinquentes. Loquitur de falsis doctoribus uel principibus. Pastores illorum lupi, inquit, uespertini, qui nihil residuum ad mane finunt. Lupus enim animal natura rapax, prædæ inhians ac sanguinolentus. Vespere tamen longè rapacior est, quum totum diem cucurrerit, & ita ad uesperam famelicus sit, ut idem sint lupi uespertini quod famelici, qui diu cibum non gustarint. Sic & Abacuc 1. cap. Equi eius uelociores sunt pardis, & festinantiores lupis uespertinis. Aliqui Lupos ex deserto transferūt: nam utrunq; ex Hebræa uoce intelligi potest. Siquidē lupi sæuiores esse dicunt nocte uicina, nempe tota die fame ad famem cōcitati.

Lutum

¶ *Lutum, Signaculum.* Consueuit scriptura Fidem appellare Signaculum, et Iniquitatē, Lutum, Canti. 8. cap. Pone me ut signaculum super cor tuum, Psalmo 38. Eduxisti me de lacu miseriæ, & de luto fœcis. Est etiam terrenarum rerum abundantia. hoc est, pro opibus & auri copia malè parta, usus est. Abacuc. 2 cap. Væ ei qui multiplicat non sua usq; quò & aggrauat contra se densum lutum? Nunquid non repente consurgent qui mordeant te? Pro doctrina impia, Abacuc cap. 3. In luto aquarum multarum. Est quoq; sordidæ uoluptatis desiderium, Psal. 68. Eripe me de luto ut non inhæream.

Lutum platearum, Psal. 17. sicut propheta Impijs horrendum exitium prædicit: alibi fore iudicans ut somno surgentium similes reddantur: alibi fumo, alibi pulueri qui est ante faciem uenti, imagini umbræ: etsi qua res alia uanior esse uidetur. Ita in adducto Psalmo, Vt lutum platearum ait, delebo eos.

Lutum interdum est Rabano peccatorum glutinum, Psaltes, Eripe me de luto, ut non inhæream. Aliquando deceptrix adulatio, siue falsa hæreticorum definitio. Proq; cœlestis medicinæ remedio, ut in euangelio, Ioan. 9.

In Lutum deduci, & in puluerem redigi, idem est quod aboleri. Sic Hiob. 13 cap. In Lutum ceruices uestræ deijcientur, id est, arrogantia & superbia uestra peribit. Eadem loquutio est Psalmo 7. Cōculcet in terram uitā meā, & gloriā meā in puluerē deducat.

¶ *Lux*, hoc uocabulum multoties sumitur. Nam Lucis enim nomine felicitas, successus, prosperitas & gaudium. Vt adflictio & miseria, tribulatio Tenebrarum significatur, Psal. 36. In Lumine tuo uidebimus lumen, hoc est, à te illuminati, tui cognitione donati, uidebimus, hoc est, consequemur felicitatem ueram, & solidam.

Lux, pro uera uita, Psalmo 49. Vsq; in sempiternum non uidebit lumen, hoc est, impij rapiuntur hinc & ueram uitam nunquam aspicient.

Lucis quoq; nomine tam pietas quàm iusticia significatur, ut iam expositum est. Per Lucem aspectū diuini dei fauor & beneuolentiæ, declaratio recte intelligitur, Esaiæ 60. cap. Non erit tibi ultra sol.

Lux consolationem, exhilarationem q; conscientiæ in scripturis significat, Micheæ 7. Quum sedero in tenebris, dominus lux mihi. Educet me in lucem. Itē Hebræi pro uita quomodo & Latini, quū dicunt: Tu mihi hac luce charior es, Esa. 26. Quia ros tuus, &c. Pro doctrina ac sapientia, Hiob 8 cap. Et iam lux impiorum, Hiob 32. Si uidi lucem quod duxit, & lunam precioſe incedentes, Felici sol lucere, & Luna preciosius ac iucundius incedere, quodammodo prouerbio dicitur. Aliquando deum ipsum, id est, totam trinitatem: aliquando dei filium. Iam uero pios uiros. Iam sacras literas. Nonnunquam Euangelij promulgationem. Alias sanctam ecclesiam ostendit, de deo legitur: Deus lux & tenebræ in eo nullæ sunt. De Christo autem: Ego sum lux mundi. Item: Erat lux uera. De sanctis: Vos estis lux mundi. Item, Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino. De scriptura sacra, Lucerna pedibus meis uerbum tuum, & lumen semitis meis. Item: Qui benefacitis, attendentes uelut lucernæ lucenti, &c. Est etiam Lumen, illuminatio fidei, uel donum spiritus sancti. Signatum est super nos lumen uultus tui domine. Item, Lux, iusticia est fidei. Qui diligit proximum, in lumine est. Item, Lucerna, Euangelij prædicationem significat.

Lux adhæc pro mane, Ezechielis 8. capite, A luce, id est, A mane usq; dimidium diei. Et sicut Tenebræ in sacris literis, metaphoricè capiūtur pro multitudine afflictionum, item & Lux pro bonorum affluentia. Item, pro pluuia, Esaiæ 37. capite, Sparget nubes lumen suum. Pro gloria, Prouerb. 13. cap. Lux iustorum lætificat. Pro peccatore & iniustis & incredulis. Ephes. 5. cap. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, hoc est, iusti.

In Luce denique ambulare, est Christo fidere, & in eo manere. Fidere Christo non operibus, aut Legi debent filij lucis, Ioannis duodecimo capite, Adhuc breue tempus.

M

MA, Hebraicè מה dictio, Hebraicis ualet aliquando quæsitiuũ quid, aliquando quàm, ut Psal. 119. Quomodo dilexi legem tuam Domine, pro, quàm dilexi. Et infrà, Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua. Et Psal. 84. Quàm dilecta tabernacula tua. Et Psal. 8. Quàm admirabile est nomen tuum. Et, Quàm homo, quoniam memor es eius. hoc est, Non'ne mirabilis ille filius hominis, memor es eius, dum obliuiscéris, c. Et dixit Ezechias, quod erit signum quia ascensurus sum in domum domini. Non enim quærit ibi, sed miratur signum quod ei datum erat, dicens: Quàm signum, quia ascendam. Quasi dicat, Non'ne hoc grande & mirabile signum?

¶ *Macelli* nomine omne esculentum uenit, 1. Cor. 10. Omne quod in macello uenditur seu uenit, quod uenundatur significat, edite, nihil interrogantes propter conscientiam. Per Macellum, omnem locum intelligit Paulus in quo esculenta uenduntur. Romæ enim Macellum dici tandem cœpit forum, in quo omnes cupediæ uenderentur.

¶ *Mactationis* appellatio pro festo accipitur, ut Iacobi 5. Enutriſtis corda uestra ut in die Mactationis. Nam in festis pecudes mactabant, propter publicas epulas. Hinc etiam Epulari ueteres pro festum agere dixerunt, ut est 1. Corinth. 5. cap.

¶ *Maceria, uel maceries aut sepe*, Angelorum custodiã exprimit, qua plebs dei, quæ uinea domini appellat, circunuallabat inueniebaturq;. Sic Esa. 5. Auferam sepem eius, diruam maceriã eius, & erit in direptionẽ. In Euangelio quoq; homo quidã plantauit uineam, & sepem circundedit ei: sic etiam in Psal. 79. Destruxisti omnes macerias eius, hoc est, munitiones, custodias, potentiã, Ephe. 2. Et interstitiũ Maceriæ diruit. Dixit interstitium sepis seu Maceriæ, pro sepe dirimẽte. Et Diruere, hic abrogare est, & Interstitium illud, simultas. hæc non est alia quàm ipsa lex mandatorũ, non quælibet tamẽ, sed in decretis sita. Nemo enim nescit amorẽ dei & proximi fidem sanctã, obedientiã iustã, iustitiã ueram, pietatẽ syncerã, & studiũ integritatis ardens nõ esse abrogatũ, sed legalia modo.

¶ *Macula*, pro læsura, Leuitici 24. cap. Et uir qui maculam dederit in proximo suo, uel, qui irrogauerit aut posuerit maculam. Quid per maculam intelligat, postea declarat, quum ait: Fracturam pro fractura. id est, quicunq; uulnus inflixerit proximo suo, qui læserit proximum, siue quemcunq;. Apud Matthæum cap. 19. significat Macula iracundiam, uel intractabilitatem, uel fœlicitatem aliquam corporis.

¶ *Magnificare*, Hebræi utuntur pro educandi uerbo, quod & ipsum Latinis familiarius, quum de liberorum educatione loquuntur, Esaiæ 1. cap. alludit Propheta magis quàm ad enutriendi uerbum, Filios educaui, Magnificaui habent Hebræi.

Magnificare quoq; idem est quod magna in aliquem aut aliquos conferre, magnificè seu præclarè agere, 1. Reg. 10. legit noster Interpres pro, magnificauit, amplius. Euangelistæ impensius hac uoce usi sunt. Sic Lucæ 7. cap. Magnificabunt dominum, dicẽtes Propheta magnus surrexit in nobis, hoc est, laudibus summis uehebant, deum mirabantur, nec satis laudare poterant diuinam beneficentiam, &c. Sic nobis præcipit Exodi 20. Deus, ut magnificiamus parentes nostros, hoc est, magnificè de eis sentiamus, ut pretio si nobis sint, etiamsi sint uilissimi & pauperrimi.

Magnificare misericordiam suam cum aliquo, Genesis: Quæso domini mei, nequaquam ita fiat: ecce nunc inuenit seruus tuus gratiam coram te, & magnificasti misericordiam tuam quam fecisti, &c. hoc est, maxime misericors fuisti erga me. Item, Magnifica ta est manus in fortitudine, Exodi 15. cap. id est, Planum factum est, manũ tuam magnã ac fortem esse, ex eo quod per eam fortiter egeris. Item, Magnificatus es sanctitate eodem capite, hoc est, quis præditus est sanctitate sicut tu, &c.

Magnificentia autem pro dominio, gloria, maiestate, honore, grauitate, splendore, imò pro omnipotentia, quum deo tribuetur, accipitur, Exodi 15. Et in multitudine magnificentiæ tuæ, Esaiæ. 4. cap. In magnificentiam & decorem.

Magnificare supplantationẽ & plantam, oppressionem intelligit, Psal. 49. Magnificauit contra me calcaneum suum.

¶ *Magis* aduerbium corrigentis, non semper augentis, ut 2. Petri 1. cap. Magis satagite, id est, date operam, siue studete: quasi diceret, potius satagite, Marci 17. cap. autem pro potius accipit: Tanto magis satagite, &c.

¶ *Magnus*

¶ *Magnus* pro seniore & primogenito, Genesis: Et uocauit Esau filium suum maiorem. Septuaginta, seniorem. Sic Magnum aut Paruum, seu minorem, Hebræi uocant, nõ à conditione, sed à natiuitate. Similiter Maior uocatur eis primogenitus seu natu maior. Minor uero Iunior adpellatur.

Maior & Minor interdum non semper ad ætatem proprie referuntur, sed ad uires & præcellentiam, Rom. 9. cap. Maior seruiet minori, Id est, senior, uel maior natu, more hebraico. Et Minor pro iuniore. Nam maior natu ius primogenitorum obtinebat, Sic dicimus, der meer Sant Iacob. Id est, senior.

Minor seu paruus, iuniorem seu natu minorem significat. Et hoc quoq; facit ad intellectum loci euangelici, ubi Christus dicit, Qui maior est inter uos, fiat sicut minor, siue iunior.

Maior non ad corpus semper, nec uires refertur, sed ad multitudinem, Nam uox hebraica גדל naturaliter multum significat, transumitur tamen ad magnitudinem nonnunquam. Et Genesis: Nõ est in loco nostro consuetudinis, ut minores ante tradamus adhuetias. Minorem accipit hic, scilicet natu, non corpore.

Magnus coram Domino uarie dicitur, Lucæ 1. cap. Coram domino, est, in ministerio & negotio domini, sic magni sunt ministri dei, Mecq; enim in se magnus erat, sed ideo dicitur magnus, quod magnam rem nunciaret: quod magni domini & regis præcursor erat: quod magnum haberet officium: magnus uitæ innocentia & sanctitate. Ter ponitur in Luc. cap. 1. Coram deo seu domino, & tamẽ aliter atq; aliter, ut prius dicit Coram deo, hoc est, in templo, in loco sacro. Vide suprà Coram.

¶ *Magi* nomen olim non infame erat, sed laudatissimum, significans uirum philosophum, sapientem siue prophetam. At Lucas Actorum 13 cap. describit quendam & uera nomenclatura dignatus, pseudo prophetam mentitus præstigijs sibi autoritatem parauit. Hinc hoc nomen pro impostore accipitur.

Magi autem de quibus Matthæus cap. 2. mentionem facit Chaldæis ac Persis illi ipsi fuerunt, quos Græci Sophos uel Philosophos, Indi Brachmanes uel Gymnosophistas, Ægyptij & Iudæi prophetas, Latini Aruspices & Sacerdotes, Mathematicos. Item Planetarios & Astrologos, Galli Druidas & Bardos: Siculi Galeotas appellarunt. Certe Strabo Magos sacerdotes uocauit. Et A. Prudentius, interpretes peruos. Chaldæi apud Babylonios. Moses apud Hebræos, qui nimirum diuina gentilibus suis præcepta & documenta ædebant. Strabo libri decimoquinto ait: Natrones incolunt regionem, quæ Pätischores appellantur. Item Achemenidæ ut Magi, qui honestum quoddam uiuẽdi genus sectantur.

¶ *Maledicere*, pro blasphemare, obloqui & obtrectare, Exodi 21 cap. Maledixerit patri suæ & matri. Psal. Maledicentes autem ei (id est deo uel Iusto) exterminabuntur. Maledicere item pro deuouere & execrari ponitur. Numerorum uigesimosecundo capite, Veni et maledic populo huic. Roma. 12. cap. Nolite maledicere, hoc est, ne male precemini, ne quem deuoueatis.

Maledictus eris in ciuitate, Deut. 28 cap. Id est, infelix eris in rebus urbanis gerendis & in rusticis, Genesis 4. Idem est quod ex parte ipsius terræ, respectu ipsius terræ, hoc est, terra quam coles erit maledicta. Similiter Maledictionis nomen Genesis tertio cap. quoque pro sterilitate. Nam apud Hebræos significat sterilitatem, sicut Benedictio fœcunditatem, copiam, & abundantiam.

In Maledictionem dare, Numer. 5 cap. Ponat uel det te dominus in maledictionem. Id est, faciat te deus miseram & infelicem.

In Maledictionem esse, Numer. 5. cap. Id est, dicent omnes. Contingat tibi quod huius illi contigit.

Maledictio est, quicquid docetur contra uerbum, ut Psalmo 9. Quorum os maledictione plenum, hoc est, quicquid docent & dicunt maledictiones & blasphemiæ sunt. Maledictio interior peccatũ & iniquitas, ut Psalmo 119. & Matth. 25. cap. Hiere. 18. Male dictio, exterior est penuria, ut Malachiæ 3. Sic Christus maledixit ficui.

¶ *Malus* Hebræis idem est quod tristis, seuerus. Sic enim Hebræi Genesis quadragesimo cap. loquuntur. Quare uultus uestri hodie mali, id est, tristes, seueri? Sic male, pro misere, Matth. 15 cap. Filia mea male à demonio uexatur. Vbi Græcus habet κακῶς. Hinc Malicia pro ærumna, calamitate & tristicia atq; miseria adflictione q; perpetua ponunt:

ut quum Christus dicit: Sufficit diei malicia sua, pro, adfert laborem suum, ærumnam, miseriam secum dies. Et alibi: Si est malicia in ciuitate quam dominus nō fecit. Non pro malignitate, nec hic auariciam aut rapinas significat, nec quicquam aliud omnino, sed eas profecto plagas quæ diuinitus inferuntur. Et, Qui facio pacem & creo mala. Cæterū κάκωσις adflictionem sonat, à uerbo κακόω, quod est malis afficio, siue adfligo. Hinc κακὸν malum significat. & malum sæpe ponitur, pro molestia & adflictione, Marci 3. cap. significat, Arbeitsam vverck thund. Item pro peccato Rom. 2. Aduersus omnem animam hominis perpetrantis malum. Item, pro inutili, Eccle. 1. cap. Hanc occupationem malam dedit deus filijs hominum, ut occupent se in ea.

Malum pro dęmone græcè πονηρὸν generaliter omne malum significat. Hinc sæpe etiamnō pro satana seu dęmone autore omnis mali ponit, ut Matth. 5. Quod ultra est, à malo est, hoc est, à dæmone. Et in eodē cap. Et dixerūt omne malū uerbū. Hebraico idiotismo appellat omnē malā rem. Germanice dicimus, vven sye alle bose ding von euch sagend.

Malum te inuenit. Idem cum illo: Calamitas opprimit te, Genesis 44. Hoc est, male habebis, dabis pœnam commeritam, &c. Idem Exodi 18 cap. Quo tropo dicitur etiam, timor apprehendit uos.

Malum præterea conuertere in caput suum. Hoc ad eum modum intelligas licet, pœnam ipse luit, quam parat alijs. Aut, malum illi, quod commeruit, accidit. 1 Regum 25. In Psalmis sæpe.

Malum esse in oculis, significat animo displicere. Vidit et Esau quod hoc (quod uxores Chananæis dux erat) malum esset in oculis Isaac, id est, quod displiceret, Genesis 28 & 38. Nequam in oculis domini, & Hic primogenitus Iudæ. Hebręi habēt, malus. Numer. 23 cap. Malum in oculis tuis. Id est, si displicet tibi reuertar in domum meam, uel in patriam meam.

Malum inuenire aliquem, Gene. 44. cap. Ne forte uideam malum quod inueniet patrem meū. Id est, quod accidet patri meo. In malo esse. Hebraismus, pro, quod omnino malus sit, Exodi 32 cap. Quod pronus sit ad malum. Vel, quod in malo sit.

¶ *Malicia* ut apud Græcos κακὸν, id est Malum, itidem apud Latinos anceps est adflictionē, et improbitatem. At κακία uirtuti opponitur, quam Latini nonnulli Maliciā uocant: alij uitium, præsertim apud Senecam simpliciter usurpatur pro uitio. Alioqui peruersitatem sonat, cum quis data opera male agit, Acto. 8 cap. Pœnitentiam age ab ista malicia tua. Malus adfectus quo quis propensus est, ad malefaciendum alijs.

Maliciam Hebræi nonnunquam accipiunt pro immaturitate et acerbitate, Hiere. 2. Præ austeritate, hebraica habent: Prę malicia. Sic Malicia accipitur apud Hiere. cap. 11. pro adflictione: Non saluabunt eos in tempore maliciæ. Malicia, ad Rom. 1. ubi ait: Quippe qui impleti sunt omni iniustitia, malitia. Refertur ad animum degenerem & corruptū, in quo nihil nisi lædendi comperias libidinem. Cicero uitiositatem dixit Boszheit.

Malicia ideo est impietas cordis externa illa praue facta, opera sunt tantum fructus internæ malitiæ: est autem quod non fidis deo, non times, non amas deum, quæ tua sunt, non quæ deo aliorum: profunda est ista radix, & non satis ne à pijs quidem intellecta, ut Psalmo trigesimosexto.

Malignitas Græce κακοηθεία, affectum significat male, uel sinistre interpretandi aliena qui fons est suspicionum. Idcirco Rom. 1. cap. in catalogo flagitiorum gentilium, pro malignitate, quidam legunt suspicioni. Erasmus uerò Rorerodamus ad morum aspectatem difficultatemq; refert, ubi uertit: malis prædiri moribus. κακοηθεῖς præterea dicuntur, qui sunt malis affectibus prædiri, ineptęq; gaudent & tristantur, timent, & sperant quæ non oportet. Nam de illis quatuor affectibus hoc nomen proprie dicitur.

¶ *Malignus* porrò est ille, qui sua consilia, sua studia sequutus, Impietatem, id est, deū ignorantiam, pro dei ueritate defendit. Inde & iniusti, & proprie iuxta Hebręos, Insipientes, hoc est, fatui & præfracti, non audientes uerbum dei deprehendere, tandem per Christum ueritatem, Psal. 5. Non habitabit iuxta te Malignus, neq; iniusti ante oculos.

Apostolus primę Corinthiorum decimoquinto cap. duo proposuit κακίας & πονηρίας, id est, malitiæ & uersutiæ, πονηρία enim significat & malitiam & uersutiā. Et pertinet ad malignas tētationes, quę subdolo animo fiūt, Matth. 22. Cognita aūt Iesus malitia eorū. Et cap. 16. Natio πονηρὰ, id est, mala seu praua. Vnde & Diabolus πονηρὸς dicitur, ut in oratione Dominica: Libera nos à malo. Et Lucæ 11 cap. Si ergo & uos cum sitis πονηροὶ, id est,

Idest,mali,noſtis bona dona dare,&c. Et opponit Malicia hæc ſiue iniquitas Candori ſiue dexteritati ſimplicitatiq;. Candidus enim omnia in bonam partem interpretatur & ſyncero animo adeſt: πονηρὸν inſidiatur autem famæ, & dolis agit omnia. Origenes in Pſal.36.& Matth.16. πονηρίαν ita definit.Eſt autem malicia,ubi quis uolens malefacit. Aliud eſt enim per ignorantiam mala agere, & uinci à malo:aliud eſt uoluntate & ſtudio mala facere,Hęc ille, Pro κακίαν & πονηρία uetus Bibliorũ interpres plerũq; uertit Nequitia. magis ad libidinem pertinet, quod & infra ſuo loco indicabitur.D. Ambroſius in epiſt.Malignitatem plus nocere aſſerit,quàm maliciam: quia Malignitas nec puram ſimplicitatem habet, nec apertam maliciam,ſed abſconditam maleuolentiam.Difficilius autem cauentur occulta, quàm quæ ſunt cognita.

¶ Malicioſi Hebraice Letzim apud Dauidem Pſal.1.R. Dauid Kimhi dicit eſſe aſtutos & ad lædendum callidos,tum arrogantes,quorumq; ſtudium ſit alios infamare,& ſecreta reuelare,atq; ita concordiam labefactare:hoc eſt,diabolos agere,ſycophantas & perditos quoſdã homines inſignite malos, & ad laceſſendum alios non minus appoſitos, quàm percupidos. Hi, Hebræis & Græcis malitioſi & nequitioſi dicuntur,qui non modo mali & nequã ſunt aut malignantur:ſed qui mala irrogare cogitant, quorũ omnia cõſilia ex nequitia diuinant,atq; ad nocendũ pergunt.Qui Latinis Peruerſi dicunt, Eſa. 1.cap.Id Malitiæ,ut in uno quàm alio magis emineat,eo tamen laborant, quicunq; uiuunt ſpiritus dei boni expertes. His omnia ſacra riſum mouent, & iniuria homines afficiſſe,induſtriæ ſibi laudiq; ducunt. Vnde & Prouerb.9,ſicut & Pſal.1. cum Roſcha, id eſt,impio ſeu improbo,Letz,id eſt,malitioſus coniungitur.Eodem ſignificatu et aliſs in eo libro uſum locis uidens. Plericq; illuſores uerterunt,nec inepte:cõtemnunt enim huiſmodi præ ſe,& irrident omnes.

¶ Mammon uox Hebraica ſeu(ut D. Hieronymus uult)Syriaca,idem apud eos ſignificans,quod apud Grçcos πλοῦτος,quẽ Poetæ faciunt deum diuitiarum.D.Auguſtinus in dicauit Pœnorum linguam nonnullam habere affinitatem cum lingua Hebræorũ. Por rõ Pœnorũ lingua Mammon uocari lucrũ. Hinc diuitias ſignificat, neq; ſimpliciter diuitias,opes,facultates,ſed exuberantes opes & ſupra modũ ingentes.Chriſtus Lucæ 16. cap.iniuſtum Mammonã appellat,quod fere parãtur in iquis rationibus:& quod indies in uſu ſit iniuſticiæ, ſicut dici ſolet: Diuitiæ addunt animum: quin & Ethnici ſcriptores irritamenta malorum uocarunt.ut D.Paulus.1.Tim.6 cap. Otium, malorũ radicem. Apud Lucam Mammona id dicitur omne quo poſſumus iuuare proximum. Sicut prędicator ſuum Mammon accipit diſtribuendum:ſic magiſtratus,ſic in genere omnes.

¶ Man uocatum hunc cibum cuius figura & ſapor Numer. 11.cap.ſatis diligenter deſcribitur.Rabi Salomon putat quaſi paratum,ordinatum, Manhu enim parare ſignificat.Sic Danielis 1.cap.ſcribitur Vaniam lahem hamelech,& ordinauit eis rex cibum,etc. Exodi 19.cap.legimus,cum populus uidiſſet ceu pruinam, hoc frumentum cœlorũ circa tabernacula ſua ſparſum,dixiſſe quemq; ad fratrem ſuum Manhu,id eſt,paratum iſthuc,Quaſi diceret:Hic eſt ille cibus,quem deus nobis parauit, neſciebant enim quid eſſet.Dixerunt ad inuicem:Donum eſt,ignorabant.

¶ Mandare,uerbũ elegans eſt,quo perinde Hebræi utuntur atq; Latini:puta,ut nõ ſolum pro imperare & præcipere ponant Hebræi,ſed pro cõmendare quoq;, & ſignificare ac mittere,ut Geneſis 49.Mandauerunt ad Ioſeph.Septuaginta, profecti ſunt. Hebræi miſerunt,Eſaiæ 10 cap.Contra populum furoris mei mandabo illi, Gene. 49 clare patet,Mandauit ei,&c.Neq; enim fratres ipſi Ioſeph præcipiebant, ſed per alios ſignificabant.Dicuntur ipſi fatere,quod per alios faciunt.Mandauerunt, id eſt, nunciarunt ſiue miſerunt,ut ſupra,ſignificarunt Ioſeph. Et Leuitici 25.pro mittere quoq;.

Manda,remanda, expecta,nihil aliud eſt,quàm non credere nec timere, id autem eſt hypocriſis.Eſt enim μίμησις,id eſt, imitatio impiorum, qui odio legis, & contemptu dicunt:manda,remanda:& per diffidentiam dicunt,expecta reexpecta, Eſa.8.cap.Manda rebenedictionem,Leuit.25.Id eſt,benedicam uobis.

¶ Mandatum & mandata uocat promiſsiones dei regius propheta,Pſal.104. Memor fuit in ſeculũ teſtamenti ſui uerbi,quod mandauit,&c.Et Pſal. 110. Mandauit in æternũ teſtamentum ſuũ,&c.Promiſsiones namq; dei hoc mandatũ includunt,hoc eſt, fidẽ, ut credas,quod eſt omnium mandatorum ſummum,ſine quo omnia alia nihil ſunt,Pſal. 104. Memor fuit uerbi ſancti tui. Quibus ſi credis, etiam reliqua quæ uetat & præcipit,

non

non tibi displicebunt, & ferè Præceptum uocabulum illud sequitur Mandatum, uel mandata. Ideo promissio & iuramentum Dei, uocatur Præceptum.

Mandatum, uel mandata, ueritas, testamentum, præceptum, idem sunt. De quibus suo loco fusius disseremus.

D. Paulus Rom. 7. cap. Itaque, ait, lex quidem sancta & mandatum sanctum & iustum & bonum. Legem appellat Mosaicam. Mandatum uerò Adam datum, Legem quoq; matrimonium, siue Ius matrimonij, Græci uocant. Ioan. 9. cap. Legem Dominus appellauit generaliter omnes illas scripturas. Quamuis alibi specialiter dicat Legem & Prophetis eam distinguens. Sicuti est: Lex & Prophetæ usque ad Ioannem, &c. Et in his duobus præceptis tota Lex pendet & Prophetæ. Matth. 11. cap. Aliquando autem in nil distribuit easdem scripturas. Matth. 22. cap. Oportebat impleri omnia quæ scripta sunt in Lege & Prophetis & Psalmis de me. Hic etiam Psalmos nomine Legis nuncupauit. Ego dixi dij estis. Psal. 81.

Mandata, interdum non solum Latinis præcepta sunt, sed & Bericht. Nam Apostoli in Concilio nihil præceperunt, sed tranquillitatis gratia permiserunt quædam Iudæis, quæ Gentibus non imposuerunt. Non mandarunt igitur. id est, non præceperunt. sunder sie thetendts inen zuo vvissen, sie gabend iren bericht. Gentes enim ad eos miserant. Quæ Apostolis fuerunt mandata, Bericht, bescheidt. Colos. 4. De quo accepistis, &c. Hunc Marcum putant quidam eum fuisse, qui Hierosolyma mandata Colossensibus pertulit, ex concilio apostolorum.

¶ *Manducare & edere*, nihil aliud est quàm credere. Ioan. 6. cap. Nam Edere carnem Christi, nihil aliud est, quàm quod anima fidat se morte Christi redemptam. Quibus uerbis astipulatur diuus Augustinus: Credere, ait, in eum: hoc est, manducare panem uiuum. Qui credit in eum, manducat inuisibiliter, saginatur, quia & inuisibiliter renascitur. Manducare corpus, nihil aliud est, quàm credere, quod corpus eius traditum sit in mortem, ut nos à peccatis expiaret. Sanguinem Christi bibere, nihil aliud est quàm credere, quod Christi sanguis effusus sit in cruce ad ablutionem nostrorum peccatorum.

¶ *Manere, quiescere*, pro castrametari. Esaiæ 7 capite, Manet Syria cum Ephraim. Septuaginta legunt Synephonisen. Hostes enim quum fœdus inter se inierunt securi, atque alacres sunt, quietam uitam agunt. E regione autem, qui obsidentur, timidi, inimi, ac expertes omnis consilij sunt. Inquietos scriptura uocat. Pro manere in eodem loco. Zach. 5. cap. Vt ædificetur ei domus in terra Sennaar, & præparetur, & quiescat ibi super basin suam.

Manere atqui in Christo, Ioan. 15. cap. Si manseritis in me, & uerba mea. Hic Dominus ipse explicauit, quid sit in ipso manere, certa utique uerbis eius fide adhærere. Hæc fides cibi est, & spiritum Dei semper præsentem habet, qui docet & uelle & petere, quibus gloria Dei promoueatur, quare omnia quoq; impetrat.

Manere in carne, est uiuere in carne. Philip. 2. Cæterum manere in carne, hic pro uiuere posuit, non pro affectibus carneis deditum esse, ut in epistola ad Romanos.

¶ *Mane*, usurpatur pro consolatione & prosperitate, & habet nomen illud Misericordia, plerunq; adiunctum: quia fidelis omnia beneficia misericordiæ diuinæ adscribit: ut Psal. 91. Ad annunciandum mane misericordiã tuam, & ueritatem tuam per noctem: hoc est, prosperis siue consolatione seu prosperitate accepta, quando prædicanda est nobis Dei misericordia, & nihil nostris adscribendum meritis. Sic Psal. 142. & Psal. 5. Mane exaudies uocem meam. Mane astabo tibi. Nam Mane, est tempus gratiæ illuscentis in cordibus credentium. 2 Corin. 4. ad Rom. 13. In Cant. Donec aspiret dies ille, inclinet umbra.

Mane, interdum pro uelociter. Psal. 45. Adiuuabit eum deus, ante faciem mane.

Mane surgere, est sedulo, fideliter & incessanter admonere & inculcare, nihil ad rem oportunum obmittere, sed continuo insistendo omnem (ut dicitur) mouere lapidem, omnia autem uane & sine fructu.

Mane consurgere, est monere. Hiere. 25. Et locutus sum ad uos mane, consurgens & loquens, sed non audistis. Sic Hebræi pro ualde tempestiue, celeriter confestim atq; finitum. 2. Paralip. 36.

Mane & mane, Exodi 16. capite, Id est, singulo mane. Et Exodi 36. cap. In mane & mane. id est, singulis diebus. Item, In mane & mane, Sophoniæ tertio capite, locutio est, hoc

est,hoc est,manifeste & absque aliqua ambiguitate ac cito faciet de ea iudicium,nec qui ab eo abscondi possit. Esaiæ 50 capite, In Mane in mane excitabit mihi aurem.hoc est, quotidie.

Mane denicq; (unde Matutinum tempus) non solum alacritas insinuatur,sed etiam oportunum orationis tempus eligitur,& doctrinæ apertum,quando conueniebant ad orationem,& ad audiendum uerbum Dei,ad tabernaculum siue ad templum Dei.Mane enim sobriorum mens adhuc minus turbata & iucunda ad quæuis facienda expeditior est.Eccles.39.Iustus tradit cor suum diluculo ad uigilandum ad dominum,&c.Et Psal.5.Mane orabo & astabo,Deus meus ad te diluculo uigilo.Quod adhuc ex primitiua Ecclesiæ instituto,quæ antelucanos hymnos Christo psallebat,seruatur.

¶ *Mansuetus*, uel Mansueti, sicut Pauperes illi spiritus,quos Dominus beatos,& eorum esse regnum cœlorum pronunciant.Mansueti dicuntur,qui plurima inique passi,mansuetudinem tueantur.Et Mat.21.ex Zachariæ 9 cap.Mansuetus habet,ubi Prophera habet Pauper uel afflictus,nihil diuersitatis est:nemo enim Mansuetus,nisi qui afflictionem æquo animo tolerat,atq; ita simul pauper existat.Ergo Mansueti,qui submissi sunt,oppressi,humiles,qui aduersa patiuntur.Psal.34.

Mansueti quoq; dicuntur,quibus Euangelion annunciandum per Esaiam prophetam prædictum est:hi,inquam,quibus sua mala displicent,& iustitiæ sitim habent,sesecq; abnegarunt,& cruci subiecerunt.Hi illi peccatores sunt,propter quos saluandos Christus uenit, sicut timentes Deum,& uerum semen Dauid.Psal.21 & 23.Diriget,inquit, mansuetos in iudicio.hoc est,efficiet ut ordine & recte ingrediantur,& uiuant.Vel,Diriget eos,pro sua æquitate.

Mansuetudo uerò,Græce πραότης tractabilitas est. D.Hieronymus, Mansuetudo, inquit,illa est,quæ nulla passione tuebatur,& specialiter ira & furore non rumpitur.

Mansuetudo,pro afflictione seu oppressione usurpatur,ut in Psal.132.Memento domine Dauid,& omnis mansuetudinis eius.hoc est,afflictionum.Inde uenit uocabulum Humilitatis,quo utitur Maria uirgo in suo cantico,Lucæ 1 cap.Nam uocabulum Aoni,deriuatur à uerbo Anah,quod significat Affligi,ut Zachar.cap.9.Rex tuus uenit tibi pauper.Nostra translatio habet Mitis,uide infrà in nomine Pauper,& Mitis.Item Mansuetudo,pro remissione,ac defectu uirium,poni interdum uidemus,Psal.90.Quoniam superuenit mansuetudo & corripiemur.

¶ *Manus*, Hebræis uarie significat:nunc locum rei alicui adiacentem,nunc ripam, ita & mare dicitur spatiosum manibus:hoc est,littoribus ac ripis.Nunc pro parte,ora & latere.Esa.28.cap.Et baculus ipse mittendus in locum eorum,siue in manus eius,aut in manibus eorum.id est,Israelitarum.Sic Manus,scriptura pro qualibet functione,negocio & operatione,quibus utimur,uidelicet ad sustentãdam uitam nostram,accipit.Hinc diuus Paulus iubet uiros manus suas puras ad cœlum sustollere,ad Timotheum.id est, quisque gerat functionem suam,ut Deo placeat.Item Esaias dicit,Vestra holocaustomata nolo,quia manus uestræ sanguine plenæ sunt.hoc est,uestra omnia negocia,uestræ functiones,& cum quibuscunq; rem & negocium hanc defraudatis.Similiter apud Malach.1.cap.Manus sanguine plenæ sunt.hoc est,tam dolosæ,rapaces & plenæ munere ribus,pauperumq; cruore,quæ neminem non affligant,nulli nisi ipsi,uel propter se benefaciunt. Hinc D.Paulus iubet,ut quisque manu sua laboret,non solum externos illos labores intelligit,sed potius ut quisque seruiat suæ functioni,suam negociationem administret,suum officium exequatur.Nam sicut cum Alas audimus,protectionem intelligere debemus:Manus,operationem intelligere debemus.

Manus etenim symbolum operis, sicut Aqua.ablutionis & expurgationis symbolum est.Sic Germanice loquuntur,Ich uuesch die hend,und ghon dauon.

Manus,deinde pro bona operatione:ut,Deum exquisiui manibus meis.id est,operibus & factis.Vnde Manus peccatorum & impiorum,sunt speciosa opera siue facta, quibus facile quis seducitur.Christus uocat operarios iniquitatis.Et diuus Paulus ad Philip.3.Cauete malos operarios.Malach.3.ca.Vestra manus facit hæc.id est,opera quæ proficiscuntur ab incredulitate. Nam conficiendi negocij absolutam rationem manibus ferè tribuimus,ut Psal.27.Et manibus operamur,ut uidere licet.Sic Psal.139.Adora uerunt opera manuum suarum.

Manus

Manus, pro prophetia usurpatur: ut, Manus Domini tetigit me. Eo quod est Prophetia grauior, quæ & Onus ab alijs dicitur.

Manus Domini incidens in Prophetam, spiritus est Prophetiæ, & impulsus Dei ad loquendum, quæ aspirabant illi, & ei prædicanda commendabant. Ezech. 8.

Manus, præterea pro opere. Hagg. 1. Factum est uerbum Domini in manu Haggæi siue illius siue huius Prophetæ, quod talia opera gesserit, ut dignus existeret, in cuius opere fieret sermo Domini. Similiter in manu Esaiæ, significat ministerium Prophetæ. Nanque organa sunt Spiritus sancti, & dispensatores mysteriorum Dei, quæ quasi per manum expendenda receperunt, uelut si quis dispensaret pecuniam uel thesaurum, per manum serui dispensare solet, per alium uel seruum diceretur facere in manu illius. Sic In manu Hoseæ, id est per Hoseam, tanquam organum & dispensatorem mysteriorum suorum. Sic In manu Malachiæ, id est ministerio Malachiæ: quia Spiritus sanctus Malachia illo, tanquam organo Domini usus est.

Manus, insuper in loco non habet formam pluralis numeri apud Hebræos, sed assumit pluralis numeri singularem formam ad se trahit, tanquam dignior numerus inferiorem. Plurali enim isti, honoris loco utuntur. Hinc Deos plurali numero, non aliter quàm Græci & Latini deum unum multo sæpius quàm singulariter appellant. Sic Esa. 10. In manibus sui: uel, In manu sui.

Manus, pro consilio. 2 Samuel. 14. Nunquid manus Ioab tecum est. Pro factis & studijs. Psal. 7. per metonymiam, ut suprà patuit. Pro officio. Prouer. 18. Mors & uita in manu linguæ. Pro potestate, Ios. 9. Et nunc ecce nos in manu tua. Plautus in Amph. In illis fides est, quibus est res in manu. Terent. Hecy. Tibi in manu. Et illud Psalm. In manibus tuis tempora. Et Iacob dicit ad Iudam, Manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum. Hinc Hebraismus ille, In manu esse dicunt: quum nos in potestate, aut facultate esse dicimus. Esa. 3. Ruina hæc in manu tua.

Manus, item pro tutela. Esa. 60. In manu Domini. Pro uiolentia, oppressione, plaga & permissione, ut Exo. 14. Liberant Israelem de manu Ægyptiorum. hoc est, de tyrannide & uiolenta seruitute. Num. 11. Nunquid manus Domini abbreuiabitur. Exo. 9. Eccles. 7. Manus Domini. Pro facultate & substantia. Leuit. 25. Si fratris tui diminui cœperit manus. Et, Si inualuerit apud uos manus aduenæ. Vbi Hebræus habet: Si manus peregrini apud te apprehenderit (facultatem) hoc est, inualuerit.

Manum igitur apprehendere, scilicet aliquod bonum. Hebraismus est, pro ditescere. Et Germanus dicit, Er hats ergriffen, er hats in den henden. Leuit. 25. ut suprà. Si manus eius apprehenderit. id est, si dines fuerit.

Manus quoque, officium prædicandi & docendi signat. Esa. 41. Apprehendens manum tuam.

In manus Domini tradi, est ab eius iudicio puniri, reçp ipsa experiri, quod deus non finit in perpetuũ, nec ad tempus dissimulare uideatur malos in bonos desæuire. Psal. 12.

Manus Domini aut Dei, præterquàm quod robur signat, auxilium quoçp fortitudinem, autoritatem, maiestatem denotat. Psal. 119.

Manus filius, hoc est, Christus dicitur, quia per illum omnia facta sunt. Psal. 118. Fiat manus tua, ut saluum me faciat.

Manus, sæpenumero pro audacia, fortitudine, arrogantia.

Manus Dei, pro potestate, uirtute, uindicta, & graui plaga eius accipere, scripturæ dissonum non est: ut, Manus tua gentes disperdidit. Et, Eduxisti populum tuum in manu forti & brachio excelso. Manum Dei, uim qua operatur. Et pedes dei, uim qua in omnia custodienda & gubernanda pertendit. Et, Aures Dei, uel oculos Dei, uim qua in omnia percipit atçp intelligit. Et, Faciem Dei, uim qua se manifestat atçp dignoscitur, & cætera in hunc modum. Propterea scilicet qua nos ad quos sermo fit, ut manibus solemus operari, & pedibus incedere, & quomodo fert animus peruenire, & auribus atçp oculis, cæterisçp sensibus corporis corporalia percipere, & facie innotescere, & si quid aliud ad hanc tanquam regulam pertinet.

Manus Dei cæterum extenta, ira Dei est ad percutiendum parata. Esa. 14. ca. Manus eius extenta, & quis retrahet? Eiusdẽ 31. Dominus extendit manum suam, & simul omnes impij deficient. Esa. 3. Sed ultra extendit manũ suam. Periphrasis est, irati & minantis Dei, quamdiu mores nostri non mutantur. Pro uindicta & graui plaga, Dauidi familiare

militare Manum dei accipere uidetur, ut Psalmo 9. Tradas eas in manus tuas inimicis tuis, Psalmo 38. A' fortitudine manus tuæ domine, propter id quod Exodi dicitur: Vidérunt Ægyptios mortuos super littus maris, & manum magnam, quam exercuerat contra eos: Et Deut. 32. Esa. 9. Hebr. 10. Horrendum est incidere in manus dei uiuentis. Hoc sæpe est in Psalmis pro correptione, furore, castigationeq; Psal. 38. Nam sagittæ tuæ infixæ tortæ sunt, & urget me manus tua. Hic sagittas & manum, plagamq; dei uocat. Manus quoq; pro iudicio Psal. 32. Super me aggrauata est manus. Id est, iudicium.

Manus item & Brachium & Dextera domini, fortitudinē, auxilium & robur in scripturis significat, Numer. 11. Nunquid manus domini abbreuiata non est, Et Lucæ cap. 1. Manus domini erat in illo, hoc est, fortitudo. Manus inferni, Hoseæ 13 cap. De manu inferni liberabo eos. Manum inferni, mortis appellat opera, quibus interficit: iuxta illud quod scriptum est Prouerb. 18 cap. In lingua mors & uita.

Manus dei conditrix uniuersorum, Psal. 101. opera manuum tuarum sunt cœli, Psal. 138. Posuisti super me manum tuam, id est, tuam formando mihi manum admouisti, Psal. 9. Esa. 66. Omnia hæc manus mea fecit.

Manus dei pro auxilio, cura, tutela, gratia & misericordia dei, Prouerb. 3. Iustorum a- Manus in manu dei. Et, in manus tuas domine commendo spiritum meum, Psal. 30. & Lucæ 23. Esa. 3. Ruina hæc in manu tua, Psalmo 87. Et ipsi de manu mea repulsi sunt. In Manu dei seu per manum, Iob 27. Docebo uos per dei gratiam. Vel: In Manu dei, id est, deo iuuante & subministrante facultates per dei gratiam.

Manus supra caput collidere uel copulare. Est symbolicus sermo, quo significat summa mœsticia (Hiere. 2.) & angustia mœrorq;. Antiquitus enim mulierum animo male affectarum mos erat, super caput manus utrasq; conferre, quemadmodum Thamar ab Amon uitiata fecit 2 Regum 13 cap.

Manus atqui ad manum, Prouerb. 11. cap. Manus ad manum non erit innocens malus, hoc est, dico, mox, statim, repente. Manum dei non abbreuiari, est eius uires nunquā deficere, ut nullo tempore minores sint, quia nunquam sunt maiores. Manum adhęrere ori, quod superstitiosæ reuerentiæ iudicium Ægyptijs non rarum, Iob decimotertio capite, Et seduxit se in abscondito cor meum, & adhæsit manus mea ori meo.

Manus fœmori infligere, pœnitentium ac mœrentium est, Hiere. 31. cap. Percuti fœmur, &c. Manus confortare, Lubrica genua corroborare, Hæ loquutiones apud Iob 4. cap. reperiuntur. Sic nanq; ait: Ecce correxisti multos, & manus molles apprehendisti uerba tua, & genua tua labantia corroborasti. Quid autem sit Manus molles, hoc est, solutas & remissas apprehendere, legimus etiam apud Esaiam trigesimoquinto capite. & ad Hebræos duodecimo capite, Remissas manus erigite, & gressus rectos facite pedibus, &c. Super Manum regis inniti, aut incumbere, est proximum esse regi, ut 4. Regū 7 cap. Dux ille secretarius regis, cui innitebatur rex Israel ritu gentilitio, de quo & cap. Regum 5. cap. quoq; legimus apud regem Syriæ Naaman fuisse.

Manus nostræ non fuit in eo. Quem idiotismum sic latine reddideris: Innocuas purasq; manus nostras ab eo scelere seruabimus, Gene. 37. 1. Regum 18 cap.

Manum ponere super os, est obmutescere, obstupefieri siue obsurdescere ad subitam iram domini. Quales Philistijni facti sunt in exitu Israelis ex Ægypto, Exodi 15 cap. Et qualis ille qui sine ueste nuptiali, Matth. 22 accubuit in nuptijs domini. Habes hanc loquendi figuram, Iob 39 Micheæ 7. cap. Videbunt gentes & confundentur ab omni potentia, Ponent manum super os, aures eorum obsurdescent. Quæ est pœna impietatis ad gloriam domini reuelata, obruens impios. Veterum etiam prouerbia habent: Harpocratem agere, qui digito premat labellum, silentium imperare.

Manus ad hæc extensio & colligantia significat impias confœderationes, & (ut uocant) practicas in ordinandis & creandis magistratibus. Manuum enim uel digitorum extensione olim suffragia populus dabat, qua impietate fraudes maximæ contingunt, Esaiæ quinquagesimooctauo. Si amoueris de medio, qui iugum protendendo digitum & loquendo iniquitatem, Septuaginta interpretes dicunt: Si abstuleris à te colligantiam & extensionem manus.

Manum agitare, est minitari, Esaiæ decimonono cap. Et Manum dare, est percutere seu aggredi, Exodi 7. cap. Et dabo manum meam in Ægyptios. Septuag. Et immittam manum meam. Atqui Manum mittere, non semper de auxilio, sed etiam de uindi-

cta & percussione exponitur, ut ex cap. 1. Iob & multis alijs locis patet. Et Iob trigesimo capite. Veruntamen non in tumultu immittes manum, id est, non sæuies in mortuos, sed placaberis.

Manus in manu, Prouerb. 11. cap. Videtur conspirationem impiorum inter se significare, adeoq; uehementem conatum, ut sit sententia: Impij parant sibi uires, quibus se tueantur, inter se conspirant, ne regnum amittant. Sicut Psal. 16. inquit, Adipem suam concluserunt, hoc est, uires suas coniunxerunt.

Manum in sinum immitti, est captare ociosum & iucundum genus uitæ fugere crucem, quemadmodum illi descripti sunt Amos sexto capite, Dormitis in lectis eburneis & lasciuitis in stratis. Sic & frigus significat fugam laboris & crucis, Prouerbiorum uigesimo capite.

Manibus maculam adhærere, Hac loquutione usus Iob 31. Idem est quod alicui aliquid rapere, aut per uim aut per fraudem. Sic inquit, Si declinauit gressus meus à uia, et post oculos meos iuit cor meum, & in manibus meis macula adhæsit. Et Græcus acceptationem, imò contrectationem munerum maculam interpretatur.

Per Manum excelsam, Numer. 13 capitur in Hebraismo בְּיַד. Id est, per manum, sæpe loco præpositionis Per, ut: Loquutus est Per manum prophetæ. Fecit per manum Mosi. Sic Numer. 15 cap. Per manum superbam, id est, per superbiam, per temeritatem, aut per imprudẽtiam. Nam בְּיַד significat Hebræis per Manum, id est, per ministerium ipsius: uel ipso interprete & internuncio, Actorũ 7. Per manũ ipsius dare salutem. Ideo Hebræi uocant manũ, quicquid uice instrumenti est, & medij ad aliquid conficiendũ, siue animatum id sit, siue inanimatum: adeoq; per manum Angeli Actor. 7. nil aliud est, quàm per angelum. Similiter Manus nomine opera, atq; omnẽ externam uitã significat, Psal. 26 & 73. quam sanè purã se præstaturum pollicetur, dum se manus abstersurũ prædicat.

In Manu seruorum suorum. Hæc loquutio non transit in linguam Latinam, quamtamen frequens est Hebræis, & in nullo ferme prophetarum non inuenitur. Verbum quod loquutus est per Manum seruorum suorum Prophetarum, Dominus alloquutus est eos ministerio prophetarum suorum: aut consimilis aliqua, promissis prophetis loquutus est dominus, &c. ut supra quoq; patuit.

A' facie manus, id est, propter prophetiam quæ manus dicitur, Hiere. 15 cap. A' facie manus tuæ solus sedi. Et Ezech. 1. & 3 cap. Manum domini prophetiam uocat, ob uehementiam, qua Manus organum est agendi faciendiq; res nouas arte pro arbitratu hominis simulq; uim humani ingenij uelut explicandi. Et alibi: Ad hoc nõ misit deus manum suam, ficut ad Mosen.

In Manu excelsa peccare, est totis uiribus adhibitis, & cum audacia atq; arrogantia, & quasi per contemptum peccare, Numer. 15 cap.

Manum inuenire. Vbiq; hæc loquutio Hebraica significat facultatem, uires, copiam, Inuenire enim manum aliquid dicitur, hoc est, attingere posse uel suppetere, uel habere, unde aliquid erogare possit. Nam & Manus in ea lingua accipitur, pro facultate, potentia, ut dictum est, ac uirtute, Numerotum sexto capite, Exceptis his quæ inuenerit manus eius.

In Manum uenire, idẽ est quod in promptu habere, Genesis trigesimo secundo cap. habet Hebræus. De Manu mea, pro à me, Genesis 43 cap. De Manu mea requiret puerum. In cuius Manu, pro apud quem, Genesis 45 cap. Sed uir in cuius manu inuentus est cyphus, &c. Manum suam super aliquem ponere, pro lapidare eum, Deut. 13. cap. Manus tua super eum. Addendum ex Hebræo, ut interficias illum: Id est, tu primus in eum iacies lapidem, ut interficias illum.

In Manu Aaron & Mosi, Numer. 23. cap. Id est, duce Mose & Aarone. Manus abijt, Deut. 32. Et super seruos suos pœnitebit eum: quum uidebit quod abierit manus, & quod non sit clausus & derelictus. Hoc est, mutabit sententiam, quum uidebit populũ suum redactum esse in summam miseriam, quum uidebit manum, id est, robur populi sui abijsse, hoc est, destitutum esse uiribus.

Manus arripere iudicium, Deut. 32. cap. Et arripuerit iudicium manus mea, Id est, coepero semel iudicium facere.

Manus eius contra omnes, Gene. 16. Hoc est, Inuadet omnes, et ab omnibus inuadetur, infensus erit omnibus.

Sub

Sub Manu, Per Manum, Numer. 4. Eruntq; ſub manu, id eſt, cuſtodia eorũ, hoc eſt, omnia facient mandato Ithamar.

Manum ſuam mittere aut ponere ſuper aliquem dicitur deus, Exodi 7. cap. Immittã ſeu ponam manum meam ſuper Ægyptum. Id eſt, percutiam Ægyptum, & educam exercitum meum, hoc eſt, populum meum, Et Exod. 24 capite. Ad principes aut filios Iſrael non miſit manum ſuam. Id eſt, Deus non læſit principes Iſrael.

Manum ſuam ponere, Numer. 27. Pone manum tuam ſuper eum. Vt ſcilicet ita uideris illum conſtituere principem populi dei.

Manus ſuper oculos alicuius ponere, Gene. 46. Ponet manus ſuas ſuper oculos tuos. Id eſt, oculos tibi morienti claudet. Quaſi dicat illic relinques Ioſeph ſuperſtitem.

Manum ſuam ponere ſub fœmore alicuius, Geneſis 24. Pone nunc (uel quæſo) manum tuam ſub fœmore meo: Quaſi dicat, tu es mihi ſubditus, tu es ſeruus meus. Sic ſolebant ſerui agnoſcere obedientiam, & hic mos obſeruatur adhuc apud Indos.

Manum in rem proximi mittere, eſt furari & aliquid auferre, Exodi 22. cap.

In Manum mundicia aliquid facere, Geneſis 20 cap. pro ſimplicitate & integritate: Id eſt, Cum illam retinui, ſimplici animo feci, nihil mali cogitans, nec exiſtimaui me propterea quicquam mali facere.

Manus ſuper caput blaſphemantis, Leuitici 24. Id eſt, poſitis manibus ſuper caput eius, teſtentur eum audiſſe blaſphemantem. Manus ſuper ſolium Dauid, & bellum domini, Exodi 17 cap. Hebraiſmus eſt, Manus domini ſuper ſolium eius, id eſt, Iurauit dominus per ſolium ſuum, quod bellum erit ei contra.

In Manus alterius aliquid tradere, pro alteri negotium aliquod committere, Gene. 39. Nec quicquid eſt, quod non tradiderit in manus meas.

Manus tua in ceruicibus inimicorum, Id eſt, uertes in fugam inimicos tuos, & uinces eos, Geneſis 49. In Manu tua ponere, Exodi 4. Poſui in manu tua, Id eſt, in poteſtate tua, & quæ poteris, quum uoles, facere.

Manus ſacerdotis implere, eſt cõſecrare, uel: mittere in poſſeſsionem ſacerdotij: nam quum aliquis mittitur in poſſeſsionem alicuius rei, traditur aliquid in manu eius. Vel: Suppeditabis illis uictimas, & trades in manus eorum, & ſanctificabis eos.

Per Manum Moſi, id eſt, opera Moſi, numerante Moſe: uel, de mandato domini facto per Moſen.

Manum iungere cum impio, Exodi 23. cap. Nec iunges manum tuam cum impio, ut dicas falſum teſtimonium. Vel, nec ponas manum. Id eſt, non adiuuabis cauſam impro bi falſo tuo teſtimonio.

Manum in cœlum eleuare, geſtus eſt iurantium, Mos erat apud Iudæos in præſtandis Iuramentis leuare manus, abſolute idem eſt quod iuramentum præſtare ſiue iurare. Et ſicut Manuum eleuatione Iuramentum Hebræi intelligunt, ita etiamnum apud nos fieri ſolet, ut qui iurent, manus ad cœlum leuent. Gene. 14 cap. Leuo meam ad dominũ. Quaſi dicat Moſes, Teſtem inuoco deum illum magnum & excelſum, poſſeſſorem cœli & terræ, cui ego fido quod nihil capiã ex omnibus, quæ tua ſunt. Exod. 6. Inducã uos in terram, qua leuaui manum meam, id eſt, quam iuraui, uel pro qua iuramentũ præſtiti, quam pollicitus ſum. Et illud, Eleuauit dexterã ſuam ac ſiniſtrã in cœlũ. Sic dominus Exod. 17. per thronum ſuum: nimirum rem ſempiternam immutabilem. Et Deut. 32. Cum eleuarim in cœlum manũ meam, & dixerim: Viuo ego, &c. per ſe ipſum iurare ſolet deus: ad Hebræos 6. Leuare manũ, pro præualere, ſupra in litera L. explicatum eſt.

In Manum forti, Deut. 7 cap. Id eſt, uirtute inuincibili. Per Manum fortem dimittet eos, Exodi 6. Id eſt, coactus magna ui, plagis magnis, ut ſupra.

Manus noſtra excelſa. Id eſt, noſtris uiribus ſuperauimus hanc gentem, Deut. 33 cap. In manu excelſa, hoc eſt, magna audacia animoq; alacri, Exod. 14 cap. Numer. 33. In manu excelſa. Id eſt, diuina uirtute, non humana. & 16. &c.

Manuum atqui impoſitio fuit Hebræis admodum familiaris, ubi aliquid commendabatur uel offerebatur deo. Sic Iacob imponit manus duobus filijs Ioſeph, Gene. 48. Sic manus ſuper caput hoſtiæ immolandæ ponitur, Leuitici 1. cap. Sic Chriſtus impoſuit manus ſuper paruulos, & de credentibus dicit: Super ægros manus imponent & bene habebunt. Externum ſignum eſt, uel omitti poteſt, uel aliter fieri. Electionis tantum ſignum erat, eratq; tempore Apoſtolorum ordinatio presbyterorum.

Manus enim imponere, aliud non est quàm ecclesiæ aliquem præficere & ordinare, & in se complectitur totum prophetiæ munus, quo non aliud in ecclesia magnificentius complectitur uocationem, missionem, docendiq; autoritatē. Illis imponebantur seniorū manus, quorum fidei committebatur ecclesiarū cura, et diuini uerbi ministerium.

Manuū ergo impositio, cōmunionis signum. Et uocatio per impositionem manuū super caput uocati, quo ceu signo agnoscebatur uocatus & susceptus. 1 Timoth. 4. 5. cap. 2 Timoth. 1. cap. Manuum impositio quoque futuri diuini auxilium est, Nam Manum porrigere, auxiliari est.

Per Manum dexteram & Sinistrā in scriptura quid significetur, explicat Chrysostomus Homil. 45. ex Matth. 5. cap. Nesciat simistra tua, quid faciat dextera tua. Sed hoc non hic dominus de humani corporis manibus, quibus nec uidendi, nec loquendi ullus est sensus, sed in Manu dextera aut sinistra homines significantur. Deniq; scriptum legimus in lib. Regum, Manum homines significare, quum dicitur: Non'ne decem mihi manus sunt contra hominē? Id est, decem tribus in Israel. Vnde non dubium est, in dextera manu homines significari iustos, in sinistra uero peccatores intelligi, secundū quod Salomon retulit: Partes dextræ nouit dominus. Peruersæ sunt quæ sunt à sinistris.

Manus sinistra tua nesciat quid facit dextera. Quæ quidem uidetur esse prouerbialis locutio atq; metaphora, à corpore ad animum transumpta. Nam Manus, symbolum est operis. Dextera itaq; boni operis, sinistra mali. Quemadmodum & Dexter oculus, bonus intelligitur affectus: Sinister, prauus, inuidia & intentio mala, &c.

Manus mediatoris potentia & uirtus Christi, quod & D. Hieronymus tradidit, Gal. cap. 3. Ordinata est lex in manu mediatoris, id est, Christi, nō Mosis. Quia non est in potestate ullius hominis legi satisfacere.

Manus custodire, est esse innocentem, & neminem adficere iniuria, ut Esa. 36. Et custodiens manum suam, ne faciat omne malum Manum reuertere seu potestatem suam, id est reuocare. 2 Regum 8. cap. Item In Manum mittere, id est, tradere alicui erudiendū, ut Dauid Salomonem puerum, &c. 2 Regum 12. cap.

In Manibus meis non est malum. 1. Regum 24. 1. Paralip. 12. cap. Id est, nihil mali feci. Manu sua saluari, id est, custodiri à deo, ne manum afferas alicui. 1. Regum 25. capito. Manus suas leuare in aliquem, est uiolentas manus inferre. 2 Regum 18. & 20. capito. Ab hoc autem diuersum est in Psalmis, Leuare manus ad deum, &c. Cum priore idem est, Exaltare manum in aliquem 3 Regum 11. cap. Et mittere manum in aliquem. Nehemiæ 13 cap. Esther cap. 9.

In manu mittes, id est, tuo libitu, Exodi cap. 4. Manu sua impleuit, noster Interpres, opere impleuit, hoc est, fecit quod dixerat. 2. Paralip. 6 cap.

In Manu mea concludi, pro eo quod est, in deditionem uenire 1. Regum 18 cap.

Manus mittere, seu extendere manus, idem propemodū esse cum illo: afferre manus, seu inferre manus alicui. 1. Reg. 22 cap. Misit manū suam, ubi noster Interpres Arripuit.

Manus mea erit cum eo, id est, auxiliabor ei, opem feram laboranti. 2. Regum 3 cap.

Manum aggrauare, est tyrannice agere. Manus domini cōtra eos. Item, Manus domini tetigit eos, in deteriorem partem usurpari uideo. Sicuti Ruth. Egressa est manus domini contra me, id quod statim uelut enarrans, subiungit, amaritudine repleuit me omnipotens, Grosz hertz leid. 1. Regum 5 cap. Manus domini grauata super Philistæos. Mox ibidem: Facta est manus domini.

Contrarium, Leuis manus domini. Manus eorum cum Dauide, id est, intercessit illis cum Dauide amicitia. 1. Regum 22 cap. 2. Regum 14 cap. Secus uero 1. Regū 6. Sicut manus tua inuenit, Iudic. 9 cap. Posuerunt ei manus, hoc est attulerunt ei manus 4 Reg. 11.

¶ Mare generali nomine omnes aquarum congregationes Maria uocant, & quod lacus specimen quoddam maris præseferunt. Sic Mare Aspaliten, itidem mare desertū uel salis uocatur. Sicut enim flumen Nilus in septem ostia diuiditur uocaturq; Mare, nunc fluuius, nunc flumina, nunc riuus, nunc riui, ac uarijs nominibus appellatur. Sic pro lacu: nam lacus & stagnum mare simpliciter: Mare ipsum uocatum, est mare magnum, Genezaret adhuc lacui adiacet. De lacu Galileæ Matth. 4. cap. (quem Apostoli, patriam dialectum sequentes, Mare Galilæi appellitant. Hebræi enim, ut dixi, quamlibet magnam aquarum collectionem, Mare uocāt: nos uel paludes, uel lacus, uel stagna dicimus) Plinius lib. Nat. historiæ. 5. cap. 15. Iordanis in lacū, inquit, se fundit, quē plures Genasaram

Genasaram uocãt, 16. millia passuum longitudinis, 6. millia latitudinis, amœnis circum septum oppidis. Certe constat lacum illum & amplissimum & amœnissimum, adde & opulentissimum fuisse. Appellatur à scriptoribus lacus Genazar. Dicitur & Tyberiadis & mare Cinereth, Numer. 34. siue à regione, cuius mentio fit Iosue 11. & 3 Reg. 15 cap. siue ab urbe in littore lacus sitę. Sic Mare ęneũ dictũ. 1 Reg. 7. dictũ est in quo sacerdotes sacris operaturi lauabant. Et Apocalyp. 4. Et in conspectu sedis tanquam mare uitreũ.

Mare nouissimum: mare magnum Hebręis. Deut. 11. Vsq; ad mare occidentale Hebr. Vsq; ad mare nouissimum, quod alio nomine appellatur Mare magnũ, scilicet Cyprium. Ægyptium, quod ab Ægypto totam Assyriam attingit. Dicitur autem Mare nouissimũ & magnum, quia eò usq; terræ sanctæ finem excurrerent. Magnum autem, quia omnis aquarum collectio, Mare uocatur Hebraice. Ideo quoq; Mare magnũ appellant, ut differant ab his, quæ minora maria sunt, stagna scilicet & lacus.

Mare mediterraneum solet scriptura Mare magnum uocare, Interdum absolute, Mare oceanum: Sinum uerò Arabicum uocatur Mare Iunci, Mare mediterraneum insulas & peninsulas efficit. Insulæ uocantur Cyprus, Creta, Græcia, & alia regna, quæ mare mediterraneum cingunt.

Mare deinde pro mundo, Danielis 7. Et ecce quatuor uenti cœli magno. Et Matth. 11. Mare uerò mundum significat uarijs fluctuum procellis inundans, imò & homines in hoc mundo uiuentes, & uarijs obnoxios fortunæ.

Mare nõnunquam pro robore & potentia & ciuitate forti, Esaiæ 23. Erubesce Syon, quia dixit mare, id est, fortitudo maris. Maris multitudo tota occidentalis remotissimarum gentium & populorum occidentalium & maritimorum prophetis multitudo uocatur, Esaiæ 60. Quando conuersa fuerit maris multitudo.

Mare enim Hebræi mediterraneum mare uocant & occidentem, in cuius littoribus multi populi sunt, Esaiæ 60. Per mare insulanos, & Maris accolas: Per solitudinem autẽ eos, qui procul à maritimis siti sunt. Et ubi occidentales & maritimi, comprehẽduntur. Irrumpit enim ab occasu, & ad sinistram habet Hispaniam, Galliam, Italiã, Græciã, Macedoniam, Asiam. Ad dextram uerò Mauritaniã, Aphricam, Cyrenaicam, Ægyptũ usq; ad Palæstinam & in medio multas insulas, Cyprum, Cretã, Rhodum & alias. Hanc multitudinem maris uocat Esaias multitudinem populorum maris. Et econtra orientalem intelligunt mortuum, siue Sodomiticum. Ezechielis 47. Deut. 3.

Mare pro occidente ponunt Ebræi & Iosue 16. cap. Esaiæ 42. Laus eius à termino terræ descendẽtes in mare, et plenitudo eius insulę et incolæ earũ. Vbi per plenitudinẽ maris, intellige ciuitates maritimas, quæ populosiores sunt. Itẽ, Mare nouissimũ, Deut. 34. pro occidẽtali mari & mediterraneo, quod in parte occidẽtali erat, respectu terrę sanctę.

Mare mortuum, mare salsum, Suph, mare carectosum, idem sunt ex Genesi patet 14. cap. ubi dicitur, Omnes hij conuenerunt in uallem sylueſtrem, quæ nunc est mare salis, id est, ubi nunc est mare salsum. Nam est caricosum seu carectosum, quod ad intelligentiam Numerorum & Deuteronomij facit. Non enim hic de Erithræo mari dicit, id est, rubro mari, quod & Suph, hoc est, arundinosum est.

Mare rubrũ Hebræis dicitur non rubrũ, sed caricosum seu papyrosum, eo quod ad eius littora copiosissima sunt carecta & papyriones. A. Esra Rubrum à Græcis appellatum est, Plinio teste, quod harena eius rubra fit, & aquæ quasi rubere uideantur, sicut omnes prope asserunt.

Mare turbidũ & aquę procellis agitatũ, ut scripturis, ad impios et peccatores pertinẽt: iuxta Psal. 45. Turbatæ sunt aquæ eorum. Et Esa. 57. Impij quasi mare feruens. Ad pios autẽ fluminia illa spiritus sancti. Ioan. 7. quæ uadant cũ silentio, Esa. 8. Psaltes, Fluminis impetus lętificat ciuitatem dei, hoc est, pax, silentium, securitas, gaudium per spiritũ sanctum, qui adfluit & inebriat credentes, id est, in ecclesia sanctorum, quæ est ciuitas dei, quam ipse inhabitat.

Mare, interim inconstantẽ seu inconstantiã signat, Iacob. 1. Nam qui hæsitat, is similis est fluctui maris, qui uentis agitur. Inconstantem & uacillantem animum intelligit.

Mare, præterea interitum & perniciem significare ex Ionæ cap. 2. perspicuum fit. Et Dauid alibi, nõ esse metuendum quando turbatur terra, & montes in cor maris transferuntur. id est, quando terreni homines, qui solis caducis rebus inhiant, terrentur: et potentes qui alios fastu suo premunt, à deo in malorum pelagus dejiciuntur.

Mare tumultuari, significat turba impiorũ & quicquid eis adhæret, Psalmo 92. Mo ueatur mare, et cætera.

Maris cor, medium eius est. Eo enim quod terra mari ambitur, dicuntur montes in medio mari siti: de quo & suprà annotauimus. Sic transferentur montes in cor maris. Item, Cor maris Iudæa est: nimirum in medio mundi sita. Vidi uirum ascendentem de corde maris. Per maris fluctus & æstuationem significari turbas & adflictiones mas- mas in scripturis nouũ nõ est, ut Matth. 24 cap. præterea per Maris extremitatem, occi- dentem Dauid Psalmo 89 intelligit. Dum siquidem sol occidit, uidetur subire oceanũ. Vnde Poetę, quum occasum Solis describunt, semper ferè dicunt illum se condere ma- ri. Maris fastus seu superbia maris, impias atq; superbas gentes, significat, Psalmo 89 uersu 10. Sicut uersu 4. Psalmo 46. per aquas maris significantur.

A' mari usq; ad mare, Hi termini sunt mare rubrum, & mare Palęstinæ, flumen Eu- phrates, & Desertum magnum. Quia enim nullum uastius flumen Euphrate, Iudæo notum erat: scriptura illum absolute fermè flumen uocat. Hęc regni Salomonis pomœ- ria 3. Reg. 4 notantur, & periphrasis est, regni Israelitici.

¶ *Manasses* ipsum Ephraim, & Ephraim ipsum Manassen, Esaiæ 9 cap. Manasse & Ephraim filij Ioseph, duas tribus inter decem constituerunt, et maiori inter se cognatio- ne cohærebant. Dicuntur Sodales impij, uel etiam ij qui sanguine iuncti, mutuis bellis se perdere, & quum inter se dissideant, concordes tamen sæuire contra ecclesiam reper- iuntur, quum quid contra uerum & iustum agitur.

¶ *Matris* nomine Hebræis uenit populi frequentia et omnis turba nationis Hebręæ, filij autem uel singuli ex populo, uel per oppida uillasq; dispersi, Hoseæ 2 cap. Corripi- te matrem uestram. Esaiæ 50 cap. Vbi est liber repudij matris uestræ? Sic pro Iudæorum synagoga: In scelebribus uestris dimisi matrem uestram. Sic enim ecclesia & concio po- li hoc nomine denotatur, ut in adducto loco Hoseæ suprà citatum est.

Mater una, omnis populus, namq; Israel communiter agens in Ægypto, antequã in duo regna diuisus esset, dictus est: Vbi autem sub Roboam in duo regna diuisus, dictus sunt duæ mulieres, id est congregationes. Ita Mater Hierusalem, filiæ Zion, filij Tyri, mater, ecclesia metropolis.

Mater, ponitur interdum pro auia, quemadmodum Pater sæpe pro auo, aut proauo 3 Regum 15 cap. Asa rex bonus regnauit super Iudam 41. annos, Cuius mater dicitur fuisse Maccha filia Absalom, & alias sæpe uidere licet in sacris.

Matris uocabulum aliquando pro matrice & utero scriptura accipitur. Nonnunquã pro cœlesti Hierusalem, quæ sursum est, quæ est mater omniũ nostrum. Adhæc pro Ec- clesia piorum in fide militantium: matrem filiorum lætantem. Pro Babylonia, uel carna li generatione. Pater meus & mater mea dereliquerunt me. Mater adolescentũ, est tur- ba magna robustorum adolescentum, Hiere. 16 cap. Postremo pro doctore uerbi: Per Euangelion genui uos. 1. Timoth. 4. & ad Galatas ait: Filioli mei, quos iterũ parturio, donec Christus in uobis formetur. Verum hæc conceptio & natiuitas omnino spiritua lis, & fit in corde per semen uerbi diuini cooperante spiritu sancto.

¶ *Matrix seu Vterus* autem more Hebræo, pro fratribus uterinis, seu pro cognatione quam ex eadem matrice fratres uterini inter sese contrahunt, Amos cap. 1.

¶ *Matutinum*, in Psalmis resipiscentium ab errore est uerbum, ut Psalmo 5. 26. 100. 129. A' custodia matutina usq; ad noctẽ, id est, tota die speret Israel in Domino. Mane nam- que est gratię illucescentis tempus, quod luxit, ut ait Paulus in cordibus nostris ad illu- minationem cognitionis dei in facie Christi Iesu donec, inquit, sponsa aspiret dies, Psal. 3. Mane astabo tibi, hoc est, non amplius iacebo, non amplius in luto sordescam, nõ am- plius ociabor, sed mane, id est, cum me statim tuus ille matutinus adflauerit splendor, diuinoq; calore irradiauerit, adstabo erectus, sed mane summo, hoc est cum primum te- nebræ mentis expelli occeperint exaudies. Et Psal. 90. Repleti sumus mane, pro quàm primum. Ideo Mane significat in tempore opportuno, non quo nos uolumus, sed quo ipse uult & per quos ipse uult. Esa. 50 Erigit mane.

¶ *Mane*, Hebræis est sæpe numero confestim, tempestiue, ualdeq; celeriter. Vnde illud est apud Hieremiam: Misi ad uos seruos meos prophetas Mane consurgens, hoc est, tem pestiue monens, statim, mature, Psalmo 46. & 55. Vespere & mane & meridie, hoc est, omni hora mea deo exponam desideria, Psal. quinquagesimonono. Exaltabo mane, hoc est,

hoc est, quàm citissime: nimirum in ipsa prima illucescentis gratiæ solisq; iustitiæ aurora. Vide & suprà diffusius in tropo Mane.

Matutini adhæc uocabulo intelligitur hoc tempus, quod potestate tenebrarum huius seculi, cuius seruator ipse meminit, Lucę 22. Succedet Matutinum, inde licet illud uitę æternæ quod uesperum non habet. Sic Psal. 29. Ad uesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.

¶ M. *turare* pro adesse, Ioelis. 3. cap. Mittite falces quoniã maturauit messis. Septuaginta παρεῖναι, adest.

¶ *Maxillarum* nomine & Dentium metaphora frequens in sacris. Scriptura autem accipit pro mordacibus calumnijs, noxijs conatibus, obstinãtia, peruicacia, ui, ferocia impiorum, &c. quibus innocentes lacerant, & boni uiri opprimũtur, Psal. 3. Percussisti omnium inimicorum meorum maxillam, dentes improborum fregisti, hoc est, inflicta plagam omnium eorum uim & ferociam represisti, Psal. 57. Dentes eorum lanceæ et sagittę. Mich. 5. cap. Nunc accingere filia bellatrix. Tenemur enim obsessi, & uirga percutient maxillam iudicis Israel.

Percutere Maxillam, est, contumeliose tractare. Quasi dicat, futurum est, ut iudex Israel percutiatur super maxiliã, hoc est, contumeliose tractetur. De hoc tropo Dentium & Maxillarum, uide in nomine Dentium fusius. Per Maxillam, ecclesię catholicę prædicatoris exprimunt. Quemadmodum sub Iudææ specie per Hieremiam, dicitur Thren. 1. Plorans plorauit in nocte, & lachrymæ eius in maxillis eius. Quia in aduersitate ecclesiæ illi amplius plangunt, qui uitam carnalium confringere prædicando nouerunt.

¶ M *dicus* pro principe, Esaiæ. 3. cap. Non ero medicus. Kimhi exponit, dominans, Paraphrastes autem Chaldaicus, caput. Medicum dici in scripturis sanctis Dominum Iesum Christum, etiam ipsius domini sententia perdocemur, sicut dicit Matthæi 9. Non indigent sani medico, sed qui malè habent.

¶ M. *dio* Hebræi utuntur pro parte, ut est apud Zachariam uidere. Qui mediam partem montis Oliuarũ in Orientem, mediã in Occasum, mediã in Aquilonem, mediã in Notum deijcit. Idem apud Esaiam 44. Medium seu dimidiũ eius combussit igni, & de medio eius carnes comedit, &c. id est, parte igni calemus, parte coquimus, parte idolũ fabricam. In Medio esse, Hebræi hac loquutione interim παραπλησμαπικῶς, hoc est, imple riue ac obiter utunt: interim cum emphasi, sed rarius, ut: Ego deus uester ero. Certis enim facit se tanq; unũ de cœtu inter eos fore. Et alibi promittit deus, Et ego in medio eorum, ero deus eorum: ducem se fore, imò familiarem quoq; gregario cuiq; similem pollicetur. Similiter ponitur sæpe pro præesse, ducem esse ipsorum, principem, præfectum, scilicet & dominũ esse. In Medio esse, pro ex illis esse, illorũ esse, Exodi 8. patet, Scias quod ego Dominus in medio terræ. Sic & in conspectu esse, Esa. 5. Obiter implet. Familiarem quoq; significare, id quod præ omnibus principis est munus, Esaiæ 7. legitur de Emanuel, id est, nobiscum Deus in medio erit, uel coram eis esse.

De Medio Leuitarum, Numer. 4. id est, è numero Leuitarum. In Medio tui est, Deut. 8. id est, nunquam te deseret, semper tibi aderit, & fauebit tibi.

In Medio, sæpe capitur pro, simul cum alijs, uel inter alios, Gen. 42. Venerunt filij Israel ad emendum in medio uenientium, hoc est, simul cum alijs qui uenerunt, ad emendã alimenta & ipsi uenerunt. Sic sunt & hi Hebraismi, In corde maris, In corde terræ, hoc est, in medio, sicut rex in medio populi. Sic 3. Regum 3. cap. fatetur Solomon se Dominj seruum in medio populi, uelut unus ex plebe desumptus, ut Deo obediat æquè, ut sibi cupiat obediri à populo.

In medio annorum, idem est quod suo tempore, Abacuc ult. Atque Hebraicè non ita in medio annorum sonat, quasi aliquid sit principium, & aliquid finis: sed intra uel inter annos, id est, suo tempore, horam, qua succurrere debeat attingit, Æquè si dicam, Sol est inter stellas, non medio exæquo, stellarum, sed inter alias immixtas stellas. Sic aduentorij hora. Item, In medio annorum est, id est, intra annos, uel in tempore.

In Medio regem esse, Psal. 74. Qui ferebas auxilia in medio terræ, hoc est potentissimè & patentissimè opem sibi tulisse. Quod enim quis in media urbe, in media regione, in medio populo perfuit, necesse est enim sic esse instructum, ut à nemine possit impediri, sicut & à nemine potest latere. Sic Dominus illud Pharaoni dicebat, Vt cognoscas quod ego Dominus in medio terræ, subaudi, Dominus sum.

De medio atqui tollere dixit D.Paulus 1.Cor.5.cap pro eo quod est excludere, aut eum tare alludens utiq; ad capitalia facinorosorum supplicia, quæ & ipsa in corpus non ani mam agunt. Exire autem de medio, 2.Cor.6. Quapropter exite de medio illorũ, &c Vi de supra in uerbo Exire. In summa, De medio, ad medium, & in medio et similes inter dum loquutiones sunt, interdum uerò significant quoq; quod sonant.

¶ *Meditari*, hoc uerbum quando construit cum ablatiuo, intercedente præpositione In, & significat nõ tam loqui, quàm intente cogitare, meditari, commentari, aut certe le cum loqui, ac immurmurare tantum, id quod cõsueuerunt, qui solicitè et anxiè de re ali qua secum cogitant, quibus uelut ex feruenti cogitationibus corde exæstuare atq; ebul lire solent uerba incondita quædam, uel susurriũ potius. Visus est uates Dauid Psal.1. Et in lege Domini meditabitur die ac nocte. Nam Iehegeh, est loqui, meditari. Vides hic hoc uerbum quod non solum cogitare significet, sed potius cogitando loqui uel exerce re aliquid, ut illud Vergilij est, Sylueſtrem tenui musam meditaris auena. Qui fistula modulatur carmẽ, pectore, ore, flatu, oculis, auribus, brachijs & manibus in hoc incum bit, &c. sic uir beatus meditatur in lege Domini.

Hoc uerbum reperies quoque Psalmo 77. Et Iosuæ 1.capite. Ne recedat uolumen le gis huius ab ore tuo, & meditaberis in eo die ac nocte. Meditatio hinc significat loqui, disserere, garrire, & omnino negotium uerbi aut cantus. Sic tamen ut meditatio fiat, un de frequenter cum corde coniungitur, ut Psalmo 18. Et meditatio cordis mei, in conspe ctu tuo. Vnde supra in uerbo Loqui.

D.Paulus usus est hoc uerbo 1.Timoth.4. ταῦτα inquit μελέτα. Hæc meditare. Vt hoc Meditari, sit tam animo quàm corpore, adeoq; totis uiribus in rem aliquam perficien dam incumbere. Meditatio hinc precationem significat, & omnem de rebus diuinis consolationem, meditationem, ac disputationem, Tobiæ 13.cap. Scripsit autem Tobi meditationem gratulatoriam.

Meditare hoc uerbum Hebræi in bonam & malam partem accipiunt. Pro lugendi ac plangendi in loco accipiunt, quod huius significantiæ non nihil secum adferat, me ditor. Esaiæ 16. Meditabitur nequaquam ad pedem coctilis muri, id est, quereturac luge bit. Nam qui lugent, aut meditantur, aut queruntur, Hierem. 4. & 48. pro mussitari, se cum reputare, & gannitus edere. Meditabitur Moab.

Meditari etiam pro deambulare, Geneſis 24.cap. Et egressus fuerat Isaac ad medi tandum Latinus quoq; dicit, meditatum ire.

¶ *Mellis* nomine omnis rerum delicatarũ abundãtia significatur. Psal.81. Cibaret eos deus medulla tritici, & melle è petris satiarẽ. Et Moses uir dei quoq; in suo Cantico, tro po eodem est usus, dicẽs: Et sugeret mel de petra, oleumq; de saxo duri ſimo. Magnam siquidẽ oporter eius soli felicitatẽ esse, ubi apes in petris mellificant. Deut.22. Hyperbo le est, incomparabilis fœcunditas, adeò ut in saxis proueniant, quæ alias uix in mul to solo prouenire solent Cæterum melle abundasse regionem Israelis, quare & melle manasse dicta est, id sanè indicat, quod Ionathan Saul filius in saltu mel reperisse legit, 1.Reg.14. Mellis nomine omnem quoq; fructum dulcem exprimunt Hebræi Leuit.2. Nec quic quam mellis adolebit in sacrificio domini. Sic Mel omnia dulcia significat, ut ficus, &c. Mel pro uerbo Dei, Esaiæ 7. Butyrum & Mel comedet. Prouerb.25. Mel inuenisti, co mede quod sufficit tibi. Mel adhæc uoluptatis indicium est, & suauitatis. Semper uolu ptas deo non placet quodcunq; dulcedinẽ habet, in Dei sacrificijs non offertur. Locu stas & mel quoq; quod ipse Ioannes comedebat, non domesticum, sylueſtre inter ferás, &c. Chrysostomum Homel.14. de Euangelij principijs secundum Marcum, uide.

¶ *Memini*, hoc uerbum peculiarẽ uim habet in sacris. Latro enim in cruce suam salu tem commendans Christo, Memento mei, inquit, cum ueneris in regnũ tuum. Et quo ties auxilium alicuius petimus, Germanicè dicimus, Bedenck mich. Quoties item indi care uolumus alicui consultum egregiè, dicimus: Er hatt im vvol bedacht. Psalmo 73. Memento congregationis tuæ, quam possedisti ab initio, hoc est, auxiliare. E regione di citur obliuisci alicuius, cum illi auxiliatur, Psalmo 136 Si oblitus fuero tui Hierusalem. Hinc meminisse etiam pro diligere, Cant.1.cap. Memores uberum tuorũ super uinum. Septuag. ἀγαπήσομεν. Et pro inuocare, Psal.71. Meminisse accipitur, sicut uersu 8 Psalmi 20. accipitur. Hi in curribus, illi in equis, nos autem nominis domini Dei nostri memo res erimus, id est, nomen eius inuocabimus.

Meminisse

Meminisse Dei, significat beneficijs declarasse nos sibi esse curæ, in bonum quidem, ut Psalmo 8. Quid est homo, quod memor es eius? Quanquam & in malam partem no strorum nonnunquam peccatorũ meminisse scribatur, sicut & uisitare quoq; in utram uis partem sumi protritum est.

¶ *Memoriale* pro titulo, Exodi 3. Hoc nomẽ meum in æternũ, & hoc memoriale meũ in generationẽ et generationem. Memoriale dei. Exodi 3. Hoc memoriale meum. Id est, istud erit mihi nomẽ æternũ, siue, istud nomẽ meũ est, quod homines recordabuntur mei.

¶ *Mendacij* nomine intelligit D. Paulus Ephe. 4 omnem dolum, fraudem, calumniã & insidias, quibus uersuti circunueniunt proximos suos in negotiationibus. Huc quoque pertinet delatio, adulatio. Mendacium quoq; potest dici omne illud, aut factum aut dictum, aut à moribus profectum quod simpliciores animas à recta exorbitare facit, Psal. 5. Perdes omnes qui loquuntur mendacium.

Mendacium deinde omnẽ falsam confidentiã & falsam doctrinam significat: ut Hos. 12. fœdus initiũ cum Assyrijs mendaciũ uocat. Interdum scriptura nõ crassa illa solum, quæ iudicio humano parent, uocat mendacia, sed multo magis & proprie quo seducun tur homines à dei ueritate, ut in adducto Psalmo 5. declaratum est. Nam cum deus sit ip sa ueritas, quicquid contra eius doctrinam dictum fuerit, uel se eius doctrinæ æquare uoluerit, mendacium sit necesse est. ut Sapientiæ. 1. Os quod mentitur occidit animam.

Mendacium est apostasia à deo, iuxta illud, In ueritate non stetit, quia mendax est, & pater eius. Et illud Psalmi, Filij alieni mentiti sunt ei, Apocalyp. 14. cap. Et in ore eorum non est inuentum mendacium, id est, non curuauerunt genua sua ante Baal.

Mendacia applicare, est mendaces doctrinas obtrudere, ut Psal. 119. Multiplicata est. Hebræus dicit, Applicuerunt. Mendacium loqui, qualis tropus sit uide suprà Loqui.

¶ *Mendacis* nomine instabilitas uenit, Psal. 115. Omnis homo mẽdax, id est, instabilis. Mendax dicitur quoq; quisquis diuinis promissionibus diffidit, quũ deus nihil nõ præstat promissum, id quoq; Psalmus iam citatus uult intelligi. Non potest nõ mẽtiri homo, dum de rebus salutis loqui uult sine spiritu dei, qui cõcipitur ex credito dei uerbo. Natura mẽdaces sumus, solum aũt uerbũ domini siue Euangeliũ ueraces facit, Psal. 4. uocat fruſtranea eorũ cõtra se cõsilia & conatus impiorũ irritos, mendaciũ & inane. Sic Mendax arcus & ficus in scriptura dicunt, quod fallant, eludant spem, & expectationẽ quæ de eis habeẽ. Ita fruſtrarũt hostes Dauidis sua cõsilia, dum id minimè præstiterunt, ijd de se pollicebant, nẽpe Dauidis extinctionẽ. Mendaciũ denique loqui cõtra dominũ, est, Apostatare nomẽ dei per impiã doctrinã, Hos. 7. Ipsi aũt loquuntur cõtra me mẽdaciũ.

¶ *Membra* pro ipso homine, Iacobi 4. Vnde bella & lites in uobis? Non ne hinc? Nimirum ex uoluptatibus uestris, quæ militãt in membris uestris, id est in uobis ipsis, more Hebraico. Sic Paulus Rom. 7. Inuenio aliam legem in membris meis, id est, in me ipso.

¶ *Mens* naturæ sensus est, quo hoc aut illud cõplectimur aut odiosè auersamur. Lucæ 10. cap. Ex tota mente. Mens hominis oculus dicitur, ut Lucæ 11. cap. Lucerna corporis est oculus. Nam Mens hominis est perinde ac oculus in corpore.

Mens reproba, est deprauatum iudicium, dum quæ bonum malum, & malum bonum iudicat, honestum turpe, & econtrario. De qua Esaias 5. cap. Vç qui dicitis bonum, &c. Rom. 1. In reprobam mentem.

Mentem Christi tenere, est uidere & iudicare spiritualiter, & quæ sit uoluntas dei, tum miserantis, tum irati in Christo: adeoq; Christus est imago illius uoluntatis, et qui hanc imaginem agnoscunt uel cognoscunt, spiritualiter iudicant. Rom. 12. Renouamini nouitate sensus uestri, &c. Ad hanc sententiam sunt referendi loci. 1. Cor. 2. cap.

Mente atqui cingere, est sese ad figuram seculi huius non accommodare, & semetipsum sanctam Deo immolare hostiam, & immaculatum se ipsum seruare à mundo impio, Rom. 12. cap.

Mentem cingere, est fortiter persistere, & firmiter adhærere, neq; permittere ut quisquam inde nos diuellere queat, uerum feliciter stare, 1. Petri 1.

Mens adhæc pro affectu animi, 1. Corinth. 14. cap. Nam si orem lingua, spiritus meus orat, hoc est, halitus meus precatur. Annotauit hic Erasmus, Paulum hoc loco spiritum uocare uocem linguç, mentem affectum animi. Orare enim spiritu, est spiritu siue halitu ac uerbis solum orare: at orare mente, est ipso animo precari, & orationis mentem aperire.

Mentę

Mente loqui denicq; in eadem epistola.14. Cor.1.est interpretari, Lingua autem loqui, recensere, ut solent qui uolubili lingua Psalmos obstrepero percurrunt murmure.

¶ *Mensæ* uocabulum maximo est usui in scripturis, qua non tantum cibus & potus signatur corporeus, quantum aquæ sapientiæ refectio, deiq; uerbū siue ipsa prædicatio uerbi, in qua cœleste diuini gustus manna semper præsto est lex. Vnde Psalmo quodam ita de se loquitur: Parasti in conspectu meo mensam, aduersus eos qui tribulant me. Vt rum hæc mensa, is cibus, hoc sympositum, cum sit perfectorum mundi uoluptatibus ad dicti sit sæpenumero in laqueum & ruinam, dum lucem, quæ passim à scripturis, ran quam à sole radij, emicat, tenebras appellant & caliginē, ut Psal. 69. Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueū, & in retributiones, & in scandalum, hoc est, omnia fortunę bona & omnes delitiæ his ipsis in contrariū cedent. Ideò pro lege ipsa & prophetis in quibus sicut in mensa panis, ita proponitur manna cœleste uerbi Dei, quod animam refocillat & confortet, Deut. 8. Matth. 4. & Psal. 22. Quasi diceret, ò Domine uerbū tuū scriptum in lege Mosi & prophetis, uel libris prophetarū, ut sit mihi consolationi quū persequar.

Mensa domini aliud non est apud Ezechielem 39. cap. quàm lectio sincera, & spiritus refectio ex sacris scripturis, ruminatio quoque mysteriorum Dei, simulq; gratiarum actio de subuersione infidelium, ut de impiorum uindicta, qua pij pascuntur, iudicia que domini admirantur & laudantur.

Mensam domini Malachiæ.1 capite, altare uocat. Mensa domini, inquit, despecta est. Kimhi, Mensa est altare. Et Ezech. 41 capite. Mensam domini dicere autem esse despectam, est despicere & polluere nomen domini ac panem domini, non quæ dei sunt quærere, sed quæ sua, non populum pascere, sed depascere, non tam deo complacere, quàm sibi pro desse & scandalizare.

Mensa ponitur interdū in bono & in malo, sicut dicit Apostolus. 1. Cor. 10. cap. Non potestis mensæ domini participes esse, & mensæ dæmoniorum.

Mensa funerum, aut præsentiarum, siue Mensa propositionis (apud Mosen Num. 4.) ea est, quæ proponitur coram deo: sicut & facies facierum uocantur, qui coram deo proponerentur.

Mensam uerti in laqueū, est scriptura impijs fieri in laqueum, quo primum irretiant, & impediant. Non est enim sensus scripturæ, nisi apud spiritualem, ut si spiritualis non est, is uariè distrahatur huc & illuc multiplicibus sententijs scripturæ, & nihil certi conquatur, donec tandem prorsus insederit falsa opinio. Et illud Distrahi, est illaqueari & irretiri & capi, occupari falsa opinione. sicut 2. Timoth. 3. Resipiscant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur. Et Dauid Psal. 68. suprà citatum pro omnigena uoluptate, Psal. 69. Sit illis mensa sua laqueus: unde uoluptatem sperant, in eo capiantur. Prophetæ alias ebrietatem, aliàs Dæmonium meridianum, aliàs Laqueos, alij alijs nominibus.

Mensa contra tribulantes in Psal. 12. functio pastoris illius boni, quæ oues curet suas, pulchrè describitur. Et inter alia Mensam esse paratā gregi, aduersus eos qui sunt molesti. Quibus uerbis fallor, si aliud indicatur, quàm pabulum uitę æternę, nempe dei uerbum, quod solum in tanta impiorum frequentia qui ad defectionem solicitant, immotos in officio retineri credentes.

Mensa autem eadē accumbere, ut est apud Matth. 8. uidetur usurpari pro eo quod est eadem sorte, ijsdemq; bonis perfrui. Et Lucæ 22. Ego, ait, dispono uobis sicut disposuit mihi pater meus, regnū, ut edatis & bibatis super mensam meā in regno meo. Nam hoc dixisse uidetur, Efficiā, ut æquali mecū gloria, beatitudine ac uita perfruamini. Itaq; cum patribus in regno cœlorū accūbunt, qui cū ipsis pari gloria ac gaudio participant.

Mensa cum panibus, Exodi 25. Christum adumbrat, ut arca propiciatorij. Hic enim propositus est nobis à deo patre suo, uelut mensa uarijs, ijsq; lautissimis ferculis preparata. Vnde & mensa Hebræis dicitur quasi munus seu donū missum. Panes proposition is significāt prædicationē Euangelij de Christo. Vt enim panis pascit corpus, ita Euangelion pascit animū. Vt panes in Repub. Israelitica perpetuo fuerūt, ppositi ante cōspectum domini, ita prędicatio Euāgelij perpetuo in orbe terrarū uulgāda et inculcāda est.

Mensis nomine interdum breue tempus siue breuis temporum mutatio significatur. Hoseæ 5. Nunc deuorabit eos mensis à partibus suis. In Zacharia legimus, Vno mense succidi tres pastores, id est, breui tempore. Apocalyp. 9. cap. Mensibus quinq;, id est, quinque uicibus in seruitutem traditi sunt Israelitæ.

Mensium

Mensium dictione collectio animarũ exprimit. Dies quippe dum colliguntˇ, in mensibus subtrahuntˇ, quia etiam hoc tempore sancta ecclesia dum uernatis luce resplenden res animas colligit, in intimis abscondit. Aliquando pro perfectione ponitur, Esaiæ. 66. Erit mensis ex mense, perfectio scilicet eis in requie, quibus nunc perfectio fuerit in operatione. Item De mense in mensem uenire, & de Sabbato in Sabbatum, ut adductum Esaiæ caput habet iuxta sententiam Kimhi, ex ijs qui uenient de mense in mensem, Id est, è longinquis, & ex ijs qui ueniunt de Sabbato in Sabbatum, hoc est, propinquis.

Mensis dierum, pro integro constante omnibus suis diebus, Gene. 29. Impleti sunt dies mensis unius. Vel: Habitauit apud eum mensem dierum, Id est, mensem integrum, constantem omnibus suis diebus. Et Numer. 11 capite, Ad mensem dierum. Et Deut. 21. Vno mense. Vel: Per mensem dierum.

Mensis nouorum, hoc est mensis maturescentis frugis, Exodi 34. Vox Hebræa Abib, significat culmum, quando scilicet è culmo primum prodit spica: quod fieri solet mense Martio apud Palæstinos. Mensis primus Hebræis Nisan dicitur, nobis Martius, Numer. 28. 29. Mensis secundus respondet nostro Aprili, Numer. 1. cap.

Mensis denique pro nouilunio, Amos 8. cap. Per mensem intellige Festum nouilunij. In nouilunijs autem & sabbatis non erat fas aliquid emere aut uendere: quod cum tor queret diuites, dicebant: Quando transibit mensis, &c.

¶ *Mensfructam* non accedere, est concupiscentiæ uenereæ frena cohibere, & non tam libidinis quàm prolis rationem habere, in casto matrimonio, Ezech. 18. cap.

¶ *Mensura*, pro impietate, Matth. 23. Vos quoque implete mensuram patrum uestrorũ. Quid aũt sit implere mensurã, suprà in uerbo Implendi explicatũ est. Pro pœna tẽpora ij, Esa. 27. In mẽsura, in emissionibus eius dijudicabit eum. Septuag. certãs & exprobrãs.

¶ *Mentiri*, in scripturis nonnunquam significat idem quod subijci, Deut. 33. de Israel Mose dicit, Et mentient tibi inimici tui, & tu super excelsa eorũ calcabis. In his sanè uerbis satis liquet, Mentiri inimicos Israeli idem esse quod fieri supplices, & penitus potentiæ illius subijci. Quod uel illud abundè declarat, Et super excelsa eorum calcabis, quod idem Rab. Solomon significare scribit, atque si dixisset: Super colla eorum pones pedem tuũ. Id quod utique extremæ subiectionis est. Et Psal. 18. & 82. O fores domino mentiti ei fuissent. & esset æuũ eorum sempiternũ. Iam & hic satis liquet, Mentiri, ualere idem Hebræis quod penitus subijci. Et forsan inde Mentiri, pro trepidãre, & maximè seruili sub iectione scriptura usurpare solet, quod qui ita subiecti sunt, multa soleãt, timore nimio adacti, ijs mẽtiri, quibus seruiãt, & quorũ potentiã maximè formidant. Sic fures Latini pro seruis dicebant, quod serui omnes furari soleant, propter nimiam scilicet erga eos heroum parsimoniã. Mentiri, pro fallere, 4. Reg. 4. Mulier inquit ad Helisæum, Noli quæso domine mi, uir dei, noli mẽtiri ancillæ tuæ, &c. Et Abacuc 3. Mentiet opus oliuę, & arua nõ afferẽt cibũ. Gen. 47. Hebręi legũt, Et rursus peperit filiũ, et uocauit nomẽ eius Schela: nam fuit in fallendo, dum ipsa pareret eum, id est, parũ abfuisset, ut partus fe felliſſet, aut periclitata esset mater. Id est, nõ cõsuetudinis more uenit, sed oblique, quod ualde periculosum est. Impietas quandoquidẽ aut opibus terrenis, aut suis opib⁹ omnia tribuit, nihil deo, recte nil aliud dicitur agere præter nugari. Sic Psal. 65. & Hiere. 7. Hinc Mentiri spiritui sancto, ut Act. 15. patet, qui fictè simulat & mutatur, quod cæteri instinctu spiritus sancti faciunt. Nam mentitur non solũ qui falsum dicit, uerum qui simulat, ut faciem Creusæ, & æs mentitur aurum. Latinè dicimus eos religione mentiri, qui mentiendo, id est, simulando religiosi uideri uolunt. Mentiebantur ergo spiritum: (Græcis frequentissimum est, ut accusatiui ponantur pro datiuis) sanctum, quod simularet se spiritu Dei bono facere, quod tamen spiritu malo incitante patrabat.

¶ *Mentum* dextera tenere, est ex benignitate blandiri. 2. Reg. 3. cap.

¶ *Mercedis* nomen est Hebræis ualde usitatum, Hebraicè שָׂכָר, pro operæ prætio, & oprata, operæque quæsita utilitate, atque fructu usurpare, etiam ubi nihil loci est, uel conditioni, uel mercedis, & operis inter se adæquationi, Gen. 15. legitur, Ne timeas Abram, ego clypeus tibi, & merces tua magna admodum. Id nihil aliud est, quàm ego ero tibi defensor, & tuum lucrum, tuæ opes, tua felicitas. Ita enim Merces pro thesauro omnis boni usurpatur à domino. Et Esa. 40. dicit dominus: Ecce merces eius cum ipso, et opus eius ante ipsum. Opus aũt operis merces, ipsum est beneficiũ, quod paratũ habet, expo situmque omni petẽti. Scriptura sanè manifestè meminit Mercedis, sed in eo imitatur,

ut ubi-

ut ubiq; aliàs noſtram loquendi rationem. Quia enim nos amicis de nobis bene meritis damus præmia ueluti operis mercedem, ideo Deus quoq; dicitur nobis amicis ſuis mercedem pendere boni operis uitam æternam. Atqui non oportet ob hanc Dei benignitatem ſtrictè urgere Mercedis uocabulum, quaſi aliquid noſtrum ſit quod poſſidemus beneficii. Nam illa ipſa ſanctorum merita ipſaq; merces, quam Deus dicit noſtris deberi meritis, donum eſt & gratia. Paulus dicit: Quid enim habes quod non accepiſti? quod ſi accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? Vide D. Auguſt. Epiſt. 105. ad Sixtum Presbyterum contra Pelag. Item, de Gratia & Lib. arb. ad Valentinum cap. 6. & 7. in Præfatione Pſal. 31. Quid eſt hoc, niſi quod merces noſtra gratia uocatur? ſi gratia, inquit, eſt, gratis datur. Quid eſt gratis datur? Gratis conſtat, &c.

Mercedis ergo nomine ſæpe ſcriptura donum intelligit. Nam שכר in ſacris literis etiam liberum donum non ſolum meritam mercedem ſignificat, Pſal. 18. & 170. dicit ſanctum uentris eſſe mercedem, utiq; liberalitate Domini collocatam. Et 127. & apud Eſaiam 40. & 62. Sic Paulus 1. Cor. 15. ſignificat donum, præmium, operæ precium, largitionem diuinam.

Merces eſt igitur quæ Deus donat immeritis: mercedem ſcriptura uocat, quod laborem & operam ſequantur. Sic aliquando hoc nomen Mercedis uſurpatur pro non debito, ſed planè gratuito officij uel laboris alicuius debiti præmio. Vt cum paterfamilias filio uel ſeruo pollicetur & reddit aliquid præmij non debiti, pro officio diligenter quidem obito, ſed tamen debito. Debet enim filius & ſeruus ſuo patrifamilias quæcunque ad eius gratiam et utilitatem poſſunt præſtare his autem, cum quę debent, quamlibet diligenter perfecerint, ille non debet, teſte Domino Lucæ 17. cap. ne gratiam quidem, dum mercedē. Vel, Pater filiolo dicit: Da gnauiter operam literis, referes egregiam mercedem, nouam ſcilicet ueſtem, aut quippiam aliud. Veſtis iam hæc eſt merces, & eſt merces. Merces eſt quam operam ſequitur. Rurſus non eſt merces, quia opera illa perfecta, hanc non eſt aſſecura, ſed contigit libero patris dono, nō tamen niſi opera illa perfecta. Pſal. 127. Hæreditas & Merces pro libero Dei dono accipiuntur. Sic in omni ſcriptura Mercedis nomine intelligendum eſt, quod opus ſequitur, non quod opere promeretur. Et quod Chriſtus Matthæi 5. capite uſus eſt hoc tropo, & uulgaris modus loquendi ſcripturæ, Mercedem non dare pro opere, ſed pro Dei promiſſione: & datur pro bono opere, non debetur.

Ex his locis abundè liquet, Mercedem in ſcripturis uocari, quæcunq; à Domino bona percipimus, inde ducta translatione, quod Merces & magno ſtudio quæritur, & multo deſiderio expectatur.

Mercedis deniq; uocabulum aliquando accipitur pro compenſatione officij aut laboris debita, eaq; ſiue ex pacto, ſiue ex communi lege, eaq; uel publice conſtituta, uel in ſcripta hominum pectoribus. Deberi enim gratiam omnes agnoſcunt eis, qui nobis aliquid liberaliter commendarint. De hoc genere Mercedis loquitur Apoſtolus Rom. 4. Operanti uero merces deputatur, non ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitū. Quibus merces deberi uobis à deo non poteſt. Quicquidenim deus nobis mercedis reponit, id conſtat eum rependere nobis charitate & benignitate omnino gratuita, & non ex ullo aut debito, aut condigno. Atq; ideo perſpicuum eſt, ſpiritum ſanctum, cum in ſcriptura ſua prædicat deum, ſeipſum & ſua ſanctis ſuis polliceri, offerre, exhibere, & quaſi retribuere, ſub Mercedis nomine, uſurpare hoc nomē ſignificatione generali, qua etiam non debitam compenſationem, mercedem uocamus: & non contractiore illa, qua ſignificat compenſationem laboris, uel opere debitam, & condignam, cum qua nimirum labor uel opera, cui ea rependit, poſſit ulla ratione facere paria. Hæc de nomine Mercedis.

Merces labori tuo erit, apud Hieremiam capite trigeſimoprimo. Adparet prouerbiale fuiſſe ſermonem, pro, læta reddentur pro triſtibus. qui enim operantur, ſpe mercedis leniunt onus.

Mercede atqui & cibo ſuo dignus eſt operarius, Matth. 10. cap. Per Mercedem & uictum omne id intelligitur, quod ad uitæ neceſſitatem & ſuſtentationem pertinet, modo non ſit pleonexia: id eſt, cum cupiditate & auaritia coniunctum.

¶ *Mereri* Latinis ſignificat operam uel laborē mercede præſtare, ut Alciatus ſcripſit in L. Vrbana, De uerborum ſignificatione: Vel, ut Donatus, aliquid mercedis pro labore parare, uel ſumere, uel dignum eſſe. Attamen dicitur etiam Latinè, aliquē laudem & præmia

præmia mereri: ſicut & uituperationem, pœnam & ſupplicia. Et dicitur aliquis mereri de aliquo, qui beneficiũ uel maleficiũ, in aliquem confert. Vtcunq; autem uerbum hoc uſurpet, ſemper ſignificat facere, aut præſtare aliquid, q̃ non debeas, & propter quod cum id præſtiteris, tibi aliquid ceu merces debeatur, ſi nõ ex ſingulari pacto, uel publicis legibus, tamẽ ex lege humanitatis, & gratitudinis, quę cõſtituit unũquenq; debitorẽ ijs, à quibus beneficiũ acceperit. Iam nos deo nihil omnino facere aut præſtare ualemus, quod ei non debeam⁹, aut propter quod ipſe nobis debere aliquid poſſit, præſtitę ei operæ, uel officij merito. Proinde ſcriptura nuſquam dicit ſanctos, cum benefaciunt, aliquid mereri de deo: cumq; ſancti Patres ita loquunt, liquet eos uerbo hoc, Mereri, abuti pro eo quod eſt facere aliquid deo gratum, cuiq; deus mercedem rependit non debitam.

¶ *Meriti*, ita nomen ſimiliter, ſi uſurpetur proprie, certum eſt ſignificare aliquod officiũ aut beneficium, cui merces debeatur, qua de cauſa diuinæ ſcripturæ nec iſta appellatione bona ſanctorum opera uſpiam dignantur: cumq; ſancti patres id faciunt, dubium non eſt, eos & iſto nomine abuti, pro Operibus gratis deo, & quæ ille gratuita mercede remuneratur, Multo uero minus uocantur hæc opera in diuinis ſcripturis meritoria. Meritorium enim dici conſueuit, quod ſit expoſitũ quęſtui, uti dicitur puer meritorius, meritoria taberna, meritoria nauis. Iam ſancti ſua bona opera non cauponanti deo, nec uolunt eſſe eius mercenarij, qui minus quàm ſerui in domo eius manẽt, ſed quę ualent bona faciunt, ut deo ſuo exhibeant debitũ cultũ, & glorificent nomen eius, ſicut nimirũ decet amantes patris ſui filios, & frugi ſeruulos. Proinde ſcripturæ bona opera, hoc titulo multo minus dignatæ ſunt. In Eccleſiaſticis aũt precibus, & in ſanctorũ Patrum ſcriptis receptæ pridẽ ſunt hæ uoces, Mereri & Merita: ſed hac ſignificatione, ut merita uocentur cuncta pietatis officia, quæ deus dignatur liberali, et nõ debita mercede compenſare, Quanquam hoc uerbũ in precibus Eccleſiaſticis plerunq; etiam accipitur, pro donis & beneficia dei gratuito percipere, ut uidere eſt in Oratione, in dominica 2. Aduentus. In Orat. ſabbato poſt Inuocauit. In Orat. ſuper populum feria 1. poſt Oculi. Dominica in Palmis, nemo non ipſe uidet, in his & ſimilibus precibus, Mereri idem pollere, atq; gratia & dono Dei, quæ petuntur, percipere & conſequi.

¶ *Mercenarius* Hebræis eſt gentilis & incircunciſus, Exodi 12. Aduena & mercenarius non comedant ex eo. Mercenarius uerò eſt, qui emptus eſt, ad annos, ſcilicet ſex: & cum eſſent incircunciſi, nõ permittebant comedere de ſanctis, ſcilicet ſeminibus, ut ſunt primitiæ & decimæ, ſicut reliqua familia: multo minus de ſanctis ſanctorum, quæ à ſolis ſacerdotibus in loca ſancta comedebantur. ſerui tamen Chananæi, qui ſacerdotum pecunia in peculium empti erant, poterant comedere de ſanctis, ut uidere eſt Leuitici uigeſimo ſecundo cap.

¶ *Mercator*, metaphoricè ponitur Leuitici 19. pro impoſtore: nam frequenter technis & artibus homines circunueniunt. Alij ſuſurronem intelligunt, ſignificantur homines dolofi, ſubdoli, qui rem ſuam cum iactura proximi augent, ſycophantæ, delatores, qui niſi mentiantur, lucri nihil habent. Sic ait Moſes: Ne incedas mercator, Hebraicè Rachil, in populo ſuo.

¶ *Meretricandi* uerbo & ſcortandi, impenſiſſimè delectantur prophetæ uti, pro fidem alienandi, & idola ſequi, uel aliud quidpiam quod Deo præfertur, Micheæ 1. capite, De mercede meretricis congregata ſunt, & uſque ad meretricis mercedem reuertentur. Mercedem meretricis uocat, id eſt, animæ fornicantis à uerbo, Hoſeæ 12. capite, & 3. Quam mercedem à domino faſtidiri ſpiritus teſtatur. Et Eſaiæ 1. cap. Quomodo facta eſt meretrix infidelis ciuitas plena iudicio, Hiere. 2. Sub omni ligno tu proſternabaris meretrix. Hoſeæ 1. & 4. cap.

¶ *Meretrix*, pro cibatrice ſeu hoſpitatrice interdum Hebræis accipitur, Iudicum 19. cap. Vidit ibi mulierem meretricem. Meretrix uocat, quod præparata ſit ad proſtitutionem. Hinc capitur pro anima infideli, quæ deficit à Deo uiuente, pro ciuitate à uero cultu deficiente. Meretrix, Ioſue 2. cap. Et ingreſſi ſunt domum mulieris meretricis, & nomen eius Rachab. Rabi Dauid Hebraicè nominat uendentem eſcam. Ionathas paraphraſtes, cauponam ſeu hoſpitam, Ioelis 3. cap. Et poſuerunt puerum cum hoſpita. Iacobus autem apoſtolus cum diuo Paulo πορνὴν meretricem reddidit.

¶ *Meridies*, nonnunquam pro grauiſſimo æſtu perſequutionis in ſcriptura accipitur, ut Pſal. 120. Per diem ſol non uret te, neq; luna per noctem. Et Eſaiæ 16. cap. In me-

dio meridiei, id est, in grauissimo æstu persequutionis. sic etiam Meridiem pro feruore solis, & econuerso feruor pro meridie. Et Genesis 1. Dominus ad auram post meridiem deambulare, quum iam feruor desierat, & immutauerat sese. Item Canticorum 1. cap. Vbi cubes in meridie, hoc est, in scientia perfecta, in bonis operib⁹, in claro lumine. hinc etiam legitur, Abraham angelos suscepisse in meridie, & Ioseph fratres suos inuitasse in meridie ad prandium. Est etiam ardor uitiorum. Vsurpatur etiam pro tempore opportuno, Hiob. 11. cap. Et de meridie surgeret.

¶ *Messis* nomine conuersio hominum per Euangelion uenit, Ioannes euangelista capite quarto, demessionem uocat, quod ita essent animi hominum euangelio præparati, ut minimo negotio, sæpe ad unam duntaxat annunciationem, plurimi illud reciperent, quod cum aliàs, tum in Samaritis istis clare apparet. Similiter Matth. 9. dicit Christus, Ipsa quidem messis copiosa. Per allegoriam dixit turbam multam ad audiendum uerbum Dei pronam, & populum approperantem ac ueluti maturum, id est, siue uerbum Euangelij intelligit, Messores siue operarij sunt prædicatores regni Dei. Messis magna, ait Lucas capite decimo. Messis pro semente. Et prophetæ messoribus comparantur.

¶ *Metere* secundum benignitatem & beneficentiam apud Hoseam capite decimo, est sanctis & uerè bonis operibus exercitari, fidei fructus multos colligere ac reponere.

¶ *Metiri* pro disponere, Esaiæ. 40. Et cœlos palmo dimensus est, Psalmo 75. Ego fir maui columnas eius. Metiri funiculo, Extendere mensuram, Perpendiculo constituere, idem est.

¶ *Metus* appellatione religio uenit, Genesis 32. Et iurauit Iacob in timore patris sui Isaac. Timor quoq; Hebræis pro religione accipitur. Timor per antonomasiam, pro timore: sicut Latinis prouidentia, Fabio teste, pro diuina prouidentia. Esaiæ 33. Contem metu seu timore delectabatur.

¶ *Mille & millia*, frequens is scripturarum mos est, ut numero millenario, pro quolibet maxima multitudine, & numero infinito utatur, ut Exodi uigesimo cap. Faciens misericordiam in Millia his qui diligunt me & custodiunt præcepta mea. Et Numeri 10. capite, pro omni ea copiosissima multitudine est sumendum, non pro numero multiplicato determinato.

Mille autem anni, &c. apud Ezechielem, est omne tempus millenarius ille, quod a reuelato Christo, usque ad consumationem seculi intercedit, à primo, ut loquuntur, usque ad secundum aduentum. Mille autem anni dicuntur, propter numerum perfectissimum in se replicatum, decies decem centum constituunt, & rursus decies centum mille. Et apud Ezech. 38. Extremum dierum, aut annorum nominat tempora restituti Israelis ex parte saltem per regem Messiah. Ioannes uocat Nouissimam horam, quam nunc esse dicit χιλιάδα illam, de qua in Apocalypsi horulam uocat.

Millia Israel, Numer. 1. pro tota multitudine Israel. Hi sunt, ait, nobilissimi, uel famosi totius cõgregationis, principes tribuum patrum suorum: summi duces uel primates, sicut millium Israel. id est, duces sunt populi Israelitici, qui constat multis millibus. Decem millia deniq; qualis tropus, uide in litera D, Decem millia.

¶ *Milites* eos uocat scriptura, qui uel principibus, urbibus publicę trãquillitatis tuendæ causa pro constituto stipendio locant operam. Atque Milites quorum cõsilio & manu utuntur principes, hoc potissimum nomine mala audiunt, quod suis stipendijs non contenti, falso deferendo, uim faciendo in bona aliorum inhiãt. Concussio enim publica uis est sycophantia, fraus, &c.

Militaria uocabula in scriptura sæpissimè occurrunt, ubi pugna spiritualis describitur, libenter utitur huiusmodi uerbis militaribus. Sic uides Hebræorum 9. cap. Et Psal. 17. Vides præcinctum armorum, agilem cursum, expeditas manus, fortia brachia, scutum, campum latum, persequutionem, cõprehensionem, conculcationem, interemptionem. Similiter Psal. 46. Deleus bella usq; ad extremum terræ: arcum conteret & dormitabit lanceam, plaustra comburet igne. Tropus quo usi sunt uates, destructione armorum, belli extinctionem, altissimam pacem significantes, & apud Esaiam 2. capite, & Michæam 4. Contundent gladios, &c. Id uerò demum completur, &c.

¶ *Militia*, non solum significat bellum, sed est generale nomen omnibus humanis studijs. Sic Iudæorum religio, & pro cultu Dei & religione sumitur, Esa. 34. et 40. Quo niam

niam completa est malitia eius. Et Esaiæ 24. cap. Militiam cœli & reges terræ uocat populum Iudaicum, qui solus habebat uultum Dei, & militabat Deo.

Militia, Iudæis, quibusdam uidetur tempus statutum significare & cœtum, Esdræ 4. Completa est militia eius: ubi de tempore mentio fit, Danielis 10. Militia legitur. Sed Hebræi dicunt tempus præfinitum longum. Sic enim illud Iob 7. intelligunt, Militia est uita hominis super terram, id est, tempus est ei definitũ. Sed simpliciter dici militiam, placet nõnullis, ut Esaiæ 40. cap. Vbi nostri codices uitiose habent Militia, intelligas loqui de cursu & labore populi sub Lege, uelut in stadio militantis. Sic enim D. Paulus, tam prædicatores quàm auditores uerbi militibus libenter comparat. Vt dum Timotheum bonum militem, & bonam militiam certare iubet. Et Corinthios in stadio currere facit. Item, Nemo coronatur, nisi qui legitimè certauerit, Ephe. 5. et Thessal. armis instruit. Et bonum certamen certasse gloriatur, & similia aliàs. Sic & 1. Regum 2. capite scribitur in Hebræo, quod filij Eli dormiebant cum mulieribus militantibus in ostio tabernaculi federis: de quarum militia & Moses in Exodo meminit.

Militia millium, Exodi 31. cap. Principes millium militiæ, ad Mosen, Tribuni, &c. id est, qui præerant exercitui numeroso filiorum Israel.

¶ *Militia cœli* Hebræis non tantum sydera & stellæ uocantur, ut Act. 7. intellexit Lucas per Militiam cœli signa Zodiaca, planetas, sydera & omnis generis stellas (quæ Achab & Achaz & Manasse summa coluere reuerentia) sed omnis exercitus, omnis angelorum multitudo, copiæ uis, uirtus, demum quicquid est in cœlo & terra uocatur. Sic exercitus cœlorum, nõ angeli ipsi, sed stellæ, &c. uocantur. Deut. 17. Cunq; reperti fuerint qui adorent solem & lunam & omnem militiam cœli, 4. Reg. 17. Adorauerunt uniuersam militiam cœli, Hieremiæ 19. Sacrificauerunt omni militiæ cœli. Amos 5. Esaiæ 40. Psal. 146. Moses ornatum appellat, Genesis 2. cap. Cum omni ornatu eorũ. Hoc in loco κόσμος Septuaginta dixerunt, quod creaturæ ornatus sunt mundi. Alibi δύναμιν ponunt. Et sæpissimè repetunt & utuntur hoc uerbo prophetæ, Militia cœlorum, pro, quę in cœlo sunt. Sic Militia terræ, Militia aquarum, Militia cœli, pro stellis, Militia terræ, quæ ex terra crescunt. Militia aquarum, quæ ex aquis gignũtur. Hinc Dominus Zebaoth uocatur, Deus populi illius, id est, Dominus militiæ uel exercituum. & quum sæpissimè Hebræi dicunt, Dominus Deus Zebaoth, seu exercituum, Græci dicunt, Dominus Deus uirtutum seu potentiarum, nimirum quod uirtus & potentia Regis consistit in exercitu sui populi, & Israelis populus exercitus Dei, non raro in scripturis uocatur.

Porrò nomen Zebaoth, quo & nos in sacris utimur, fide confirmat. Significat enim exercitus tam corporales quàm spirituales, qui nos impugnant, & quos uno momento illi delere potest. Vel quis omnes exercitus ei seruiunt, tam cœlestes quàm terreni, quod in subsidium suorum mittere potest, Esaiæ 37. cap.

¶ *Mingens ad parietem*, est loquutio hyperholica & Hebraica, qua utuntur sæpissimè Hebræi, hoc est, canis, cuius natura est mingere ad parietem. Et est familiã alicuius omnino profligare, extirpare, ad internicionem & interitũ dare, nihil reliqui facere de prosapia, omnia euertere. 1. Samuelis 25. capite. Hæc faciat Deus inimicis Dauid, & hæc addat, si reliquero de omnibus quæ ad ipsum pertinent usq; mane, mingentem ad parietem, idem est quod canis. et 1. Regum 15. Propterea ecce ego adduco malum super domũ Ieroboam, mingentem ad parietem, reclusum & derelictum sit, &c. Et 4. Reg. 9. capite, Percutiam de domo Achab mingentem ad parietem.

¶ *Ministrare*, siue sacrificare, pro prædicare Dei uerbum usurpatur in Actis Apostolorum cap. 13. Quum aũt illi, ait Lucas, sacrificarent domino, id est, prædicarẽt. Sic enim & Paulus usurpauit ad Rom. 15. εἰς τὸ εἶναί με λειτουργὸν Ἰησοῦ χριστοῦ. id est, in hoc ut sim minister Iesu Christi in Gentes. Prędicant mysteria. Erasmus uertit λειτουργοῦντων, uerti sacrificantibus, significantius reddere uolens id exprimere. Verus interpres reddidit, Ministrantibus illis, &c. Quia uerò λειτουργία ministerium quidem significat, & λειτουργὸς minister, nec tamen quiuis, sed sacrorum rerum minister. Et Ioannes Chrysostomus interpres Græcus & Græcæ linguæ peritissimus, Quid est, inquit, ministrantibus? prędicantibus. Et ecce exponit, Ministrare sacrificare, pro prædicare. Et Erasmus inquit in suis Annotationibus in nouum Testamentum, Nullum sacrificiũ deo gratius, quàm impartiri doctrinam euangelicam.

¶ *Ministerium* significat functionem seu administrationem officium q̃ prædicandi uerbum. De hoc peculiari autem Ministerio, quod situ in aliqua functione est. D. Paulus Rom. 11. cap. loquitur. Ministerium meum illustro seu glorifico gentium Apostolus existens. Vbi officium & functionem suam διακονίαν, hoc est, ministerium appellat. Vocat & Paulus Rom. 12 cap. officium diaconorum ministerium. Sic enim ait, Siue ministerium ministrando. Illi enim erant præfecti ecclesiæ, rebus dispensandis, ut Acta Apostolorum indicant.

Ministerij dictio interdum pro lege accipitur. 2. Cor. 3. Quod si ministerium mortis in literis. Per administrationem mortis intelligit legem. Per ministerium siue administrationem iustitiæ seu spiritus aut uitæ, euangelium,

¶ *Ministri* nomine prædicator uenit. Nam omnes prædicatores & Apostolos ministros D. Paulus suo more solet uocare. Sic 1. Cor. 5. cap. Quid est Paulus? Quis Apollo? ministri sunt, per quos estis fidem assequuti. Sic ad Rom. 15 cap. Christum ministrum appellat, & 1. Corinth. 4. cap. Minister literæ. 2 Corinth. 3 cap. est, qui typum, ceremonias, legalia, ipsam inquam carnem ac hominis uires meritaq̃ prædicat. Minister spiritus est, qui non legalia prædicat, sed unicum Christi meritum inculcat.

¶ *Minimus* pro nullo, teste Gregorio, Matth. 5. Quisquis soluerit unum ex mandatis hisce minimis, & docuerit sic homines, minimus uocabitur in regno cœlorum, id est, in ecclesia credentium.

¶ *Minuere* pro humiliare, Ioan. 3. cap. Illum oportet crescere, me autem minui. hoc est, illum oportet exaltari, me autem humiliari, &c.

¶ *Mirabile* pro impossibile, Gene. 18 cap. Nunquid mirabile erit à domino uerbum? hoc est, cum impossibile erit domino. Septuaginta μὴ ἀδυνατῶ.

Mirabilis ad faciendum, locutio hebraica, pro eo quod est mirabiliter facere, Iudic. 13. cap. Accepit itaq̃ Manoha hœdum caprarũ & oblationem, & obtulit domino super petram, & mirabilis ad faciendum. Septuaginta, mirabilia facienti.

¶ *Miscere* se cum aliquo, est confligere & litigare, Deut. 2. cap. Et ne misceas tecum eis, Danielis 11. cap. Et filij eius miscent se.

¶ *Misereri* uox hæc, qua usus Moses. Numer. 6. cap. Et misereatur tui: consuetudine hebraica proprie hoc significat, quod nos dicimus clemẽter & benigne largiri, seu quod græcè dicitur χαρίζεσθαι, gratis & mera benignitate benefacere, quo modo Iacob. Genesis 33. cap. loquitur, eadem uoce usus. Hi sunt pueri mei, quos largitus est dominus seruo suo, id est, qui mihi diuina beneficentia seu gratuito beneficio Dei dati sunt.

Miserere quoq̃ pro parcere, Ioelis 2. capite, Et misertus est populo suo. Septuaginta, ἐφείσατο, pepercit. Item, pro cessare, Abacuc 1. cap. Et semper interficere gentes non miserebitur. Pro auxiliari & benefacere, Psal. 50. Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Pro eripere aliquem Misereri alicuius dicimus, Genesis 19. capite, Eò quod dominus misereretur eius. id est, uellet eum eripere. Misereatur tui deus. id est, faueat tibi. Hebraismus, Gen. 43.

¶ *Misericordia* nomine omnis illa beneficentia & effusa quædã benignitas, & sedulũ studium benefaciẽdi, quo proximorũ necessitati succurrit. Hebraicè Hasid uocat. Sic enim D. Paulus Hebraica phrasi utitur: Qui miseret in hilaritate. Quibus uerbis Misericordiam, ac omnino effusam quandam bonitatẽ studiumq̃ benemerẽdi significat. Hac uirtute dominus flagrare sese declarauit, Matth. 9. ita adiungẽs se peccatoribus quo uel aliquos ipsorum lucraretur. Græci ἐλεημοσύνην uocant. Sic Christus quoque hanc beneficentiam extulit, Matth. 6. Quum facis eleemosynam, id est, cum impẽdis beneficium & amicitiam. Hæc illa Misericordia quoq̃ est, de qua Propheta ait, Misericordiam uolo, & non sacrificium. Facere misericordiam, est subuenire in necessitatibus. Ecclesiastici 29. Et eodem cap. Assumere pauperem, est curam gerere ut pascatur. Item, qualem Samaritanus impenderat ei qui à latronibus erat uulneratus.

His omnibus locis Misericordia idem quod beneficium, amicitiam, beneficentiã, benignitatemq̃ significat. sicut & Matth. 5. à Domino ponitur. Hæc Misericordia, hoc est, beneficẽtia, qua proximus iuuatur, gratissimus deo ultus est. Et pro beneficio poni manifeste fit, Lucæ 1. cap. Misericordiam usus. Et Samuelis 7. Misericordiam autem meam non auferam ab eo, id est, clementiam meam. Et cap. 9. eiusdem libri, Misericordiam dei uocat Dauid beneficium propter Deum proximo impensum.

Misericordiæ

Misericordię uocabulum frequenter pro eo accipitur, quod deus ex sua misericordia nobis præstat, pro beneficentia scilicet & beneficio dei. Hinc Misericordia dei, ea est bonitas, beneuolentia, animusq; erga homines propensus quo nostri miseretur, nobis fauet et benefacit, Lucæ 1. Et Genesis 32. Memor sum cunctis miserationibus tuis, pro, indignus eram in quem tanta beneficentia conferres. Et hoc significare dicitur Hebræis Hasid, Latinis Miserationem, Græcus ἐλεημοσύνην transtulit, ubi uidemus iustitiam in scripturis sæpe pro misericordia accipi. Hanc misericordiam Hebræi legunt Hased, beneficium, fauorem, gratiam. Septuaginta uerterũt ἐλεημοσύνην, iustitiam. Fauor enim & misericordia dei erga nos uocatur in scripturis sacris iustitia: nam effectus bonitatis diuinæ, cuius oppositum est iustitia, non qua iustificamur credentes, sed eam quæ omnibus palàm facit, quod deo odio sit impius, & impietas eius. Iustitia hac ratione quoq; dicit, quod Deus iustus est et præstat quæ pollicetur. Pollicitatio est, ex misericordia est: quod præstat, iustitia est. Vnde qui raro & egregio beneficio uel amicitia se adfectum à Deo uel homine uoluit significare, eum memorat scriptura dicere solitum (ut nostra quidem uersio reddere solet) fecit mecum misericordiam: quod tamen perinde est atq; si dixerit me singulari beneficio: magnificè suam erga me beneuolẽtiam declarauit, egregiè iuuit. Et 2. Regum 9. cap. Facere cum aliquo misericordiam, est benefacere ex bonitate gratuita. Et Gen. 20. cap. Et hanc misericordiam facies mecum, id est, hoc mihi beneficij præstes. Sic Misericordia Dei est, quando Deus infundit nobis gratiam ac benefacit, & misericors donum seu misericordiæ donum est, quum ipse nobis ignoscit, donat.

¶ *Miserationes* autem & uiscera, ut apud Paulum Philip. 2. Si, inquit, uiscera & miserationes, &c. Et ubi nos legimus Miserationes ac uiscera, ibi Hebræi Rahennin & Hæc sed ponũt. Prius Miserationes significat, cum scilicet quis affectu intimo propẽsus est, ut commouetur erga aliquem. Posterius significat uiscera & beneficentiam. Illud in animo flagrat, hoc uerò erumpit in opus.

¶ *Misericordes* iuxta morem scripturæ rectè bonos, benignos, beneuolos, propensos ad benefaciendum, singulariq; studio ad copiosè demerendum uocaueris, qui in hoc potissimum, ut quàm plurimos demereantur, imò omibus frugi sint, incumbant. Sic Lucę 5. γίνεσθε οἰκτίρμονες, id est, estote misericordes. Et in Matthæo 5. Eritis uos perfecti dilectione atq; misericordes, idem sunt. Et Psal. 112. atq; Psal. 97. Custodit animas benignorum suorũ. Et Prouerb. 20. & 16. Benignitate & ueritate redimitur iniquitas. Sic & Moses Exodi 15. cap. Duxisti me in misericordia tua.

Misericordia & ueritas te non deserent, Prouerb. 4. Misericordia significat amicitiã seu beneficẽtiam, ut auditum est. Veritas fidelitatem seu fidelem animum erga alium. Hac figura uerborum sæpe utuntur, Psalmo 31. Misericordia tua & ueritas tua semper susceperunt me. Et 84. Psalmo, Misericordia & ueritas obuiauerunt sibi. De qua locutione suprà in litera B. Et Psalmo 88. Et ueritas mea & misericordia mea cum ipso. Ecce autem grauissimam promissionem pollicetur pater, ijs qui requirunt misericordiam & felicitatem suam.

Misericordiam & ueritatem facere cum aliquo, Genesis 47. cap. Et facies mihi misericordiam & ueritatem. id est, iurate haud dubiè collaturum in me hoc beneficiũ, nempe quod non sepelies.

Misericordiam atqui in millia custodire, Exodi 34. hoc est, cuius misericordia nunquam exhauritur.

¶ *Mittere*, pro abijcere utuntur Hebræi. Nam hoc commune cum omnibus linguis habent Hebræi, ut crebro utantur uehementiori, & contrà. Sic Esaiæ 6. capite. Mittendi uerbum, pro abijciendi uerbo sunt usi. Et fructus suos mittunt, id est, abijciũt. Pro mandare usurpatur, Exodi quarto capite, Et nunciauit Mose Aaron omnia ob quæ misertat eum.

Mitti adhæc à deo, est docere quæ didicit à deo, Ioan. 3. Fuit homo missus à deo. Sic et Apostolus Gal. 1. Per Iesum Christum se missum esse affirmãs, nõ abalio, sed Iesu Christo, qui misit reuelãte, uirtutẽ se mysterij didicisse ostẽdit. Sic uides uerbũ Mitti, in sacris usurpatũ. præcipuè in Paulinis scriptis, non quæsita occasione, imò potius inuitum, uel consensu ecclesiæ, uel uocatione numinis ad ministerium uerbi seligi, Rom. 10. cap.

Mittere manum in rem proximi, Exodi 22. est furari, & aliquid auferre, et ut suprà audium est, Mittere manum, interdum est extendere, Gen. 22. Et mittebat Abraham ma-

num ſuam. Eſt etiam ſe oſtendere: Exodi 24. Non miſit manum ſuam. Cap. enim 33. dicitur Moſe, Protegam te dextera mea donec tranſeam, tollamq; manum meam, & uidebis poſteriora mea. Subtrahere manum, eſt ſe occultare.

Mittere oculos, eſt amare, Geneſis 39 capite, Et exaltauit uxor domini ſui oculos ſuos ſuper Ioſeph.

Mittere in manum uerò, eſt tradere alicui erudiendum, ut Dauid Solomonem pueru. 2. Reg. 12.

Mittere deniq; lignum in panem eius, & eradamus eum de terra uiuentium, hoc eſt, de uita præſenti extirpemus, Hiere. 11. Vide ſupra fuſius in nomine Lignum, explicatū.

¶ *Mites* in ſcripturis canonicis hi dicūtur, qui ex corde manſueti ſunt, & uindictam nō ſitiunt, ſed deo ultionē ſui relinquūt: placidè erga minimū ſe gerunt, cōdonant iniuriam illatam, hi poſſidebūt hæreditate terram, hoc eſt, permanebūt. Non quod terræ domini futuri ſunt, perdurabunt. Matth. 5. & Pſal. 37. Et mites hæreditabūt terram, hoc eſt, manſueti omnia credentes & ferentes, recepto Chriſto, centuplū accipiūt, pro omni eo quod illis ablatum fuerit, & uerè terram poſſidebūt, id eſt, rebus omnibus, quantū eis ſatis & unde fuerit, abundè perfruuntur. Et Moſes ille mitis & manſueti ſimus omnium mortalium prædicatur, ut uidere licet in Deuteronomio, Matth. 5. Beati mites.

Mititas, ferociæ & audaciæ opponit, at duriciei opponitur miſericordia. Differunt ergo mititas & miſericordia. Audacia impudēs eſt in omnibus, belligerat, rixatur, contendit, clamat, uociferat, trucidat, omniaq; tumultu quodā & temerè agit. Mititas ab iis omnibus abhorret, atq; neminē lædit, ita nō patitur ut quis lædatur, aut cuiquā uis fiat nec ferociam defendit, patrocinatur ueritati non iniuriæ. Cui audacia & ferocia probatur, mitis non eſt, ſed animum tyrannicum gerit. Qui uerè mites ſunt, ferre non poſſunt uis & iniuria cuiquam inferatur. Qui ferocibus & audacibus non obſiſtunt, nec ultro ſcelera caſtigant, non mites, ſed molles & ſocordes dicendi ſunt.

¶ *Minha*, uox Hebraica, Latini proprium nomē non habent, ideo plerunq; Hebraicum uſurpatur. Oblatio ſeu holocauſtum uocabatur iuge illud, & perpetuū illud ſacrificium apud Hebræos Minha, fiebatq; in ueſpera hoc quū ſol inciperet declinare. Vnde uſus apud Hebræos obtinuit, ut ſæpe tempus ueſpertinum uocent Minha. Et licet ſcriptura quoque uocet iuge illud ſacrificium quod mane fiebat, Minha, tamen peculiariter adaptatur tempori ueſpertino & eius ſacrificio.

¶ *Mna*, uox Hebraica, quamuis eam et Græci & Latini ut ſuam uſurpant. Ea quum centum drachmarum ſumma eſt, tum partem aut numerum quemlibet ſæpe ſignificat, Gen. 31. numerum ſignat decem (ut Moſes) Mnas decem uicibus.

¶ *Moab* pro gentibus poni ſolet in ſcriptura, Pſal. 59. Moab olla lauacri mei.

¶ *Mœchari* uerbo ſeu Mœchę appellatione, omnis illicitus uſus membrorum naturalium intelligitur. Adulterij igitur nomine etiam ſcortationem intellige, & quicquid obſcœnius eſt, Exodi 20. cap. Similiter furti nomine omnis illegitima aut illicita rei alienæ contractio aut uſurpatio intelligitur: nam ſub Furto, etiam fœnus, rapina, et omnis circunuentio proximi comprehenditur.

¶ *Modicum*, in ſacris Bibliis plerunque pro tempore præſenti uſurpatur. Nam hoc re uera modicum eſt, reſpectu æternitatis. Sic 1. Petri 1. Modicum ſi oportet contriſtari, 2. Petri ult. cap. Deus autem modicum paſſus ipſe cōfirmabit. Et D. Paulus 2. Cor. 4. cap. Id quod in præſenti eſt, momentaneum & leue tribulationis noſtræ, &c. Et ad Rom. 8. Verum quod Ioannes 16. Modicum pro puſillo poſuit, ſuo more facit, quū Latinis modicum dicatur moderatum à modo, hic ad tempus refertur μικρόν.

¶ *Molam rotare ſeu tollere*, eſt extremam ſeruitutem ferre, & ad uiliſſima homines miniſteria dānari, ut portare lapides, ligna, cloacas purgare. Captiui enim olim cogebantur in carceribus molere farinam. Eſaiæ 47. cap. Hiere. Thren. orat.

¶ *Montes*, urbes, regiones, regna, turbas populorū uocari ac ſignificari ex pluribus locis ſcripturæ cōſtat. Ita mons Samariæ, pro ipſa Samaria ponitur: mons Amorræ, pro regione Amorræorum. Sed & Babylon mons opulentus dicitur, Eſaiæ 13. quum in plano ſita fuiſſe conſtat. Sic & Babylonem Hieremias capite ultimo, Montem nominat. Et Eſaiæ 2. cap. Erit præparatus mons Domini, hoc eſt, regnum.

Montis nomine ſimiliter & tota & partes terræ Chanaan ſæpe in ſcriptura uocātur, Pſalmo 2. quia montoſa eſt terra Chanaan, ita pro regione montana, & pro tota terra ſancta

ſancta, in qua uarij montes ſunt. Hinc ſæpius legimus in monte Ephraim, in monte Iuda, hoc eſt, regno & regione.

Montem Zion ſanctum ſuum uocat Dauid, eccleſiam dei, & credentium intelligit. Et quælibet eccleſia dicitur Mons, ſicut catholica eccleſia dicitur Mons domini ſanctus, Pſal. 15. Quis requieſcet in monte ſancto, Pſal. 47. Eſaiæ 2. cap. & 11. Non occident, neq; occident in omni ſeu uniuerſo monte ſancto meo. Et Hebr. cap. 2. Acceſsiſtis ad montẽ Zion, & ad ciuitatem dei. Populus dei manifeſte intelligitur.

Mons dei pinguis: nimirum Chriſtus cum tota ſua eccleſia, omni gratia abundans. Mons & Zion, mons dei eſt, qui eſt & mons Baſan, pinguis ſcilicet & fertiliſsimus, Pſal. 67. Aliquando autem mons dicitur Zion, ut Pſalmo 124. Ex quibus uerbis non obſcurum eſt fidem per Montem Zion ſignificari. Nonnunquam fides ipſa ſimpliciter per Montem ſacrum, non adiecto aliquo nomine demonſtratur. Ferè enim fit, ut quibus per fidem in periculis à deo ſuccurritur: ad eum modũ fiat, ut conſilijs humanis uix aut nunquam poſsit comprehendi, ut Pſalmo 3.

Montes dei, aliquando nihil aliud intelliguntur, quàm altiſsimi montes, Pſalmo 35. Iuſticia tua, id eſt, bonitas, ſicut montes dei, 1 Paralip. 12 cap. Grandis numerus quaſi ex exercitus dei. Hebræi enim quod eximium, magnum, aut præſtans eſt, Dei eſſe uocant: ut, urbs dei, de quo & ſuprà in nomine Dei. Montes præterea interdũ pro cœlis accipi, in Pſalmis notiſsimum eſt, ut. Pſal. 49. 75. 120. Græci uero æternos dixerunt, de quibus, Leuaui oculos meos in montes, unde ueniet auxilium mihi. Et alibi Illuſtras mirabiliter à montibus æternis. Quis non uidet montes illic dici cœlos, in quibus dominus habitat. Contra hos montes ſæpe Gigantes inſurrexerunt, ſed nemo triumphauit unquam.

Montes ſtillare dulcedinẽ et Colles cultos eſſe, eſt nulla egeſtate tam corporali quàm ſpirituali grauando fideles. ſed ſumma tranquillitate cõſcientiarum gauiſuros, & abũdantia pacis & charitatis unam eccleſiam conſtituturos, Amos 9. cap.

Montis appellatio apud Matth. 17. ardua quæq; denotat. Diceris inquit Chriſtus, mõti huic, hinc illinc demigra, & demigrabit. Per translationem Montiũ, iuxta hyperbolen res quaslibet difficiles in orbe, grandes, firmas, immobiles, inuictas ac perpetuas, imò naturæ quæ impoſsibilia uidentur, ſignificare. Mons ergo eſt diaboli & peccati uirtus, Mons eſt philoſophorum & oratorum ſapientia, eruditio, & eloquentia. Mons eſt regũ conſpiratio et potentia, Mons fuit Dianæ Epheſiæ templum, quod Paulus per fidem lo to mouit, adeoq; ſubuertit propemodum. Mons eſt qui uis morbus ingens & calamitas quæuis mons dicitur. Et Germanice dicimus de re difficili & ardua, impoſsibiliq;, Mir ligt ein ſchwerer berg vff dem hals. Et Marci 11 cap. eadem loquutio.

Montes quoq; firmiſsimi ſecuritatis ac tutelę ſymbolum habentur: Sed noctis ſeu caliginis appellatio, eſt calamitatum & ærumnæ, Hiere. 13 cap. Et priuſquàm impingant pedes ueſtri in Montes noctis.

Mons quoq; dictus eſt diabolus, non propter altitudinem dignitatis, ſicut angeli ſancti, ſed propter inflationem ſuperbiæ: non propter firmitatem uirtutis, ſed propter immobilem & incorrigibilẽ maliciam ſuã. Hæc D. Chryſoſt. in caput Matth. 21. Homil. 69. Et in Apocalypſi, diabolus mons magnus in ſtagnũ ignis legit miſſus. Vide Rabanũ.

Montes transfert Deus, Iob 9. non tam terrenos illos & petroſos, quàm arrogantes & ſublimes tyrannos ſublimia ſeculi regna. Pharao mons ſeculi fuit, ſed uno momento, nihil tale expectans, translatus eſt in mare rubrum. Nebucadnezar mons ſeculi fuit, ſed de ſuo loco dimotus eſt. Regnum Babylonicum mons ſeculi fuit, quid autem de illo ſupereſt, niſi inane nomen.

Montes prædæ, Pſal. 76. uocat regna tyrannica, quę ad ſe omnia rapiunt uelut Montes, in quibus nihil niſi leones, niſi & aliæ ex præda uiuentes beluæ ſtabulantur, illa inquam regna rapinis & extorſionibus malem congerunt opum. Qui tamen & ipſi tandem ſpoliis exponuntur, qui prius omnibus fuerunt terribiles.

Montium & Collium appellatione ueniunt potentes, principes, diuites, poteſtates mundi, & qui ratione officij ſuper aliquam multitudinem eminent: imò omnes qui ex ingenij ſucceſſum, Eſaiæ 64. cap. Item impij ſuis operibus intumeſcentes. Micheæ 6 capite, Surge, obiurga montes, & colles audiant uocem tuã. Audite montes iudiciũ domini & fortia fundamenta terræ. Fundamenta terræ, uocat idem quod Montes, ſicut Pſal. 47.

pari ratione Scuta terræ. Hinc quoq; est, quod fundamenta montium absolute posita, fiducia sunt potestatis, sapientiæ, iustitiæ & quorumcunq; rerum, potissimum autē fundamenta montiū intelligenda sunt fiduciæ operū seu opera legis, uel lex & doctrinæ, quibus homines confidunt iustificari, Psal. 17 Commota est & contremuit terra, fundamenta montium cōturbata sunt, & commota, quam iratus est eis, Exodi 19. 20 tale fuit signum, qualis res ipsa. Sunt etiam Montes, sancti de quibus Psal. 86. Fundamenta eius in montibus sanctis.

Collium nomine intelligit interdum scriptura subditos, plebeculam seu populum. Coniungit sæpe Montes & Colles spiritus sanctus, Abacuc cap. 3 & Esaiæ 40 cap. Omnis mons & collis humiliabitur.

Montes atqui tangere, est quando montes diuino nutu, & tremenda dei potentia contremiscunt, dicuntur à deo tangi: hinc mons cōtactus, ad Hebræos 12 cap. Psal. 104. Tange montes & fumigabunt, hoc est, tange eos, ut fumum se esse uideant, qui oculos excæcet, qui se aliorum lumen iactitabant, ut territi fulgore tuo, ò deus diffugiant non adiuti amplius, ad contendendum contra dei uerbum, & tacti tuis sagittis, conturbentur, & cedant ab impia fiducia, Psal. 6.

Montes, potestates seculi sunt, et mūdi factus tumidus, Montes sicut cera inquit David, fluxerunt à facie domini. Monte quoq; hæreticorum dogmata, praua iudicant. Libri diuini, montes sunt. Prophetæ, montes excelsi sunt. Hæc omnia cum iudicio ecclesiæ relinquenda & expendenda sunt optime Lector.

Montem Zion uocat epistola ad Hebræos Christum & gratiā euangelicam. Nam & in ea lex progressa est, ita De Zion uita & salus, Esaiæ 2. cap. & Micheæ 4.

Mons festiuitatis seu sanctificationis, Esaiæ 14, et Psal. 78. In cœlum, inquit Esaiæ, ascendam sursum, ad stellas dei exaltabo solium meum, & sedebo in monte festiuitatis, hoc est, de Zion, qui appellatur mons sanctitatis eius propter arcam quæ ibi erat, Psal. 3. Et exaudiuit me de monte sanctitatis tuæ.

Montes, ciuitates munitiores appellantur ob altitudinem ædificiorum & turrium, etiamsi in plana terra sitæ sunt, Hiere. 51 capite. Hinc Montes regimina regna uocantur. Hinc in prophetis sæpe totum regimen, & tota gubernatio seu administratio, prouinciæ magnæ seu paruæ, Montem, paruum collem solet uocare.

¶ *Mori*, in scripturis proprie significat è conspectu dei confundi, & in nihilum redigi, illa confusio ipsissima mors est, Genesis 2 cap. Morte morieris, id est, mortalis eris, uel mortis reus. Illa confusio ipsissima mors est, hanc sensit Adam. Sic in Ioanne ait Christus: Qui credit in me, non morietur in æternum. Est etiam à fidere, Rom. 4. Siue enim uiuimus deo uiuimus, siue morimur deo morimur.

Mori in peccatis, est Christum nolle recipere, nolle credere iustitiam esse & uitam. Joan. 8 cap. Nam per fidem abluimur à peccatis, Rom. 3. cap. Moriatur anima mea, locutio hebraica. Numer. 16. hoc est, ipse quantus sum, mori cupiam, &c.

Mori peccato, est non obsequi desiderijs & cupiditatibus peccati, Rom. 6. cap.

¶ *Mortis* uocabulum condemnatio uenit, Rom. 1. cap. Digni sunt morte. Item, pro peste & depopulatione, & quo. ūq; malo pestilenti & mortifero, ut sunt bella, annona, & pro omni infortunio, & plaga, Exodi 8 cap. Tolle mortem hanc à me. Ita Mortis nomen nonnunquam pro damno usurpatur, quemadmodum uita pro diuitijs.

Mortis dictio accipitur etiam pro adflicta conscientia præ turbatione mortis æternæ. Adeoq; Mors non solum carnis obitū, sed etiam animæ interitum, damnationemq; exprimit, Gene. 3. Morte moriemini. Ad hoc Mors, omnia terrena sunt, iuxta illud Salomonis 5. cap. Prouerb. Semita uitæ sursum est: nimirum ut declinemus à morte, hoc est, ubi omnibus quæ sunt (ut Apostolus dicit) super terram.

Mortis laquei, sunt insidiæ Satanæ, quas per se caro non cauet, imò obtemperat Satanæ, mundi principi. Mors omnium uiuentium domus est, unicuiq; decreta: Viuendi enim principium, moriendi initium est, & (ut dicitur) in prima pulte mortē deuoramus.

Morte mori, uita uiuere, Hebraismi sunt, qua uerborum replicatione uehementia & certitudo significatur, Genesis secundo capite, Morte morieris, id est, certissime citissimeq; morieris. Mortem gustare, inde suprà. Gustare Mortem adhæc uidere, hebraismus est uulgaris in scriptura, sicut uidere corruptionem, pro corrumpi, sic & uidere mortem pro mori. Non uidere mortem, pro non mori, ut est apud Lucā 2 & Ioan. 2 cap. quo scriptura

ſcriptura utitur ad indicandam diuinam uirtutem, cui omnia uiuunt, & nihil perit, aut corrumpitur, ſed nobis perimus, & nobis morimur ac corripimur.

In Morte & inferno eſſe, ſignificat obliuionem dei, & blaſphemiam ſempiternã. Hic enim cura & amor ſuiipſius regnat. Ideo miſericordiam dei non poteſt ante oculos habere. Quærit enim effugium, & non inuenit, tunc mox inuoluitur odium dei ardentiſſimum, cupiens primo alium, deinde ſe non eſſe, ac ſic blaſphemat ſummam maieſtatẽ, quam optat ſummo niſu non eſſe: etſi poſſet, non eſſe faceret. Atq; ita fuga & inimicitia æterna eſt. Tunc illud Pſalmi 1. impletur: Impius ſicut puluis uento agitatus, ſcilicet, fugiens & non effugiens. Pſalmo ſexto, Quoniam non eſt in morte, qui memor ſit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi?

Mortem cæterum ſcriptura identidem Somnum appellat, idq; deflexione quandam, ſiue molliore metaphora, ſicut duce natura in omnibus linguis uides ea quæ uel nimiũ horrent, uel horrori ſunt, aut pudori, periphraſi, aut alio, nõ ſuo nomine appellari. Nõ enim ut quidam adſerunt, ſola mors ſanctorum, quæ reuera ſomnus quidam eſt, cum ad uitam illi reſurgunt, ſomnus uocari ſolet, ſed etiam impiorum, qui ut reſurgant quidem, reſurgant ad iudicium, non ad uitam. Æque enim de impijs regibus ſcriptũ legimus. Ob dormiuit cum patribus ſuis, atq; de pijs. Marc. 5. cap. Lucæ 8. cap. de adoleſcentula mortua. Mortem ſomnum ſcriptura inquam appellat, at propter corpus, nõ propter animam. Anima dormire non poteſt. Quod lux eſt in ſenſibilibus, hoc eſt mens intellectualibus entelechia perpetua, hoc eſt, perpetua quædã et iugis operatio ac motus. Nec ſomno dormit anima in corpore, quanto minus quum liberatur hoc terreno carcere, Lucæ 8. cap. Sed dormit.

Mortis adminiſtrationem & condemnationem legẽ uocat Paulus 2 Corinth. 3. quæ docet & oſtendit nos mortuos eſſe & condemnatos: Iuſtitiæ adminiſtrationem gratiã, quæ iuſtitiam ſubminiſtrat, non ueſtram, ſed iuſtitiã Ieſu Chriſti, quæ noſtra facta eſt: nam illam euangelium prædicat, illam prædicant Apoſtoli. Lex ergo peccatum, mortẽ, ac condemnationem oſtendit: euangelium, gratiam, uitam ac iuſtitiam donat.

Mors Chriſti ſatisfactio eſt pro peccatis noſtris, Chriſtus ſolus ſatisfecit, quia ſolus remisit. Crucem quam patimur in terris, nõ pro peccatis ſatisfacit, ſed mortificatio ueteris ac carnalis hominis eſt, ut operatione et uirtute baptiſmi conformis imagini Chriſti ſui capitis, fiat Chriſtianus, & in Chriſto noua creatura, & moriatur & reſurgat.

¶ *Mortificatio* autem non tantum humana quædã coercendi diligentia, aut externi cruciatus, ſed quãdo uerus metus dei abſterret nos à peccando, ita ut uere perhorreſcat cor, metu diuini iudicij quũ ad peccandũ ſolicitatur. Sic perculſum cor, infirmitatẽ ſuam agnoſcit, & opem à deo implorat. Talis mortificatio opus eſt ſpiritus ſancti, Rom. 8. & Gal. 5. Mortificatio ideo ſignificat aut patientiã mandatã à deo in ueris doloribus, ſenſu iræ dei, pauoribus & afflictionibus: aut tẽperantiã mandatũ à deo frenantẽ cupiditates, nõ ſignificat ceremonias accerſitas ſine mandato dei. Sed Paulus requirit talẽ mortificationẽ, qualẽ deſcribit, ut cum inquit, Si actiones carnis ſpiritu mortificabitis, uiuetis. Nõ enim tantũ coherceri præcipit, ut Socrates, Pomponius Atticus, in quib. multæ uirtutes ſe cerat, tẽperantia, continentia, manſuetudo: ſed ſpiritu, id eſt, intuentes deũ, deplorantes infirmitatẽ naturæ, petentes auxiliũ dei, repugnantes diabolo, ſic & alibi dicit, Mortificate membra ueſtra, expaueſcite cogitatione iudicij dei, & frenate prauos affectus.

Mortem atqui domini annunciare. 1 Cor. 11. cap. dixit Paulus, pro eo quod eſt recolere & laudare paſsionem domini, & gratias agere domino.

Mortui aliquando in bonum accipiuntur, ut Pſaltes ait, Beati mortui, qui in domino moriuntur. Preciosa ſanctorum mors, Et Eſaias, Mortui mei uiuent. In malum, infideles & peccatores ſunt, Matth. 18 cap. Sinite mortuos ſepelire mortuos ſuos. Mortui ſunt qui plus quæ mundi ſunt, quàm quæ dei iurant, qui terrena cœleſtibus præferunt, qui neglecto deo mundo ſe deducit, ut Paulus de uidua loquitur, quæ etiam uiuens in delicijs mortua eſt.

Eſt autem in hoc capite Matthæi octauo, iucunda Enallage, ſiue alteratio in ſignificatione. uocabuli Mortuus, aut potius Proſonomaſia. Initio enim Mortuos uocat mundo quidem uiuentes, ſed deo ac pietati ueræ (ut dictum eſt) mortuos, quales ſunt omnes increduli, impij & impuri homines. Mox Mortuos appellat morte extinctos temporaria, et cætera. Ioannis octauo capite, Audiunt igitur & credunt mortui, id eſt, pec-

est, peccatores. Et Matthæi octauo capite. Surge qui dormis & exurge à mortuis, hoc est, infideles, & in anima mortui. Augustinus ad Euodium de Euangelio prædicato.

Mortuum porrò Hebræi ponunt interdum pro funere, Genesis 23. In electis sepulchris nostris, sepeli mortuum tuum. Mortuos solet etiam scriptura interdum uocare eos qui sunt in captiuitate. Sicut & Esaias dicit: surgent mortui, & excitabuntur, qui in monumentis sunt. Mortuus à corde, est obliuioni dari & perire à corde, m memoria homi-num. Sic Dauid Psal. 30 ait: Obliuioni fuit tanquã mortuus à corde, id est, sicut qui mortuus est, obliuioni datur. Mortuorum deniq; resurrectio, spes nostra, finis & fructus euangelij suauis. De quo Paulus 1. ad Corinth. 15. cap. Obseruabis autem mortuorũ resurrectionem esse corporum resurrectionẽ. Nam anima non moritur, corpus tantum moritur. Proinde mortuorum resurrectio, est corporum resurrectio, quæ nisi certissima esset, qui oro iustitiq fructus, quis esset probitatis & honestatis cultus?

Mori, Ire ad patres, Exire animam, Descendere in foueam, Dormire, Deficere, Mortem uidere, idem sunt.

Mors dicitur Diabolus, somnus, sepulchrum, Fouea, Infernus, Iudicium, Tenebræ, Pestis, Nox, Mors est tristitia, Psal. 87. Posuerunt me in lacu inferiori in tenebrosis, & in umbra mortis. Esa. 59. Hiob. 5. cap. Quid sit umbra mortis, infrà in litera V, uidebimus.

Mortem pro corpore, & uitam pro anima Apostolus usurpat, Rom. 14 cap. In hoc enim Christus, & mortuus est, & resurrexit, atq; reuixit, ut mortuis & uiuentibus dominetur. Hoc est, animabus & corporibus. Hæ quidẽ sunt immortales. Hęc uero mortalia. Ad hunc modum ferè beatus Methodius in sermone de resurrectione interpretatur.

¶ *Morticinum* dicitur quod absq; effusione sanguinis amittit uitam, & in quo mortuitur anima, laceratum à bestijs, quod Græce appellatur θηριάλωτον, Ezech. 4. Hęc Hieron. Sic ait Propheta, Ecce anima mea non est polluta, & morticinum discerptum non comedi à iuuentute mea & usq; nunc, hoc est, à nulla re contagiosa labem cõtraxit anima mea. Morticiniũ, est quod uitã exhalat sine legitimo ritu mittendi sanguinis. Græce dicitur θνησιμαῖον, quod in Actis uidetur τὸ πνικτὸν, suffocatum nominatum.

¶ *Morari* pro sperare, Psalmo uigesimoquarto. Anima eius in bonis morabitur, & semen eius hæreditabit terram.

¶ *Morsus* pro usura, Exodi 22 cap. Non pones super eũ morsum. Septuaginta τόκος, id est, usurã, hoc est, non fœnerabis cum proximo, nam fœnus morsus appellatur, quia mordet pauperem, adfligit, depauperat eum. De hoc alibi diximus in nominibus Fœnus & usura.

¶ *Moses* pro lege ponitur, Lucæ 16. Habent Mosen & prophetas audiant illos. Et 2. Cor. 3. cap. Moses legitur, idem est quod Lex legitur, quæ per Mosen data est. Et eodem capite quum dicit ad dominum conuersi, per antonomasiam Christum intelligit.

Mosis cathedra legis doctrinam & prophetiã significat, Matth. 23 cap. Super Cathedram Mosis sedere infrà in uerbo Sedere, audiemus.

Mosen aboleri aut gloriam Mosis. 2. Cor. 3. cap. metonymia est, ac si diceret: Lex quæ per Mosen data est, abolebitur.

Mosis uelamen significabat Christum adhuc non esse retectũ. Et adhuc hodie idem uelum rectorium manet, nec est Iudæis, tametsi per Christum retectũ sit. Nec solũ Iudæis, sed his qui nomine gloriantur, rebus externis fidentes.

¶ *Moueri*, apud Hebræos familiarissimum uerbum est, agitationẽ capitis enim significans, sicut qui liberatus est à graui periculo, caput mouere solet, Esa. 38 cap. Quid autem sit Capitis cõmotio suprà in litera C, declaratũ est, Item, Moueri in prophetis Hebraicismus est, ut Psal. 14. Qui facit hæc, non commouebitur in æternum. Et 123. Qui cõfidit in domino, &c. subindicatur enim pauor conscientiæ de qua Esa. 33 cap. Qui crediderit, non festinabit, Et Psalmo undecimo. Sic etiam temerario ausu dicit iniustus, Non mouebor à generatione in generationem.

¶ *Mulier* utrobiq; sexus nomẽ est, nõ conditionis. Gal. 4. Et pro sexu & pro infirmiore ponitur: Misit deus filiũ suum, factũ ex muliere, factum sub lege. Id autem multo euidentius est quàm si dixisset, Factus homo. Et Gene. 3. Inimicitias ponam inter te & illam mulierẽ. Et Ioan. 2. Quid mihi & tibi est mulier? Dicta est mulier secundũ formineũ sexum, non secundũ corruptionẽ integritatis. Nã et Hęua statim facta de latere uiri sui nondum

fui nondum contacta à uiro suo mulier est appellata, Gene. 2 cap. Et formauit in mulierem. Vide D. Augustinum ad Honoratum de gratia noui Testamenti. Insuper Originem super Leuiticum 12 & 13 cap.

Mulierem nō in uno loco Hebræi pulchritudinem siue speciem & coronam domus uocatur, & re uera est, quum prudens à domino. Item, Mulier & spiritus adpellatur, Malachiæ 3. cap. Custodite ergo spiritum uestrum, &c.

Mulier circumdabit uirum, Hiere. cap. 31. Prouerbium esse hoc nemo negat. Sumitur autem, pro eo quod est summa fiet, atq; arctissima coniunctio Israelis, scilicet ueri, qui enim fœmina, et uiri, hoc est, mariti dei: quasi diceret Hieremias, Quid multa de reconciliatione dicam? sicut uxor maritum suum tenet, sic tenebit Israel dominum suum.

Mulieres in scriptura quoq; nonnunquam dicuntur, qui uirtutum opera non faciūt. Vide patriarchæ filios masculos gignūt, Esa. 39. In illis diebus erit Ægyptus, quasi mulieres, & studebunt, & timebunt à facie commotionis manus domini exercituum.

Mulieres præterea, Matres, Puellæ & Filiæ in compluribus locis prophetarum, urbes opulentæ ciuitates dicuntur. Imò Ciuitatum nomine non tam gentem, populum, quàm eos qui in illis præsident, intelligi usitatum est in sacris literis, ut Micheæ 4. cap. Ciuitates mulieres appellantur, & suburbana & uillæ: uici dicuntur earum filiæ, uidelicet determinora loca & castella, quod sint respectu urbium tanquam filiæ, Esaiæ 32 capite. Vnde Latinus non tam uulgare urbes, nymphas, puellas aut matronas appellare, ac Hebræi & Græcis. Sic ait Esaias capite 32. Sed ò mulieres opulentæ, id est, ò urbes. Similiter Hebræi in usu habent populos Matres, filios, mulieres appellare. Zachariæ 2 capite, Ululate mulier una habitans in medio Apho. Et Apocalyp. 17. capite. Et uidi, inquit Ioannes, mulierem sedentem.

Mulieris quoq; appellatione anima in scripturis indicari, eam quæ non tam proferre semen uerbi, quàm suscipere potest, sepe dicitur. Hæc D. Augustinus.

¶ *Multus* pro magno, Psalmo 39. Annunciaui iustitiam in ecclesia multa, id est, magna. Septuaginta μεγάλην. Multum esse, pro satis esse, Exodi nono capite, Et multum sit uotum dei. Septuaginta, Quiescant fieri uoces dei. Nam Multum Hebræi pro immani, inusitato, immenso, magno, ingenti, eximio ac præcellenti in loco accipiunt. Et in Esdra uidere licet, Esa. 8. Sicut impetus aquarum multarum abundantium. Multitudo gentium Messes magna dicitur apud Matthæum & Esaiam.

Multi uocula Hebræis perinde ac Græcis pro omnibus accipiuntur, quomodo: Multi sunt uocati, Matth. 20. Id est, omnes quidem uocati sunt per prædicationis apostolicæ uerbū scilicet. Nam in Romanis aliter uocatio accipitur. Quos uocauit, hos & iustificauit. Et 1. Cor. 10. Vnus panis, & unū corpus multi, hoc est, uniuersi qui Christo fidimus, sumus. Sic pro multis funditur sanguis Christi, pro omnibus & pro uniuersa multitudine. Nam illud uidetur Matth. 20. Vtq; daret animā suam redemptionem pro multis. ἀντὶ πολλῶν pro multis, positū esse pro tota multitudine. Nam annotauit Erasmus, πολλοὶ Græcis nonnunquam significare uulgus. Sanctus Hieron. in hunc locum Matthæi, Nō dixit pro omnibus, aut, sed pro multis, id est, pro his qui credere uoluerint. Nonnunquā interpres uertit plures, nunc multi. Græcis eadem est dictio πολλοί, quam Origenes ponit putat pro omnibus, quo magis respōdeat unus, ut & illic: Qui pro uobis & pro multis. Sic & in Esa. 24. Multi dies tantū pollent, atq; omnes dies. sit iudiciū penes Lectorē.

¶ *Mundi* dictione aliquoties homines qui sunt in mūdo: aliquoties pro tota mole & machina mūdi: aliquoties pro incredulis et ipsa impietate: aliquoties pro promiscua hominū uniuersitate, siue pro toto prorsus genere hominū, seu pro orbe uniuersorū, tam Iudæorū hominū quàm gentiū, pro omni natione quæ sub cœlo est, ut Ioan. 1. Mūdus per ipsum factus est. & 3 cap. Sic deus dilexit mundū, &c. ut idē sit, deus mundū dilexit, atque deus uniuersum genus humanum dilexit. Et Matth. 13. Ager mūdus est. Intelligit autē per Mundū homines in hoc mūdo existentes. Apud Paulū 1 Cor. 5. pro infidelibus, impiis et carnalib. filijs huius seculi. Et apud Ioan. peculiaris est huius uocabuli usus, ut, Vos de hoc mūdo estis, ego nō sum de hoc mūdo. Et 17 Ioan. Nō pro mūdo rogo, p hominibus impie & scelerate uiuentibus in mūdo. Et cap. 14. Adhuc pusillū & mūdus me iam nō uidet. Mundus significat carnales hic nondū renatos, & incredulos homines in mundo. Carnales non uident, hoc est non intelligunt. Et eodem cap. Quem mundus non potest accipere. Hic iterum Mundus capitur pro mundanis hominibus, qui adhuc

mundi

mundi affectibus reguntur,ut 1.Ioan 2.Et Ioan.16 cap.Mundus gaudebit.Mundus pro impijs hominibus, qui euangelium persequebantur,osores Christi. Mundus sunt, qui uitijs sunt immersi,& uerbo dei contumaciter repugnant. 1.Ioan.5.

Mundum D.Paulus ad Hebræos cap.11.pro multitudine hominum,aut ipsa creatura,aut utrunq;.Et eodē capite non machinam illā immensam,sed mundanos homines intelligit.Et quum dominus ait ad discipulos:Ego elegi uos de mundo,Et mundus me odio habet.de impijs & reprobis differit. Pro impia hominum turba, pro peccatoribus siue hominibus mundanis, pro ijs uidelicet deo pertinaciter repugnantibus: Mundus me cognouit.Et.1.Corinth.6. An nescitis quod mundus, hoc est, mali & uitiosi homines.Et quis Mundus dicatur,Vide Cyrillum lib.10.cap. 2. in Euangelium Ioannis. Secus est quod Ioannes dixit: 6. Et dat uitam mundo, id est, omnibus electis ubicunque gentium agant. Iam mundus sanctos & fideles uocat, ut mundus credat. Et alibi: Vt cognoscat mundus, Vbi Mundum nominat Christus,eos qui crediturі erant, uel etiam num in Christum dei filium,et generis humani seruatorem credebant.Hinc et Christus mundi saluator prædicatur,hoc est,ecclesiæ catholicæ. Item,Ioan.6. Quā ego dabo pro mundi uita.Hic Mundi appellatione non solum uniuersæ nationes, sed & omnes omnium nationum ætates, ab Adamo inde ad postremum usq; hominem intelligenda.

Item,Cacodæmon & spiritus malignus dicitur esse princeps mundi, impiorum licet & peccatorum,non creaturarum dei. Vide Rabanum de proprietate sermonum.

Mundi uocabulo aliquando etiam ipsa terrenarum rerum ambitio censetur:ut, Nolite diligere mundum,neq; ea quæ in mūdo sunt,quia omnem quod in mundo est, &c. Id est,omnes qui mente ipsa mundū inhabitant,& cordis amore incolunt. Et in 2 epist. Canonica Ioan .Mundū aliud nihil esse quàm malarū rerum concupiscentiā & stu- notat.Per quem mundus mihi crucifixus. Mundum hic appellat nō cœlū neq; terr- sed res temporales,laudem ex hominibus,famulitium,gloriam,&c.

Mundi spiritus,humana sapientia,D. Paulus 1. Cor.2.Nos autem non spiritū hui- mūdi accepimus,sed spiritum qui ex deo est.Porrò D. Paulus.1. Cor.8. mundum hun- Græciam intelligit ac præcipue Corinthum libidine corruptissimam. Ad eum modum interprætatur Chrysostomus.

Mundus κοσμὸς non orbis modo machinam,sed etiam cumulum rerum repositarum significat,unde mundum muliebrē dicimus, Iacobi 3 cap. Et lingua ignis est mundus iniustitiæ,id est,congeries uitiorum omnium.

Mundi elementa denicq; sunt Iudæorum ceremoniæ atq; hominum institutiones, ut patet ex Galatis & Colossensibus D.Pauli.Est autem Latina uox Elementi anceps,quæ admodum & στοιχεῖον apud Græcos:quæ declarat interim initium & primordiū rei nascentis,interim ipsas literas.Nam & Aristoteles in Physicis,inter ea unde cognitio rerum nascitur,recenset στοιχεῖα, id est, elementa subijciens hæc principijs & causis. Et Iustinus lib.Instit.Elementa iuris appellat,ueluti rudimenta,&c.Vide in litera E.

Mundana,apud Paulum Hebr.5 et 9.dicuntur,id est,externa,quod externis gaudeat mundus,externis ducatur & moueatur.Habuit quidem & prius, inquit cap. 9. Paulus, illud iustificationes, cultus, ac sanctimoniam mundanam. Mundanum autē uocamus quod externum & elemētale est. Hoc consilio uocauit etiam Paulus alibi, Iudaicas cerimonias,elementa mundi,ut supra auditum est, id est, externas quasdam institutiones & manu ductiones.

Mūdus denicq; pro recto,Psal.71. Qui mundo seu puro sunt corde. Septuag.His qui recto sunt corde. Matth.Beati mundo corde.Mundi corde hi dicuntur,qui seruant mundiciam cordis,hoc est,simplicitatem & integritatē,ne quid aliud corde uolutes,aliud ore bis & externa specie præ te feras,sed ex puro simpliciq; corde in gloriam dei, & salutem proximorum instituas omnia,nusquam tua quærens. Huiusmodi certe deum uidebunt uti sunt de germanis dei cultoribus, qui ascendunt in montem domini, & stant in sancto loco eius,Psal.15.Et suprà ille tropus est tractatus.

Mundicia cordis, primū omnimoda innocentia,ab omni peccati labe aliena. De hac est illud Iob 14. Quis potest facere mundum de immundo semine? Et Prouerb.20. Quis potest dicere,mundum est cor meum? Ideo optat eam Dauid, dicens: Cor mundū crea in me deus. Deinde Cordis mundicia,est candor ille cordis sinceri ac integri: cuius simplicitatis

plicitati duplicitas illa, pfunditas ac uersutia opponit, quam scriptura multis locis reprehendit. De hac mũdicia, id est, integritate, ac sinceritate cordis, quã credentes habẽt, loquit Christus Matth. 5. tribuit illã suis. Psal. 24. cũ dicit: Innocens manib. & mũdo corde.

In Mundum uenire hunc. ut est apud Ioannem cap. 1. nihil aliud est quàm nasci. Venientem in hunc mundum.

In Mundum loqui, est publicare & omnibus manifestare. Sic Christus loquutus est in mundum. Ioan. 8. id est, doctrinam suam omnium auribus publicauit, Germanismo nostro conuenit, quo dicimus, In die vvelt hinein reden, Ins uolck reden, in den hauffen reden. Mundo loqui idem est, atq; in mundum loqui.

In Mundo esse, est originẽ ex mũdo trahere, & in mũdo esse educatũ, & in mũdo conuersari. erãt utiq; Apostoli de mundo, unde nati, & in quo educati erãt, deniq; in quo tũ adhuc uiuebant. De mundo non esse, aliud nihil est, quàm spiritu diuersum esse, & alienum à malitia & corruptione mũdi. Acceperant aũt spiritum, non mundi huius, sed dei 1. Cor. 2. quo discernuntur ij qui de mundo nõ sint, ab illis qui sunt de mũdo. Ioan. 8. 15.

Ex Mundo transire, Ioan. 12. est ex ualle hac miseriarum, plena maliciæ et nequitiæ transire: deinde transire, hoc est, mori nõ ad peiora, sed meliora: nec simpliciter meliora, sed ad patrem: tale quid est, quo filio dei, in hoc mũdo adflicto et oppresso, nihil potest optabilius accidere.

¶ *Munerum* uocabulo uenit omnia, quibus tua quæris non quæ dei, ut tui commodi respectu agas, & dicas rectum, contra conscientiã, non habito respectu uel cõmodi, uel illorum commodi, proximi uel pietatis: & est contra Mosi institutionẽ, Exodi 17. Et contra legem dei, Deut. 16. Exodi 23. Prohibet & Dauid non uno in loco accipere munera.

Munus pro sacrificio. Malachiç 1. Et munus non placebit de manibus uestris. Dicitur aliàs Benedictio, pax, & cætera.

Munita pro difficilia intellectu, Hiere. 33. Et adnunciabo tibi magna & munita.

¶ *Muri* uocabulo opus bonum uenit, & plerunq; ex protectionis suæ munimine dici ipse dominus consueuit, Esa. 26. Ponetur in ea murus & antemurale. Item pro bono opere. Esa. 26. Vrbs fortitudinis nostræ saluator, ponetur in ea murus & antemurale. Antemurale (teste Hieronymo) est recta fides. Ergo Muri nomine fides firma in deum, diuina protectio, angelica custodia sanctorumq; omnium piorum unitas uenit.

Muri sunt munimenta sacræ scripturæ, quæ ad nos consolandos est ædita. Hæc Rabanus de uniuerso. Ad hæc Hiob. 24 cap. Intra muros tuos faciunt oleum. Cuius sensus est, Intra ordines seu lineas oliuarum.

Muros extruere, est munire ciues urbium, & ciuitatem, quo sit paratissima, Esaiæ 6 cap. Et ædificabunt filij alienorum muros tuos.

¶ *Murmurare* proprie nihil aliud, quàm uel per impatientiã, uel animi indignationẽ, de ijs quæ inique dicuntur uel fiunt, conqueri. Sic Iudæi in deserto toties murmurarũt, id est, contra deum & Mosen, conquesti sunt, quasi quæ fiebant, inique fierent. Nõ enim id moris inter homines est, ut de ijs rebus conquerantur, quas recte & merito, sed quas inique, & indignis modis geri putent. Ioan. 6. Murmurabant ergo Iudæi.

Murmurare, ait D. Ambrosius, est falso ad inuicem de præpositis & rectoribus queri, quantum ad mentem loci pertinet: quia solet murmur fieri etiam iusta ex causa. Qui ad uersum Mosen dei ministrum murmurabant, uel impatientia, uel arrogantia, ambitione, aut inuidia impellebantur. Hijsdem ex causis nunc murmurabant, & Corinthij & horũ doctores contra Paulum 1 Cor. 10. cap.

¶ *Musica Christianorum instrumenta*, Omnia quç in Psalterio legimus de Musicis instrumentis, & ceremonijs, significant mentis læticiã, & spiritum, qua lætitia gratus animus deo in spiritu afficitur, et prędicat alijs quoq; iam expertus dei benignitatẽ, & ut D. Paulus iubet, Christianos in nouo instrumẽto hymnis canticis spiritualibus canere ac psallere in cordibus eorum, gratias semper deo agentes. Siquidem illa instrumenta musica eorum sibi uolunt hominem, qui in eis cecinerit, &c. De his lege Psalmum 32. 148. 149.

¶ *Mutare* pro conterere & transire, Esaiæ 2 cap. Et idola penitus mutentur. Pro ponere & facere, Hoseæ 4. Gloriam eorum in ignominiam mutabo. Septuaginta, ponam.

Mutare autem fortitudinem, ut in Esa. 40 & 41. Idem esse aiunt quod fortior fieri.

¶ *Mutabis illi*, pro longe eris illo ditior. Deut. 28. Ipse mutuabit tibi, tu uero non mutabis illi, id est, Erit longe ditior te, ita ut possit tibi mutuo dare pecuniam.

¶ *Mustum* pro uino, Esaiæ 49. Et quasi musto sanguine suo inebriabuntur. Vnde in Actis apostolorum dicitur Apostolos musto se grauasse.

Mustum est sancti spiritus feruor, Matth. 9 cap. Vinum nouum mittunt in nouos utres. Ex quo confestim replerentur Apostoli ac linguis omnibus loquerentur, à Iudæis nescientibus sed tamen uera atteſtantibus dictum est, Actorum 2 cap. Hi Musto pleni sunt. Mustum pro ebrietate, Hoseæ 4. cap.

Mustũ deniq; inueniri in botro, ut apud Esa. 65. Locutio est, p cõtingere botrũ in uite, & mãdi maturũ botrũ, unde iã mustũ pduci queat. Quomodo, inquit, si inueniat, etc.

¶ *Myrti* dictione sancti fideles ueniunt, & dicuntur Myrti, Zachariæ. 1. cap. Et ipse stabit inter Myrtos.

¶ *Mysterium* significat secretum aliquod, quod remotũ est ab oculis atq; absconditũ, præcipue uero in uerbis, ut quum aliquid dicitur quod obscurũ est, & intellectu difficile, solemus dicere: Hoc mysteriũ est, subest his uerbis tectũ aliquid et abstrusum. Hãc significantiã uocabuli, hoc mysteriũ habet. Quare enim dei mysteria, quorum sunt Apostoli œconomi, non alia sunt quàm fides & Euangelium de Christo, imò Christus ipse: Quicunq; enim Euangelion prædicat à sensibus & ratione, sunt remota à deo, ut totus orbis terrarũ ea nequeat capere: neq; à quopiam nisi fide, re mirum in modum, carni abstrusa percipi possint, atteſtante Christo: Confitebor tibi pater Domine cœli, &c. Et D Paulus 2 Coriuth. 3. cap. Prædicamus sapientiam dei reconditam in mysterio, quam nemo principum huius mundi cognouit. Seuerianus dicit: Mysterium prædicationem secundum Christum uocat. Danielis 2. Mysterium quod rex interrogat, Mysterium uocatur dinem somnij reuelari. Ostendit quicquid occultũ est, & ab hominibus ignoratur potse mysteriũ appellari. Apollinarius, Mysterium autem appellauit somnij cognitionẽ

N

Abal, homo dicit durus, inhumanus, sordidus, auarus, stultus, stolidus, Esa. 32. Et 2 Regum 15. Abigail. Et Hiere. 17 cap. inopem consilij, significat etiam flaccidum, marcidum, nihil succi habentem, Psalmo decimoquarto, Dixit Nabal in corde suo, stolidus homo mentis depraua & corruptæ.

¶ *Narium* nomine fatuitas exprimitur: Prouerb. 11. cap. Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra & fatua.

In Naribus circulum seu uncinum ponere, est furorem compescere, & à conatu retrahere Iob 41 capite, Metaphora ducta à bubalis qui circulo naribus iniecto ducuntur. Et 4. Regum 19 cap. Ponam circulum in naribus tuis & chamum in labijs tuis, & reducã te in uia tua per quam uenisti, &c.

Est etiam antiqui hostis instigatio. 2 Regum 22 cap. De naribus eius ascendit fumus. Item, aliquando præscientia solet intelligi, Esaiæ secundo capite, Quiescite ab homine, cuius spiritus in naribus eius. Est quoque spei nostræ cogitatio, Hiob 39 capite, Gloria narium eius terror.

Nares fumare atqui iratis, immanem hostilis sæuitiæ truculentiam, ut Psal. 74 habet, notat. Cur feruet uel fumabit naris tua contra gregem pascuæ tuæ? Quod uehementer iratis usu uenit, ut nares fumare, hoc est, ira dicatur.

¶ *Nauseare* pro odire, detestari, abominari, ut Exod. 15. Iuxta Hebraicam ueritatẽ Nauseabunt à filijs Israel Ægyptij. Interpres ait, Oderuntq; Ægyptij scilicet filios Israel. Quæ enim odimus, & quę abominabimur, ab his nauseã capimus, tædioq; adficimur, & quasi ad uomitum prouocamur, Kotz enim Hebraica uox Germanicæ affinis est.

¶ *Nasus*, in scriptura immensam arrogantiam, & minime tolerandum factũ denotare solet. ut Psal. 10. Improbus præ sublimitate Nasi sui non requiret. Fastuosi siquidem faciem, quam hic Psalmographus per Nasum, eminentiorem faciei partem significat, sublimem ferunt, eoq; fastum animi produnt. Idem fit attollendo supercilio, unde dicũt Latini tales attollere supercilia. Græcus Eth per iram reddidit.

Per Nasum quoq; sanctorum prouida discretio exprimitur, Canticorũ 7. Nasus tuus sicut turris Libani, Hoc est, significat doctores & magistratus diligentes, qui non dormiunt, sed ubiq; uigilant. Per Nasum enim odores & fœtores discernimus.

Nasum autẽ facit ascendere, Prouerb. 15. metaphorica loquutione est ad iracundiã comitare, idem

idem in Naſum concire, & Plautus inquit Naſum exaſperat, Germanice, das vvurmlin in naſz kommen.

¶ *Narrare nomen dei*, eſt ueræ prædicare euangelium, id eſt, remiſsionem peccatorum, & liberationem à morte, & inferis, donationemq; uitæ æternæ, gratis per Ieſum Chriſtũ Pſal. 21. Narrabo nomen tuum fratribus meis, id eſt, quum liberaueris me, non ero ingratus, ſed prædicabo gloriam nominis tui.

Narrare mirabilia dei, eſt gratias agere de omnibus beneficijs & liberationibus in quibus expertum eſt genus humanum miſericordiam & benignitatem patris, ut ex præteritis, uel ex noſtris tentationibus ſuperatis, diſcamus fortius confidere.

¶ *Naſci* pro fieri, Pſaltes. Priuſquam montes naſcerentur. Septuaginta γενηθῆναι, fierent. Natum etiam dicitur, id quod quocunq; modo cœpit eſſe. Sic Natum pro conceptũ eſſe poſitum, fatetur & indicat D. Auguſt. lib. 1. Quæſt. in Geneſim. Et Terrullianus lib. de carne Chriſti. Eſſe in nationes, Geneſis 17. cap. Eritq; in nationes: Nempe Sara. & eſt Hebraiſmus, pro, Ex ea gentes multæ naſcentur.

Nati ſuper genibus, Gene. 50. cap. Filij quoque Manaſſæ nati ſunt genibus Ioſeph. Locutio eſt Hebraica, hoc eſt, amanter ſuſcepti, & plauſibiliter in ſinũ repoſiti, cũ gaudio arrepti, recẽter geniti. ſicut enim patribus de filiorũ natiuitate applaudere ſolẽt matres.

Naſci ex ſanguinibus, generaliter intelligitur omnis propagatio, ut carne de patribus & Iudæis natos eſſe, quorum fuit promiſsio, Ioan. 1. cap.

¶ *Naturæ* uocabulum proprie & per translationem in hunc modum diffinit D. Auguſtinus de lib. arb. lib. 3. cap. 19. Naturam aliter dicimus, quũ proprie loquimur naturã hominis, in qua primum in ſuo genere inculpabilis factus eſt, alter iſtam in qua ex illius damnati pœna, & mortales & ignari & carni ſubditi naſcimur. Iuxta quem modum dicit Apoſtolus: Fuimus enim & nos naturaliter filij iræ, ſicut & cæteri.

Natura humana in ſacris literis dicitur prudentia carnis, Rom. 8. Adfectus carnis uel caro ipſa, Gal. 5. Oculus nequã, Matth. 6. Sol, Eſa. 60. Ratio, Coloſs. 1. Peccatũ, iniquitas, Culpa genialis. Et id genus. Item, Natura Iudęus eſt qui de genere eſt Abrahã, et à parẽtibus die octauo circumciſus eſt. Non natura Iudęus, qui poſtea eſt factus ex gentibus.

Natura ſeu naturalis Lex apud Paulũ Rom. 2. cap. non eſt illa natura corrupta quæ in nos ex Adã transfunditur, ſed ea eſt, quam deus dirigit et ducit. Vbi enim deus in corde dux adeſt, ſatis legũ eſt. Conſcientia uel natura quæ deo ducente dirigitur, ſine ſcriptura lex eſt: & hoc bene notandum, alioqui aliquis diceret, Conſcientia mea dictat, auari tia non eſt peccatum. De Lege naturæ uide ſuprà in tropo Lex.

Irẽ, Natura omnis incorporea in ſcripturis ſpiritus appellatur. Auguſtini uerba ſunt Epiſt. 174. Vnde dicit nõ tantũ patri & filio & ſpiritui ſancto, ſed et omni rationali creaturæ & animæ hoc uocabulũ congruit, &c. Vide locũ. Et Chryſoſtomus Homil. 5. de incõprehenſibili dei natura apertis uerbis dicit: Dicitur, inquiũt, deus ſpiritus eſt. Sed nũquã hoc nomen diuinã ſubſtantiã exprimit, uide quę ibi dicat. De ſubſtãtia dei nihil poteſt mente concipi, niſi unũ hoc quod nõ ſit corporeus. Spiritus enim uocabulũ cõmune eſt, aliquot dei creaturis, id quod in ſcripturis eſt manifeſtũ. Nam & angeli et uenti ſpiritus dicuntur. Et ſpiritus etiã hominibus dat, imò et beſtijs, ut Eccle. 3. Quis ſcit an ſpiritus filiorum hominis aſcendat ſurſum, & ſpiritus pecoris deorſum in terram. Et animus quoque hominis ſpiritus dicitur, & donum ſpiritus ſancti, ſpiritus uocatur. Ideo & Deus ſpiritus dicitur, quod corporeus non eſt.

¶ *Nauis* appellatione, ſumma mali materies uenit. Propter merces quæ nauibus uehuntur, unde opes potiſsimum creſcunt ſumma mali materies. Placuit ſpiritu ſancto pecuniæ ſtudium, & perpetuosq; illos impietatis ſudores nauigatione appellare, ut Pſalmo 60. Qui deſcendunt mare in nauibus, facientes operationẽ in aquis multis. Sic Pſalmo 117. In ſpiritu uehementi conteres naues Tharſis, id eſt, Franges opulentorum contera bonos potentiam & impietatem.

Nauicula qua Chriſtus eſt uſus Ioan. 6. cap. cum ſuis, typus eccleſiæ aſsignatur. Vna eſt Chriſti nauicula, una eſt item uera illius eccleſia.

¶ *Negationes duæ*, non rarum eſt apud Hebræos, ut mox ſeſe conſequantur, & tamen non efficiant unam uiam affirmationem, Exodi 14. ¶ Nunquid quia nõ erant ſepulchra in Ægypto, &c. Negationis natura hæc apud Hebræos eſt in coniunctis orationibus nõ repetere negationem quæ mox præceſsit, ſed ſubaudire. Pſal. 43. Intellige ergo: Non de-

clinasti, quemadmodū præcedit, Non retrocesit. Alioqui uidebis orationes sibi pugnare. Idcirco ut error uitaretur, nobis omnino legendum esset, Et non declinasti, uel: Nec declinasti, id quod sententia ex Hebræo postulat. Et D. Hieronymus hoc intellexit, qui paululum immutauit Hebræum sic: Nec declinauerunt gressus nostri à semita tua.

¶ *Negotiari* Matth. 24. est sese in donis dei sibi creditis exercere, deo omnem gloriam tribuere, deum laudare, honeste uiuere, omnibus benefacere, & huiusmodi sancto studio multos lucrari deo.

Negotium omne transgressionis uocat quodcunq; crimen Moses, Exodi 22 cap. De omni negotio transgressionis: nempe de boue, de asino, de oue, de ueste, &c.

Negotium Phogor, uocat rem pertinentem ad idolum Phogor, Numer. 25 cap. Quæ percussa est in die plagæ pro sacrilegio seu negotio Phogor. Super atqui negotio putei. Id est, de puteo. Hebraismus, Genesis 26. cap.

Negocium perambulans in tenebris, est deijci in peccata & blasphemias, Psal. 90 Deijciebatur enim Dauid ab illa peste Satana perambulante in tenebris tam robustus males, in adulterium, homicidiū, etc. Et innocentem Hiob, ut legis in capite 3. Et quod legitur Hiere. 3. Sed domino loquēte, Hiob pœnitentiā egit, & diaboli negociū confundit.

¶ *Negligere*, pro odire, detestari, non multum alicui tribuere, ut Genesis 46. Quia detestantur seu negligunt Ægyptij omnes pastores ouium. Hoc est, non curant eos, non magni æstimantur pastores apud eos, præsertim in aula Pharaonis.

¶ *Nequam*, apud ueteres significabant nullius precij. Ita Plautus piscē non recentem appellat nequam, quod nullius esset precij. Sic et homines nequā dicti, ut Gene. 38. Fuit quoq; hic primogenitus Iudæ, nequā in cōspectu domini. Id est displicuit domino malitia eius, nota fuit deo. Hoc est, fuit insigniter malus, fuit nequissimus. Sic in malum usus, ut denorat hominē lasciuū ac libidinosum, & nequam. Vide annorationes Erasmi.

Nequam, pro malus. 1. Regum 16 cap. Spiritus nequam, id est, malus, Psal. 63. Firmauerunt sibi sermonem nequā iuxta Hebræum, uerbū malum, uel rem noxiā. Græce ponēρόν, Matth. 6. Si oculus tuus erit nequā. Nequitia pro malicia, Nequā pro facinoroso, Lucæ 23 cap. Dicebantur & alij duo nequam cum eo. Græcè κακοῦργοι, id est, duo malefici siue facinorosi. Nequitia hominum, Ephe. 4. cap. Græcè πανουργία, id est, fallacia, ut D. Hieronymus legit. Quod uerbum ductum est à lusu tesserarum, in quo qui potest, imponit, & circumuenit alterum.

¶ *Nescire*, reperit in sacris pro non uelle scire. Matth. 24. dicitur, quod nō cognouerit. Nescire hic uel non cognoscere, pro non uelle scire capitur. Sunt enim qui ignorare & scientes & uolentes errare uolunt.

Nescire literas, idem est, quod uerbum diuinum non capere, Esaiæ 29 cap. scriptum est de nesciente literas, hoc est, de eo qui non intelligit uerbum dei.

Nescire dominum, & Israel non dimittam, Exodi 5 cap. Hebraismus, pro, Non noui illum, & cætera.

Nesciuerunt etiam erubescere, Hiere. 6. cap. hoc est, noluerunt.

¶ *Ne timeas*, pro eo quod est, cōfide, Ioel. 2. Ne timeas. Septuaginta θάρσει, id est, cōfide.

¶ *Nidus*, uocabulū peculiare Hebrææ linguæ, ut habitationes aut domos, Nidos uocat, quos aues præcipue maiores, ut sunt accipiter, ardea, aquila, in alto extruere solent, ut immunes pullos suos generare, fouere, & educare queant. Idem diuites, magnifici heroes faciunt, perinde atq; Abdias de Esau ait: Quod si uel inter sidera nidulaueris, adiuratamen deijcerem te, dicit dominus. Nam etiamsi diu ædificetur et laboretur, nihil amplius quàm nidus est, quicquid in terra possidemus, etiamsi uniuersi mundi substantia foret, in quo gignimus, nutrimus & seruamus fœtus nostros. Iuxta hæc animantiū quodam interdum ingruit, uel dæmonum, quod Nidum unà cum pullis diruit, uel alias nidus cum pullos totus aboletur. Ea est uitę rerumq; nostrarum cōditio, temporariq; sunt & ut ortæ, sic intereunt. Sic Abacuc 3 de Babylonico rege loquitur, Væ auidi auaro, ad damnum domus suæ, ut ponat in altum nidum suum, ut euadet manū infortunij. Nidus pro pullis. Deut. 32. Continens pro contento.

Nidum struere, sed oua non excludere, est non potiri uel frui bonis quæ aliquis congesserit, q̄d in diuites optime quadrat: quid enim illis satis est, quo cōtenti auere opes desinant? Contra quid minus sanam, non dicam enim beatam, saltem uitam, potest præstare quàm diuitiæ? Reponunt ergo auari, sed cum plurimum congesserunt, minime fruuntur.

fruuntur: tunc enim ocyſsime coguntur deſerere. Vſus eſt hoc prouerbio Hiere. 17. cap. Nidum congerit, ſed non excludit oua.

¶ *Niſi*, Hebræ. 6. cap. affirmatiue ponitur. Niſi benedicens benedicam tibi.

¶ *Niuis* nomine, candor iuſtitiæ uenit, per Hyperbolen. Pſal. 51. Super niuem dealbabor, id eſt, ſuper candorem niueum à peccatis purgatus euadam. Dealbabuntur, aliquo ties in malum uſurpatur, ut in Actis uſus eſt Paulus, Percutiet te deus paries dealbata. ſimiles eſtis monumentis dealbatis.

Niues quoq; baptiſmi puritatem denotant. Item, Inſtantem tribulationem: Solomõ Qui timet pruinam, irruet ſuper eum nix. Niuis frigore & duritia grandinis, uita praua uorum & dura impiorum ceruix exprimitur. Saulus quippe nix & grando contra aduerſariorũ pectora factus eſt, uel candore iuſticiæ uel diſtricti eloquij correptione.

Nix, grando, Frigus, Nebula, Cryſtallus, Per hæc malicia humana & praua opera ex primuntur, Hiere. 6. Sicut frigidam ciſterna facit aquam, ſic frigidam facit animam maritia, Matth. 24. cap. Abundauit iniquitas, & refrigeſcet charitas multorum, Pſalmo 147. Qui dat niuem, &c. Hæc omnia per naturam ſuam uiuunt atq; mortificant in nos moeſtiarum & calamitatum dolorem.

¶ *Noctis et Tenebrarum* nominibus aduerſitatem, tribulationẽ, ſeu aduerſum, Lucis et Diei proſperum tempus ſcriptura ſignificare ſolet, Eſaiæ 26. Anima mea deſiderauit te in nocte. Sic Zachariæ 1. Vidi noctem. Veſpera & nox ſæpe aduerſo & infelici tempore uſurpatur. Et illa uox Noctis tentationem ſignificat, quãdo nobis quaſi in inferno eſſe demur, & à deo derelicti, debemus annunciare ueritatem, id eſt, dei promiſsionem, ut dem de uerbo eius, non deſperamus, Pſalmo 5. & 120. Neq; luna per noctem.

Item Nox pro ueſperi, uel initio noctis capitur, Geneſis 19 cap. Qui introierunt ad te nocte, id eſt, initio noctis.

Nox Rom. 13 cap. eſt uia impia, & ſeculũ impurum. In hac dormiunt, qui impure & in cecitate cordis uiuunt. Dies autẽ gratiæ tempus eſt, et uita ſyncerior. Et 1 Theſſ. 5. cap. Omnes, inquit, filij lucis eſtis atq; diei, hoc eſt, fideles, qui ea faciunt, quæ lucis ſunt. Frequentiſsime uero occurrit hęc allegoria Lucis & Tenebrarũ uerſanti in ſacris literis. Et ſicut Dies ſignificat illuminationẽ per Euangelion, ſiue ipſum euangeliũ, Sic Nox cæcitatem & ignorantiam Euangelij, Lucæ 1. cap. Similiter Eſaię 9. Vmbra mortis, pro nocentiſsima nocte, qua premuntur damnati, hoc eſt, qui extra fidem hinc migrauerunt. Cæterum quid ſit prima illa dies & Nox in creatione mundi, ſatis diligenter memoriæ prodidit Baſilius Magnus in congreſsione ſecunda diei primi.

Sicut aũt fideles ſicut Lex corã domino & in deo, ita ſunt nox corã nobis et in mũdo, imõ & in oculis ſuis nihil, & tenebræ, quia ſibijpſis diſplicent. E regione impij ac infideles, ſunt ut Lux in mundo & oculis ſuis: nimirum ſibijpſis placentes, ita & in ſpiritu & conſpectu dei nox ſunt & tenebræ. Vnde & Apoſtolus: Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino.

Sic Pſal. 18. Nox, id eſt, Apoſtoli, fideles: nocti infideli, id eſt, mundo ſecundum, interiorem hominem tenebroſo, indicant ſcientiam, hoc eſt, pendẽtes ſpiritu, indicant prudentibus carne ſcientiam & cognitionem. Nox infidelitatem notat, ſicut dies fidei lucẽ, & iuſticia æquitatem, de quo: Non ſumus noctis filij, &c.

Nonnunquam ſolenne illud ſanctis precationis tempus reſpicit. Nam matutinũ cũ veſpertino tempore, in lege ſua deus ſacrificio, precibus et hymnis, deputauerat, Nume. 28. & 1. Paralip. 23. Hæc tempora, præcipue autẽ matutini precaturi, obſeruabant, quod eo ad precandum eſſent animis aptioribus, tum quod ita ſe publico dei inſtituto accõmodare gaudebant. Sic Pſalmo 88. 59. 92.

D. Paulus per Noctem intelligit omnem doctrinam, quæ non eſt Euangelion, præter quod nulla omnino poteſt eſſe ſaluifica. Nox autem media occultum domini iudicium ſignificat, ut Matth. 25. Media nocte clamor factus eſt. Vide Rabanum.

Noctis nomine, interdum præſumptio & ſecuritas uenit, Eſaiæ 16. cap. Nocte uenit uaſtatio. Nocte corruere, apud Hoſeam 4. cap. eſt apprehendi calamitatibus & conſcientiæ malæ ſtimulis exagitari.

¶ *Nominari*, pro audiri, ut 1 Corinth. 5. Omnino auditur inter uos, ſtuprum & huiuſmodi ſtuprũ, quod nec inter gentes nominatur, hoc eſt, auditur. Id eſt, notius eſt flagitium, quàm ut à quoquam ueſtrum negari poteſt.

¶ *Nominis* uocabulum interdum non ad natiuitatem, ſed generationem, id eſt, ſeculum uel multiplicationem prolis & genus ſignificat. Sicut generationem prauam & adulterã dominus uocat, Eſaiæ 53. cap. Et nomen eorum non deleſti in æternum, & in ſeculum ſeculi. Id eſt, gloriam & æſtimationem omnem abſtuliſti: & famam quam illi maxime ambiebant. Nam hoc ferme eſt, quod Pſal. 48. dicitur: Vocauerunt nomina ſua in terris ſuis, id eſt, terris ſua indiderunt nomina diuites impij: quò longius famam protenderent ad poſteritatem.

Nomen ſcriptura interdum uocat celebrem gloriam, & inſignem nobiliratem, quẽ admodum ſcilicet in lib. Prouerb. traditur. Eligibilius nomen bonum, quàm multæ diuitiæ. Nomen pro hominibus nominatim recenſitis, Apocalypſis 3 cap.

¶ *Nomen ponere*, pro celebris fieri, & ad opinionem aliquam aſpirare, ut. 2. Samuelis 7 cap. Ponat ſibi nomen, id eſt, celebris fiat & glorioſus.

Nomen item abolere, hyperbolica loquutio in ſcripturis, qua ſignificare uult omni modum impiorum internitionẽ, ut nulla ſuperſit cauſa quur nominaretur, Pſal. 9. Nomen eorum aboleuiſti, hyperbole namq; eſt. Nominis abolitionem, intelligit ſcriptura ſublatam nominis impiorum celebritatem, unde Pſal. 4.

Nomen fratris ſui ſuſcitare, hoc eſt, Semen aut filium, qui de nomine patris dicatur.

Nomen illi inter tres, hoc eſt, inter tres nobilior, Hebraica uocabula Schub uarie ut ſurpatur, etiam pro eo quod eſt referre reſponſum, ſeu renunciare. 2. Reg. 24. 3 Reg. 12.

Nomen alicuius exire, eſt diuulgare 1. Paralip. 14. Et alibi, Exiuit nomen eius uſq; in longinquũ, hoc eſt in procul etiã diſsitis regionibus eius fama fuit celebris. Quę regio in terris noſti, non plena laboris? Rurſus apud eundem, uſq; ad æthera notus. Huic ſimet quod in lib. Eſther cap. 9. de Mardochæo legit: Et fama eius abijt, per omnes prouincias. Hieron. habet Fama quoq; nominis eius creſcebat quotidie, &c.

Nomen autem alicuius ſuper aliquo inuocari Hebræis locutio eſt, pro nomẽ imponi, Hiere. 17 cap. Nomen tuum inuocatum, hoc eſt, impoſitum eſt nobis. Et Eſaiæ 4. Tantummodo inuocetur nomen tuũ ſuper nos. Hinc diſcis quod locus ille Gene. 48. Et inuocetur ſuper eos nomen meũ. Id eſt, dicantur poſt hac filij mei, & filij Abrahæ & Iſaac. Hoc eſt nomen Abrahæ inuocare ſuper populum, &c. Inuocatum eſt nomen tuum ſuper nos, hoc eſt, ſecundum nomen tuum uocati ſumus. Nam Iudæis ſolenne erat, ut infanti nomenclaturam in circumciſione inderent, &c.

¶ *Nomina* quoq; ab euentu aut occaſione aliqua ſuis indere ſeu imponere ſoliti Hebræi, ut & Græci fuere, quibus uel aliquis euentus ſignificaretur, aut ineſſet aliqua admonitio. Sic Sophonias ſpeculatorẽ dei ſignificat. Et fieri poteſt, quando omnia certa diuinæ prouidentiæ diſpoſitione eueniunt, ut deus puero hoc nomen dare uoluerit, quo ſuo in eo opere uelut præluderet, oſtenderetq; ad id quod eum ſibi deſtinaſſet: nimirũ ut ſuus ſpeculator eſſet. Id quod & in Ioanne Baptiſta et domino factũ legimus. Similiter & Gene. 4. Nominauit Eua filium Cain, Poſſedi hominem per deũ. Geneſis 25. cap. Iacob nam Hebraice ſignificat calcem aut calcat.

Fuit quoq; moris ueteribus, Nomina ijs tranſmutare, quorum facti erant domini, & quos pro ſuis iam agnoſcebant. Ideo Apollinarius & Chryſoſtomus indicant, quod poteſtatis ac dominij iudicium ſit, quando ſerius nomina noua induuntur. Et licet hoc aliquoties in ſcripturis cernere. Adam enim appellans ſuis nominibus animalia, dominium ſe illorum à deo conditum declarauit. Nabuchodonozor regibus quibuſdam Iuda, Item Danieli nomina immutauit, quo ſignificabat eos nunc è familia & aula eſſe Babylonica.

Inſigniuit etiam Chriſtus nouis nominibus quos ſuo miniſterio adſcripſit. Ita ex Simone factus Petrus, ex filijs Zebedæi filij tonitrui, ex Saulo Paulus. Et olim ex Iacob Iſrael, & ex Abram Abraham, pater multarum gentium. Sic Danielis cap. 1. &c.

Nomen adhæc malum educere ſuper aliquem, eſt traducere, Deut. 22. cap. Eduxit nomen malum contra uirginem Iſraeliticam. Item, Noui te ex nomine, Exodi 33 cap. Id eſt, præ cæteris te elegi.

Iuxta Nominum numerum. Id eſt, quotquot fuerant nominati, Nume. 1. cap.

Per Nomina ſua, Id eſt, quorum nomina ſequuntur. Numer. 3. Nomẽ ſanctitatis pro nomen ſanctum, Leuit. 22. Viri deniq; nominis, id eſt, homines magni nominis & clari. Numer. 16. Viri proceres ſynagogę, & qui tempore conſilij per Nomina uocabantur.

Nomen

¶ Nomen dei, nihil aliud, quàm quod de eo prędicaſ, nimirũ quod ſit omnipotẽs, ut Exodi 15. Omnipotẽs nomẽ eius. Quod ſit dominus, ut Pſal. 68. et 83. Dominus nomẽ eius, &c. Quia nomẽ tibi dominus. Itẽ quod ſit iuſtus, uerax, omniſcius, miſericors, ſanctus, ſempiternꝰ, fidelis, pater omniũ, Deus, Græcis θεὸς, id eſt, omnia percurrẽs, dominꝰ Zebaoth, & per ſe exiſtens, quod Ebræi dictione Iehoua exprimunt. Quæ omnia ſacræ ſcripturæ de deo prædicant, eo quod nomen eius eſt ſecundum opera eius, & ſecundum nomen eius, laus eius, Pſal. 48. Alias nõ poteſt illi aliquod nomen aſſignari, quod ſubſtantiam eius exprimat, & illi proprium eſſe queat.

Nomen dei aliquando ſumitur pro gloria, laude, maieſtate, adeoq; pro ipſa maieſtate, ueritate, poteſtate, iuſtitia, miſericordia, bonitate, & quicquid in deo excellens eſt ſed non comprehendit, imò eſt ipſe deus, & quæcunq; dei ſunt, Matth. 16. pro maieſtate, In nomine meo eiiciẽt dæmonia. Pro gloria, Ioan. 17. Manifeſtaui nomen tuũ hominibus. Exod. 9. Nomen poſuit pro ipſa re quæ nomine ſignificaſ. Nam & Act. 4. Petrus dicẽs: Non eſt aliud nomẽ datum hominibus in quo oporteat ſaluos fieri. Intellexit, nullũ me dium rem in orbe nullã aliam hominibus eſſe datam, per quam ſaluãdi ſint quàm uirtus Chriſti domini. Et Ioan. 1. cap. 1. Ioan. 3. Rom. 1. Pro laude dei, ut, Matth. 6. Sanctificetur nomen tuũ, ut idem ſit atq; opinio, fama, memoria, æſtimatio, obſeruantia, & religio dei, cognitio uirtus. Et Pſal. 8. Quàm admirabile eſt nomẽ tuum in uniuerſa terra, id eſt, honor, tum uirtus qua ipſius bonitas maieſtas'ue cognoſcitur. Et Pſal. 34. Deus in nomine tuo ſaluum me fac. Nomen Dei, eſt ipſe Deus: nam ipſe eſt nomẽ ſuum. Ac dicat, Per temetipſum, aut per filium tuum (id ſignificat apud Hebræos etiam nomen tuum) me ſerua, potentiaq; illa tua, qua condita omnia territas, meam ſuſcipe cauſam.

Nomen patris, eſt quoq; gloria, maieſtas, iuſtitia, miſericordia & ueritas patris. Satis notum eſt, Dei nomine quid intelligatur ſcriptura. Et Pſalmo 54. pro fortitudine nomẽ & uirtutem accipitur: Deus per nomen tuum ſerua me.

In Nomine patris uenire, eſt cauſam patris agere: illius etiam gloriam & honorem quærere. Suo in nomine uenire, eſt neglecto Deo, & neglecta omni pietate, ipſos quę rere, gloriam uidelicet, opes & uoluptates.

In Nomine Domini uenire, eſt uenire animo & ſtudio extollendi nominis Dei. Sic uenientium caput Chriſtus eſt, qui nihil unquam aliud quàm patris gloriam quæſiuit & ſpectauit, Pſal. 117.

Nomen Dei Iacob, Pſal. 20. quo numen et uirtutem dei ſignificat. Nomine dei Iacob, quoq; Hebræi intelligũt totũ dei populũ teſtatur ultimus uerſus, Pſal. 14. & 20. Et Eſa. 44. aliaq; loca quàm plurima. ſic nomine Iuda populum Iſraeliticum, Sophoniæ 1. cap.

Nomen amittere deus per Eſaiam 14. & Hiere. 5. dicit ſe Babylonis regumq; ſuorum nomina penitus deleturũ. Dicit autem, an non adhuc omnia Babylonis & regum Babylonę ſalua celebrantur. Sed quorum gloria perꝑiſſet, qui miſericordiam non adſequentur, etiam nomen amiſiſſe dicuntur, cuius deus recordetur.

Nominum impoſitione mos ſcripturæ eſt, res celebres demonſtrare, Malachiæ 1. cap. Et uocabũtur. Sopho. 1. dicitur ciuitas ueritatis. Et apud Eſaiam Hieruſalẽ, ciuitas iuſtitiæ uocabitur uoluntas mea. Et iterum, Vocabunt eos populus ſanctus.

Nomen dei inuocare ſuper aliquẽ, Deut. 28. Quod nomẽ domini inuocatũ ſit ſuper te, id eſt, intelligent te uocari de nomine Dei, uel te uocari populũ Dei, & eſſe. Et in Actis 15. ſimilis idiotiſmus hebraicus legitur. Nam ſuper eos inuocatur nomen Dei, qui nomine & numero populi dei numerãtur, ut liquet Gen. 48. Eſaiæ 4. Alij ſimpliciſſimonio, quod apud Ioelem legimus. Futurum eſt autem, ut omnis qui inuocauerit nomẽ, nec malè intellexerunt. Quicunq; inuocauerit nomẽ meum, ut cum eo cõgruat temen domini, ſeruetur. Per hæc enim fit, ut requiramus deum, & ut eius nomine uocemur Chriſtiani ſeu populus Dei.

Nomen nouum, Eſaiæ 62. cap. Et uidebunt gentes iuſtitiam tuam, & cuncti reges gloriam ſuam, uocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini declarabit. Nouum dicit nomen nuper diſperſum, non nuper inuentum.

Nomen dei polluere, Leuit. 19. cap. eſt falſe iurare per nomen eius. Item, Contaminare nomen dei, Leuit. 20. cap. eſt Deo honorem non præſtare, qui illi debetur, ſiue abſentem colere deo ſpreto. Et Leuit. 22. cap. Ne nomen meum polluatis, id eſt, Videte ne nomen meum malè audiat propter uos in plebe.

Vt sit nomen eius in eo loco, Deut. 12. cap, Hebraismus. Id est, ut colatur illic & honor illi impenditur.

Per Nomen tuum: uel in nomine tuo: aut propter nomen tuum, omnino orationes sunt huiusmodi locutiones. Et hunc sensum habent Hebræis: Oro tuam maiestatem, gloriam, bonitatem, omnipotentiã, magnificentiã, &c. Ita quum Christus dicit patri: Manifestaui nomẽ tuum fratribus meis, perinde est ac si dixisset, manifestaui te. Sic quum identidẽ in scripturis dicit, Libera nos propter nomẽ tuum, id est, propter temetipsum.

Nomina item rebus in hoc imponuntur, ut res ipsæ per nomina significentur, explicentur & cognoscantur. Sic Moses Exodi 3. inquirit non literas tantum & syllabas, sed multo magis inquirit manifestam dei reuelationem et cognitionem, ut possit Israelitis ad credendum uocationi dei sibi mandatæ, non aliter persuadere, quàm si deum ipsum personaliter & uisibiliter conspiciendum ac manibus palpandum proponeret.

Nomen Adonai, nomen tetragrammaton Iehoua, non est nomen significatiuum imperscrutabilis essentiæ, sed perscrutabilis uoluntatis dei, & significat firmitudinem ac cõstantiam Dei in promissis suis. Deus enim promissionum suarum tam seruans est, ut malit naturam rerum inuertere, & cœlum ac terram demoliri, quàm permittere, ut uel unum tantum promissi sui iota & apex fallat. Duplicatur autem Exodi 34. nomen Adonai seu Iehoua, ut repetitione nominis significetur, certissima & in æternũ nunquam fallibilis promissionũ Dei ueritas. Dominator dominus, pro his duobus uocabulis, in Hebræo bis ponitur Adonai nomen tetragrammaton Iehoua Iehoua. Greci uocant tetragrammaton, quia constat quatuor tantum literis.

Nomen dei cognoscere, non est simpliciter cognoscere dominum, quod deus aliquis sit: sed scire maiestatem, potentiam, & bonitatem eius, hoc est cognoscere nomen eius. Fit autem bifariã. Primo, quando potentiã suam contra impios exerit, ut Exodi 14. Magnificabor in Pharaone & exercitu eius, scientq; Ægyptij quod ego sim dominus. Secundo, quãdo bonitatẽ suã suos asserẽdo ac liberãdo declarat, id quod in ueteri Testamento typicos fecit: noui uerò Testamenti tempore, in Christo filio suo perfectè ostendit quàm propitius, clemẽs, bonus, misericors sit, in eo quod proprio filio suo nõ pepercit, sed tradidit illũ ꝓ nobis. Nominari filiũ dei, est iuxta proprietatẽ sermonis Hebraici esse filiũ dei. 1. Ioan. 3. Videte qualẽ charitatẽ dedit nobis pater, ut filij Dei nominemur.

Nomen impiorũ, est illorum existimatio: nam Dauid Psal. 9. Nomen eorũ deleuisti in seculum. Intelligit per nomen, existimationem illam qua magni & glorioſi fuerunt in seculo. Significat hac particula, impios fuisse uiros, nominatos & glorioſos.

¶ *Non*, pro non solũ, crebro est in usu sacris, Marci 9. Quisquis me nõ recipit, id est, sed etiam, &c. Vel non tam recipit, quàm eum. Et sic sæpe in Euangelio Ioannis.

¶ *Non sic*, pro eo quod est, non quemadmodum oportebat, Hiere. 23. capite, Et fortitudo eorum nõ sic. Translatio uulgaris, Et fortitudo eorum dissimilis. Septuaginta, Et fortitudo eorum ad eum modum.

Non, negatio interdum latinis interrogatio est, Esa. 43. Non intelligunt qui ligneũ simulachrum extollunt? Non ego te uidi Damonis pessimè caprum, inquit Vergilius.

Non, Exodi 5. pro, Non daturus sum uobis post hac. Item, Non cum patribus nostris iniit pactum, Deuteron. 3. capite. id est, tantum uel solum similis loquendi modus est. Geneſis 32. cap. Non uocabitur nomen tuum Iacob, sed Israel. pro, non tantum uocabitur, uel non solum.

¶ *Non esse*, dicuntur Hebræis contempta. Sic Rom. 4. Et uocat ea quę non sunt tanquam sint, hoc est, quæ non sunt fœcunda, scilicet, tanquã sint fœcunda. Non esse intelligens, quæ sint cõtemptissima siue perditissima? Sic 2. Cor. 2. Vnde nihili hominem dicimus, nullius precij hominem. In summa, Non entia dicũtur contempta. Ezech. 26. In nihilum dabo te, non tu (scilicet) eris. Qui enim Deo non uiuit, in scripturis sanctis nõ esse seu subsistere dicitur. Hester 14. Ne tradas sceptrum his qui non sunt, utique erant quibus obsecrat, ne tradatur, sed Deo non erant, qui uirtutibus & uiuenti Deo cessarant. Septuaginta, Perditionem te dabo, & non subsistes amplius.

¶ *Non adurere aucupium*, est diuitias fraude conquisitas cito perire, Prouerb. 12. capite, Non aduret dolus aucupium suum. Methaphora sumpta ab auibus, quibus alæ nõ sunt adustæ cito aufugiunt.

¶ *Noscere*, in scripturis, est prædicare nanque Deum & bonitatẽ eius in rebus omnibus

nibus celebrare, non est nisi eorū, qui illā plane agnouerūt, eiq; sese iusta fide dediderūt. Hi iam necesse est auscultent domino, fœdusq; cū ipso ictū seruent sanctissime. Totius igitur pietatis consummatio est, ex animo, dei laudes deprędicare. Hinc Paulus Rom. 10 cap. Corde creditur ad iustitiam, ore fit confessio ad salutem.

Nosse Dominum facie ad faciem, est de facie eum nosse, & cum eo consuetudinem habere, Deut. 34. cap. Quem nosset dominus facie ad faciem.

Nosse deum, est credere, Ioannis. 8. Nam non est tantū nosse eum esse creatorē cœli & terræ, sed credere eum esse patrem nostrum, quod fieri nisi per Christum non potest.

Nosse in Ebræo significātius est, q̄ in alijs linguis. Significat enim sentire & experiri aliquid, quale sit secundū suam naturā. sic de Adam dicit Scriptura: Cognouit uxorem suam, hoc est, expertus est, & sensit. Sic nō nouit deus superbos, hoc est, nō curat, nō pro mouet eos. Et Psal. 51. Quoniā, inquit, iniquitatē ego cognosco. Quasi dicat, uere sentio.

Nosse dei, frequens ideo tropus in scripturis, Psalmo 1. Nouit Iehoua uiam iustorū. Neq; enim quicquam ignorat deus, sed cognitionē solet amor, cura & prospectio consequi, His deus prosequitur uiram sanctorum, ideo & hic fructifera est, & in futuro diem eam sors atq; felicitas consummata excipiet. Hanc itaq; curam, atq; paternam prouidentiam, Psaltes significare uoluit. Et hæc locutio sæpe occurrit, Psal. 144. Quid est homo quod agnoscis eum. Et Psal. 31. Et agnouit in tribulatione animam meam, Hiere. 1. Priusq; cognoui te in utero matris, &c.

Nosse denique ex nomine, est Deo curæ esse, & idem est quod inuenire gratiam coram Deo, quod est Deo gratum & acceptum esse, Exodi 33. cap. Inuenisti enim gratiam coram me, & te noui ex nomine.

¶ *Nouacula*, ueluti acuta nocere, Psal. 51. sunt qui simulāt amicitiam & pietatem, quo sese in aliena consortia ingerant, et inter ipsa necessitudinis officia per occasionē lædunt, maximè quando de re agitur pecuniaria. Nam in illa impij omnes, quum cœlestia omnino negligūt, mire sunt oculati. Hos igitur impostores Propheta aptissimè acutæ comparat nouaculæ, quæ inter agendum tam uulnerat leuiter, ut etiam non sentiatur, Psal. 51. Sicut nouacula acuta fecisti dolum.

Nouaculum transire super caput, Numer. 6. Nouacula nō transibit per caput eius. id est, non curabit tondendum caput suum.

¶ *Nouale* Hebræis est cogitatio. Est alioquin Nouale repurgatio agri squalidi & spinis obducti. Prouerb. Et dilatatio cordis, sed et nouale impiorum, peccatum est. Nouate agrum hinc, est agrum adaptare sementi repurgatis uidelicet spinis & herbis. Hinc quoq; Nouare nouale apud Hieremiam 4. cap. significatur q̄ per id, ut populus se in nouet, & ad susceptionem seminis diuini præparet, sicut subditur: Circundamini, &c. Nolite enim dominus, ut semē illud cadat inter spinas, & suffocetur. Et apud Hoseam 10. Nouare noualia est de nouo rumpere et augere prouentum, neglecta resarcire, uel post messem exactā iterū arare, et excitare solū, nouare culturā. ne se quispiam summā studij apprehendisse cōfidat. Docet Propheta semper repurgandā terrā cordis nostri à puris gentibus spinis & carduis nemorū. in hac mortali uita nemo tam perfectus est in pietate, in quo non subinde repullulant noxię cupiditates, ueluti zizania in agro bene culto.

Nouare nouale aut noualia. Et serere super spinas, Hiere. 4. Prouerbialiter dictum apparet: estq; idem quod domi supellectile. Et in patria & domi manebitis in rebus & substantijs siue facultatibus uestris. Sequitur, Et non seminabitis in spinas. Itidem prouerbiale est, pro, Non erit fustraneus aut alienus labor uester, qualis est captiuorum ac seruorum, qui colendo agrum ipsi nihil reportant, cunctis ad herum redeuntibus.

¶ *Nonus* numerus nunquam in bonam partem legitur, Hiere. 39. Hierusalem nono anno à Babylonijs oppugnat. Dies quoq; propitiationis & expiationis mensis septimi post diem nonā celebrat. Haggæo sermo fit domini in uicesima & quarta noni mensis.

¶ *Nouus*, pro alio, Exodi 1. cap. Surrexitq; rex nouus super Ægyptios, qui non nouerat Ioseph. Septuaginta, ἕτερος. Esaiæ 62. Et uocabitur tibi nomen nouum, quod os domini declarauit, Ioannis 13. Mandatum nouum do uobis. id est, aliud. Nouus homo & uetus, suprà declaratū est. Dicitur enim Interior homo, noua creatura, spiritus mentis.

¶ *Nouissimus dies*, postremitas dierum, hoc est, nouissimum tempus. Illud autem tempus est aduentus Christi. Apostolus plenitudinem temporis uocat, Esaiæ 40. cap. Militiam, Esa. 2. Et erit in postremitate dierum, Deut. 4. Cum tribulatus fueris, & te inuenerint

inuenerint omnia quæ prædicta sunt,in postremitate dierum reuerteris ad dominum deum tuum,hoc est,postea.

Deinde Nouissimũ tempus quoq; uocatur,Vltima ætas:quæ est à Christo usq; ad consummationem seculi.Prophetæ innumeris locis uocarunt Nouissimum tempus.Joannes Nouissimam horam.D.Paulus alibi,Tempus contractum,Reuelationem dominii. Nouissimi dies appellantur.

Nouissim⁹ quoq; dies nõ pro eo,quo Christ⁹ in iudiciũ uẽturus est solũ significat,sed rum etiam pro fatali illa cuiusuis hominis hora,qua è uiuis discedẽs in alterã illam uitam transit,ut Ioan.5.Et ego suscitabo eum in nouissimo die,id est,à nouissima uitæ hius hora,qua è mundo,hoc est è uiuis excedit,in uita æterna ipsum conseruaturus sum.

Nouissimum mare,Deut.34.Id est,mare occidentale & mediterraneum,quod in parte Occidentali erat respectu Terræ sanctæ.

¶ *Nubere* Græcis ambiguum est uerbum γαμῶσαι quod significat & Nubere uiro & ducere uxorem.1.Cor.7.Nam hæc sententia Pauli ad utroq; pertinet uiros & mulieres. Et Matth.24.Nubentes,pro nuptui tradentes,ad Corinthios accommodauit uiris.Dicere poterat:Ducentes uxores & nuptum dantes:ut alterum ad uiros pertineat,seu magis ad utroq; sponsum ac sponsam,alterum ad soceros & socrus.

¶ *Nubes*, definitore Aristotele lib.de Mundo ad Alexandrum,& interprete Guil.Budæo,est crassamentum exhalationum conuolutum uim habens aquæ gignendæ.Quare igitur Nubes aquas gignunt,& ex humidis exhalationibus gignuntur, per Metonymiam aquæ à Dauide Psalmo 14.uocantur.Et Psalmo 78.29.Et, Vox Domini super aquis,hoc est,in cubilibus.uersu 12.Psalmi 18.pro densis & atris nubibus,dixit obscuras & tenebricosas aquas.Nam ea omnia ex quibus præcipuè diuina potentia mortalibus demonstratur,è nubibus ueniunt.Inde facit Psalmes illas,Dei cœnacula,Psalmo 103. cat eas latibulum Dei,& Psalmo 104.etiam uehiculum.Sic prædicat,ferri eum alis ventorum,nẽpe indicibili peruicitate.Nubes Hebræis etiam robusti dicũtur,Psal.79.Chazarim,&c.& Abirim,id est,fortium.Ebræi Nubes interpretantur, quæ & Chazaroth, quod item robustos significat,dicuntur.

Nubes quoque pro cœlo accipere consueuit scriptura.Sic Psalmo 36.Nubes & cœlos pro eodem,ut & bonitatem & fidem,accipit.Nam nubes cœli symbolum est,dicente Propheta,Qui posuit in nube ascensum, Actorum 1.cap.Et nubes subduxit illum ab oculis eorum.Sed & Nubes sunt diuinæ præsentiæ symbolum,Matth.17.cap.Ecce nubes lucida obumbrauit illos.Leuitici 16.cap.dicit dominus se loquuturum ex nube.Nubes item super tabernaculum,certissimum indicium diuinæ gratiæ,Numer.16.cap.Nube præcessit proficiscentes ex Ægypto.

Nubes,pluuia,imber,prædicationẽ et eloquium dei,Euangelium⁹q;,uerbum nõ incõgruè designant:quia mos est scripturæ sanctæ doctrinam nubem,imbremq; nuncupare. Vnde & uineam Iudæorum sicut infructuosam auferens,dicebat:Mandabo nubibus ne pluant.Hinc per nubes sancti prædicatores,id est,apostoli demõstrantur,Esaiæ 40.Qui sunt isti,qui ut nubes pluuiam baiulant,& effundunt eam super terram,& irrigant illam:sic & prophetæ pluuiam,id est,doctrinam euangelicam & uerba à deo,& effundunt & irrogant corda arentia,& super rationabilem terram.

Per Nubem D.Paulus apud Hebræos cap.12.densitatem,frequentiam seu multitudinem uestium intelligit(non obscuritatem seu refrigerationem,sicut aliàs frequẽs est in scripturis Nubes translatio)id quod etiam satis indicat uerbũ περιεστῶτος.Apud Ezechielem cap.1.Nubes & caligo tristitiam significant.

Nubibus præterea uehi & ingredi seu equitare super leuem nubem scriptura dicit. Et uenire in nubibus cœli.Et Vehi pennis uentorum,ut Psalmi & prophetæ quidam faciũt deum,uidentẽ hæ locutiones terrificam simul & repentinam iudiciorum dei uim significare.Nam Nubes diuinæ maiestatis & potentiæ cœlestis iudicium,iuxta illud Psalmi,Nubes & caligo in circuitu eius.Et Ioannes in Apocalyp.cap.1.est, propter celeritatem.Vide suprà Equitare super leuem nubem.

Nubes & Iris,maiestatis pariter & beneuolentiæ insigne præseferunt,Apocalyp. sis 10.capite.

Nubes sine pluuia,est hypocrisis sine fide.Iudas,Nubes sine aqua,quæ à uentis circumferuntur.

Nubem

Nubem transire, est uelociter aliquid fieri, Hiob 30. cap. Et sicut nubes transiens, id est uelocissime, recessit à me omnis constantia.

¶ Nudi, Paulo 2 Corinth. 5 cap. dicuntur qui sine pudore in sceleribus & rebus ignominiosis uersantur in hoc mundo, non ipsam rationem, sed affectum sequentes in omnibus prauum. Si tamen, inquit, induti non nudi reperiemur.

Nuditas hominis, pro uerendis, Genesis 9. Verenda scilicet patris sui esse nudata. Vel: Nuditatem patris sui. Sic habet Hebræus, pudice de uerendis loquens. Nuditas uel turpitudo mulieris, Leuitici. 18 cap. Nuditas enim patris tui est, id est, rem habuit pater tuus cum ea. Vel: Turpitudo enim patris tui est. Et eodē cap. Non discooperies nuditatem mulieris. Id est, ne ducas uxorem nouercā tuam patre mortuo. Nuditatem seu turpitudinē uocat pudendæ partes, per Antiphrasim, quod nūquam nudæ esse debeant.

Nudare caput autem, & uestimenta scindere publici erat moris & officij in luctu. Nam publicē lugendi mos apud Israelitas erat, caput nudare, ut conspergerent cinere, sed quidam interpretantur, comam nutrire, & uestimenta scindere. Aliæ gentes luxerunt capite nō nudo, sed capite obtecto, qua in re lex est, regio ipsa, Leuitici 10. Nolite, inquit, capita uestra nudare, & uestimenta scindere. Luctui apud Iudæos, seruierūt ieiunium, cilicij seu saccus & cinis. Ahab publicè lugens futuram familiæ ipsius internitio operuit cilicio carnem suam, ieiunauit, & dormiuit in sacco. 3. Reg. 21. Item Ninive & Daniel. 9. cap. Hæ sunt lugentium cæremoniæ & luctus insignia apud Iudæos.

Nudus postremo incedere, refertur ad splendidiorem ornatum, Michęę 1. capite, Incede nudus & spoliatus. Non quasi planè nudus uelit incedere, sed quod honestiore ueste depositō, in uili ueste (sicut sordidati solebant) uelit incedere. sicut Esaias iubebat incedere nudus, ad significandam captiuitatem Ægypti. Necę autem est, quod cogimur eum prorsus nudato corpore incessisse, uili & breuiore ueste indutus fuit, oblonga & honestiore abiecta. sicut in historia Euangelij discipulus dicitur aufugisse nudus, relicta post se syndone, quæ superior & honestior uestis erat. Et 1. Samuelis 19. Nudus Saul tota die & tota nocte prophetauit cum cæteris coram Samuele, &c. Non intelligendum quod nudi psallerent uel docerent, sed prophanis uestibus sepositis sacro aliquo uestitu pro more ueteri interesset cœtui sanctorum, & sacra tractantium.

¶ *Numerus*, pro pauco, Gen. 34. Et ego uiri numeri congregabuntur illi aduersum me. Septuag. Pauci simus sum in numero. Item, Numerō pro multitudine, Psal. 142. Numeras numerū stellarū. Septuag. ἀριθμὸν, id est, multitudinē. Numerus dierū, hoc est, pauci dies. Numer. 9. Et fiebat quando nubes per dierum numerū manebat super tabernaculum, iuxta os Domini in castris residerunt, & iuxta os Domini proficiscebantur.

Numerus quoq; pro re in suo genere absoluta, perfecta & consummata, Apocalyp. 15. cap. Numerus hominis, perinde est ac si dicat: Vno uerbo accipe rem, totus homo est, omnes numeros hominis implet, &c.

Numeri porrò mutatio siue narratio apud prophetas frequens est. Nam Hebræus more suo iungit singularem nominatiuum plurali tertiæ personæ. Sic Esa. 5. cap. Iustus radiorum fructus comedens, per quod discas, iustos omnes comedere, ut Iustus collectiui nominis uim habeat. Sic eodem tropo.

Singulare uerbum plurali nomini additur, Esa. 3. Populū meum exactores eius rapiunt, quo unum omniū in hoc cōsensum uideas, quasi unus agat. Plura de numeris D. August. in libris ciuit. diuinæ. Nam ut ipse testatur, ratio numeri non est contemnenda, quæ in multis sacrarum literarum locis obuia fit legenti, lib. 11. cap. 30.

Numerus certus pro incerto, Esaiæ 19. cap. In die illa erunt quinq; ciuitates in terra Mizraim. Per quinque ciuitates, intellige aliquot. Sic duodecim millia in titulo Psal. 59. more Hebræo, ingentem numerum significat.

Numerus singularis pro plurali Hebræis quoque familiaris. Plæraque enim elata & numero singulari re ipsa pluraliter exponunt & intelliguntur, ut Psalmo 104. Dixit & uenit locusta, & brucus, cuius non erat numerus, Iohelis primo capite, Residuum bruci comedit locusta. Psalmo 77. Attendite populę meus. Zachariç 1. capite, Oculus hominis, id est hominū. Exodi 13. Omne masculinū adaperiens uuluam, &c. Zacha. 7. capite, Num flebo in mense tanquam de uno loquens. Psal. 40. Exaudi Deus orationem meam, id est, orationes nostræ multitudinis. Et perinde est ac si multi orent, & dicant, Exaudi, &c. Id quod in Psalmis crebro occurrit.

Numerus

Numerus dualis frequens in ſacris literis, quum ſcilicet pluralis ponitur, nullo addito numero, qui crebro occurrit.

Numeri mutatio hæc quoq; eſt familiaris apud prophetas, quo ſubito à plurali transitur ad ſingularem, & contra, ut, Pſal. 7 de inimicis & nequitia peccatorum: & dicit in eodem Pſalmo, Ecce parturit iniuſtitiam & concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Et Pſal. 9. Dum conuertetur inimicus meus retro infirmabuntur à facie. Sic Eſa. 27 de Iſrael dicit: Veniet dies, & radices mittet Iacob, Florebit & fructum afferet, & implebit facie orbis. Afferet, dixerat, & ſubiungit, implebunt. Et in prophetis frequens eſt, quando multitudo ſignificatur, ut Eſa. 15. cap.

Numerus infinitus, pro finito, ut Exodi. 12. cap. Erit nobis in legitimum ſempiternū. Exodi 21. cap. Seruiet ei in ſempiternum, ubi non intelligitur æternitas illa, ſecundum quod nobis æterna promittuntur, neq; enim ſeruus iſte uiuere in æternum potuit.

Numerus finitus pro infinito, Prouerb. 21. Septies in die cadit iuſtus, Matth. 18 cap. Non dico tibi uſq; ſepties, ſed ſeptuageſies ſepties. Summa. Vt enim nos numerum finitum uſurpamus pro finito, totum pro parte, partem pro toto, genus pro ſpecie, ſpecie pro genere, ita & Hebræi. Item Numero plurali utuntur Hebræi, dum augere rem uolunt, & magnificare, unde & deum plurali numero uocant.

Numerus millenarius, eſt ultimus, Cantic. 8. Vir tradit pro fructu eius mille argenteos, ſignificat cuſtodes illos uenire cum pleniſſima mercede & ampliſſimis fructibus.

¶ *Nunc* pro cito, Hoſeæ. 5 cap. Nunc deuorabit eos menſis cum partibus ſuis.

¶ *Nunciare* pro gratias agere, Deut. 26. Nuncio hodie domino deo tuo. Translatio uulgaris, Profiteor. 1. Cor. 11. cap. Mortem domini annunciate.

O

, Hebraice הוי admirationis nota utuntur Hebræi. O rem admirandam, O quantum ſignum. Quomodo Chriſtus eſt uitus. Quis putas eſt fidelis diſpenſator & prudēs Matth. 24. Et Lucę 12. Hoc eſt, O quantus eſt, qui fideliter ac prudenter diſpenſat, &c. Quantus, id eſt, quantus precij obſecro eſt fidelis ſeruus ac prudens: ut oratio admirationem habeat, & ſpeciem exclamationis. Sic & Ezechias Eſaiæ. 38 cap. Poſt ſuum deſperationis æſtum, quum diuina benignitas adfuiſſet. Sic admiratus eſt inſperatum periculi exitum: O quantum ſignum.

¶ *Obedire* uerbo dei, eſt acquieſcere, credere uerbo, uocem domini audire, eiuſq; mandatis obtemperare. Obediens filius dei eſt, qui Euangelion ac uerbum dei audit, atq; fide amplectitur, quiq; humilis & mitis corde eſt, qui aliàs etiam pauper ſpiritu nuncupatur. 1. Petri 1. cap. Vt filij obedientes, id eſt, gerite ita uos, ut filios obedientes.

Obedientia, præ omnibus Deo, ut germano imperatori, & domino noſtro: deinde iis quos deus nobis gubernatores ordinauit, deditq; ut patri, matri, dominis, iudicibus, & ad tutandam pacem publicam in poteſtate conſtitutis obediendum eſt. Si quod pacis & Reipublicæ referat, & eiuſmodi uel tyrannicum, quod Deo tamen non repugnet, quid præcipiant, perfer, obſequere, et ſumma modeſtia obtempera, hoc fraterna charitas flagitat. D. Paulus poteſtatem Dei miniſtram tibi in bonum uocat.

Obedientia nonnunquam fidem ipſam ſignificat in ſcripturis, 1. Regum 15. cap. Obedientia melior eſt quàm uictima.

¶ *Obfirmare* faciem ſuam cōtra aliquē, Leuitici 17. capite, Obfirmabo faciem meam contra animam illius. Hebraiſmus elegans eſt, pro, Iraſcar illi uehementer. Sed Obfirmare faciem ſuam apud Lucam 9. cap. loquutio eſt Hebraica Hoc eſt, parauit ſe ut iret Hieroſolymam. Statuit certo apud ſe ire Hieroſolymam. De hoc tropo uide in litera F. in nomine Facies.

¶ *Obdormire*, tanta impietate plerunq; in credēres uidēt ſæuire impij, ut deus ebro inuocatus à ſuis, preces non modo non negligere, ſed etiam deſertis credentibus obdormire putetur. Sic Pſalmo 43. Exurge, ait Dauid, quare obdormis Domine. Cæterum uana eſt hæc noſtra opinio, quum alibi Pſalmo 120. certo pollicentur, nunquam commiſſurum deum, ut ſomno concedat, in tanta ſuorum oppreſſione Ecce, inquit, non dormitabit neq; dormiet, qui cuſtodit Iſrael. Ex hoc nunc, &c. Ideo Dormire Dei, eſt interdū anxijs tardè ſubuenire, ut ſuprà in adducto Pſalmo patet. Vigilare deo, eſt in

est in defensione suorũ electorũ,& ultione inimicorũ suorum manifestè se demõstrare.

Obdormire in morte seu in mortẽ,est negligere & ignorare dominũ,torpere,nec dei uoluntatẽ inquirere,neq; monitis dei obtemperare,& animũ à deo alienare,et perire in tentationibus & cogitationibus à dæmonibus suggerentibus,& in desperatione absq; gratia dei eiusq; fauore & uerbi illuminatione ex hac uita decedere,& æterna morte mori.Deprecatur Dauid hanc tentationẽ mortis & inferni præsentissimã Psal.13.Illumina oculos meos,ne unquam obdormiã in morte,hoc est,exhilara faciem meam iam squalore tristitiæ obscuratam,ne moriar in infidelitate,quæ me tentat.Petit Dauid ne moriatur,& iaceat mortuus æterna morte,hoc est,inquietissima & æterna confusione.

¶ *Oblatio* Hebr. תרומה,quod propriè significat eleuationẽ.Et quidem aliquando capitur pro ביכור primitijs,aliquando pro ritu quodã oblationis,ut quod armus & pectusculũ in altum coram domino leuabant,& non in quatuor orbis partes agebantur,qui ritus בה חנך uocatur.aliquando pro מחבת donatione & uoluntaria contributione,ut in Exodi 25.cap.Vnde Hebræi dicunt Thruma est uoluntaria separatio de exactis frumentis.Item oblationem pro peccato,peccatum.Appellatur Hebraicè Oblatio,omne sacrificij genus,ducitur à Nacha obtulit,apportauit,adduxit.Hanc oblationem,Septuaginta uertunt modo ἀῶρα,id est,munera,modo θυσίαν,hoc est,sacrificia.Item,Oblatio est libatio sacra uelutiq; solennis cõclusio sacrorũ,Eyn speys opffer Minha.Hæc leuitio,quæ Hebraicè etiam Thruma nocatur,esse munus quoddam,uoluntario datum corde,siue contributionem pro ministerio sancto factam,Exodi 31.cap.

Oblatio Minha,uocatur iuge illud & perpetuum sacrificium,fiebat in uespera,hoc est,cum sol inciperet declinare.Vnde usus apud Hebræos obtinuit,ut sæpe tempus uespertinum uocent Minha.Et licet scriptura quoq; uocet ius illud sacrificiũ:quod mane fiebat,Minha,tamen peculiariter adaptatur tempore uespertino,& eius sacrificio,Exodi 29.Et fiat hoc holocaustum iugiter,&c.Et Leuitici 2.uocatur munus oblationis Minha,quasi consolationis,aut quasi munus placationis,ut Racanat.putat,& secundũ autorem Zeror Hammor.Munus cap.6.Leuitici,ex pane aut farina & oleo confectum. Non habet oblatio Minha proprium uocabulum apud Latinos,sicut holocaustum aut sacrificium pacificorum.Hebræi dicunt Minha,esse munus missum regi regum.

In Oblationem de area reputatio,locutio est Hebraica,Numer.18.cap.Id est, tam grata erit oblatio uestra,quàm est grata oblatio eorum qui offerunt aliquid ex propria area,aut ex proprio torculari,siue ex proprijs prædijs.

Oblatio autem ignita Exodi 29 cap.Oblatio est domino,odor suauissimus uictimæ domini.Hebræus sic Holocaustum enim est domino,odor quietis,oblatio ignita est domino.Id est,Oblatio est enim,quæ tota igni absumi debet in honorem dei estq; oblatio quæ quiescere facit iram dei:hoc est,pacatum eum reddit hominibus.

¶ *Obliuisci*, pro consolari aut dolorem adimere,Gen.41.Vocauit nomẽ primogeniti Manasse.Nam obliuisci me fecit deus omniũ laborũ meorum,et omnis domus patrum meæ.Eſt & Antithesis.Quasi diceret:Orbatus fui patre meo,calamitosus fui in hac terra,& ecce deus iam pro calamitate quietem,pro patre dat liberos.Et Psal.136.Si oblitus fuero tui Hierusalẽ obliuioni detur dextera mea,hoc est,si nõ auxiliatus fuero tibi,si te non iuuero.Deus enim obliuiscitur nostri,cum nõ iuuat,& nos eius dextræ,id est,magnificentiæ & potẽtiæ obliuiscimur,cũ eam non agnoscimus,nec illi ex fide inseruimus.

Obliuisci Dominum,est eius præcepta non obseruare,Deuteron.8 capite,Obserua & caue ne quando obliuiscaris Domini Dei tui,&c.Deum nostri obliuisci,& suam à nobis abscondere faciem.pro eo poni,quod est nos negligere,non nos curare,quod tamen ita afflicto uideatur, non sit reipsa.

Obliuisci quoq; dicitur deus,cum quibusdã impijs et peccatoribus non misereꝫ,quodutiq; non facit per crudelitatem,quæ in deo non est,sed per occultum iustumq; iudiciũ suum.Hæc Augustinus.Obliuisci uerbum nonnunquam pro aduersari reperitur.

¶ *Obligare*, est molestiam leuare.Vulnera enim quum curantur,solent obligari, Psal.147.uersu 3.Qui sanat confractos corde,et obligat plagas eorũ.Confractos corde, id est,summè afflictos,bonitate sua mederi,omnemq; eorum molestiã leuare.Eodem uerbo usus est & Esaias cap.1.Non obligant,absolutè impersonaliter ponaꝫ,pro,Non obligatur.Hoc est,tam deploratum est uulnus,ut non sit obligandum.

Obligationes.Psaltes 125.Psalmo,improbas actiones,prauosq; animi affectus,ac

motus consulto immundos uocat. Declinantes autem in obligationes, adducet dominus cum operantibus iniquitatem.

¶ *Obliquum* uocat Dauid Psalmo 18. qui obliquat & à fœdere recedit, & ipse sic agit, deflectitur à promissis suis, & inuertit omnia, Deut. 32. Moses uocat Israelem transgressorem, nationem prauam et peruersam. Sicut enim Rectum scripura uocat, qui simplici animo stat promissis & præceptis Dei iuuit: ita curuum & obliquum atq; peruersum uocat, qui fidem Deo datam uiolat, & à iussis eius declinat.

Obliquum cor, nunc per iactantiã, arrogãtiamq; elatũ, nunc per calamitates & dolores deiectũ huc atq; illuc fluctuat: unde Ecclesiastes ait, Obliquum cor non dirigetur.

¶ *Obsequium*, apud Diuum Paulum Rom. 9. capite, pro cultu siue religione ponitur, quod alibi seruitutem, Græcè ἡ λατρεία, id est, cultus seu religio. Sentit autem officia sacerdoralia, & ritus ac cæremonias sacrarũ, interprete Origene. Et Rom. 12. Rationabile obsequiũ, τὴν λογικὴν λατρείαν ὑμῶν, id est, rationalẽ cultũ. Perinde quasi dicat, Si mactaueritis & immolaueritis deo corpora uestra, hoc est corporeos adfectus, non iugulantes brutas ac mortuas pecudes, quod ante hac factitatum est à Iudæis: ita demum habebitis illi iustitiam acceptam. Et Rationalem appellat, non ut intelligat cultum moderatum, hoc est, moderatam corporis macerationem.

Obsequium, in adducto capite, posuit pro sacrificio, idq; suo more. Cæterum ut ostenderet Christianorum cultum dissimilem esse Iudaicis cæremonijs, quibus immolabant brutas pecudes, adiecit, Rationale, uimirum per ipsum hominem sentiens, qui uictima est rationalis, & ob id Deo acceptior. Item,

Obsequia in Paulo sunt etiam sacerdotalia officia, Rom. 9. Et gloria & testamenta & legislatio, & obsequium & promissa.

¶ *Obsecro*, Hebræi utuntur לך & לבך, quemadmodum Græci λίτομαι & λιτάνευω, pro hortandum & inhortandum, sicut Latini, Ades, & adeste. Esaiæ 2. Venite ascendamus, Hieron. transtulit. Clarius ergo est, Ascendamus obsecro. & est uox citantis.

¶ *Obsignare*, est rem, negocium ue perficere, ut rei posthac nulla accessio fiat. Nam literæ consignatæ & clausæ & absolutæ sunt, Ezech. 28. Tu obsignato summã: quasi dicat, ultra enim progredi non potes, &c.

Obsignare Paulo, Rom. 15. capite. Hoc igitur ubi perfecero & obsignauero illis fructum hunc, &c. Notatur enim fides ac diligentia, quæ in ijs esse debet, qui ecclesiæ præficiuntur bonis. De qua re et in 6. Actorum capite, & 1. Timoth. 3. Solet autem Obsignari, quod summa fide reddi, ac syncerum esse uolumus. Fructum appellãt eleemosynã per metaphoram.

Obsignari legẽ, ut Esa. 8. Legemq; obsigna. Apparet ab aliquo forensi more acceptũ esse, ubi testimonia signari, lex esset. Legem intelligit Propheta, ea qnæ hoc capite prædicta sunt: quę propter firmitatem Lex appellantur. Vt quemadmodum leges sacrosanctæ debent ac inuiolatæ permanere, ita quæ dominus hoc cap. 8. prædicit firma fore.

Obsignari uisio, Loquutio est, qua usus est Daniel 8. Et tu, inquit, Obsigna uisionẽ. Hoc est more prophetico, ostẽde quod hanc prophetiã pauci intelligẽt, dum obsignata: nam multis diebus obsignata erit, donec impleatur, & tunc tandem intelligetur.

Obsignare librũ apud Danielem 12. Tu autem Daniel obserua uerba & obsigna librum. Ne pntemus ita dominũ uoluisse obsignari librũ, ne cui loquaꝛ Daniel, usq; ad diem ultimũ: uel quasi mysteria illa non sunt reuelanda, uel intelligẽda: nam si omnia propter nostram doctrinã scripta sunt, quæ obscura erunt, propter nostram ignauiam ignorabunt. Verum hoc prophetæ præceptũ est, nõ ut latere nos debeant, quæ cognoscere operæprætũ est, sed ut multorũ socordia reprehendaꝛ. Iubetur claudere librum, quia pauci erunt crediturí, ut eodem cap. patet. Sic Ezechiel, et post eum Ioannes deuorabat librũ, & factus est ei dulcis in ore ut mel, sed dein amarus in uẽtre, quo præceptorum oſtenditur, quales futuræ prophetiæ, & quomodo ab hominibus excipiendæ. Et nisi timore Domini fuerimus præditi, et Christus librum aperuerit, bene nobis obsignatus erit, sic ut & Esaiæ 29. prophetis Dominus minatur ignorantiam. Rabbi Leui hunc locum Danielis exponit, Obsigna librum, id est, ne his addas amplius.

Obsignari præterea, signari, claudi & confirmari peccatum, est implere mensuram peccatorum Iudæos in Christo, crucifigendo ipsum & spiritu sancto in apostolos resistendo, Danielis nono capite, Vt consumetur præuaricatio, & finem accipiat (signetur uel

tur uel claudatur) peccatum & deleatur iniquitas.

Obsignari in diem redēptionis dixit D. Paulus, pro eo quod est, Obsignati estis spiritu sancto, ut magna spe expectare in integritate possitis eum diem, quo olim liberādi ab omnibus malis & donandi æterno præmio. Sic inquit Paulus Ephe. 5. Et ne contristetis spiritum sanctum dei, per quem obsignati, &c. Et Ioan. 6. Hunc enim pater obsignauit Deus, hoc est, per spiritum suum unxit, et inaugurauit, ut seruator sit, & dominus omnium, Esaiæ 61. Lucæ 4. Psal. 2. 45. Act. 4. Et sanctificauit, inq; mundum hunc misit, cap. 10. Ioan. Non solum nobis filium suum seruatorem misit, sed hunc, ut certi essemus, spiritu quoq; suo, & cœlesti uirtute obsignauit.

¶ *Obseruationis* nomen Matth. 24. Regnum Dei non ueniet cum obseruatione, in genere, pro omni eo accipitur in quod oculum conijcit homo & illo fidit extra Christum, ut locus, tempus, persona, et quicquid est externarum rerum.

¶ *Obscurati terra*, Fallor si ullum in impios uerbum rectius competat eo, cuius prophetæ Psal. 37. meminit, Obscuratos appellans terra. Volens enim indicare claritati, fidei iustitiæ dei plurimum officere potestatem tenebrarum, dum terrenarū rerum immodico adfectu excæcati, omnia quæ obstant huiusmodi desideriis, etiamsi ex Deo esse sciant, demoliri tamen & damnare studeant. Respice, ait Psal. 73. in testamentum tuum, quia repleti sunt, obscurati terra, domibus iniquitatum. id est, aucti sunt impij ciuium immenso numero, dum sola terrena concupiscent.

¶ *Obsonandi* dictio apud Ioannem cap. 6. lautitiam quandam significat, ea complectens edulia, quæ pani adduntur, siue frixa sunt, siue elixa, siue assa. Ab Euangelista ὀψάρια uocati sunt hi pisces.

¶ *Obtenebrare*, pro uastare, Exodi 10. Et tenebrata est terra. Septuag. ἐφανίσθη ἡ γῆ. Interpres habet, Vastantes omnia, pro quo Hebræus dicit, Et obscurata, uel obtenebrata est terra. Est autem metalepsis, obtenebrata, pro deuastata, depasta. Per allegoriam autem Obtenebrationis & nutationis lumborum precatur Dauid, Psal. 66. adimi eis omne rectum iudicium & agendi uires.

¶ *Obturare aures*, improrū propriū est sanas rationes, quibus cōgrui possunt nō admittere, quādo semel illis decretū est in fœdo peccādi proposito uelle persistere. Itaq; nihil hic agit Euangeliū dei, omnibus uiribus humanis potentius, nihil hominū diuinæ legis peritorum, industria. Deniq; nihil dicendi obseruata est rebus apta occasio. Surdo enim narrabis fabulam, quando aures obstruunt, ueritatis strenui osores. Hæc arma impietatis pulchrè describit Propheta, Psal. 57. Furor illis est (inquit) similis et quem habet serpens accedens ad illum surdæ aspidis, obturantes aures suas, quæ non exaudiet uocem incantantium, & uenefici quidem uocem, sapienter incantantis.

¶ *Obuiare*, pro intercedere. Gen. 23, sic legunt Hebræi, Audite me & obuiate, ueloc currite mihi in Ephron filio Zoar. Vruntur autem Obuiare siue occurrere, in bonam partem hic, pro conuenire. Vt cum Germanicè dicimus, Bekommend mir, begegnem mir in einem glychen. Bekummend mir den Ephron: hoc est, impetretis mihi hoc ab Ephron. Latinus dicit, Audite me, & intercedite apud Ephron filium Seor.

¶ *Obumbrare*, non raro in scripturis propheticis accipitur pro tueri & defendere siue protegere, & ab æstu solis ardentis, siue quod magis respondet lectioni propheticæ ab hostili impetu credentes tueri, Psal. 90. Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis eius sperabis. Et Psal. 139. Obumbrasti super caput meum in die belli. Sub umbra alarū tuarum protege me domine. Et Lucæ 1. Obumbrabit te. Sensus est, Virtus altissimi tuebitur te, ut concipiens nihil detrimenti sentiat tua integritas siue uirginitas. Theophylactus putat metaphoram tractam esse ab auiculis incubantibus: dicit enim, Obumbrabit tibi, id est, conteget, hoc est, undiq; te circundabit. Sicut auis obumbrat pullos suos, ita & diuina uirtus totam uirginem apprehendit. Hæc ille.

¶ *Occasio*, pro inuidia & odio, Philip. 1. Siue per occasionem, siue per ueritatem. Supra enim dixit, Quidam enim per inuidiam & contentionem. Occasiones uerborū imponere, Deut. 22. cap. est dare aliis occasionem traducendi & diffamandi eam.

¶ *Occidere*, fundere sanguinē, odire idem sunt. Occidere sanguinē, pro eo q̄d est, effundere occidēdo, Exo. 34. Non occides super fermentū sanguinē immolatorū meorū. Occidere, cōprehendit nō solum hoc uerbū externas corporū iniurias, & priuatam uindictā externā, sed etiam in animis maleuolentiā, odia, inuidentiā, priuatā cupidita-

tem uindictę, ſicut Chriſtus clarè enarrat præceptum 5. Decalogi: Non occides, Matth.

¶ *Occurrere*, pro iuuare, & in mentẽ uenire, Gen. 24. Occurre obſecro in cõſpectu hodie. Septuag. Ex animi mei ſententia fac ſuccedere rem ante me hodie. Occurre hic in parte, nam partem. Et 23. accipitur. Et pro conuenire in 25. cap. Geneſis uſurpat, ut auditũ eſt in uerbo Obuiare. Septuag. 27. cap. προήλθεν, id eſt, dedit, reddiderũt. Cicer. Cum de ſenectute aliquid uellem ſcribere, tu occurrebas. Occurrere in aliquem, hic in malam partem uſurpatur, Iudicum 15. Iurate mihi ne fortè occurratis in me.

Occurrere deo, eſt illum conſulere, Numer. 20. Donec ego obuius pergam. Vel, Vtrũ ego occurram illic. ſubaudi, deo. id eſt, ut ego conſulam Deum.

Occurrere alicui, quomodo Deus dicatur, Geneſis 24. cap. Occurre obſecro mihi hodie. id eſt, exaudi preces meas, Alij uertunt, Fac mihi occurrat obſecro hodie. ſubaudi, id quod opto, ut ſuprà enarratũ eſt. Chaldæus paraphraſtes uertit, Præpara, ſcilicet quod peto. Iudicium ſit penes eccleſiam.

¶ *Oculus*, pro toto aſpectu alicuius rei, ſpecie & facie ſcriptura ſæpe uſurpat, ſicut nos os pro tota facie dicimus, Pſal. 6. teſtaĩ, & illud Moſis, Exodi 8. Et ranæ & locuſtæ operuerũt Oculum terræ, hoc eſt, aſpectũ, faciem terræ. Ira & Pſal. 6. Turbatus eſt à furore oculus meus, id eſt, toto habitu immutor, deformisq; reddor. Caligauit præ amaritudine oculus meus, id eſt, ſpecies et facies et aſpectus externus. Nam Hebræa dictio פנים Oculum et ſpeciem ſignificat. Vnde Oculi domini, et uultus eius. Allegoria eſt ex hominibus ſumpta, præſertim magnatibus, quorũ eſt potiſſimum oculorũ nutu agere: quod enim fauore dignaĩ, clementer apertis oculis intueĩ: quos uerò abominaĩ, et claudis oculis & preſſis palpebris aut truculenter in altum ſurrectis auerſantur. Ira palpebræ dei ſuper pios clementer apertæ ſunt: ſed ſuper impios aut clauſæ aut truces ſurrectæ. Quæ duo Pſal. 33. ita efferunt: Oculi domini ſuper iuſtos, & aures eius ad preces eorũ. Sic uultus autem Domini ſuper facientes mala, ut perdat de terra memoriã eorũ. Sic Oculum Hebræis idem ſignificare, quod Superciliũ Romanis. Quæ uox ſemper in palam partẽ Latinis capiť. Nam Hebræis, ſuper oculos, perinde ac Latinis, ſuper altum, ſtum, elationẽ ac ſuperſtitionẽ ſignificat. Committiť aũt figura, quæ uocaĩ Metalepſis, hoc eſt, tranſumptio ab ipſa corporis cõſtitutione & habitu. Super oculos enim ac ſupercilia attollũt, & frontis uicinia (quæ & mentis excubitor ac proditor eſt, ac mirabiliter ad ſimulandũ ac diſſimulandũ artifex) uetuit, noluit etiam maieſtatẽ, amplitudinẽ, auctoritatem ipſo intuitu effulminant, atq; ut Homerico utar uerbo, παυτιάουσι, hoc eſt, ampliter ac celeriter circunſpiciendo multitudinis animum, & ambiunt & experiuntur.

Hinc Oculi ſublimes, de quibus Eſaiæ 2. loquitur, Oculi ſublimes hominis humiliati ſunt. Et Prouerb. 6. Oculi ſuperbi, Pſal. 130. Domine non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei. Et 17. Pſal. Crebrius apud prophetas, Sublimes oculi, & in libris aliis taxaĩ. Qui enim planè improbi ſunt, ſolent eſſe impudenti facie & aſpectu, quo teſtantur, ſe neminem uereri, ac præ ſe cunctos deſpicere ſic & Oculus ſuperbus eſt, qui putat ſe aliquid eſſe quum nihil ſit, qui ſuperbit ſuis operibus, ſua patientia, iuſtitia, Pſal. 100. Superbo oculo & inſatiabili corde, cum hoc non edebam. Elatos oculis eos uocat, quos nos elatos ſuperciliоſos dicimus. Ita Cor elatũ, pro ſuperbo, tumente & faſtuoſo poſuit, Prouerb. 21. utergq; loquendi modus habetur.

Oculus, in ſingulari numero interdum accipitur pro iudicio, ut Ezech. 30. Pepercit oculus meus, ne occiderem. Et Iob 10. Vtinam conſumptus eſſem, ne oculus me uideret. Ita & Zachariæ 5. Hic eſt oculus eorum, uocans modium, oculum. Nempe ſeuerius iudicium. ſumpta ſimilitudine à ſagittario, qui uno oculo uideri ſoler, ut certius feriat, uel ſcopũ attingat, Item, Oculus cognitionẽ & doctrinã ſacrarũ literarum, imò ipſum ſcopum & doctorem ſignificat ac denotat, ut Lucæ 11. & Iob 31. cap. Oculus fui cæco. Et ſi oculus tuus ſcandalizat te. Hi ſunt quos ſcriptura doloſos, illuſores, mentiumq; deceptores uocat. Et Marci 9. Oculus adumbrat epiſcopos, prefectos, uigiles, magiſtratus, qui ſapientia, doctrina, & uita aliis præeſſe debent, excindere iubet, ſi offendãt. In Matthæo 18. cap. idem eſt ſenſus, ſed non tam clarus. Per Manum chariſſima & utiliſſima membra intellige. Fidi enim inter ſe ſocij ſicut pedes, hoc eſt, ſocij, cognati, & cõiunctiſſimi. Per Oculum, iudicem & prophetam.

Oculus præterea pro homine, ſimiliter & Auris intelligitur, 1. Corinth. 2. Quæ oculus non

lus nō uidit, nec auris audiuit, hoc eſt, quæ homo nec uidit, nec audiuit. Pro intellectu, Lucæ. 8 cap. Qui habet aures audiendi audiat, &c. Pro clementia, Pſalmo 9. Præparati ō nem cordis eorum audiuit auris tua.

Oculus eſt uis intentionis, Matth. 6 cap. Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit. Per Oculos, idiotiſmo Hebræus perpetuo, mentem & cor intelligit Geneſis 21. Et diſplicuit hæc res ualde in oculis Abrahæ. Sic habent Ebræa: Grauis hæc res uiſa eſt Abrahæ, inhumanū, crudele & durum uidebatur paterno animo, Leuitici 20. Quod ſi abſconderit abſcondendo populus terræ oculos ſuos à uiro illo, &c. Id eſt, ſi populus terræ cōuixerit, & neglexerit occidere hominē illū qui, &c. Hebraiſmus elegans: nam hoc eſt, oculos ſuos abſcondere ab aliquo.

Oculus ſiue Pupilla eius in ſacris literis plerunq; fides eſt: quam quia facillimè eſt lę di, diligentiſsimè eſt cuſtodienda. Sicut enim extincta pupilla oculi, homo cæcus in tene bris ambulat, ita ſine fide homo totus in tenebris eſt. Iudicium ſit penes Lectorem. Ocu lus & pupilla, Hebræis idem eſt. Thren. 2. hoc eſt, intimum & principale in oculo, ni- mirum illud in medio oculi.

Oculus item, inuidiæ & faſcinationis ſymbolum eſt, Matth. 20. Oculus nequam. O- culi ſimiliter prudentiæ ſymbola, Danielis. 7. cap. Et ecce oculi, inquit, ueluti oculi homi nis erant in cornu iſto, &c.

Ad Oculos Moſi, Numer. 25 cap. Hoc eſt, uidente Moſe. Sic in Paulino ſcripto: Ad o- culum ſeruientes: &c. quod tamen una dictione Græci pronunciant ὀφθαλμοδουλία.

Oculi graues, noſter Interpres uertit, Oculi caligarūt, Gen. 47. Inde in hiſtoria Euan gelij: Erant oculi eorū grauati. Item, Oculi erecti eius præ ſenio. 2. Paralip. 6. ubi noſter Interpres, Caligauerunt oculi eius. Septuag. idem legunt. Græci, Stabunt eius immoti oculi, ywaren ſtendig. Alioqui uoluuntur huc illucq; incolumes oculis, neruis agilibus.

Oculos abſcondere ab iis qui malè agunt, eſt diſſimulare & conniuere ad flagitia populi.

Oculus bonus uel ſimplex dicitur, cuius mens, fides & adfectus cordis fuerit ſim- plex, rectus & integer, huic totū corpus erit rectū, hoc eſt, qui nō cupidus inanis gloriæ eſt, qui non inſectatur artes, calliditatem & auaritiam, Prouerb. 22. capite, Bonus ocu lus benedicitur, Matthæi 6. Oculus inſuper ſimplex, eſt mens & adfectus, qui rectà ten dit ad Deum, ad humanas cupiditates declinās minimè. Lucerna corporis eſt oculus, & cætera. hoc eſt, ſi mens ſimplex & gloriæ Dei ſtudioſa, ac nihil aliud ſpectans. Per Meta phoram Oculum pro mente poſuit: Nam ſimplicem & prauum facit quæ mentis ſunt, non oculi corporei. Corpus uerò pro tota uita & actibus. Id enim corpori, uitiatus ocu lus eſt, quod toti uitæ, mens praua. Vt igitur nihil lucis reliquum corpori manet oculo corrupto, ita nihil ueritatis aut ſani conſilij, omnis uita hominis reliquum habet depra uata mente.

Oculus bonus, bonum iudicium, Matth. 6. Et Lucæ 11. cap. Oculus lucidus dicitur uera Dei cognitio. Prælucet fides omnibus actionibus piorum, quemadmodū oculus corporis actionibus. Oculum autem per allegoriam & fidem intelligi, indicat quod & ante & poſt ſe de diuitijs dixit.

Oculus dexter apud Matth. 5. capite. Hoc locutionis genere, ſi ſimpliciter accipiatur mens Chriſti, non reſpicitur ad res myſticas, quæ per oculum dextrum ac manum dex- teram allegoricè ſint intelligendæ: ſed hyperbolica loquutione neceſſitas uitandi offen diculi proponit. Tale eſt quod Germani ad eos dicimus quos aliquò mittimus, ſi ſerio & uelociter ſit aliquid exequendū.. Vnd vvan dir ein aug entpfiel, ſie hebs nit uff. Apo- ſtolus cum uellet ſignificare, quàm principio aduentus ſui ad Galatas charus illis fue- rit, hyperbolica iſta loquutione uſus eſt, dicens: Teſtimonium reddo uobis, quod ſi fie- ri potuiſſet, oculos ueſtros effoſſos dediſſetis mihi. Apoſtolum nihil aliud dicit, quàm adeò Galatis fuiſſe charum & acceptum, ut nullis rebus quantumcunque neceſſarijs parſuri fuerint, ſi eas deſiderāſſet. Alij per oculum obſtantem atque ideo eruendum et abijciendum, intelligunt prauam concupiſcentiam. Alij, quia adiungitur Dexter, intelli gunt de bona intentione eruenda, ſi obſtaculum pepererit: et per Manum dexteram, ex ponunt bonum opus amputandum, ſi ſit occaſio ruinæ. Alij intelligunt doctorem ac miniſtrum ſacrorum, ſi uel doctrina uel uita ſit offendiculo, è corpore Chriſti eruendū & abijciendum. Inter quos eſt D. Auguſt. Sit iudicium & cenſura penes Eccleſiam.

¶ *Oculus nequam* seu malus, qui non simpliciter agit, sed nititur callide alterum defraudare, ut quæ eius sunt, consequatur. Oculus malicioſus affectus sinister est, qui non rectà ad deum tendit, sed diuertit, declinat ad creaturas: qui adfectus proprię naturę humanæ est. Si fides mortua fuerit, & adfectus malignus, erit quoq; totum opus prauum, atq; peccatū. Quicquid nō est ex fide, peccatum est, Rom. 14. Proinde Oculus simplex, id est, purus, clarus, lucidus siue affectuum impuritate & sorde, deum tantum quęrit, totum corpus lucidum erit, id est, tota actio, uel totum corpus humanarū actionum, &c.

Oculus nequam. 1. Regum. 18. cap. etiam legitur: factus est oculus Saulis in Dauidem nequam, ubi nos, Non rectis oculis Saul aspiciebat Dauidem. Hinc Oculo aspicere, & insidiari, ut eodem Samuelis lib. patet. Et fuit Saul oculo aspiciēs à die illa & deinceps. Germani respondemus huic Hebraismo, quo tres de iracūdo dicimus, Er hatt ein augen auff in. Et Matth. 20. Oculus nequam, id est, tu inuides alijs meam benignitatem & liberalitatem, quū tibi ō Iudæe interim nihil decedat. Periphrasis est inuidentiæ seu inuidi.

Oculus igitur malus, pro animo prauo & maligno. Hæc autem allegoria, qua Oculum pro mente dicunt, inde Hebręis nata est, quod animi habitus se oculis maximè prodit. Solent autem Oculum bonum, pro animo liberali & benefico, malum pro parco & inuidenti liberali. Illius exemplum Prouerb. 22. & 23.

Oculum excindere, est depopulari, racemare & uindemiare ipsam animam, ex seuis calamitatibus usq; ad desperationem, agonizare animam morti proximam & desperationi esse obnoxiam, Thren. 3. cap.

Oculus domini super eos, &c. Videlicet in hoc, ut illos corroboraret, opemq; ferret roborantibus. Videtur ab eo non diuersum esse, quod sæpiusculè legitur in Esaiæ libro Manus Domini bona super me, &c. id est, feliciter agebam, beneficio Dei cap. 5.

In Oculis, Hebraismus est. Sic in Oculis alicuius uilescere, est leuem coram eo & uilipendi & contēni. Nam sicut Oculis cernimus ac iudicamus, ita animo. In oculis autem item & fronte maximè despectus & contemptus, Genesis 16. cap. Despectui mea fuit, uilis sum coram ea, &c.

Oculorum uice, Numer. 10. pro duce. Et eris nobis uice oculorum, hoc est, dux noster eris, habebis locum quem habet oculus in corpore.

Oculos attollere, est animum ad rem aliquem adijcere, Ezech. 18. Item, Oculus pro gratia, prouidentia, Eiræ 1. cap. 5. Atqui Oculus dei eorū fuit super seniores Iudæorum.

Oculos uestros effossos dedisseris mihi, si fieri potuisset. Gal. 4. cap. Est autem & uulgi celebratissimo sermone usitatum prouerbium, Ne oculis quidem parcere: uel, oculos impartiri, cum summam uolunt animorum coniunctionem, amorem summum & fidem omnium maximam significare.

Oculus noster uidebit, Ebraismus est apud Michæam 4. cap. Cum gaudio aspiciet oculus noster Sion. Significat enim cum gaudio aspicere, & delectari uidendo.

In oculis dei malum esse, Hebraismus est, Genesis 38. cap. Fuit Her primogenitus Iudæ, nequam in oculis Domini, id est, malus coram Domino.

Oculos atqui leuare, apud Hebræos adeò frequēs est idiotismus, ut etiam in ijs utantur, ubi minimè fit. Declarat autem impetū quendam & quasi inceptionē, ut Germani frequenter solent dicere: Do nam er, und haban. id est, Tunc incœpit & ait: Do fur er du har und sprach. id est, Tunc erupit ac quæstus est, Gen. 31. Leuaui oculos. Et Zachariæ 1. Et leuaui oculos meos, &c. ne intelligas de corporalibus oculis, sed spiritualibus illis, propter quos prophetę uidentes dicuntur: Leuaui, inquit, oculos: nimirum ad sublimia & cœlestia contemplanda, auocaris à terrenarū rerum admiratione oculis, Ioan. 4. Leuate oculos uestros, & uidete regiones, &c. Et Psal. 120. Leuaui oculos meos.

Oculos leuare ad idola, est fiducia sua ferri in aliud quàm in deum uerum & solum, Ezech. 18. Oculorum desiderabile uxor est & dicitur, Ezech. 24. Ecce ego tollo à te desiderabile oculorum. Oculus tacere, qualis Hebraismus sit uide in tropo Tacere.

Oculos adhæc subleuare, similiter locutio Hebraica est, qua sæpe usi sunt Euangelistæ: nam Latinus non sic loquitur: Quum subleuasset oculos Iesus, sed quum respexisset, Exodi 14. cap. Nam cum in periculis sumus, attollimus oculos, deinde respectamus, & circunspicimus omnia. Adeoq; frequens hæc forma est Hebris, ut in multis utantur in quibus non fit quod dicitur, Leuauit oculos Iacob in somnis.

Oculo

Oculo ad oculum conſpici à populo ſuo dicitur deus in ſacris interdum, quando manifeſtiſsime apparet ei, & in uiſione clara, Numer. 14.

In Oculis alicui eſſe, eſt illius ducem eſſe, Numer. 10 cap. Item, In Oculis ſuis grauari, Deut. 16 cap. Id eſt, Non erit tibi moleſtum dimittere illum donatum libertate. In Oculis eius malus, pro diſplicere, Geneſis uigeſimooctauo. pro diſplicerent patri ſuo, neque libenter eas aſpiceret.

In Oculis populi loqui, id eſt, uidentibus, audientibus & præſentibus popularibus meis, Gene. 23. cap. In Oculis filiorum populi mei. Poſt cor ſuum & oculos ſuos aſpicere, eſt ſequi cogitationes cordis ſui & concupiſcentiam oculorũ ſuorum, Numer. 15 cap. Super Oculos alicuius ponere manus, Gene. 46. eſt oculos morienti claudere.

In Oculis eius bonum uiſum, Gene. 45. cap. Et gauiſus eſt Pharao atq; omnis familia eius. Hebraice, Et bonũ uiſum eſt in oculis Pharaonis, & in oculis ſeruorũ eius, Id eſt, gratiſsimum fuit Pharaoni & ſeruis eius. Oculo annuere, eſt hypocritã agere, Prouerb. 10. Annuens oculo dabit dolorem, & ſtultus labijs reddetur.

Oculus obturatus, Vel: Aperti ſunt oculi. Scilicet, mentis. Quaſi dicat Moſes, Numer. 24 cap. Prophetia inquam ueri prophetæ. Et eleuans, inquit textus, oculos ſuos. Oculus benignus dicitur, qui pauperibus libenter impartit, hoc eſt pronus ad miſericordiam, Prouerb. 22 cap. Græcus hilarem datorẽ uocat. Et alibi liberalem, bonum appellat ſcriptura. Improbo oculo opponitur. Nam Oculus improbus dicitur, qui auertit oculos à iuuare paupere, aliàs malignus, nequam, illiberalis, tenax, inuidus, malus, Græcus βάσκανος dicitur, Deuteronom. decimoquinto, apud Marcum ſeptimo capite, animo liuido. & Deut. 28. ut ſuprà.

Oculos egredi præ pinguedine, ut patet Pſal. 37. Oculi impiorum, liquet allegoriam eſſe, & uoluiſſe uatem tumentis ob pinguedinem ſimilitudine, faſtum et tumorem ob nimiam opulentiam & rerum ſucceſſum ſignificari. Oculos egredi quoque Dauid pro eo dixit, quod eſt euaneſcere, ut accidit ijs, quib. nimiũ genç intumeſcunt, eodẽ Pſalmo.

Cum Oculis pactũ facere, & Oculũ abijcere. Et oculos eruere, uide in Tropo Eruere.

¶ *Occultum*, pro peccato, Rom. 2. His quidẽ qui iuxta tolerantiã operis boni gloriã & honorẽ et incorruptionẽ quærunt uitam æternam, Eraſmus immortalitatem uertit.

¶ *Odire* pro contemnere, negligere, deſpicere, Lucç 9 & 12. Qui odit quotidie animã ſuam. Et Geneſis uigeſimoſecundo capite, Eſau deus odio habuiſſe legitur, id eſt, deſpexiſſe, neglexiſſe. Et Malachiæ 1. Iacob dilexi, Eſauq; odio proſecutus ſum. Nam aliàs nihil odit deus eorum quæ fecit.

Hinc Odire animam ſuam, Ioan. 12. eſt negligere, ſeipſum cõtemnere propter deũ & regnũ dei, abnegare ſemetipſum, diffidere de iuſticia propria, renunciare omnibus, quæ nos reuocant à regno cœlorum, & ſoli uerbo dei & diuinæ miſericordiæ inuiti, ferre crucem et afflictiones propter Euangelion, &c. Hinc quoq; Odire ex animo: Odiuit anima mea. Ille enim Latinorum, hic uerò Hebræorũ ſchematiſmus eſt. Odire uel odio habere dicitur deus eos, quibus non impartitur gratiam, Zachariæ 1. cap.

Odij quoq; uocabulo ueniunt cædes, proditiones, inuidia, liuor, lites, & omnia, quæ Odium poſt ſe trahit, & quæ Ouidius lib. Metamorph. 2. lib. deſcribit de inuidia. 1. Ioan. 3. cap. ait, Omnis qui odit fratrem ſuum homicida eſt. Odium ab ira differt, atq; uinum uerus à nouo. Eſt enim Odium nihil aliud, quàm ira inueterata. Hinc Odio aut ſententiæ cap. Matth. 5. non erat obnoxius Dauid cum dicebat: Qui odiunt te Domine, odio proſequor, & erga inimicos tuos contabeſco, perfecto odio proſequor illos.

¶ *Odorari & Odorem* conſtat figurato ſermone famã & celebritatẽ nominis ſignificare. 2 Cor. 2. Nos bonus Odor Chriſti ſumus. Vnde et uſu dicimus, & iubemus Odorari aut olfacere, dum explorare aut inquirere famam et rumorẽ alicuius percipimus. Sic contra impiorum doctores & diſcipuli non ſunt bonus odor Chriſti, ſed fœtor Satanæ, & ſulphur graueolentiſsimum, quod pluente in ira ſua domino, in eis abũdant, de quibus Pſal. 10 loquitur. Nam uidetur fulgura, tonitrua & omnẽ illam tempeſtatis uim allegorice tractare, Sicut in Ægypto & Sodoma factũ legimus. Nam Sulphur propter grauem fœtorem, non male ſacri Patres malam famam eſſe arbitrati ſunt.

Euangelium bonum Odorẽ uocat D. Paulus 2. Cor. 2. Et odorẽ noticiæ ſuç manifeſtat per nos in omni loco, hoc eſt, bonam famam, celebrationem ſeu glorificationẽ nominis dei uel domini, quia prędicant bonitatem dei, gratiam & pacem. Et Ezechielis, 20.

In odorem ſuauitatis ſuſcipiam uos, id eſt, uos Chriſtiani eritis mihi odor ſuauitatis, id eſt, confitemini, & celebratis nomen meum, creditis uerbo & euangelio meo, gratias agetis & laudabitis pro miſericordia, &c. Veritatis ac euangelij negotium per quod unicitur mundus comparans odori, &c.

Odor noticiæ eſt ſuauis ille Chriſti ſenſus atq; fides, adeoq; ipſa euangelij prædicatio. Metaphora ducta eſt à rebus ſuaueolentibus. Odorandi uerbo mira metaphora inſ. eſt, ſumpta à ritu ueteri: quia Sacrificia dicebatur deus odorari, cum diuinitus accenderentur. Id erat ſingulare teſtimonium, quod placerent, & acciperentur. Cæterum generaliter ſacrificia conferuntur odoribus, & addebantur odores: quia omnia opera debēt eſſe odor, id eſt, late ſparſa, & bene fragrans fama de deo. Id eſt, debēt referri ad celebrandum deum, ut alij bona doctrina & bonis exemplis inuitentur.

Odor huic fragrantiæ, & hoſtia accepta deo, Philip. 4. cap. idem ſunt, alludens Paulus ad ueterum ſacrificia, ſignificanter, ut dixi, beneficentiam illud deo gratum eſſe ſacrificium: id quod idem Paulus etiam ad Hebræos cap. 13. ſubmonuit. Munus illud legatis miſſum per Epaphroditum egregijs epithetis ornat. Et ad Epheſios 5. cap. Odorem ſuauitatis poſuit, pro odore ſuaui & grato. Et Geneſis 8. Et ædificauit Noe altare domino &c. Odoratusq; eſt dominus odorem recreationis, id eſt, quo recreabatur.

Odor ſuauitatis in thymiamate, orationem humilem piorum ſignificat, ita interpretatur orationem ille in Apocalyp. 8. Stetit angelus ante altare, &c. Hęc oratio opponitur furori domini. Et Exod. 29. Odor ſuauitatis ſeu quietis. Id eſt quieſcere facientis iram deli uel odoratus eſt dominus odorē ſuauem, hoc eſt, Gratum habuit ſacrificium. Figurata locutio eſt. Quemadmodū enim nos epularū nitore ac ſuaueolentia delectamur accumbimur, ita cordis pietate ac deuotione deus gaudet. Hoc odorari odorē ſuauē deus.

¶ *Offendere* capitur pro anſam dare peccatis, Schand laſter, vnd ergernuſs anrichten, verboſeren, zuo ſchanden bringen, verachten, erzurnen, beleidigen, verſpoten, verlegen, quū putet peccare, etiam cum aliorum natura & iniuria. Capitur ergo in lata ſignificatione offendere. Offendiculis plenus eſt mundus, ut exclamandum fuerit Chriſto, Matth. 17. Qui offenderit, eos ſcilicet qui dei ſunt. Impij enim quidquid eſt dei exibilant. Nō fert Chriſtus rex, ut quos ſuos cōtemnat aut lædat. Vult enim ut mutuo diligamus tanquā fratres, & alter alterū ſuſcipiat in charitate et ſpiritu manſueto. Offendendi hoc uerbū bene notandum: ſignificat enim multa, ut ſæpe fit apud Germanos, etiā ut unica dictio plura habet ſignificata. Exemplū habemus in uoce, vverben. Nec poſt cuilibet ſignificationi peculiaris & propria eſſe uox. Offendere ergo apud Matthęū, eſt cōtemnere, & non recipere eos qui ſunt Chriſti. Eodem ſignificatu accipitur Lucæ 4. cap.

Offenſio eſt, quum quis ſiue ex malitia, ſiue ex odio & de induſtria, aliquem uel lædit uel pudefacit, aut inhoneſti aliquid & turpitudinis ei inurit, aut peccatum, nos patiam facit, peſſimum enim eſt, hoc eſt, ſcandali genus, & nocentiſsimum. Ita fit ut plus ſæpe ſcandali eccleſiæ demus lingua noſtra, dum ſcelera aliorum prædicamus, quàm ipſi dederint, qui ex infirmitate ſunt lapſi. Offendiculum Hebræorum antiquitas, pro occaſione accipit manifeſte peccandi, ut remotis arbitris admiſſum in lucem hominum ueniat, Ezech. 3 cap.

Offendiculi ſeu Offenſionis duæ ſunt ſpecies: Vna, qua proximus offenditur: nempe, ſi quis male fratrem in fide erudiat, quod horrendū eſt offendiculū: Vel, dum undiq; tendiculæ, retia & laquei per inſidias ponuntur, quibus ſimplices & incauti accipiantur, ut ſunt Pontificiæ leges ferè omnes, & malorum principum interdicta, quæ iniquitate & crudelitate Antichriſti leges ſuperant. Vel: ubi quis proximo malefaciendi occaſionem ac anſam præbet, hoc eſt, flagitioſa ſua uita offendit, ut publicani, hoc eſt, manifeſte flagitioſi degentes, de quo Chriſtus Matth. 18 cap. Et Paulus. 1. Corinth. 8 cap.

Offendiculi altera ſpecies, quam ſic accipimus, Chriſto docente uerbum ueritatis, à patre ſibi commiſſum, apud Iudæos, offenſi quidem ſunt, uerum Chriſtus illis offendiculi cauſa non fuit. Sic quoq; Iudæi pariter atq; ethnici, philoſophiq; grauiſsime offenſi ſunt prædicatione Apoſtolorum, eorumq; ſucceſſorum.

Offendi in Chriſto, eſt opera dei iuxta humanum ſenſum æſtimare, nec plus de deo ſentire, quàm capit ratio. Eſt enim ei non credere, quod eſt ſumma pernicies.

Non Offendi, eſt certa fide Chriſtum agnoſcere & ſuſcipere, ut Matth. 11 cap. Beatus qui non fuerit offenſus in me, &c. Offen-

Offendiculũ, pro impedimento apud D. Paulũ reperitur. 1. Cor. 9. Ne quod offendiculã demus euangelio. Non habet græce σκάνδαλον, sed ἀνεκκοπὴν, quod intercisionem sine interruptionẽ sonat, ne quid existat, quod euangelicæ prædicationi morã ullã adferat. Offensiones & abominationes idola appellat, Ezech. 5. Et in omnibus offensionibus tuis, hoc est in omnib. idolis et idololatria. Offendi in medio tui. Id est, ne tibi sint causa ruinæ quum habitabant tecum. Fiet enim ut te inducant in idololatriam, Exodi 34 cap.

¶ *Offerre*, Hebræis est Zaba, quod occidere significat aut mactare, quod hostiæ pro peccatis mactabantur apud ueteres, & sine sanguine peccatum non expiabatur, Hebr. 9. cap. Hinc aram in qua uictimæ & hostiæ mactatæ imponebantur, & in ea incendebantur, misbea uocant. Græci θύειν uocant mactare, Latini sacrificare, mactare, Germani quoq; uox (opfferen, cui offerre respondet) proprie non mactare, sed donare, & munere aliquem honorare significat, angustior uox quàm ut id exprimat, quando scriptura de Christi morte loquitur. Intelligit autem scriptura per hoc uerbum Offerre, pati & mori. Sic linguæ habent, ex quibus nos Germanicum illud sacrificare (Opfferen) deprompsimus. Offerri & mori idem sunt.

Offerre uel Oblatio, ubicunq; promittitur in scriptura fore, ut gentibus offeratur, nihil aliud promitti, quàm quod Gentes sint nomen daturæ domino, ad Apostolorũ prædicationem, ut Esaiæ 66 cap. Et adferent omnes fratres uestri de cunctis gentibus oblationem domino. Hæc enim est oblatio nostra, quæ mundo mortui, deo autem dediti, ad libitus nutum uiuimus.

Offerre denicq; rationalẽ cultum, est corpora offerre, mortificata. Mortificationẽ uerò hostiæ designat. Nõ enim hostia, nisi cæsa. Ita nos hostiæ non sumus, nisi mortificati. Vbi autem est mortificatio carnis, ibi est uiuificatio spiritus, id est, uita, Rom. 12.

¶ *Olla*, pro tribulatione, Psal. 59. Moab olla lauacri mei: Olla autem in mala parte ponitur, eò quod in sensu prauo uelut unda decoctionis exæstuat. Hiere. 1. Olla succensa in Aquilone, quod utiq; diaboli significat machinationes, Psalmo 68. Cum sederetis inter ollas, hoc est, ita fuliginosi atq; funesti eratis, id est, uersabamini in summa adflictione & miseria. Et Ezechielis 24. cap. pro ipsa Hierusalem sumitur. Pone, inquit, ollam. Signat Olla urbem Hierusalem: apparitio eius est obsidio ciuitatis, infusio aquę oppugnatio: calamitas, hoc est, fames, pestis, & multiplex tribulatio, est ignis: caro ollæ uniecta, & cætera.

¶ *Olei* significatione gratia, Lætitia, uiresq; spiritus sancti, eloquiumq; dei uenit. Nã Oleo ueterum ritu ungebantur reges, prophetæ et sacerdotes: quæ ratio indicat ad gloriæ & lætitiæ significationem hoc uerbum pertinere.

Oleum interdum pro misericordia & cõsolatione sæpe usurpatur, supersertur enim oleum cæteris liquoribus atq; supernatat. Ita misericordia omnibus supereminet dei operibus, & plus cæteris in homines eluceſcit. Nam anima misericordia perinde lenitur aptaq; operi reddjtur, atq; corpus oleo mulcetur & iuuatur. Et sicut uinũ intus, ita oleũ foris lætificat, fortificat, sanat, lenit, Psal. 88. & 22. Impinguasti in oleo caput meũ, id est, effudisti in me tuam misericordiam. Et sicut per oleum confortatur corpus, ita per consolationem scripturarum pius. Vide Cyrillum in Euangelium Ioan. lib. 3.

Olei præterea & Vnctionis nominibus omne officium charitatis intelligimus, quod infirmis impendi potest, Marci 6. Vsi autem sunt oleo Apostoli, sicut dominus manuũ impositione, sputo & luto: significans utiq; uirtute diuina non medicamine humano morbos curari. Itaq; adhibebant Oleum Apostoli, significantes spiritus sancti uirtute curari quos curabãt ipsi. Et D. Iacobus meminit. Quid est oleũ sanctũ? Misericordia & beneficia. Vos opera charitatis exhibete, cõsolamini eos, seruite eis, ungite eos, & quicquid opus est facite illis. Gratiã & uires spiritus sancti olei uocabulũ adumbrat, per quẽ à labore liberamur, & gaudium & hilaritatẽ spiritualẽ accipimus, Psal. 44 et darius Esa. 61. cap. & Psal. 44. Propterea unxit te deus tuus Oleo lætitiæ præ participibus tuis. Quid enim Oleum lætitiæ quàm spiritus sanctus, qui ut diuinitatis, ita & sempiterni gaudij compotes facit.

Oleum etiam peccatoris est, id est, assentatio, pestis ingeniorum, & uirturis maxima, laudibus uanos homines celebrans, quos alias scriptura Pharisæos & hypocritas uocat. De adulatoribus Psalmo 54. dicit: Molliti sunt, ait, sermones eius super Oleum, & ipsi sunt

sunt Iacula Et Psalmo 149. Corripiet iustus inquit, in misericordia & increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.

Oleum unctionis, Hebraismus, pro unguento, Exodi 29.

In Oleo pedem tingere, Deut. 33. cap. Et tinget, Id est, abundabit oleo, erit oleum uilissimum in patria eius, præ abundantia, ita ut etiam in eo lauet pedes.

Olei filius, pro pingui loco & fertilitate soloq; : sæpe enim Hebræi appellatione Filij utuntur, (ut in litera F, auditum est) cum uolunt significare possessionē: quare commode per uerbum habendi exponitur, cum relatiuo nomine, ut cornu filio olei, id est, cornu quod habet oleum, Esaiæ 5. cap.

Oleum effusum Canticorū 2. Hebraismus proprie habet: Oleū euacuationis. Quando enim oleū pretiosum de uase uno in aliud euacuat, mirā spargit suauitatē: sic uerbū domini ex scriptura populis et nationib. propositū suo odore trahit animus ad Christū.

¶ *Oliuæ* seu Oleæ appellatione exprimitur fœcunditas, & apud bonos autores passim reperitur laudata. Ait enim Plinius lib. 13. cap. 3. arundine leui ictam ac aduersus ramos, illam alternare fructus decussis germinibus. Propheta in Psal. 51. post impietatis infinita mala prodita, credentiū illi opponit uberrimum fructū, oleæ ipsi fidem, seu malis credentem comparans. Ego autem sicut Oliua fructifera in domo dei, &c. Sic filios credentes ob honestam educationem nouellis oleis similes facit, à quibus breui fructus expectetur. Psalmo 127. Filij tui sicut nouellæ oliuarum.

Oliuæ, cæterum uitis & Palmæ imaginibus sanctorum fertilitatem, hoc est, benemerendi de omnibus studium & successum, morumq; summam suauitatem, Numer. 24. Psal. 92. Ezech. 47. Oliua olei, id est, oliuæ fructiferæ, Deut. 8. Oliua deniq; pacis symbolum etiam apud gentes moris fuit Oliuæ uirgulta pacem indicare.

¶ *Olus* quamdiu uiret, primas tenet in horto. At postquàm aruerit, ejicitur & euanescit. Sic impij quandiu opibus florent in terra, dijs similes habētur, quanquam prosperis tunc sint exitio. Quod enim est spacium humanæ uitæ, aut quæ diuturnitas, ut longissime etiam duret. Propheta igitur indignos iudicans, quibus breuis felicitas, quæ nulla sit, inuideatur, credentes his uerbis ad patientiam cohortatur, Psalmo 36. Noli æmulari in malignantibus, neq; zelaueris facientes iniquitatem. Quoniam tanquam gramē uelociter arescent, & quemadmodum olera herbarum cito decident.

¶ *Omne, Omnis*, Vox Hebraica Kol, quæ Omne significat, non capitur distributiue tantum, sed etiam collectiue, ut Exodi 9. cap. Mortua sunt omnia animantia. Et est Synecdocha. Magna enim pars iumentorum peste interijt. Sic 1 Timoth. 2 cap. Deus uult, ut omnes homines salui fiant, hoc est, ex omni genere.

Omnis præterea latissimam habet expositionem in sacris literis. Accipitur aliquādo uniuersaliter, ut Omnis, particula uniuersalis sit, sine cuiusquā exceptione, Rom. 3. Omnes peccauerunt. Ioan. Vt omnis qui credit in eum, non pereāt. Actorum 10. Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, &c. Actorū 13. In hoc omnis qui credit, iustificatur. Rom. 3. cap. Iustitia autē dei per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes. Hic repetita est particula uniuersalis, ut sciamus eam scribenti nō excidisse casu. Rom. 10. Omnis qui credit in illum, &c. Matthæi 11. cap.

Est quando solum subiecti excipitur significatum, ut quando dicimus: Cœlum tegit omnia, scilicet à se, sic Hebrei: Pater omnia subiecit filio. Et, Pater dedit filio omnem potestatem, in cœlo & in terra. Patre tamen excepto, qui sub filio non est.

D. Ambrosius duplicem facit uniuersitatem in scriptura, bonorum scilicet et malorū. Semper enim duo populi sunt in una plebe. Istos omnes & propheta Hieremias significat, dicens inter cætera. Tunc omnes insurrexerunt in propheta domini uolentes occidere eum. Et sequitur: Omnis autem populus non permisit. Illos ergo Omnes dicit, sed malos. Et hos omnes, sed bonos. Hæc ille in epist. ad Rom. cap. 3.

Huc pertinent & hi loci, Hiere. 31. Omnes hi à pusillo usq; ad magnū cognoscent me. Esaiæ 45 cap. Quia mihi flectetur omne genu, &c. 2. Corinth. 5. Vetera transierunt, ecce facta sunt omnia noua. Sic etiam de impijs dominus loquitur sermo, Ioan. 3. cap. Et testimonium eius nemo accipit, Philip. 1. Omnes quę sua sunt, quærunt. Ita diuinus stilus interdum pro parte terræ, Omnem terram: & pro parte mundi totum mundū: & pro parte hominū, omnes homines uocare consueuit. Hæc fusius idem Ambrosius lib. 1. De uocatione Gentium, capite tertio.

Aliquando

Aliquando Omnis, uox illa Apostolica sæpe significare non uniuersitatem generis alicuius, sed rei cui adiungitur perfectionem, ut cum dicit: Sed quemadmodum abundatis omni fide & sermone & omni studio. 1 Corin. 5. Item, Potens uerò est Deus omnem benignitatem exuberare in nos, ut in omni re sufficientiam omnem habentes, exuberetis in omne opus bonum. Ibidem 9 cap. Signa Apostoli perfecta inter uos sunt omni patientia. Ibidem 12. Item, Hortor uos omnes, ut uersemini digne uocatione, qua uocati estis, in omni animi moderatione. Sic 1 Cor. 14. Si omnem fidem habeam. Id est, Fidem faciendi miracula consummatissimam, adeo ut montes transferam.

Omne, seu Omnis, interdum pro quicquam & nihil. Exo. 20. cap. Non facies omne opus. 1. nullum opus. Leui. 3. Omnem adipem & omnem sanguinem non comedetis, 1. Reg. 2. Omnis adipis. Omnis, pro quicũq; Ios. 1. Vos transibitis expediti ante fratres uestros Kol, id est omnes fortes, ut dixi, Hebræis nõ distributiuè, sed collectiuè. Ro. 2. Omnis qui iudicas. Omne, pro quouis. Mat. 5. Omne malum uerbum, uel quoduis. uel, Omnem malam rem, aut crimen. Item, Omne quod ei. locutio hebraica. 1. Para. 13. Et benedixit dominus omnibus Obed Ædom omne quod ei. hoc est, quicquid habebat.

Omnis, de multis dictum. Mos est Hebrææ linguæ, & omnium linguarum, Omnes pro de multis. Psal. 22. & Paulus ad Colossenses gloriatus sit, iam tum omni creaturę sub cœlo Euangelion fuisse adnunciatum & fructum fecisse. Persuaserat siquidem tum plerisque orbis regiones. Et si uerò Omnes dicat gentium familias, nemo tamen intelligat, nisi electos, & spiritu superno leuatos.

Omnis, terræ appellationem intelligit scriptura pro uicinis. Psal. 38. Celebrabunt te Domine cuncti, uel omnes Reges terræ, uicinæ scilicet (sic enim scriptura, Omnis, terræ appellatione uti solet) deum celebrarint, Reges facere Hiram rex Tyri, Toi rex Hamath, alii nonnulli. sic Esa. 13. Et uasa furoris eius ad dissipandam omnem terram. D. Hieronymus, Idioma est enim sanctæ scripturæ, ut Omnem terram illius, significet prouinciã qua sermo est, quod quidam non intelligentes, ad omnium terrarum subuersionem detrahunt. Omnis terra, quandoq; totum genus humanum nominat scriptura. uide Isy dũ lib. 7. in Leuit. ca. 26. Quandoq; Omnis terra, Hier. 4. Iudaicam & Israeliticã denotat. Omnis non, id est, nulla (sic enim mos est Hebrææ linguæ loqui) ut Dan. ca. 6. Et omnis læsio non est inuenta. id est, nulla læsio in eo inuenta est.

Omnis uanitas, perinde est atq; nihil nisi uanitas. Psal. 39. Simile est illi, Omne opus non facies die sabbati. id est, nihil operis. Nõ enim rarum est in scripturis, ut Omnis, per synecdochẽ capiatur pro multis, ut suprà indicatum est.

Omnis qui. Esa. 9. Prædam prædatur, uel prædans in tumultu, scilicet aliquo. & 7. cap. Omnes montes, qui in sarculo sarrientur. id est, qui alioqui sarriri solent.

Omnis, pro ullus. Gen. 4. Nequaquam ita fiet. sed omnis qui, &c.

Omnis libertas, pro palàm, manifestè, non obscure. Philip. 1. Sed in omni libertate.

Omnis generatio illa. Hiere. 48. Id est, quotquot homines eodem seculo uixerunt.

¶ Oneris dictione, more prophetarum uaticinia uenit. Hebraice Mascha uocantur. Id inde, ut Hieremias indicat, profluxit: quod frequenter populum Prophetæ corripuerint, eisq; iram dei minati sunt, ut & necessarium est, concionatorem semper redarguere populum, quoniam boni pauci, mali uerò multi sunt. Porrò cum id agerẽt, adagium inde nascebantur, ut uulgus diceret, Quid concionatus est: tumq; respõderetur, Iterum in nos concionatus est: Nos semper deliquimus. In nos perpetuò faba cuditur, nobisq; uinatur, ut hodie etiam dicitur, Infernum nobis calentem, Satanam uero nigrãtem faciunt. Ex eo itaq; quod Prophetæ semper aliquid super eos uenturum enunciarent, seroones illorum Onus nominabant, hoc est, aliquid quod super ingruat, iamq; impendeat, atq; feratur super eos, ut eos ilico tangat. Sicut ira dei & ultio in singulas horas penditur, & fertur super impios, tametsi non sentiant. Ea de re, uide si libet Hier. 24. quomodo uerbum dei Mascha appellabant, ut adeo male haberet ea res deum, ut uel inhiberet.

Oneris ergo appellatione durior & ponderosior prophetia, calamitas, afflictio, excidium significatur, Onus Moab, onus Damasci. & Esa. 23. Onus Babel, id est, prophetia rei grauis & onerosæ, quod uidit Esaias filius Amos. Et pro pœna, communiter in Prophetis accipitur.

Omnis, item pro peccato ad Hebr. 12. Depositio onere omni.

Isychius autor haud commemorandus, ita interpretatur, Vbi graue est quod dominus

nus comminatur & plenum ponderis ac laboris, et importabile, et triſtia perpetuo con-
ſequantur in titulo משא, id eſt, onus dicitur. Vbicũq; autẽ dominus proſpera uel ita-
tim læta, uel in fine læta, poſt triſtia pollicetur: ſiue poſt comminationem meliora pro-
mittit, ibi חזון, id eſt, uiſio dicitur, uel certe uerbum domini: Quia igitur prophetæ ſole-
bant populo peccatori triſtia nunciare & comminari ſupplicia, ut eo retraherent ad pœ-
nitentiam, Clemens autem & miſerator dominus diu ſententiam differebat. Putabat de-
ceptus populus & pſeudoprophetarũ fraude ſeductus, nõ uentura, quæ dominus mi-
nabatur, & rem ſeuerã in ludum & iocum uerterant, ut ſuprà auditũ eſt, prophetanti-
busq; prophetis, quaſi irridentes, dicebant: Rurſum hic uidet pondus & onus domini,
atq; ita fiebat, ut nequaquã ultra uiſio, ſed per iocum atq; deriſum Onus & pondus ap-
pellatur, Septuaginta partim ὅρασιν, partim λῆμμα tranſcribere ſoliti ſunt, cũ quibus di-
ſentiunt Symmachus & Theodotion (Hieronymo teſte) Aquila uerò ὅραμα transfere-
æque ut Septuaginta conſueuit.

Omnis leuare contra aliquam gentem, id eſt, prophetiam oneroſam ac triſtem pro-
dicere 4. Regum 9 cap.

Onus humeris imponere, Matth. 23. cap. Prouerbialis loquutio & allegorica, pro eo
quod eſt negotium faceſſere, grauare ac opprimere. Simili figura Actorum 15 cap. re-
quitur ſpiritus ſanctus. Nunc ergo quid tentatis deum, ut imponatur iugum ſuper ce-
uices diſcipulorum, &c. Iugum enim ſeruitutis & oppreſsionis ſignũ eſt, id quod Py-
uerbio quoq; τὸ ὁρμᾶσθαι ἀνθρώπους, notatum eſt.

¶ *Opinionis* nomen nonnunquam pro fama reperitur uſurpatum, ſed quũ ad hanc
nem refertur, non quum ad rem. Alioqui opinio belli eſt, quoties putatur eſſe bellum
quum non ſit. Eſt autem rumor belli nonnunquam triſtior ipſo bello, Matth. 24.
Quum audieritis prælia & opiniones, id eſt, rumores bellarum.

¶ *Opprobrium* pro ærumna, calamitate, imperia, contemptu & uilitate accipitur, quo
modo in Pſalmis alijſq; locis capitur, Eſaiæ 4 cap. Tollaſq; opprobrium noſtrũ. Genesis
30 cap. Rahel, quum filium enixa eſſet, ſic prophetabat: Abſtulit deus opprobrium meũ,
hoc eſt contemptum & uilitatem.

D. Paulus uocat Opprobriũ, ſimul peccatũ et ſententiã irę dei. Sic enim Chriſtus no-
ſtra peccata ſua fecit, & in ſe tranſtulit, ut plane eandẽ maledictionem pertulerit, quam
oportet ferre damnatos omnes, Pſal. 64. Opprobria exprobrantiũ, hoc eſt, peccata pecca-
tium, tibi blaſphemantium, maledicentiũ tibi inciderunt in me, id eſt, ego poſtulor pro
peccatis alienis, ſicut eodem Pſalmo dicit: Quæ non rapui, exoluebam. Et quadã pecu-
liare ſignificantia dictũ eſt, Opprobria ceciderunt ſuper me, id eſt, mihi imponũtur alie-
na peccata, & quicquid alij peccabant in te, & quicquid blaſphemabant, ego dolebam,
ego ferebam, ita pro eis mortem, infernũ & irã dei patior, atq; ſi mea ipſius eſſent, ſic co-
gebar ſatisfacere, quia eram fideiuſſor factus pro omnibus, Paulus ad Rom. 15 cap.

¶ *Operire* furore, eſt bonitatis & clemẽtiæ ſuæ geminam conditionem non oſtende-
re, ſed ſeuerius nonnunquam, ut uidetur hominibus delicta punire. Thren. 3. Operu-
iſti furore, & percuſſiſti eos.

Operire aũt uultũ, inter luctus ſigna recenſetur, Ezech. 24. Nõ operias uultũ, ut fieri
ſolet in luctu, hoc eſt, amictu non ora uelato, nec refectionibus parentaliorum interſis.

¶ *Operari iuſticiam*, Pſal. 15. eſt ſtudere iuſtitiæ, deditum eſſe actibus iuſtis, unde & deo
gloria & proximis utilitas prouenit. Item, Operari iuſticiam in ſcripturis, interdum ca-
pitur, pro uindicare ab aduerſarijs, id quod regum, iudicum & potentium in primis eſt.
Item pro iuſte & pie uiuere, Hiob 11 cap.

¶ *Operarij iniquitatis*, nõ ſolum ſunt craſsi illi peccatores, ut ſunt adulteri, auari, & hu-
ſimiles, ſed etiam quorum ſpecies coram mũdo eſt optima, quum interim ipſi ſint nul-
la fiducia in deum prædíti, ſed ſua conſilia ſequantur, non uerbum dei, id quod clarè
des Matthæi 5 cap. & 7. Diſcedite à me omnes Operarij iniquitatis. Et Pſalmo 5. Odi-
omnes qui operantur, inquit, iniquitatem, Quorum omnia facta praua et iniqua ſunt,
eos ſcriptura operatores prauitatis appellat, qui toti in hoc ſunt, ut & ſuprà in Tropo
Iniquitatis oſtenſum eſt.

¶ *Opera legis* uocat D. Paulus Rom. 3. Idcirco ex operibus legis nõ iuſtificabit, &c.
quæcũq; fiunt ab homine ad præſcriptũ ſiue mandatũ legis. Porrò lege nõ modo tradi-
tur ceremoniæ quędã, ſed & iuſtitiã præcipitur colamus, deum ante omnia, & proximũ,
ſicut

ſicut nos metipſos diligamus. Et ad Galatas cap. 2. Opera legis omnis generis opera intelligit, quæ ab homine fiunt.

Opera deinde bona, ſcriptura quoq; uocat: nempe officia charitatis proximo exhibita, quæ fluunt ex imo opere, quod eſt omniũ operũ ſummũ, uidelicet opus dei, quod eſt fides in Chriſtũ, ut infra patebit. Quæ Opera cadũt in utilitatẽ proximi, habes exemplũ egregium in epiſtola Pauli ad Philemonem pro Oneſimo. Fides namq; quæ uiuebat in pectore Pauli, Non potuit talia non producere in externo opere, ut ſcias fidem ueram ſine operibus bonis non eſſe.

Opera bona ſeu mala, pro bonis & malis hominibus uſurpat, Rom. 13. Non ſunt timori bonorum operum, ſed malorum. Scholia græca, hoc eſt ijs qui bene operantur, & ijs qui male agunt. Opera atqui tenebrarum arma lucis, Rom. 13. cap. Opera hoc loci tenebrarum mala opera. Arma lucis uero uirtutem appellat ſicut antea Noctem præſentem uitam, diem autem tempus futurum uocauit.

Operatio pro dono. 1. Cor. 12 cap. Et diuiſiones operationum ſunt, Gennadius χάρισμά id eſt, donum.

Opera pro munitionibus, quo etiam Latini utuntur, Hiere. 48. Opera conatus, consilium Eſaiæ 11. Qui opera ſua, id eſt, conatus. Ita & Conatus uocabulum tam late patet, ut conſilium quoq; comprehendat.

Opera, ſtudia et affectus. 1. Ioan. 3. cap. Quia opera eius mala erant, Opera poſuit pro affectibus & ſtudijs. Equidem mala mens, malus animus. Et 2 Cor. 11 cap. Quorum finis erit iuxta opera eorum, id eſt, iuxta conſilia & acta, Sic opus non tantum ipſam operationem et elaborationem ſignificat, uerum etiam id quod operando effectum eſt, Eſa. 26. Et erit merces iuſticiæ pax, merces, pro fine aut opere operato, id eſt, effecto.

¶ *Opus* pro peccato. 1 Cor. 5. Qui hoc opus fecit. Item, pro factura & ædificio uſurpat Paulus 1 Cor. 3. cap. Corinthij enim opus ſuum erant, quos ipſe Chriſto uero fundamẽto ſuperſtruxerat, & 9. cap. eiuſdem epiſtolæ, Vos opus meum.

Opus pro mercede, Leuitici 19. Opus mercenarij ne pernoctet apud te uſque mane, Hiere. 22. Et opus ſuum, ei non reddit: Et Pſal. 109. Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi apud dominũ, hoc eſt, hæc ſit merces eorũ à domino. Item, pro caſtigatione, Eſa. 10. Et erit quando perficiet dominus totũ opus ſuũ in monte Zion & Hieruſalem. Quicquid enim caſtigationem in terra Iuda à Sennacherib facta ſunt, opus ſuũ dominus appellat.

Opus ſignificat etiam fructum & finem, quem ex noſtris ſtudijs quærimus, Eſa. 41. Et opus ueſtrum ex eo quod non eſt.

Opus interdum quoq; pro eximio & præcipuo opere capitur. Eſaiæ 60. Opus manuum mearum quo glorior. Opus pro familia, Gene. 33. uocat uniuerſam familiam opus, potiſsimum greges & armenta. Ab Opere tuo, Exodi 36. hoc eſt, relicto opere.

Opus cogitationũ dicit, opus plenũ arte, in quo opus eſt ingenio acri, Exod. 35. Opus ſeruile, Numer. 29. Id eſt, quod ad deum nõ pertinet, ſed ad hominẽ, ut eſt uictus & alia. Opus pro operis præmio, Iob 7 cap. Opus tuũ ſine manibus factũ. Eſa. 43. Id eſt, male egiſti quaſi operi præficiendo manus defuerint, uel errauerint. Vel: Opus tuũ abſq; manibus eſt, Prouerbialis ſermo uidet eſſe. Id eſt, Et operi tuo nullæ ſunt manus, Vel: Operi tuo nullus eſt uſus, qualẽ in Germanica lingua habemus. Es hatt vveder hand oder fuis. Neq; manus habet, neq; pedes. hoc eſt, friuolũ eſt, inane et inutile, imò monſtrum.

Opus dei autẽ Chriſtus perpulchre declarat, quid ſit, Ioan. 6. cap. Hoc eſt opus dei, ut credatis in eum quẽ miſit ille. D. Auguſt. Diſcernitur quidẽ ab operibus fides. Sic Apoſtolus ait, Rom. 3. cap. Iuſtificari hominẽ per fidẽ ſine operibus legis. Et ſunt opera quę ideo ſunt bona ſine fide Chriſti, & nõ ſunt bona, quia non referuntur ad eum finem ex ideõ uoluit diſcernere ab opere fidem, ſed ipſam fidem dixit eſſe opus dei. Nec dixit hoc eſt opus dei, ut credatis in eum quem miſit ille, ut qui gloriatur, in domino glorietur.

¶ *Orare*, pro laudare & gratias agere. 1. Samuelis 1. cap. Orauit ergo Hanna & ait, Exultauit cor meum in domino. Hinc accipitur Orare etiam pro expiare, Numer. 8. cap. Et orent pro eis. Et cap. 15. eiuſdem libri, pro expiare ſiue purgare oblata deo hoſtia, id eſt, remouere iram dei à peccatore.

Oratio capitur interdum pro deſiderio & querimonia, Lucæ, 1. cap. Oratio ſeu deprecatio tua exaudita eſt. Hinc Oratio uera non ſolum eſt quodlibet pietatis uorum, ſed

ſerium & efficax animi uelut cum deo colloquium, & grauis perpenſio eorũ quæ gloriæ dei in nobis deſunt, cum ardenti ad ipſum ſpiritus deprecatione, ut ea in nobis iaciat. Oratio idem interdum quod deuotio, Coloſſ. 4 cap. Ein ergebne andacht, de attentione & adhæſione mentis in deum.

Deprecatio autem quum petitio per aliquid urgetur, & uelut intenditur, ut quum quempiã propter patrẽ eius, aut aliud quippiã ei charũ & eximiũ, ut quũ deũ oramus per miſericordiã ſuam, per filiũ ſuum, per promiſsionẽ ſuã, per nomen ſuũ, per ſanctos ſuos, ut Solomon 123 Pſal. Memento domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius. Et Rom. 12. Horror uos per miſericordiam dei. Et 2. Cor. 10 cap. Horror uos per manſuetudinem & æquitatem Chriſti.

Obſecratio eſt, quum petitionem urgeo, aut admiratione quapiam inſto, nimirum aliquid obiectans cuius nomine petam, ut ſi dicam: Peto abs te reſpectu dei, quem admodum hoc D. Paulo frequens eſt, præſertim uero ad Rom. 12. Harum uocularum inſtertium ſcriptura euidenter habet.

Petitio eſt, quũ id quod deſideratur, & pro quo oratur & deprecatur, nominamus, ut in prece dominica, totus ille uerborũ contextus, oratio dicitur. Septẽ aũt illa pro quibus oratur, ut ſanctificetur nomẽ tuũ, etc. Petitiones ſunt, iuxta illud Matth. 17. Petite et accipietis, quærite & inuenietis, pulſate & aperietur uobis. Qui petit accipit, &c. Gratiarũ actio eſt, quũ dei beneficia recenſent, quo fides in deũ roboratur, tanto cõfidentius expectandi, & id quod deſiderat, ac pro quo orat. Hoc itaq; pacto roboratur oratio, et uiget per deprecationẽ. Fit aũtẽ dulcis et grata per gratiarũ actionem, ac ita per robur hoc acq; dulcedinem ſuperat, atq; impetrat quicquid petierit. Hanc precandi rationẽ in uſu eccleſiæ et ſanctorum patrum ueteris Teſtamenti uidemus, qui ſemper in orationibus ſuis cum deprecatione & gratiarum actione petere fuerũt ſoliti. Id & in oratione Dominica uidemus, quæ cum gratiarum actione, & laude incipit, dum deum ab initio patrem confitemur, ad quem penetrat pius animus per paternam & filialem dilectionem: qui deprecationi nihil poteſt conferri, quare & optima & præſtantiſsima eſt omnium quæ haberi poſſunt. Hos etiam D. Paulus coniungit ad Philip. 4 cap.

Orare præterea ſpiritu, eſt ſpiritu ſine halitu ac uerbis ſolum orare: at Orare mente, eſt ipſo animo precari, & orationis mentem aperire. 1. Corinth. 14 cap. Orabo ſpiritu, ſed orabo & mente.

Orare deniq; ſine intermiſsione, hoc eſt, aſsidue, ſedulo. Nã ſancti ſine intermiſsione orant, cũ frequẽter colloquunt cũ deo. Et Sanctus Auguſt. ad Probã Epiſt. 121. In ipſa inquit, fide, ſpe & charitate cõtinuo deſiderio ſemper oramus. Sic Chriſtus: Oportet ſemper orare, & nõ deficere, Lucæ 17. Non ſegneſcere in precibus, ſed cõſtanter & ardenter precari in tribulationibus cõſtitutis, ut tametſi nõ ſtatim exaudiuntur, à petendo tamẽ non deſiſtant, Germanice, Nit ablaſſen oder noch laſſen. 1. Theſſ. 5. Matth. 6. Hoc uolũt hij loci omnes ſcripturæ, ut in neceſsitatibus cõſtituti, nõ ceſſemus ab orationis aſsiduitate, nec ponamus impetrandi fiduciam, donec exaudiantur. Huc pertinent parabolæ illæ Lucæ 18. & 11. & exemplum mulieris Sidoniæ, & factum eccleſiæ Hieroſolymitanæ, quæ ſine intermiſsione ad deum pro Petri apoſtoli liberatione orabat: hoc eſt, quoties conueniebat, Petri non obliuiſcebatur, nec liberationis illius impetrandæ fiduciam abijciebat. Sic 2 Tim. 1. & tale quiddẽ & ad Rom. 1. Similiter de Anna filia Phanuelis commendatur, quæ non diſcedebat de tẽplo nocte ac die, id eſt continuè, & nullo non tempore precabatur. Non quod nihil aliud fecerit, ſed quod illud potiſsimum fecerit: nam habuit interea & corporis curam. Cõmendauit nobis dominus perpetuũ & ardens precandi ſtudium. Orare in ſumma ſine intermiſsione, eſt reminiſci dominum.

¶ *Ordinare*, pro facere ſeu fabricare, Pſal. 73. Tu ordinaſti lucem & ſolem. Ordinare item pro ſolidũ eſſe, Eſaiæ 16. Et pręparabitur miſericordia, hoc eſt, ordinabitur. Ordinate uiuere quid ſit, uide infrà in uerbo Viuere. Ordo hinc pro ſtatu. 1. Cor. 15. cap. Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Chriſto omnes uiuificabuntur, unuſquiſq; autem in ſuo ordine. Græcè ἐν τῷ ἰδίῳ τάγματι.

Ordo rei geſtæ non ſemper ſeruatur. Siquidẽ prophetarum mos eſt, neq; omnia uno loco cauere, multaq; in medio relinquere. Nec eſt neceſſe rem geſtam ordine texere, dũ prophetia in perſona Chriſti, aut alterius formatur, ſatis eſt omnia uera dici, ordinem quæ rebus gerendis ſequuntur relinquere, nec etiã Euangeliſtæ ubiq; ordinem ſeruant.

Ornatus

¶ *Ornatus* nomen pro habitu modesto & decenti positum apud Paulum reperimus 1 Timoth. 2. Nã Ornatũ Græcè κόσμιον, id est, cõpositum, siue bene moratũ, aut modestũ intelligit Paulus, iubet enim Paulus fœminas uti amictu modesto, ut tegantur undiq; et habitus uitæ testentur integritatem ac muliebrem uerecundiam, id enim sonat κόσμιον.

Ornatus cœli autẽ sunt ipsa sidera, totiusq; rei apparatus, atq; opificium. Septuaginta uerterunt κόσμος οὐτὸν, id est, ornatus eorum. Quum ergo deus à prophetis dominus exercituum uocatur, innuunt eum talẽ, cœlestiumq; siderum autorem ac parentem esse. Etiam & illud mystice significauit, quod sit dominus angelicæ multitudinis, qui in sacris appellantur etiam militia, siue exercitus cœlestis.

¶ *Orbis*, οἰκουμένη capitur interdum pro imperio Romano, uel ea parte orbis, quę sub ipsa fuit Romanis. Sic Hebræi suum Æretz habent, das gantz land. Vel: das gantz rich. Nam quis unquam regum, totum orbem censuit? Lucæ 2 cap. Orbis Augusti describendi & Esaias cap. 13. Super Orbis mala. Dicit de Babylonico tantũ orbe. Ad hunc modum Lucæ euangelistæ locum intelligunt: Exiit esse, inquit, edictũ à Cæsare Augusto, ut describeretur totus orbis. Per Synecdochen aliqui exponunt: cum constet nullum Imperatorem aut regem unquam toti imperitasse orbi, uti dixi. Proinde totum orbem interpretantur pro uicinam omnem, aut totum orbem Romanis subiectum.

¶ *Oriens* nõnunquam substantiue est, & deum ipsum significat. Sic Psal. 67. Psallite domino ascendenti super cœlum cœli ad orientẽ, id est, ad illum qui oriens est, & principium mundi, hoc est, deus ascendit ad deum. Vbi Oriens est substantiue, sicut in cantico Mariæ, Lucæ 1. cap. In quibus uisitauit nos ex alto, ἐξ ὕψους.

Ab Oriente & ab Occidente, locutio est, qua usus est Matth. 8. cap. pro eo quod est ab omnibus partibus mundi: & ex omni natione quæ sub cœlo est, &c.

¶ *Orphani* significatio in scripturis frequens. Nam pauper, orphanus, pupillus, uidua in sacris pro quocunq; ab omnibus destituto, & qui omnibus omnium nimijs facile obnoxius est, accipi solet. Et quia deus, his potissimũ, qui ab hominibus prorsus deseruntur, citius cõsulere, opemq; illis ferre consueuit, scriptura adagij loco, eum iudicẽ esse uiduarum, pauperũ, orphanorumq; omniũ scilicet afflictorũ, iactitat, Psal. 10. Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor. Et Psal. 68. Exultate in conspectu eius (turbabuntur à facie eius) patris orphanorũ, & iudicis uiduarum: Deus in loco sancto suo. Quasi dicere uelit: Vos Orphani igitur & uiduæ, id est, omnibus mundi huius cõmodis denudati, retecti, irrisi, & qui iustitiæ fame laboratis, propterea male ab improbis auditis, habemini q; ludibrio ac probro, exultate in conspectu eius.

¶ *Optamus* quoniam carent Hebræi, circumlocutione utuntur. Quis det, quod dicemus, O si, utinam caput meum aqua esset, ut Hiere. 9. cap.

¶ *Osculari* pro apprehendere, Psal. 2. Osculamini filium seu puerum ne irascatur. Septuaginta ἐπιλάβεσθε, id est, apprehendite, amplectemini, suscipite, eius amicitiam expetite.

Osculari filiũ, est Christũ deũ colere summa reuerentia, & humilitate regẽ et dominũ Christũ suscipere, Christo spõso adhærere, Christo subijci summa charitate, & fide & amore amplectemini eum, Christũ agnoscere saluatorẽ, hoc est uere et pure adorare. Hebræus ait: Apprehendite disciplinam, id est, in Christum pura fide credite, et hunc colite, ne uitulos. Ideo apud prophetam Osculari uitulum, pro religiose colere idolum.

Osculari cæterum manũ, est sua laudare, in sua iusticia fidere, & operibus & propr ijs uiribus gloriari. Atq; hac iniquitate fit, ut nõ in deo gloriemur, sed in nobis ipsis, et gloriã deo subtrahamus. Hic enim uere adorat, & manũ suã osculatur, ore suo qui seipsum laudat proprium opus cõmendat, celebrat, sibi placet, & de eo gloriatur, in se nõ in domino laudatur anima eius. Ideo est iniquitas maxima & negatio altissimi, ut quæ id quod dei est, sibi tribuat, seipsum in idolum Baal sibi statuens seq; adorans, quod est ue ra idololatria, si creaturã aliquis adorauerit, & spem in illã collocauerit, quod est Osculari manum. De his 2. cap. Esaias: Opus, inquit, manuũ suarum adoraueruntEst enim natura hypocritarum, sua commendare opera, id quod nihil aliud est, quam nomen dei blasphemare. omnis enim laus, & omne bonum in quouis opere, dei est, non nostrum: proinde qui quod dei est, sibi usurpat, nominis dei prophanator est.

Adorare aliàs (ut suprà diximus) est deum colere, pietatem suam testari, corde & spiritu uenerari, & dei auxilium implorare, ut Moses Deut. 6. dicit, Dominum deum tuum

adorabis,id eſt,coles,inuocabis,honorem corde præſtabis, et ueluti uitæ atq; ſalutis au-
torem honorabis,in eum ſolum ſpem fixã collocabis, & ſic:Adorare eſt quod nos Ge-
mani dicimus:Anbetten,Ein gots dienſt thun, Et Ioan. 4. Alias Adorare pro uenerari,
adoſculari,proſternere,genua flectere accipitur. Aliud igitur eſt adorare deum, aliud a-
dorare hominem. Adorare deum,eſt timere,colere,et inuocare deum dominum q̃. Ado-
rare hominem,eſt honorem exhibere,& gratias agere. Aliàs peccatum eſt, ſi creaturam
coles aut adoraueris,id Oſculari manum ſcriptura appellat.

Oſculari pro amplecti, Geneſis 29.Et oſculatus eſt Iacob Rachel uulgo, vmbfangen
mit armen kuſſen,Oſculo ſcilicet ſancto,ne quis turpe aliquid cogitet. Itẽ, Oſculari pro
ualedicere.3.Regum 19.Et dixit oſculabor obſecro patrem meum & matrem meã. Oſcu-
lum ſynceræ charitatis ſymbolum eſt,Rom.15.cap.

Oſculo regum manus etiam hodie ſuauiantur, & in pleriſq; hodie regnis teſtantur
ſubditi,ſe uelle in fide ac poteſtate regis eſſe. Vide D.Bernhardum in principio Canti-
corum de triplici oſculo.

Oſculari ſignum pacis & abſolutæ amicitiæ, concordiæ & charitatis,genti Hebræo
in more fuit,nobis non item,ut Gene.27.Da mihi oſculum fili mi. Quo etiam oſculo
Chriſtus ſuos diſcipulos legitur reuertentes excipere ſolitus. Qui huiuſmodi ſigna &
ſymbola,aut falſo adhibent,aut abutũtur,grauiter peccant ac proditores ſunt. Nam
quæ pacis ſunt,nemo fallere debet.

Oſcula uero odientis,Prouerb. uigeſimoſeptimo,ſicut laudes & blanditiæ inimi-
rum,quæ ueræ ſunt contumeliæ.

Oſculari os deniq;,pro admirari,ſuſpicere ponitur,ut Gene. 41. Os tuum ſeu ſermo-
nem tuum,imperium tuum,omnis populis exoſculabitur.

¶ *Oris* nomen latiſsime patet:pro uoluntate,Geneſis 24.Et quæramus os eius, lo-
ſue 9. Et os domini non interrogauerunt.Pro interprete,Exodi 4.Ipſe erit tibi quaſi os.
Pro menſura, Deuteronom. uigeſimoprimo capite, בי os duarũ partium. Os fortè, pro
facie ponitur,Prouerb.10 cap.

Os dei,filius dei patris,id eſt,Chriſtus dominus, de quo Hiere. propheta ex perſona
Iudęorũ effatus ait, Quia os eius ad iracundiã ,puocauimus. Alter uero Os domini lo-
mo eius ſiue iuſsio accipit. De q̃ ſermone domini Eſa.,ppheta ait:Os domini locutũ eſt.
Os unum,Ioſue 9.cap.Congregati ſunt ſimul ut pugnarent cum Ioſue,et cum Iſrael
os unum.Septuaginta ὅμα πάντες,omnes ſimul, hoc eſt, unanimiter.& quemadmodum
uulgaris translatio habet,uno animo eadem q̃ ſententia.Secundum os eorum, Geneſi
47.Id eſt,pro ratione paruulorum,ſecundum numerum eorum. In Ore canticum po-
nere,Deut.31.Vt memoriter teneant,& ore decantent. Os ſuum magnificare, Abdiæ.
Sic Pſal.12.magnificare ſeu roborare linguã ſuam.Os gladij dicitur cuſpis gladij & ac-
es eius uocatur.1.Regum 5.Nam Os gladij dicitur in Bibliis ea pars gladij,qua morde,
unde gladius uorare homines paſsim legitur.

In Ore gladij,pro acuto gladio. Suprà in nomine Gladij quoq; meminimus. Quid
ſit Os in corde loqui,ſuperius declaratum eſt in nomine Cor.

Ore ad os,noſter Interpres, Vſq; ad os. Septuaginta legunt, Os ſupra os. Pagninus
illeXantes uertit, de latere ad latus.Et quidem alius,de angulo ad angulum, von ec-
nem ort zum anderen. Nulla pars fuit ciuitatis immunis à cæde crudeliſs. tyranni Na-
naſſe.4 Regum 21 cap.

Os eorum,noſter Interpres uertit,conſilium eorum.1.Paralip.12. & Geneſis 45. cap.
Super os Pharaonis,reddunt,iuſsionem ſeu mandatum.

Os domini exaſperare,hoc eſt,nolle parere dicto. 1.Regũ 12. cap. ubi noſter latinus
Inobedtens legit.

Os domini, Ioſuæ 21. interpretantur, Imperium domini. Super,ſeu ad os domini, id
eſt,iuxta uerbum domini,Numer.9 & 13.Deut. 21 cap.

Secundum ſiue ad os,id eſt, iuxta cõmiſsionem 4 Regum 23. cap. Quid in ore eius
quod noſter Hieron.ſic:quid ipſe dicat.2.Regum 17 cap.

In Ore ſacci,Gene.42.pro eo quod eſt,in ſummitate ſacci.Os ſpeluncæ,pro introitu
accipitur.In ore duorum,pro teſtimonio duorum.Deut.17.Ore & lingua, Exodi 4. Id
eſt,tardus ſum ad loquendum,& lingua impedita.Eſſe in ore alicuius dicitur deus,qui
facundum reddit,eodem capite.

Os dilatare,

Os dilatare, est facere copiam loquēdi, uel canendi. 1. Samuel. 2. Dilatatum est os meū super inimicos meos. Oris autem apertio ad dei gratiā pertinet, et ad uoluntatē dei. Dilata, inquit, Psaltes os tuum, & adimplebo illud. Vbi significat in homine uoluntatē accipiendi, quod deus donat uolenti: ut ad uoluntatis exordium pertineat. Dilata cor tuū ad dei autem gratiam. Et adimplebo illud: Hic uero & aperiam os tuum & instruam te.

Os duplex, apud Zachariā 14. dicitur mundus, Hebraica loquutione. Præterea In Ore esse Hebræis est dicere, Psal. 48. Et post eos in ore eorum current. Septuaginta, In Ore eo suum complacebunt, Gene. 25. Et diligebat Isaac ipsum Esau, quia uenatio in ore eius. Septuaginta, cibus eius. Nos dicimus, Isaac amore complectebatur ipsum Esau, quod de uenatione illius uesceretur. Nam in Ore esse, Hebræi aliquando pro comedere usurpāt.

Os hominis duplex est apud D. Augustinum. De Cont. lib. 1. cap. 1. & 2.

Os meū loquitur ad uos, Gene. 45. Id est, ipsi aduertere potestis, quod sim frater uester. Loquor enim uobiscum patria lingua, non per interpretem. Hebraismus est.

Os pro uictu, Ecclesiastes cap. 6. Quum labor omnis impendatur ab homine propter os suum. Et Genesis cap. 3.

Os denique aperire, est docere, ut Matth. 5. Et postquā aperuisset os suū. Ista paraphrasi Euangelista mētes nostras attentas ad futurā doctrinā facit. Alioqui satis erat, si dixisset, docebat eos. Quis enim docet uerbis, ore nō aperto? Habet hūc scriptura morē, ut exi stimulos uiros, ubi præcipui dicturi sunt, Os aperire dicat, ut animū auditoris excitet. Nam silentium non nisi sapientiam, ac si quæ sunt salubria meditantur. Os iusti, inquit, proferet sapientiam & linguā eius loquitur quod iustum est ac rectū, Et Prouer. 19 cap. Vena uitæ, inquit, os iusti. Cum ergo iusti ac sapientes raro loquantur, nec male silentium rumpant, nisi dicenda sunt necessaria & utilia, ut è thesauro cordis pie ac sapienter instituti uerba salutis proferant, recte scriptura hoc loquendi modo doctrinam illorum commendat. Sic Psal. 78. Aperiam in parabola os meum.

¶ Ossa, sicut ædificiorum moles columnis sustinetur, ita corporū compago ossibus firmata uideri potest, adeo ut actū sit de uiribus nostris, si loco mota fint ossa. Itaq; secūdum spiritū non inepte intelligimus quæcunq; in animo nostro sunt firmiora Ossium nomine significari. Sic Esaiæ 38 cap. Legitur: Erit deus tuus tecum semper, & impleberis sicut desiderat anima tua, & ossa tua pinguescent. Et Psalmo 34.

Ossibus prouerbialiter Hebræi utuntur, nō in unū sensum. Aliquādo enim pro summo robore, potētia, uirtuteq; solida, ut Hiob 20. Ossa eius implebunt. Aliquando autem pro intimo cogitatu ac mētis penetralibus, Esa. 66. Et Ossa uestra tanquā gramē uirescunt. Per Synecdochen pro ipso hominis interitu, securitate & firmitate. Et Dauid ait Psal. 6. Sana me Domine, quoniā conturbata sunt ossa mea. Nō debent accipi pro ossibus ipsis corporalib. in carne nostra, quæ ex infirmitate & cōturbatione ista spiritus, turbantur, ut tremāt, nulliusq; uirtutis sint: deniq; nec ossa iam sint, nec corpus ipsum ferre possint, Esa. 38. Nam hoc est quod & in morientibus aliquando uidemus, ubi tremunt quidā & horribiliter distenduntur præ angustia & agonia. Hinc quoq; Ossa in scripturis pro dignioribus animi uirtutibus interdū accipi solēt studiosi. Psal. 31. Quas sanè uabecillitatis, atq; ignorantiæ in corde pauido facile innasci solet.

Ossa adhæc in puluere dormire, est cum prauis eius actibus, etiam si qua sunt bene acta deperire, Hiob. 20 cap. Ossa eius implebuntur adolescentia eius, & cum eo in puluere dormient. Os, ossis, pro forte, Genesis 49. Isachar asinus ossis, id est, quasi osseus ad ferendum magnum pondus.

Os meū, & caro mea est, Gene. 29. Retulit ei omnia quę gesta erāt cū Esau, quęq; accidērāt ei in itinere. Ad quæ Labā respōdit, Profecto cō sanguineus meus es. Hic os ab osse non ab ore. Sic Os pro proximo & propinquo accipit. Nā Hebræi hoc sermone utunt quoties propinquitatē sanguinis uolūt innuere, Germani, Er ist min bluot vnd fleisch.

Os distendere, ad ludibrium & ferociam pertinet, & ad barbariem hostium, Thren. 2. Aperuerunt seu distenderunt os suum.

¶ Ostendere, pro exhibere & facere, Ioan. 10 cap. Multa bona ὀpera ostēdi uobis ex patre meo, pro Exhibui uobis. Ebraismus est, quo sacra scriptura aliquoties utit, ut Psal. 4. Quis ostendet nobis bonum? Et Psal. 60. Ostendisti populo tuo dura, Et Psal. 71. Ostendisti multus mihi tribulationes. Et nos Germani sic loquimur, Ich hab dir vil guots

bewiſen oder erzeiget. Similiter pro facere, quod idem eſt, Paulus uſurpauit in 2. epiſt. ad Timoth. 6. Ærarius multa mala mihi oſtendit, id eſt, multis malis me affecit, uel feci ei mihi multa mala. Annotauit & D. Auguſtinus lib. de loquutionibus, Geneſis 1. in ſacris literis oſtendere frequenter uſurpari pro facere. Et Geneſis 50. Et redditione reddet uobis omnia mala quæ oſtendimus ei.

Oſtendere duces contra ſolem, eſt ſuſpendere & configere, Numer. 25. Accipe omnia capita populi, & oſtende eos domino cõtra ſolem. Septuaginta, Accipe duces populi, & trade in exemplum eos domino cõtra ſolem. Oſtendere faciem deniq; eſt miſereri, Pſal. 79. Domine deus uirtutum conuerte nos & oſtende faciem tuam, & ſalui erimus. Vide latiùs in nominibus Vultus, & Facies.

¶ *Oſtij* uocabulum pro introitu & fiducia, Coloſſ. 4 cap. Vt deus aperiat nobis oſtium ſermonis. Et 1. Cor. 16. cap. Nam oſtium mihi apertum eſt magnum & efficax, & aduerſarij multi. Oſtium apertum, eſſe metaphora prouerbiali pro eo dixit, quod eſt occaſionem & uelut anſam ſubminiſtratam eſſe. Quomodo aperitur oſtium uerbi, niſi cum ſenſus aperitur audientis ut credat: & initio fidei facto, ea quę ad ædificandam ſalubrem doctrinam prædicantur & diſputantur, admittat, ne per infidelitatem corde clauſo, ea quæ dicuntur, improbet ac repellat. Quid aliud intelligit Paulus, niſi prædicatio ibi per eum primitus euangelio credidiſſe multos. Similiter 2 Cor. 2. Paulus gloriatur Oſtium apertum ſibi eſſe, hoc eſt, facultatem diuinitus datam, qua per uerbum euangelij ad corda gentium penetraret. Et Apocalyp. 3 cap. Ecce dedi coram te Oſtium apertum.

Porrò Oſtium fidei aperire, Acto. 14. Prouerbiali loquutione dixit Lucas, pro recipere in fidem. Retulerunt, inquit, quæcunque feciſſet deus ſecum, & quod aperuiſſet Gentibus oſtium fidei.

¶ *Oua* Aſpidum ſeu Baſiliſci incubare & excludere, pro rem inſigniter ſceleſtam perare & patrare, idem eſt, quod coruũ excludere, Germani dicũt, Ein rappen auſz brüten, Eſa. Oua Aſpidum ruperunt, ſunt prouerbiales ſermones. Et in eodem capite: Qui de Ouis eorum ederit, morietur: quod ſi conculcauerit, excludetur uipera, eſt lupum auribus tenere: aut inter ſacrum ſtare & ſaxum: aut fruſtra occidi parentes liberis ſuperſtitibus, & quæ huiuſmodi ſunt, eandem uim cum præſentibus iſtius capitis habent: quibus ſumma ſignificatur ambiguitas. Et quaſi dicat propheta, ſi quis doctrinam eorum amplectitur, perit. Eſt enim impia & falſa. Sin eam accuſauerit aliquis, incipiunt furere & quærunt quomodo eum perdant. Hoc enim uult, cum dicit, ſi conteratur ſemper uipera. Sic oua aſpidum ruperant ſicut eſt figuratus morſus in ſtudia hypocritarum, Mat. 3. progenies uiperarũ uocantur Reguli ſeu Baſiliſci excidentes oua noſtro, paulatim duriciem decutiunt, donec pullus exeat. Ita & impij aliquandiu cogitationes malas uerſant in cordibus, donec in opus ſuum prodeant. Verum opera illa tanto labore parata, tamq; pernicioſa, recte comparantur telæ araneæ, quæ non durat nec proderit.

¶ *Ouium* nomine & dictione intelligit ſcriptura electos ac filios regni, ueros domeſticos dei. Ioannis 10 cap. Ego ſum, inquit, oſtium ouium. Ergo nec ſuum, neccanum, nec luporum, id eſt, quorumcunq; reproborum hominum genera ad domũ dei admittuntur. Ideo Ouis nomine, boni intelliguntur, Lupi uero dictione mali ueniunt.

Ouis quoq; appellatione ſimplicitas & innocentia ſolet deſignari, Matth. 25 cap. Et ſtatuet Oues quidem à dextris ſuis, hœdos autem à ſiniſtris.

Ouinæ pelles & Caprinæ, uſurpantur in epiſtola ad Hebræos pro laceris, reiectitiis & uſibus humanis minime accommodis, Hebr. 11. cap. Oberrarunt in ouillis & caprinis pellibus. Id eſt ferinæ ueſtes minime humanis rebus accommodatæ.

Ouis, plebs Chriſti eſt, Mar. 14 cap. Percutiam paſtorem et diſpergentur oues gregis. Ioannis decimo capite.

Ouem denique profligatũ redimere, apud Ezechielẽ trigeſimoquarto capite, eſt errantes in fide, & moribus ſcandalizatos uerbo doctrinæ reconciliari eccleſiæ, & ad caulas fidelium reducere.

Pacificare

P

PACIFICARE, pro transfugere, Iosue 10. cap. Ascendite ad me, & præsidium ferte, & percutiemus Gibeon, quia pacificarunt cum Iosua. Septuaginta, transfugerant.

Pacifici seu Pacificatores iuxta scripturam dicuntur, qui pacis conciliandæ studiosi, hoc est, qui non solum ipsi pacis amantes sunt, sed & inter alios dissidentes, concordiam sarciunt, non exasperantes odium inter discordantes, sed si ad aliquem illorum uenditent. commodè de alio loquantur, & pacã componendæ ubiq; studeant. Hi demum filij Dei sunt, de quibus Matth. 5. cap.

Pacis dictio & nomen latissime patet, omnium enim rerum successum, prosperitatẽ seu felicitatẽ, saluũ, prosperũ fortunatũq; statũ Hebræi suo more uocant. Et pacis nomen Latinis constructius est, quàm scholom Hebræis. Ea nanq; uox integritatẽ successus in scripturis solet significari. Ita quum Ioseph rogaret: Est ne patri meo pax, dicere uellet, Nunquid recte habet pater & rerum successu fruitur. Sic enim Latinè dicere possemus, est ne sanus, salua sunt omnia? Gen. 29. cap. Sanus est ne, inquit? Sic enim pro salue accipitur. Nos dicimus, Est ne saluus? Et alibi in eodem lib. Est ne pax tibi? id est, sanus ne es? Quærit enim an ne integra & salua sunt omnia. Græcus pro explicat uocẽ Hebraicam hygiænei, quod significat undiq; saluum esse, bene habere. Nam uox schalom Latine propriè est salus & integritas, sicut adiectiuum Salem uel Salom, idem est quod Thomim, integer, perfectus, incolumis. Gen. 44. Num integra est: hoc est, pax patri uestro? Et Gen. cap. 34. Sunt isti uiri integri erga nos? Hinc hæc uox non tam pacem, quàm omnimodã rerum omniũ salutẽ, successum ac felicitatẽ, securitatemq; significat, Luc. 1. In uiam pacis: hoc est, ut securi iremus in hac uia. Hebraico more, Pax enim pro securitate & saluo statu. Et Luc. 8. Noli timere, crede tantum, & salua erit, So ist dsach vñ recht, so vvurts vvol stan. Hoc enim ualet schalom Hebraicum, quod Latini pacem dicunt: Hinc salutares hostiæ dictæ, quas gratulatorias appellare licet, quæ offerebantur pro rebus bene gestis, quum res erunt integræ ac saluæ. Sic dicunt, Est ne pax pueris: id est, sunt ne pueri salui? Stadts vvol vmb sie, Sind sie gesundt vnd fryschʒ Dicunt schola pax, quod translatio reddidit Valet.

Pax tibi. Erat mos is salutandi Hebræis frequẽs, & manet etiã hodie illa hæc salutatio apud Iudæos & uulgaris eorum usus est, ut si discedere uel conuenire uolunt, dicant Schalom Lecho: id est, pax tibi, quod idem est, ac si nos dicimus: Salus tibi, uel tantũ est, bene ualete, bono animo estote, curate ut cũcta sint uobis prospera, incolumes res ac integræ, ut Gen. 37. patet: Vade & uide, si cuncta prospera sint erga fratres tuos & pecora: hoc est, uide an res nostræ se bene habeãt. Græci solenni more dicũt χαίρε, salue. Sic Hebræi Syriq;, attestante Erasmo, Scahlõ lecho. Et Ge. 43. Pax uobiscũ, p bono aĩo estote.

Hinc oritur illa salutatio in nouo Testamento Hebraico more: Pax uobis, qua locutione Christus sæpissime ega suos discipulos usus est. quod nos dicimus: Saluete, Valete. Similiter in discessu solemus dicere: Commendati estote domino. & his similia precamur, & optamus prospera & felicitatem longæuam.

Hac uoce usus Ioannes, Ioãnis capite decimo quarto, & ostendit Quid sit pax Christi: nempe non esse caducam, non fluxam & uanam mundi, sed suam: id est, certam & diuinam felicitatem relinquere atque dare, non frustraneis tantum uerbis precari, ut homines solent, Ea uerò sita est in fide solida, quam suppeditat spiritus paracletus, quem erat missurus. Hæc pax amplior est, quàm agnoscere queat mens hominum, Philippensium quarto, Pax Dei dicitur, Coloss. 3. quia solus deus tribuit istam, & Christus uenit hanc mundo impartiri.

Hebræi tres uoces habent, quibus suis successum ac felicitatem precantur optantq;, uidelicet Amen, Selach, Pax. Vide in Tropo Amen, de his uocabulis & uoculis.

Pacis appellatio, interdum pro societate & amicitia, Iudicum 4. Quod pax esset inter Iabin regem Hazur, &c. Loqui alicui in pacem: id est, amice, Gen. 37. Rogauit Dauid ad pacẽ id est quàm recte ageretur, 2. Reg. 11. Huc pertinet: Rogate quæ ad pacem sunt Hierusalem. Et apud Lucam: Quæ ad pacem tibi, &c. cap. 19.

Pacis uocabulum, pro incorruptione, Rom. 2. cap. usurpatur: Gloria uerò & honor & pax. Itẽ pro iustitia, autore Theophilo, Luc. 7. Fides tua te saluã fecit, uade in pace.

Pacem manere ſuper aliquo, locutio eſt Hebraica apud Matth. 10. Pax ueſtra manebit ſuper eos, id eſt, tranquillabuntur eorum conſcientiæ per euangelium & gratiam dei, & ſic implebitur in eis pax quam uos eſtis imprecati. Pacem reſpondere, Deut. 20 cap. Id eſt, ſi pacifice reſponderet, ſi pacem receperit à te oblatam.

De pace mutuo ſe interrogare, Exodi. 18. cap. Et interrogauit alter alterum de pace, pro, Interrogauerunt ſe mutuo quoniam ualerent. Quidam uertunt, Bene precati ſunt alter alteri.

In pace, Geneſis. 45 cap. Id eſt, incolumes. Hinc pacifica ſacrificia, quæ pro pace & incolumitate offeruntur, Exodi. 20 cap. Pacificum ſacrificium, & pro gratiarum actione idem, Leuitici. 7 cap.

Pax & Iuſtitia in ſcripturis interdũ coniunguntur. Pax enim nõ poteſt cõſiſtere ſine religione, ſeu iuſticia, ſecundũ uerſum Pſalmi: Pax & iuſticia oſculatæ ſunt ſe mutuo.

Pacis nomen interim pro reconciliatione, Lucæ. 2. cap. Pacem uocat reconciliationem. Ita Chriſtus apud Paulum dicitur pax noſtra, hoc eſt, reconciliatio & idem ſuis precatur pacem, hoc eſt, peccatorum remiſſionem. Vult ergo Lucas dicere, In terris pax, quæ eſt uoluntas dei bona in hominibus, id eſt, erga homines. Vide Eraſmum in nouũ Teſtamentum. Apoſtolus frequenti in uſu conſueuit habere, ut ſtatim ipſo in exordio, huiuſcemodi uerba ponat, Gratia & pax. 1. Cor. 1. cap.

Pax Dei, non illa pax dicitur, qua Deus in ſeipſo pacificus & tranquillus exiſtit, ſed quam nobis donat, & in cor noſtrũ effundit, quemadmodũ uerbum dei dicitur, quod nobis donat, quod prædicemus & credamus. Ita quũ hanc pacem nobis donat. Pax dei dicitur, etiam quod eam cum ipſo habemus, dum in mundo nihilominus ſuſtinemus preſſuram. Hæc uerò pax omnem ſenſum, rationem, & cogitationem ſuperat.

¶ *Pactum, Teſtamentum*, Gal. 3. Hoc autem dico teſtamentũ aũt comprobatũ à deo, &c. Chriſtum. Si quis diligẽter Hebræa uolumina cum Septuag. interpretũ trãslatione conferre tulerit, inueniet ubi Teſtamentũ ſcriptũ eſt, nõ Teſtamentũ ſonare, ſed Pactũ, quod Hebræo ſermone dicit בְּרִית, quod Aquila (teſte Hieron.) συνθήκην, id eſt, pactũ interpretatur, Septuag. autem ſemper διαθήκην, id eſt, Teſtamentũ. Pleriſq; autem in locis ſcripturarũ, Teſtamentum in uoluntatem defunctorũ ſonare, ſciat pius Lector, ſed pactũ uiuentiũ. Pactum uel fœdus habere cum lapidibus, eſt non offendi à lapidibus, Iob 5. cap. Sed cum lapidibus campi, Iob 5. cap. Pactum deniq; facere cum oculis, quid ſit, uide ſuprà in uerbo, Eruere oculos. Pactum ſeculi, Gen. 17. cap. Pactum ſeculi, hoc eſt, perpetuo.

¶ *Paleæ* ſignificatione nõ infrequenter populus intelligitur, ut Eſaiæ 5. cap. Propterea ſicut deuorat ſtipulam lingua ignis, et calor flamma exurit. Et 40. cap. eiuſdem prophetæ. Et turbo quaſi paleam ſeu ſtipulam auferet eos. Et Sophoniæ 2. cap. Priuſquam pariat iuſſio & uiſio quaſi puluerem tranſeuntem.

Palea atqui res inanis & leuiſſima proprijſſimè refert hypocritas & impios, qui & ipſi uolunt uideri cultores dei, quemadmodum paleæ primum intuenti plenæ tritico eſſe uidentur, at contractatæ, inanes eſſe apparent. De his Matth. 3. cap. & Pſalmo 2. Ad hæc Paleas, inquit Hieron. in ſcripturis ſanctis uerba ſimplicia intelligi, Eſaiæ 11. capite. Et leo quaſi bos comedet paleas. Item, Gentes ſignificant, Matthęi 15. capite. Sic enim fœnum, &c.

¶ *Pallij* appellatione cõplexus eſt D. Petrus in Canonica 1. cap. 3. omnis generis omnium nationũ, ætatumq; precioſas & exquiſitas ueſtes, quas ætates uariq; mutant & regiones, pro uarietate morum diuerſiſſimas habent. Aut, inquit, palliorum amictu.

¶ *Palma*, præmia uictoriæ exprimit, Apocalyp. 7. Et Palmæ in manibus eorum. Item, Palmæ imagine, piorum fertilitas, & benemerendi de omnibus ſtudium, ſucceſſus, morumq; ſumma ſuauitas & conſtantia exprimit, Pſal. 92. Iuſtus uelut Palma florebit. Hieremiæ 17. cap. Confidens domino, erit uelut arbor ad aquas plantata, quæ in ripa radices ſuas egit, nec metuit, dum inualuerit æſtus, foliijſq; pulchrè fronder, ſiccitatis tempore nihil ſolicita, à faciendo fructu nunquam ceſſat. Huic ſententiæ conſonat Pſalmus 2. De ui atq; natura Palmæ arboris, conſule Lector A. Gellium lib. 3. Attic. cap. 6. Ariſtotel. in 7. Problem. Plutarch. in 8. Symp.

Palmæ nomẽ plerunq; in ſacris literis largas eleemoſynas exprimit. Pugillus è regione, parcas. Sic in Prouerb. Palmas ſuas extendit ad pauperem. Et alibi: Sit palma ſeu manus tua ad dandum porrecta, & ad colligendum contracta.

Palmæ

Palmæ quoq; significant potentiam diuinam & operationes diuinas, Esaiæ. 49 capite. Item, De Palma & Pugillo propheta dicit, potentiam domini demonstrans: Cœlum palma metitur, & terram pugillo concludit, Esaiæ. 40. cap. Hisce iudicium adhibeas uelim optime Lector.

¶ *Palmes*, pro forti & ualido, Esaiæ 25. capite, Sicut æstas in inuio tumultum alienorum humiliabis. Æstas in umbra nubis palmitem tyrannorum humiliabis. Palmites pij, credentes & Apostoli dicuntur, Ioan. 15. capite, Ego sum uitis, uos estis palmites. Quorquot Christo credunt, Palmites sunt, qui ex seipsis, hoc est, ex suis uiribus, nullum fructum bonum proferunt.

¶ *Palpebræ* non Ebræis, ut nobis Latinis pro oculis usurpantur, sed pro obtutibus. Eius intuitus explorant filios hominum, hoc est, probant.

Palpebræ insuper iudicia exprimuntur, ut in adducto Psalmo patet. Palpebris quippe apertis cernimus, clausis nihil uidemus. Palpebræ ergo Dei seu Domini, occulta atque incomprehensibilia iudicia & consilia eius probant, examinant filios hominum.

Palpebræ auroræ, Iob 3. cap. uertit noster Interpres, Ortum, alij primordium.

¶ *Panis* nomen, Hebraicè Lechem, peculiare est Hebræis: nam eo uocabulo cibũ omnem, commeatum, edulium, annonam, & quicquid ad necessariam uitæ sustentationẽ seu omne substentamentũ, quo conseruatur homo, id est, omnia quæ ad uictum spectant, intelligunt. Sic Ebræi per hanc dictionem Lechem, sæpenumero omne ciborum genus capiunt, ut Gen. 43. Non poterãt Ægyptij manducare cum Hebræis panes abominatio est enim Ægyptijs. Illa locutio, inquit Augustinus frequentatur, ut in panibus omnes escæ intelligantur, Exodi 15. Manna pluiturus panes promisit. Locutio est, qua Panis pro omni cibo & alimento more Hebreæ linguæ sumit, ut etiam manna uocet panis, Gen. 39. præter panẽ quem ipse edebat. Vnde pro quotidiano uictu panis solus positus intelligitur in oratione Dominica. Ita 2. Reg. 6. cap. in uerbis Elizei legimus, Pone panem & aquam coram eis, ut comedant & bibant, & reuertantur ad dominum suum, ubi subiungitur, Et apposita est eis magna ciborum abundantia. Sic Lucæ 14. Sabbato manducare panem: quod certe non ita debet intelligi, quasi panem tantum ibi manducarit. Et nos Germani hac dictione Panis generaliter pro necessaria uitæ sustentatione utimur, cum dicimus: Er schneidt mir das brot uor dem maul ab. Et Ioan. 6. panis dictio ne nihil aliud Christus intelligit, quàm cibum, id est, sustentationẽ ad uitam. Non mox omnis cibus panis est. sicut enim & alia ciborum genera, de quibus panis non prædicatur. Vsus est autem panis dictione, propterea quod communis ac uulgaris cibus passim per orbem est in pane.

Et quemadmodũ Panis nomine cibus continet, sic Aquæ potus. Id autem fermè, quoties cõiuncta sunt panis & aqua, aliàs non itidem, sed in loco, Esaiæ 3. Auferet ab Iuda omne robur panis, et omne robur aquæ, hoc est, omnem uim cibi & potus. Et ex cap. 4. Esa. liquet. De quadraginta dierũ ieiunio Mosi scriptura sic loquit, Panem nõ mãducauit & aquã nõ bibit. A parte totum, pane omnẽ cibum, & aqua omnẽ potũ significare. Panis pro omni sacrificio, quod escq; aptum est, Leuitici 21. cap. Panem dei tui ipse offert. Comprehendit sub se (inquit Dauid Kimhi) carnem & primitias dei sui de sanctificationibus sanctificationum.

Panis fractio Christo fuit in consuetudine usq; adeò, ut per illam fit à duobus discipulis in Emaus agnitus, Lucę ultimo cap. Primum mos iste frangendi panis apud uetères planè paternus fuit, qualis adhuc est in nõnullis locis, atq; hoc nomine accõmodissimus Christo, per quem cibamur omnes. Deinde & cõmunicationis in se symbolũ haberi, ita ut uerbum Frangendi, plerunq; idem sit atq; diuidẽdi, ut Esa. 58. Frange esurienti panem tuum, &c. Hinc pro hospitalitate & liberalitate in esurientes præstita etiam capitur, ut in adducto Esaiæ loco patet Act. 3. Nequit aũt panis in alimoniã uenire multorum, nisi frangat. Atq; etiam ista ratione pulchrè respondet mysterio cõmunicandi corporis domini, panis cœlestis. Vnde & Paulus 1. Cor. 11. ubi Lucas dicit, quod pro uobis tradetur, posuit, quod pro uobis frangit Nam corpus Christi nõ ideo fractũ esse, quod in se scissurã aliquam sustinuerit, sed quod cõmunicabile factũ sit multis. Hinc est illud quod canit: Nulla rei fit scissura, signi tantũ sit fractura, qua nec status, nec statura signati minuitur. Hoc mysteriũ seruatũ est in fractione, de quo Paulus 1. Cor. 10. Panis inquit, quem frangimus, communicatio corporis est Christi. Et Actorum 2. cap liquet.

Atq; qui

Atqui Panis in bono & malo ponitur. In bono: Ego sum Panis uiuus, qui de cœlo descendit. In malo autem, Panes occultos libenter edite.

Panis lachrymarum, pro lachrymoso & flebili, Psalmo octauo, Lachrymis uelut pane cibasti eos.

Hebræi porrò Panem, uirgam uel baculum uirtutis appellant, eo quod hominem sustentet & roboret. Nam sicut baculus, corporis fulcrum: sic panis, corpus sustentat. Leuitici. 26. cap.

Panis subcinericius, humanas traditiones & Pharisaicũ fermentũ apud Ezechielẽ 4. cap. denotat. Et quasi subcinericium hordaceum, inquit, comedes illud.

Panis doloris, est cibus ærumnosus, & summis laboribus uictus acquiri, parari. Panis ærumnarũ, amaritudine tinctus & luctu, & uitã in miseria & periculis ducere.

Panem uitæ edere. Ioan. 6. nihil aliud est quàm credere in Christum unigenitum dei, seruatorẽ ac redemptorẽ mũdi. In æternum uiuere, nihil est aliud quàm uitam æternam habere.

Panis quotidianus, dicitur non quo tantum alimur, & in uita corporali conseruamur, sed etiam comprehenduntur omnia in eo, quæ ad seruandam uitam nostram corporalem commoda, utilia atque necessaria sunt: ut, necessarius est magistratus ciuilis, qui conseruet pacem & tranquillitatem, ut alimenta parari queant. Deinde parentes & tutores ad parandũ alimentum necessarij, &c. necessarius est maritus uxori, & uxor marito: necessaria est agricultura, & artificia mœchanica. Necessarius est usus seruorum & ancillarum, &c.

Panes Propositionis seu facierũ, Leuit. 24. & Exodi 25. uerbũ dei præfigurarũt hominẽ, qui non modo pane uiuit, sed de omni uerbo quod egreditur ex ore Dei. Hi panes mensæ imponebant, nimirum quod subinde in cõspectu dei faciẽq; hominũ prodibant.

Panis nomen, pro tritico aut farre ex quo comminuto fit panis. Nam Hebræi ipsũ pro pane perinde accipiunt, panemq; pro reliquo cibo atq; Græci τὰ ἀλφῖτα.

Panem pollutum comedere, est apud Hoseam cap. 8. Ex quo qui edunt, polluti censentur, ita qui illorum participãt sacrificijs, sunt polluti. Pollutum itaq; panẽ & sacrũ in quinatum censet quod inane geritur, & quod fit præter studium gloriæ dei. Sic in Malachia, Sacerdotes panẽ pollutũ obtulerũt. Sicq; ait, Offeretis super altare meum panem, &c. Pollutum est igitur, quicquid per hypocrisim, & non ex animo designantur. Deus enim ueritas est: qui eum colũt, in spiritu & ueritate colũt, hos demũ amat & amplectit.

Panis angustię siue molestiæ, pro cibo & potu cum molestia & angustia ab Hebræis usurpatur.

Panem impietatis comedere, est frui carnali sensu, & approbare facta carnis, & rem facere aliorum damno, Prouerb. 4. cap.

Panis absconditus dicitur, Prouerb. 9. quod caro arripit, quod sibi iucundũ est, quasi Deus non uideat, hæc est uita nostra.

Panis interdum sacrosanctum Euangelium significat quemadmodũ interpretatur Deut. 8. Dedit tibi cibum manna. Quem panem edere, est edere Christum incarnarum, qui spiritu editur, ut Ioan. 6. Non Moses dedit panem. Psal. 110.

Panis doloris, in scripturis nonnunquã sumitur allegoricè pro uexatione et afflictione conscientiæ, ut Psal. 126. Qui manducatis panem doloris, id est, qui uexatis uestras cõscientias doctrinis operum, quæ nunquã possunt uos reddere de salute certos, Psal. 76. Cibabis nos pane lachrymarũ in mensura. id est, abunde blasphemamur, & cõtra-citur nobis, propter uerbum & ueritatem tuam. Vide etiam D. Augustinum in Psal. 41.

Panis porrò lugentiũ unde sit, & quare, breuiter explicabo. Mos funebris apud ueres talis erat. Calciamentis coriaceis non utebantur diebus triginta, nudisq; pedibus efferebant funus. Linteo super labia & caput inuoluebãt ad morem Turcarum & Orientalium gentium, maximè si quando in publicum egrediebantur. Postremo, ad primum prandium, quod extra domum suam agebant, uicini cibum missitabant, nec fas erat, ut de suo uescerentur. Hinc cibus, mensa seu panis lugentium dictus est.

Panis mendacij, est gloria, sapientia & iustitia hominũ, Prouerb. 23. Ne desideres de cibis eius, quia ipse panis mendacij, quod uidelicet pascere uideatur, & nõ pascit. Nam iustitia & prudentia humana uidentur seruare, & nõ seruant, ut in Abdia dicit, Quis dicit in corde suo, quis detrahet in terram? Et Prouerb. 23. cap.

Panis

Panis pinguis quoq; abundantiæ & iucunditatis mysterio seruit, Genesis. 49. cap. Aser pinguis panis eius, & præbebit delicias regibus: Vide nomen Pinguis, infrà.

Panis, in scripturis sæpe cibum animæ significat, & ideo: Sicut enim uerbum dei læti ficat, recreat, refocillat animam, sic debilitatur rursum per falsas doctrinas hominum, uexatur, angustiatur.

¶ *Parabola* scripturæ sacræ more sæpe pro narratione accipitur, ut Petrus apud Mat thæum euangelistam apertissimum Christi sermonem uocat Parabolam: Nihil ingredi eius in hominem, impurat hominem. Et Lucę. 6. capite. Dixit autem parabolā illis. Item, Parabolam, Esaias canticum appellat, ut Esaiæ. 5. capite, Age (inquit) cantabo dilecto meo canticum. Dominus Matthæi parabolam dixit. Esaiæ 14. cap. sunt sales conuitio- ris. Et iumes, ait, Parabolam hanc contra regem Babel, & dices, Quomodo quieuit exa- ctor, quieuit aurum tributarium. Septuag. ἐφῦνεν, id est, carmen lugubre, Psal. 87. Factus sum illis in Parabolam, id est, opprobrium.

Ænigma quoq; Hebræis symbolū & ænigma. Nam Maschal omnem sermonē obscurio rem & grauiorē & obscuram sententiā, quæq; uiderent reconditi aliquid in se habere, Parabolā ipsis uocatā certum est. Hoc est sermonē ænigmaticū et symbolicū, qui altiore significatione prægnās est. Nām parabolæ seu prouerbia ferè cū collatione efferunt. Ideo intel- ligitur scriptura per parabolā celebre dictum et factū, & omne quod imagine docet. Nam Maschal conferre & simile esse, unde & pro paradigmate manifestè ponitur, ut cum di- citur, Quid, Factus sum Maschal Paradigma. Comprehendit ea uox itaq; & adagia seu Prouerbia, & Chrias & Apophthegmara. Exempla quoq; ac alias sermonis figuras per Ænigmata intelligit Matth. 13. dicta quæ in se habent sensum acutū & latentē siue ab- scurum: quæ deniq; ipsa ui acute excitant auditorē ad diligentiorē perueſtigationē. Igi tur Parabolę seu Prouerbia, nempe dictiones quę grauissimis refertę sunt sententijs. Æ- nigmata uerò, quæ arcana paucisq; nota cōtineāt mysteria. Psal. 77. Aperiā in parabolis os meū, loquar propositiones ab initio. Inclinabo in parabolā aurem meā. Et Psal. 49. aperiam psalterio propositionem meam. Ænigma uertunt Hebræorum interpretes. In hoc genere idem penè sunt Parabolæ, uerba sapientium, & ænigmata, & ex eo quod recondi- ta sint, & quæ præcipuè apud mundi amantiores interpretatione egeant, referta sunt sen- tentijs. Vobis, inquit Christus suis, datum est noscere regnum dei, cæteris autem, ideſt, mundo deditis, in parabolis. Huiusmodi quidem locutionis genere Christum in terris usum fuisse testatur Euangelista.

Parabola quoq; pro allegoria utuntur Hebræi, ut Matth. 13. Hæc est Parabola, hoc est, hic est sensus allegoriæ. In summa qui ex Hebræis fuerunt, nos per omnia imita- ti sunt. Isti ergo quicquid obscurè dictum & allegoricum est Maschal illis dicitur, quod interpretantur παροιμίαν, id est, prouerbium. Ioan. 16. cap. Hæc per prouerbia loquutus sum uobis. Fit ut citra discrimē parœmia, pro parabola & allegoria utuntur. Et rursus Parabola pro allegoria, ut auditum est.

¶ *Paradisus*. propriè locus ille in Eden ad ortū dicitur, quem plantauerat dominus, et in quem hominē collocarat, ut delitijs & uoluptatibus frueret. Hortus uerò ob cultum dictus est. Solent enim horti & cultiores & amœniores esse, quemadmodū hic quoq; lo cus cæteris fuit instructior ornatiorq;. Hinc Paradisus metaphoricos dici cœpit, quilibet locus amœnus, idq; ad similitudinē & secundū allusionem Paradisi terrestris, cuius est mentio, ut iam meminimus Gen. 13. de planitie Sodomitica, quod fuerit sicut Paradisus dei siue domini. Sed et cœlorū regia ob felicitatē absolutissimā Paradisus dicta est. Hinc Matth. 27. dictio illa Paradisi, horum significat, quales solent esse, in quibus regū delicię sunt. Ebræi uocāt פרדס. Aliàs dicit Eden, hortus uoluptatis. Sed quod Euangelista di- cit, Hodie mecū eris, &c. nō utiq; terrestri, sed in cœlorū regia. Et Paulus asserit se in Pa- radisum raptū: per allusionē significat se cœlesti & eximia refocillatū uisione, 2. Cor. 12. Hinc pro omnis generis uoluptate & gaudio accipitur. Apostolus hoc loci Paradisum appellat locum diuiniorē: in quo apertior dei gloria refulget. In summa Paradisus hor tus est, ac locus deliciarū plenus, Et in citato loco per Synecdochē pro uoluptate et amœ nitate eximia ponitur, qua mens Pauli ita capta est, ut non facilè auelli potuerit, puta qui se in cœlo iam tum esse existimabat. Simile quiddam legimus Matth. 17. quum se Christus suis gloriosum exhibuit. Per cœlum tertiū, ut 2. Cor. 12. habetur. Nonnulli pu tant simpliciter per hyperbolam uehementem quendam excessum & raptum intelligi.

¶ *Parare*

¶ *Parare* pro confirmare, durare sacra lectio accipit, ut: Verbum domini parabitur, id est, confirmabitur, durabit.

Parare lucernam, significat felicem euentū in rebus omnibus, Iob 31. uel 29. Quum luceret lucerna illius, id est, quum omnia feliciter succedebant, felicem euentum sortiebantur, Psal. Paraui lucernam Christo meo.

Parandi uerbo, pro properandi & erigendi uerbis utuntur Hebræi. Marci 1. capite. Hinc parare uiam Domino, est non resistere gratiæ quæ offertur, & abijcere quicquid ingredienti Domino posset offendiculo esse, quemadmodum & uulgo serui ante dominos suos gradientes lapides, ligna, & quicquid huiusmodi uiam Domini remorari aut expeditam reddere possit, remouent. Matth. 3. Ioannes optauit è uia abijcere & remouere, ne Christo esset offendiculo. Et Lucæ 1. Ad parandas uias Domini. Omnis carro corrupit uiam suam, hoc est, eum uiuendi modum, quem Dominus præscripsit. Has corruptas uias reficit ac præparat Propheta. Sic enim Hieremiæ præcipit Dominus, ut diruta instauret.

Parare cor suum ad quærendum Legem Domini, quod est, ac si Latinè dicas, Applicare animum suum ad cœlestem philosophiam cognoscendam, Esdræ 7. & 5. cap.

Parare est etiã (Psal. 8. Quas parasti) nõ simplex aliquod & qualecũq; opus, sed opus singulariter, sapiẽter ac prudenter magno ordine ac decore magnaq; diligẽtia formatum.

¶ *Parentum* appellatione usu linguarum omnium, honorantur primum parẽtes carnales & corporales, deinde ministri uerbi dei, qui nos in Christo regenerant. Tertio magistratus ciuilis. Quarto, prœceptores uel literarũ uel opificiorũ. Quinto, tutores, consanguinei & affines, auus, auia, abauus & abauia, &c. Postremo, omnes maiores & senes, de quibus scriptura ait: Coram cano capite consurge, & honora personam senis. Sic decalogi præceptum clarè præcipit, Honora parentes, ut longæuus sis super terram. Psal. 27. Nam pater & mater mea deseruerunt me.

¶ *Paries* dealbatus Act. 23. prouerbiali figura dicit ille, qui aliud simulat, & aliud dolet, ut si quis à facie et habitu iustitiam quandã ostenter, intus autem spurcus sit et impius, quales hypocritæ apud Matthæum in 23. cap. erant, quos sepulchris dealbatis assimilat Dominus. Dealbati enim parietes caduci esse solent: cæterum ne tales uideantur esse quales sunt, dealbantur fidelia.

D. Augustinus dicit, Minus intelligentibus conuitiũ sonat: intelligentibus uerò prophetia est, id est, simulatio sacerdotalẽ præferens dignitatẽ, & sub hoc nomine tanquã candido tegmine interiorem quasi luteam turpitudinem occultans. Hæc ille.

Paries inclinatus & maceria depulsa, in Psal. 61. spiritus sanctus uolens inglorios impiorum conatus ac sibijpsis plurimum noxios ostendere, credentes quos isti extinguere moliuntur, quod ad statum rerum terrenarum attinet, parieti comparat ruinam minanti, & maceriæ impulsæ ac loco motæ. Quasi uerò speciosum improbi hinc reportet triumphum, si prœcipitent iam casurum. Quousq; inquit, irruitis in hominem? qui uos metipsos omnes interficitis, incumbentes parieti inclinato & maceriæ depulsæ.

¶ *Pars, Portio*, more scripturæ, non philosophicè significat particulam, ut cõtra totum distinguatur, sed dem est quod sors, hæreditas, calix, funiculus, peculium, portio, quæ omnia ferè pro eodẽ capiunt, Psal. 16. qđ olim hæreditates in tribus duodecim distributæ sunt. Sic illud, Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei. Portio mea Domine in terra uiuentium, Thren. Hier. Pars mea domine dixit anima mea, Psal. 9. et Lucæ 12. Partem eius ponet cum infidelibus, hoc est, hæreditas eius erit cum impijs & hypocritis, id est, habebit illum hypocritarum & infidelium loco. Sic Terentius dixit: Vt hæream in parte aliqua apud Thaidem, id est, ut sim aliquo loco apud Thaidem. Et hoc frequẽs est Hebræis pro agro & possessione usurpari. Item,

Pars pro toto non rarum est scripturæ. Nam sæpenumero Partem pro toto usurpat Exodi 34. Deos conflatiles ne feceritis. Non enim quia fusiles tantum nominauit deos, fictiles ac ligneos permisit. Sic et illud, Primitiuũ subiugalis redimes, &c. Exodi 34. Panem non comedit, & aquam non bibit, omnem cibum & potum significant.

¶ *Parturire* iniquitatem seu iniustitiam, ut habet Psal. 7. est conatus impios perficere quos mente cõcepimus. Parere uerò mendaciũ, est nõ perficere quos mẽte cõcepimus. Similitudine prægnantis uelut ob oculos exprimit & exponit Vates irremissos Saulis conatus, quibus uitæ ipsius insidiabatur. Conceptui comparat cordis illius consilia. Vo

illa adflictionem, intelligitq; persequutionem, quam ferebat. Parturitioni comparat, conatus perficiendi quod mente conceperat. Illos uocat iniquitatem seu iniusticiam. Erat enim ipsa iniquitas, hominem non modo innoxium, sed & benemeritum adhæc et generum, quærere ad mortem. Partum uocat, opus propositum. Hinc, quoniam perficiendū nō erat, tribuit mendacium. Pariet, inquit, mendaciū. Hoc est, nō perficiet quod mente concepit, & tot improbis conatibus parturit. Simile argumentū habes apud Esaiam de rege Assyriorum cap. 33. quod editurus sit, uidelicet suum ipsius exitium.

¶ *Parcere*, Gene. 45. Oculi uestri non parcent, hoc est, non satisfacite oculis uestris. Et Deut. 12. 19. cap. Non parcet, legit Hebræus, ei oculus tuus, hoc est, non misereberis eius, ut noster legit. Instrumentum affectus pro affectu hic ponitur.

¶ *Paruulus* pro imperio, Prouerb. 1. cap. Ad dandam paruulis astutiam. Interdum Paruuli simplices dicuntur, & hi qui persuasibiles sunt facile, Prouerb. Vsq; quò Paruuli diligitis infantiam? Et 13. cap. Innocens credit omni uerbo, Psal. 18. Item, humiles spiritu ac puri, quam executioni tradantur, sic Beatus qui allidit paruulos suos ad petram, cuius & D. Hieron. in pleriſq; locis meminit.

¶ *Paruulorum* ergo uaria sunt genera. Alij sunt ætate paruuli, in quibus etiam ipsis magna relucent & admiranda diuinæ prouidētiæ argumēta. Alij sunt paruuli non ætate quidē, sed intellectu. Hoc sensu, utimur & nos Germani, dicentes. Es ist ein lauters kind. Rursus alij sunt paruuli nec ætate nec intellectu, sed affectu, nihil de seipsis sentiē tes. Sicut ad Saulē dicebatur: Cū esses paruulus in oculis tuis, caput tribubus Israel factus es? 1. Sam. 15. Et 1. Reg. 3. dicebat Salomon: Ego sicut puer paruulus, ignorans egressum & introitū meū. Et Hier. 1. Ah, ah, ah domine deus, ecce ego nescio loqui, quia ego puer sum. Et in prophetis alicubi: paruuli, inquit, dominabūtur eis. Et Matth. 11. Denicq; sunt paruuli nec ætate, nec intellectu, nec affectu, sed aliorū existimatione tantū. Postremo, qui pij sunt: etiā affectu & iudicio proprio sunt paruuli. De postremis quoq; loquitur Psal. 8. & Matth. 21. cap. Ex ore infantium, seu paruulorum, &c.

Paruulis atqui dimittere reliquias, ut Psal. 61. habet. Immensa diuitiarum cupido quàm sit detestabilis in hoc Psalmo probè taxat cœlestis spiritus, causam asserens tam perditæ auaritiæ, sobolis numerosum prouentum: Nam quum præstaret deo fidere in prole educāda, & bonis illū artibus instituere, quò ex industria & labore manuū uictita ter. ut Psal. 127. docetur: Nam ibi, beatus dicitur, qui hac ratione uictum sibi parat. Impij uerò contra fas & nefas cōgerunt opum immēsam struem, non ut inde uiuant, sed potius ut hac mali materia etiā perdant liberos, uolunt enim in illos, non modo rei familiaris & nominis, sed etiā impietatis & æternæ damnationis esse hæredes.

Paruulorum postremò sagitta apud Dauidem quoq; hæc loquutio reperitur: Iacula puerorum ob sagittandi imperitiam, plerunq; in caput eorum retorquentur, nec eius habēt uires, ut possint nocere. Ita impiorū conatus in delēdis bonis uiris nō raro sibi pro ultimū incōmodat, & uanior est quàm ut possit quod nititur. Exemplū in prōptu est impiorū Iudæorum, qui dum Christum perdere curabant, nihil profecerunt.

Paruuli, apud Matth. 11. cap. & alibi sunt, nihil sibi arrogantes humanæ & secularis sapientiæ, quibus dominus sua reuelat mysteria. De his & Dauid loquitur Psal. 119. Intellectum dat paruulis, declaratio sermonum tuorum. Iidem appellantur stulti, non quod reuera stulti sint, sed tales esse mundo uideantur.

¶ *Pascha*, seu passa: hoc est, transitus, seu præteritio, aut transitio, uarijs modis capitur: modo proprie pro ipsa transitione, aut præteritione angeli in Ægypto, quum cæderet primogenita: Pepercit autem Israelitis in quorum ostijs sanguis agni aspersus erat: modo pro ipso die festo, modo pro agno qui mactabatur. & hoc metonymicos, ut apud Euangelistam: Vbi uis paremus tibi pascha? tamen dicitur mactare, edere aut parare pascha. Sic passa, pro agno ponitur: & rursum agnus, passa dicitur, quum tantum memorandū esset præteritionis. Paschæ dies quoq; uarie dicitur. Marcus dicit Erat Pascha. Matthæus autē, Post biduum dicit futurū pascha. Lucas exponit & dicit imminebat, aut instabat dies festus paschatis: hoc est, In propinquo erat: nempe, post biduum. Anticipatio ergo est temporis. Festum uerò paschatis, Ioanni uidetur esse dies sequens esum agni. Sic dies azymorum ponitur pro paschate, quia simul concurrebant.

¶ *Pascere*, idem apud Hebræos quod regere, Psal. 2. Pasces eos in uirga ferrea. Septuaginta, reges. ποιμαίνω & pascere & regere Græcis significat. Vnde Homerus principes ποιμένας λαῶν: id est, pastores populorū appellat Iliad. A. Et Hie. 2. Et pastores prævaricati sunt in me: hoc est reges & principes & præfecti. Pro delectari. Psal. 36. Inhabita terram & pascere fide. Verg. Atq; animum pictura pascit inani.

Pascere item est docere, horrari & consolari adeoq; & uerbo ueritatis reficere. Negotiorū rei rusticæ scriptoribus quæ libet, probantur pabula, riui quilibet. Ergo D. Petrus Epist. 5. cap. Nullum patet ouibus dei pabulum, quàm diuini uerbi cibū suauissimum animabus q; fidelibus cœlo demissum. Hinc pascua pro doctrina, ut patet in scripturis prophetarum, ac in Actis Apostolorum cap. 19.

Pascere puluerem, Esaiæ 44. Apparet omnino prouerbialem sententiam apud Hebræos fuisse, qua usi sint, quum quis studium quidem aliquod sectaretur, at prorsus inane uolum & inutile. Sic sunt omnia humana. Pascere puluerem: id est, custodire. Pascere puluere: id est, laborauit in uanum.

Pascere, sumitur interdum in malam partem & contrariam. Raa, uox ipsa pascere significat, Mich. 5. cap.

Pascere autem cinerem, est rem uanam & inutilem facere, sicut pascere uentum, ut suprà, puluerem.

Pascua quoque pro futura beatitudine, Psalm. 22. In loco pascuæ, ibi me collocabit. Nam pastum illud uiriditatis æternæ pabulum, ubi iam nostra refectio nullius defectus ariditate marcescit.

Pascua, pro plebe, ut Pascua eorum perdentur: id est plebes.

¶ *Pastores*, Hebræis & prophetis in loco reges, sacerdotes, præfides, præfecti, principes, ac magistratus, doctores, scribæ dicūtur, qui rempublicā sibi cōmendatam habent. Hier. 22. cap. Ezech. 34. Esa. 36. Omnes pastores tuos, inquit, depascat uentus: hoc est, consumet eos uentus. Pastores nihil norunt. Quomodo & apud Paulum Ephes. 4. Pastores & doctores cōiuncti sunt in unū membrū, quod prophetia & magistratu regitur, populus dei. Et prophetæ allegorijs utētes ipsum Christū uocauere pastorē, ut Hier. 23. deniq; ipsos prophetas. Et Homerus bonos principes, pastores appellat. Pastorē esse, est etiā uagari. Num. cap. 14. Pastores erūt: hoc est, more pastorū uagabuntur.

¶ *Parum* parum, id est, pedetentim. Exod. 23 Parum parum expelli am eos.

¶ *Participia* pro præsenti Indicatiuo, ut Exod. 5. Paleæ non dantur nobis, nihilominus dicunt: Nobis lateres facite. dicentes, pro dicunt. Vtuntur Hebræi participijs tam actiuis quàm passiuis, pro præsenti Indicatiui quo ipsi carent.

¶ *Passer*, pro prudentia, Psalm. 11. Transmigra in montē sicut passer. Et D. Hieron. in psal. 11. Passer es: hoc est prudens es. Et Psalm. 102. Et factus sum sicut Passer solitarius in tecto. Ideo passer, prudentiæ symbolum est, iuxta Hieronymi sententiam.

¶ *Patris* dictio larga est apud Hebræos. Nam patrē Hebræi appellāt principē, reiq; alicuius autorē, Gen. 4. Adam Iabal. qui fuit pater inhabitantis tabernaculū & peculii.

Pater Edom: id est, origo Idumæorum. Et Iubal pater fuit omnis contrectantis cythara & organum, principium & inuentor.

Item, Patris nomine ueniunt aliquando maiores, aui, abaui. Nam satis constat Abraham non fuisse genitorē Leui. Hebr. 7. cap. Gen. 29. Nostis Laban filium Nachor. Vocat Laban filium Nachor, quum esset filius non Nachor, sed Bathuelis, sed mos is Hebræorum qui etiam auum patrem uocant, propter rectam lineam sanguinis. Et Daniel. 5. cap. uocatur Nabuchodonozor pater, quamuis auus fuerit, neq; id rarum est in scriptura. Patris nomine, præceptores, magistri ueniunt. 1. Samuelis decimo capite. Et 1. Corinth. 4. In Christo enim genui uos per Euangelium. Et Samuel ait: Quis est pater eorum?

Patris & Matris similiter uocabulo, summos necessarios intelligit scriptura.

Patres quoq; Hebræis præpositi, præfecti, heri, domini, cōfiliarij principū: uti Ioseph patrem Pharaonis dixit, Gen. 45. Et Luc. 1. Corda patrum, præpositos & præfectos intelligit. Hoc scilicet docebit, ut fidi sint erga sibi commissos, officio suo diligenter inuigilent, Pro domino, ut patet de Naaman Syro.

Patris quoq; appellatione maiestatē ac summam uirtutē accipit. Actor. 4. Matth. 5. Item Pater gloriæ, idem est ac si quis nostrum diceret pater gloriosus, Ephes. 1. cap.

Pater

Pater ſpirituum, ut eſt Hebr.12.cap. ſchematiſmo quodam dixit, pro patre ſpirituali, qui ſit ſpiritus: hoc eſt, deus. Ioan.4.

Pater, in diuinis capitur aliquando eſſentialiter. 2. Corinthiorum primo capite. Pater Chriſti. Allæoſis eſt, deitatis & perſonæ: nam pater eſſentiam ſignificat, non perſonam. Quis enim omnia conſolatur quàm deus? Deſultus ergo eſt ab eſſentia ad perſonam. Pater miſericordiarum: id eſt, deus miſericordiarum: eo quod perſonæ unus ſunt deus. Naturam Paulus diuinam Chriſti indicat: nam pater & filius eiuſdē ſunt ſubſtantiæ, eſſentiæ & naturæ.

Patris dictione appoſitiſſime quoq; gratiā noui Teſtamēti exprimit, qua in filios dei adepti ſumus quo clamamus Abba pater, Rom.8. Gal.4. Ioan.4. & Mat.6 cap.

Patris inſuper uocabulum in Paulinis cæteris q; apoſtolicis ſcriptis, nomen charitatis eſt, quo appellamus deum propter magnam fiduciam, & non adpellamus dominum, quaſi timeare illum ſeruili timore, & accedere illum non audentes.

Pater tuus, inquit Eſaias .43. primus peccauit, & interpretes tui præuaricati ſunt in me, & non contaminaui principes ſanctuarij, Ibi patrem primum intellige Adam uel Abrahamum. Per interpretes, Moſen & Aaron. Per principes ſanctuarij, ſacerdotes, ut docetur ad Hebræos 7.cap.

Patres porrò alij ſunt ſecundum legem, alij ſecundum carnem ſiue naturam, & tam uterq; ueri patres. Tunc enim uerum patrem dixeris, quem deus patrem facit, ſua lege, non minus eſt pater quàm ille, qui ſecundum carnem genuit. Hinc Ioſeph ſponſus Mariæ uirginis, duos habet patres: alterum carnis, ſecundum Matthæum, qui uocatur Iacob: alterum legis, ſecundū Lucam, qui uocatur Heli.

Ad patrem uenire, eſt ad cognitionem & communionem illius uenire, ut Ioan. Et nemo uenit ad patrem: id eſt, ad patris cognitionem, &c.

Patres comederunt uuam acerbam, ſeu immaturam. Prouerbium erat, ut quum filius pro patre puniretur, dicerent: Patres noſtri comederūt uuam acerbam: Quaſi dicāt: Patres peccauerunt, & nos luimus pœnam. Eſt alium eſſe noxium, aliumq; pœnas pendere. Hierem.1 cap. In diebus illis non dicent ultra, Patres comederunt uuam acerbam, & dentes filiorū obſtupuerunt. Et Ezech.18. Hoc prouerbium Ionathas Chaldæus ſic in ſua uerſione explicuit: Patres peccauerunt, & filij uapulant.

Paternitas, Græcè Patria: id eſt, cognationes, familia dicitur, Epheſ.3.cap. Ex quo omnis paternitas in cœlis, & in terra nominatur.

Sine patre, ſine matre. Paulus Hebr. Melchiſedech ſine patre & ſine matre inducit. ſimile huic, terræ filius.

¶ *Pauper & Manſuetus* tenui admodum limite duo iſta nomina diuiduntur. Hoc enim Æni, illud Ænau dicitur. Hoc etiam Æni pauperē ſignificat, non qui deſtitutus ſit penuria atq; facultatibus, ſed qui corde ſit adflicto atq; humiliato, apud quē utiq; nullas eſſe poteſt iræ aut arrogantiæ locus, ſed nihil niſi manſuetudo & compaſſio. Vix autem plenius huius uocis ſignificationē atq; expreſſius poſſit accipere, quàm ex Lucæ Euangelio, ubi Chriſtum deſcribit fleuiſſe ſuper Hieroſolymam, atq; miſeriam eius deplanxiſſe. Et Mat.21.cap. Ecce rex tuus uenit tibi manſuetus. Et Moſes uir fuit mitis ualde præ omnibus hominibus, &c. Luc.7.cap. Pauperibus euāgelizantur: id eſt adflictis. Matthæus habet manſuetus, ubi propheta Zacharias Æni: id eſt pauper uel adflictus, nihil diuerſitatis eſt: nemo enim manſuetus eſt, niſi qui adflictionē æquo animo tolerat, utq; ita ſimul pauper exiſtat. Ad hæc non fuit Chriſtus niſi cū māſuetudine pauper. Hoc & Iudæi tradūt עני idem eſſe quod

Pauperes ergo ſpiritu Chriſtus uocat Matth.5. qui prorſus in nulla re huius uitæ, & huius mundi confidūt à mūdo deſpecti & derelicti, & animo quodāmo adflicti, oppreſſi, ope deſtinati, gementes & miſeri, & contriti corde, captiui, compediti: nimirū adflicti, & quibus res aduerſæ ſunt. Hærēt uerò in ſolo deo: nam deus eorū, hæreditas & poſſeſſio, poteſtas, laus, probitas, fortitudo, proſperitas eſt. Breuiter nihil habentes, & tamen omnia in Chriſto poſſidētes, ut Paulus āit, 1.Cor.7. De huius generis pauperibus in prophetis præcipue autem in Pſalmis prædicātur, peculiariter tamen Pſal.72. Ergo pauperes Chriſti non dicūtur omnes qui uicatim, oſtiatimq; plenis manticis interdū ſtipē quærūt, aut ſecūdū inediā, pecuniarūq; indigētiā ſolūmodo iudicari oportet: uerū hi ſunt, qui ab ipſo ſeruatore noſtro deo in Euangelio, pauperes ſpiritu appellantur.

Pauperum porrò filij pro pauperibus intelligũtur,ut Psal.72.& uersu 12.eiusdẽ Psal. Quoniam liberabit inopem clamantem,& pauperem, & cui non est adiutor, uersu 13. Benignus erit inopi & mendico,& animas mendicorũ saluabit. Vbicunq; in his,pauperem uel pauperes legis,in Hebræo habetur Æni Ænaum,quod humiles,oppressos,afflictos & miseros significat,&c. Vide Chrysostomum in homil.29.quadam.

Pauperem atqui & stultus, pro ignobili,Hierem.3.Forsitan pauperes ipsi & stulti. Vnde Apostolus 1.Cor.1.cap.dicit stulta elegisse dominum,non claro genere,natos.Roman.1. Sapientibus & stultis:hoc est,imperitis.

Pauperem prohibere à desiderio,est rem à potente desideratam ei negare & ad colloquium desideratũ non admittere,Iob 31.Si prohibui à desiderio pauperis.

Pauperem apprehendere,pro iuuare facultatibus,Leuit.25. Quasi dicat: non solum fratrem tuum Israelitam pauperẽ iuuabis,sed etiam peregrinũ & aduenã, qui ad paupertatem deuenerit.Pauperis manus nutare,seu declinare apud te,eodẽ cap. significat, si paupertate coactus fuerit petere opem à te,si opes eius fuerint infirmæ.

Pauperum nomina.

Adeò conuenit sanctitati & paupertati,& sancta lingua pauperẽ multis modis uocet.Aliquãdo Æbion quod simpliciter Pauperẽ significat, Æni quod magis dolenter afflictũ,& Helba quod oppressum & uim passum propriè significat. Hæc tria Psal.9.ponũtur.Præter hæc sunt Dach quod Psal.8. ponit. Et factus est dominus refugiũ Dachi, hoc est,pauperi.Dal & Rasch,& Mischen,quorũ omniũ differentias dare, fortè non est opus,nec huius loci.Hebræi autẽ pulchrè id possunt,obseruata etymologia. Dach à contritione & confractione. Dal,ab attenuatiõe & exiccatione. Æni,ab adflictione & mœrore cordis.Æbion,à noluendo seu desiderãdo,ut cui defit quod cupit.Mischen,ab [illegible] thecis & promptuarijs.quod fine eis sit.Rasch,à pereũdo & ad miseriã redigendo.Helechia,quod Hieronymus ab Hel,quod robur significat,robustũ facit.De his cõsulat lector Concordantias Hebraicas,librum utilissimum.

¶ *Pauli* apostoli mos fuit,& illi hoc peculiare,ut ab externis & cæremonialibus adiuncta ac rem ipsam commendandam, quæ cæremonialibus significatur, argumenta & epicheremata ducat exempla.A connubio ducit festiuissimum conatũ, quo permoueat ad obseruationem timoris altissimi dei,facit ex deo sponsum,siue maritum,nos & singulos totam ecclesiam,sponsam coniugem,& interim fidem, interim coniugalem æmulationem cõtemplantes,ut trahamur.ut pudeat aliò quàm ad deum, qui animis nostris maritatus est,spectare.Aliud à baptismo quo mergimur., simili quid patimur Christo quum in sepulchrum demitteretur,dum emergimus resurgenti cõparamur.Dirigit autem D.Paulus in omni doctrina suà,omnia ad regulam duorum maximorum præceptorum,in quibus lex pendet & prophetæ.

De Pauli nomine multa à multis dicũtur,sententia uerò quorundam Theologorũ, quod à Iudæis quidem Hebræo nomine Saul uocatus sit,Gentile autem & Romanum nomen adsumpserit,quod gentium esset Apostolus.

¶ *Paxilli* dictione fidele patrocinium Hebræi intelligunt,qui clientulorum causas fideliter agat,sicut clauis uel paxillus in pariete appensus fideliter seruat & retinet,etiam dormientibus qui appenderunt.Esa.22.cap.

¶ *Peccare* & Latinis etiam pro labi & errare accipitur,ut Iudicum de fundibularijs Beniamitarũ scribitur,eos iaciendi peritos adeò fuisse,ut quisq; ad pilum lapides iaceret nec peccaret à pilo aberrando.Hinc peccatũ apud Mat.18.cap. Quoties peccat frater, nõ ea usurpatur significatione,qua paulò ante Euangelista utitur, sed pro quouis errore, quo ecclesia dei non scandalum patitur aut accipit,sed qui priuatim in quemuis admittitur citra aliorum offensionem,Ioan.16.pro superstitione & animi scelere, quemadmodum iustitia interdũ usurpatur pro uera pietate & religione.

Peccare.1.Ioan.3.cap.est studere & incumbere rebus malis. Ad hunc omnino modũ in Psalmis ac omni scriptura, de dei iustitia & iniquitate,spiritus sanctus loqui solet, quod qui non obseruarit,persæpe impingit.

Obseruandũquoq; est apud Hebræos duplicis esse significationis uerbum Peccandi, sicut apud Latinos piaculum,scelus scilicet ipsum, & id quo scelus expiamus, quapropter Peccare uerbum latissime patet.Nam חטא Hebræis non solum peccare,sed peccatũ expiare quoq; significat.Quod quidẽ frequẽs est in libris Moseos , per metonymiã pro eo

pro eo quod peccatū expiat, hostia. Sic Exo. 29. & Nu. 11. de rufa uacca, Habent eñ Hebræi dictiones quasdam, quæ utranq; significationē habēt בָּרַךְ benedixit & maledixit, significat. Quēadmodum Latinis sacer, Auri sacra fames, Gen. 31. Ego peccabā de manu mea exquirebas: id est, si quid à feris laniatū, aut discerptū erat, tibi non ferebam domū, sed eo dependi, ego expiaui, meum erat damnum.

Hinc est quod Peccatum uulgari scripturæ more usurpatur etiam pro hostia, sicut 2. Cor. 5. Eum qui non nouit peccatū, peccatum fecit: id est, sacrificium & hostiā pro nobis Gal. 3. cap. Factus pro nobis delictum. Damnat Christus peccatū de peccato: hoc est, per suam mortē, quæ est hostia pro peccato. Et Hos. 4. peccatum pro hostia peccati accipit, quum inquit, Peccata populi mei comedent sacerdotes.

Peccata populi comedere, est consentire delinquentium. sic uides Peccatum sacrificiū significari, quo peccatum expiatur. Exod. 29. cap. & Leuit. 4. Iuuencum, peccatum cœtus eius. Et ilico: Peccatum enim est. Et eodē cap. Et admoueat manum suam super caput pec cati: hoc hostia pro peccato. Et eodē cap. Infrà: Peccatum est, id est, sacrificium pro peccato. Peccata, sacrificia pro peccatis dicebantur: Tale peccatum erat Christus. Augustinus de uerbis Apostoli, Sermon. 16.

¶ *Peccati* nomen uarie in scripturis sanctis accipi constat. Nam peccatum proprie dictū neminem fugit, abitror, aut pro admisso, siue per negligentiam, siue per incogitantiam. Latini Theologi delictum à delinquendo. Hebræi Hatath uocant, qualia uerò dicuntur sint à quibus neminem perhibet immunem esse, Diuus Ioannes & Christus assiduis precibus expiare iubet, & dicere: Dimitte nobis debita nostra, &c. quotidiana enim peccata sint, uelut assidui stimuli urgent pium hominem, & ad sui deiectionem, & culpæ deprecationem. Ideo peccatum primo pro infirmitate & impotentia naturæ corruptæ, quæ nos ad carnis adfectus illectat. Et sic morbus recte appellari potest. Quemadmodum infirmitatis, aut ægritudinis uocabulo generali omnes species morborū (ut febrem, paralysim, & id genus cætera) intelligimus. Nō admodū dissimili ratione peccatū morbus appellatur, ex quo diuersa & omnis generis peccata, ut ex radice infecta rami quidē suppullulāt. Nam adulteriū, scortatio, crapula, auaritia, fastus, &c. fructus sunt, & stolones huius morbi. Hunc morbū Paulus carnē appellat, Gal. 5. alijsq; in locis. Nā huius modi stolones ex corrupta carne & radice subnascuntur. Et Paulus peccatū, p morbo accipit Ro. 5. 7. Peccatū p Adam in mūdū uenit: id est omnes, homines corrupti & infecti sunt in radice. Nam totus homo caro factus est, Gen. 6. Cogitat ergo q̄ carnis sunt, peccatū originale morbus. Et 7. sed inhabitans in me peccatū: quasi diceret, Insitus ab Adamo morbus. Peccatū eñ per se talis non est, ut in nobis habitare possit, quin potius defluat quidā est & puersum prauūq; cōtra dei uoluntatē cōmissum facinus. Morbus uerò: id est, belluinū, terrenū & carnale ingeniū in nobis habitat: id est hæret in nobis & illecebris uoluptatum mūdi huius, nos à deo abstractos sibi mācipare conatur, ut nostris tantummodo rebus attēti, omnia alia negligamus. Breuiter, in Epistola tota Rom. ferè peccatū, pro morbo usurpat. Sic 1. Cor. 15. & alijs locis. Capitur ergo peccatū semel pro ipsa incredulitate, quod peccatū qui habet & in eo manet, perit in peccato suo, eo quod in Christum non credit, damnatus ergo est. Mat. 12. Ioan. 3. Marc. ult. cap.

Secundo, accipitur peccatum pro ipso morbo hæreditario ex Adam, & pro defectu carnis corruptæ. Quatenus huic morbo sumus obnoxij, nihil ex nobis possumus: nam filij sumus iræ & mortis, etiāsi quiddā de uero deo cognoscimus, sed ex gratuito munere dei sumus per Christum à morte redempti, & uitæ restituti (nam ipse est uita) Ademptā deinde est per Christum peccato uirtus qua grassabatur & aculeus, & amplius occidere nos non possit. Reconciliati postremo sumus per Christū deo patri, ut iam simus amici, filij & hæredes dei. Sic peccatum, quatenus morbus, per Christum interemptum est, si firmiter hoc per Christum nobis præstitum crediderimus.

Tertio. Capitur peccatum pro operibus malis, quæ ex morbo genitali tanquā ex radice, ut stolones, p germināt. Et hæc oīa peccata per Christū Iesum tollūtur. Hoc testatur Ioan. his uerbis: Filioli mei, &c. Et ipse est, ppitiatio pro peccatis (peccatū pro opere peccati) nostris, &c. Hic peccare, pro in opera proruere accipitur, uel peccato cōsentire. Quarto accipitur Peccatum pro hostia aut uictima, qua peccatū expiatur, ut suprà expositum est. Quinto, pro eo facinore, quod qui post maturā deliberationē atq; consiliū sciens, uidensq; cōmisit, incurritq; quod Græci ἁμαρτίαν, eò quod contra conscientiā, si Origeni

credimus, fit. Latini autē scelus, uocāt crimē aut flagitiū. Qua specie latrociniū, homicidiū, bellū, uolūtaria qdem ista ꝓditio patriæ, inusitata libido, uenale iudiciū, & id genus portēta malorū cōtinētur: qualia fuerunt peccata Da uid, Achas, Iudæ.

Peccatū cōtra cōscientiā, est quod quis sciens ac uolens admittit, illud in sanctis locū nō habet, & si tale aliq̄d peccatū designēt, gratiā dei fidēq̄ abiiciūt, & spiritū sanctū à se repellūt, atq̄ desinū t sancti esse, & accepti deo. Hoc clare testatur illa spiritus sancti oracula 1. Cor. 6. & Gal. 5. Qui talia agunt. 1. Ioan. 3. 1. Timoth. 1. Peccatum ideo in addu ctis locis nō usurpatur pro errore humano, sed pro iniquitate, quæ est ex perfidia. Omnis qui cōmittit peccatū, idē & iniquitatē cōmittit, & peccatū est iniquitas ἁμαρτία ἐστὶν ἀνομία. Et prius qdem solet nōnunquā usurpari, ut auditū est, ꝓuitio & infirmitate, apud Ioan. hic grauius quippiam sonat: nempe scelus & flagitiū, cum uidelicet pecco non ne sciens quàm fœdam rem patrem. & 1. cap. eiusdem epist. Et sanguis Iesu Christi filij eius emundat nos ab omni peccato. Per peccatum, omne id intellexit quod Peccati nomine censeri potest, siue id capitale sit, siue minus. Et Ephes. 2. Cum essetis mortui delictis & peccatis, &c. Delicta autē ac peccata intellexit omnis generis uitia ac flagitia.

D. Hieron. inter alia uocabula distinxit, ut παραπτώματα, quasi initia peccatorum sint, cum scilicet cogitatio tacita subrepit, & ex aliqua parte conniuentibus nobis, nedum tamen nos impulit ad ruinam. ἁμαρτία uerò fit, cum quid opere consummatum peruenit ad finem, id quod longe grauius est.

Peccatum quandoque pro pœna peccati, Zach. 14. Hoc erit peccatum Ægyptiorum & peccatum omnium gentium.

Post Peccata ambulare, pro peccare, der bubery nach gehen. 4. Reg. 13. cap. Notissimum est, ambulare post deos alienos.

Peccare fecit Israel, locutio Hebraica. hoc est, fuit autor idololatriæ publicæ, fons & origo, impijssimæ defectionis. Hoc sæpius occurrit in Biblijs.

Ad hæc, aliud est Peccare, & aliud peccato seruire, quemadmodū longe aliud est peccare, quàm in peccato manere. Nam omnes sancti peccant, quia homines sunt, sed in peccato non manent, & peccato non seruiunt: seruiunt autem peccatis, qui carne supra ri genio indulgent, neq̄ à malo suo resipiscunt, sed in uia peccatorum & impietatis infixi, dolere desierunt: ut est in Ephes. Paul.

Peccare uoluntarie. ut est ad Hebræos cap. 12. nō ex infirmitate quadam peccare, carnis succumbere cupiditatibus, sed qui destinata malitia ueritatem in mēdacio detinere; nempe qui norunt, quod nulla alia in orbe possit hostia pro peccatis quàm unicū Christi, interim uerò se isti unicè adeò non committunt, ut magis asperentur, itaq̄ in cōtemptu dei impie uiuendo pergunt, &c.

Peccatum quandoq̄ pro ipsa re, quæ restituenda est, ut Num. 5. cap. Iuxta Septuaginta, Et restituet peccatum suum ipsam summam. Hebræus, Et conuertet peccatum eius super caput illius: id est, reuerti faciet rem in suum locū, & ad possessorem suum, & ad eum, in quem peccauerant.

Peccatum interim pro ipsa incredulitate, impietate, siue infidelitate sæpenumero accipi uidemus, ut Deut. 20. Peccetis. Et Iosue 13. Non poteritis seruire domino, &c. Christus in Ioanne: Spiritus arguet mundum de peccato.

Peccatum in foribus cubas, aut quiescit, idiotismus est sermonis Hebraici: hoc est, in loco ualde inquieto. Itaq̄ fieri non potest, quin expergefiat, & sicut furiosa bestia rapiat. Et idem est quod Christus Mat. 10. Nihil opertū est, quod non reueletur. Impium putat peccatum quiescere & latere, sed in foribus non potest quiescere: arguitur tandem, et prodantur in publicum, itaq̄ fieri non potest, quin expergefiat. Sic peccatum Cain quiescebat, sed tandiu donec scilicet uox ad eum facta est, Vbi est Abel frater tuus? Hic peccatum Cain reuelatum & expergefactum: hoc est, reuixit. Peccatum regnare est obedire peccato, Ro. 6. per cōsensum mētis. Eccles. 16. Post concupiscentias tuas non eas. 1. Pet 2. & per operis executionem, Pro peccatis nostris seipsum Christus dedit. Hebraico idiomate dixit, pro eo quod est sponte sua sese ad mactandum & mortem, offerre pro emundatione peccatorum nostrorum. Peccatum erit in te, Deut. 23. Id est pœna peccati: hoc est, mulctaberis, & 15. cap. Peccatum in eo: id est, puniaris.

Peccatum inducere super aliquem, est in causa esse ut tam grauiter peccet aliquis deum. Genes. 20. cap. Induxisti super me: &c. Id est, quare fui in causa ut tam grauiter pecca-

peccarem in deum. Et Exod. 32. Vt induceres super eum peccatū maximum. Id est, quod impuleris eum in tantū peccatum: siue quod eum peccare feceris tam grauiter. Peccatū ponere super aliquē. Id est, ne imputes nobis hoc in peccatū, Numer. 12. Peccatū suum portare, est dare pœnas pro peccato suo. Et peccatū aliquē apprehendere, est quoq; pœnas dare, Num. 32. Peccatū apprehendet uos. Peccare in animā suam, Numer. 18. hoc est perierunt propter peccata sua. Peccare in deū, est peccare in his quæ ad cultū dei pertinēt: sic peccabant filij dei. 1 Reg. 2. Et unde ibi dicit, si in deum peccauerit uir, quis orabit pro ipso? sic etiam peccat, qui peccat in homines, qui pertinent ad deū. unde Gene. 20. Benedictū est Abimelech, propterea peperci tibi, ne peccares in me, auferendo, scilicet Abrahā uxorē suā: sic & Paulo dictū est 9 cap. Peccare uero sibi, id est, ad damnū suū. Peccata uero triplicia sunt: Originale, dicit, malū omnibus hominibus innatū, propter q̄d homo nec deū æstimat, nec proximū amat, sed sui solus studiosus est. Actuale uerò dicitur quod homo per infirmitatē carnis uictus labascit: interim tamen deū non reijcit, aut mandatū eius nō contemnit, nec illi reclamat. Vel: Peccatum actuale significat fructus uitiosæ naturæ, hoc est, affectus et facta contra legē dei. Peccatū mortale in genere est defectus uel inclinatio, uel actio contra legē dei, offendens deū, nō remissa, sed iam irā dei et æternas pœnas promerens. Sunt igit in nō renatis peccata mortalia ipse morib. originis & omnes uitiosi affectus, et omnes prauæ actiones. Peccatum mortale & regnans idē. Peccatū est & ad mortem, quod aliud nullū est quàm peccatū in spiritum sanctū, per fidei scilicet & incredulitas. Peccare ergo in spiritū sanctum, est diuinæ uirtuti, potentiæ, ueritati agnitæ & manifestæ obstare ac repugnare, aut eam calumniari & blasphemare, q̄ in hac blasphemia perseuare, & ex destinata malitia nō ex infirmitate aut ignorātia peccare, nec redire aut respicere. De hoc peccato habet Matth. 12. & ad Hebr. 10. Volentes peccare, ut suprà auditum est, quod haud aliud est, quàm cognitam ueritatē re mere fœdeq; aspernari, contemnere, reijcere ac oppugnare. Et Lucæ 12 cap.

Peccatum facere, est de committendo peccato studiose noctes ac dies meditari. Sicut bonum facere, non est simpliciter aliquid facere quod in se bonum sit, sed beneficentiæ studio deditū esse. Ioan. 8 cap. Omnis qui non facit peccatum. Est studio peccandi tenetus, etiamsi peccatum actu nondum perficiatur.

Peccatum originale nihil aliud esse dicimus, quàm morbū illum qui hæreditario iure ab Adamo primo omnium nostrum parēte in nos deriuatus est. Per morbi uocabulum uitium naturę intelligimus, quod quis citra culpā suā, uel per generationē, uel alijs de causis. Scelus enim & peccatum temeritas quædā est, cui homo affectibus priuatis rationis plus sciens uolensq; inuoluitur. Peccatum ergo Originale defectus est, diminutio et uitiositas primæ illius naturę, quā deus omniū creator homini primitus indiderat. Ergo originale peccatū morbus est, eo significatu. Rom. 5 & 7. Paulus accipit, ut suprà auditum est.

Peccatum peccato addere seu accumulare, est uerbum domini non audire, prophetas spernere, & auxilium impiorum implorare.

Peccare, leuare, Hebræis est remittere, tollere, adimere Geneſis 4 cap. de Cain: Maior est iniquitas mea, &c. Et 18 cap. Et nō parebis loco propter quinquaginta, id est, nō tollens שׂאת tum leuare significat, tum parcere. Suprà in litera L, Leuare. Peccare autem sine lege. Vide suprà in nomine Lex.

Ad Peccandum addere, pro eo quod est, Iterum, rursus, Exod. 19. Et addens ad peccandum Gene. 8. Et addens columbam ex arca.

In Peccato mori, est in peccato ad mortem usq; sine pœnitentia durare, Ioan. 8. cap. Et in peccato uestro moriemini.

In Peccatorum manus tradi, est in omnē illorū potestatē & libidinē tradi. Matth. 26.

Peccatore illum exteriorem hominem impium uocat scriptura, non solum secundū facta externa, de quibus tantum mundus iudicat, sed etiam secundum cor ubi radix est. Iudicant & sancti in uiam peccatorum nonnunquam, ut agnoscant qui sunt, ut discāt non in se confidere, sed cautiores fieri per legem domini: sic neglecto uerbo dei, se uidēt corruisse, ergo omnes sancti quotquot sunt, & fuerunt, peccatores facti sunt.

Peccator deinde accipit pro eo qui in peccatis suis sordescit & desperat, nec respicit, nec Christo credit, sed manet in peccatis 1. Ioan. 5. Huiusmodi Peccatores obstinatos nō exaudit deus, Ioan. 9. Nā frustra clamat, qui nō pœnitet. Hoc est, nō q quouis modo peccatis obnoxij sunt, sed qui iā perfricta fronte ita peccatis sese addixerūt, ut inde meruc-

rint cognomen. Quales erant ij, qui in historijs Euangelicis peccatores Hebraice chataim, flagitiosi, malicioſi uocantur, quorũ animus totus malis ſeſe dedidit. Quslisq; illa ciuitate peccatrix. Hoc certè nomine Gene.13. Sodomitæ. 1. Reg.15. Amalechitæ chataim, peccatores uocãtur. Neq; enim alios peccatores, quàm quos & improbos, ſceleſtos atq; flagitioſos Dauid Pſal.1. uocat. ſimiliter Mat.26. In manus peccatorũ. Qui omnino impij, & nullo dei timore præditi fuerunt. Et Pſal.22. Et concilium malignantium obſedit me. Et Act.2. Peccatoris uocabulum, interdum pro extraneo & abiecto.3.Reg.1. Et ego ero & filius meus peccatores. hoc eſt, extranei & abiecti.

¶ *Pectus*, allegorice fauorem & charitatem ſignificat. Exo.28. Nam pectus, ſedes eſt amoris. Ac in ſacrificijs præcipue ceſſerunt ſacerdotibus pectus & armus. ſignificatur q Chriſtus effuderit omnem beneuolentiã animi, omnem amorem pectoris in eccleſiam, ac uelut in ipſa communem habere mercedem, quam propter onus paſſionis ſuæ conſecutus eſt. nã armus aptus eſt ad onera ferenda. Pectorale, iudicij arcã deſignabat. Exo.28.

¶ *Pecus*, languidum ſeu ægrotum ſanare. Ezech.34. eſt peccatores corrigere uerbo & operibus. Confractum alligari, eſt fractum tentationibus, anguſtijs, paupertate, debilitatibus & infirmitatibus adiuuare.

Pecora campi, congruentiſſime accipiuntur homines in carnis uoluptate gaudentes, ubi nihil arduum, nihil laborioſum aſcendunt. Campus eſt enim etiam lata uia. Et in campo Abel occiditur. Et in Pſal.8. Pecus dei eccleſia.

¶ *Pecuniæ* nomine continentur omnia, quorum iure domini ſumus, & quorum uendorum atq; donandorum habere poteſtatem uidemur. Hæc Aug. de lib. arb. lib.

Pecunia plena tradere hæreditatem aliquam. Gene.23. Plenam pecuniam uocat ſtum ac ſufficiens precium. Gen.43. Pecunia ueſtra uenit ad me. i. pecuniã ueſtrã

¶ *Peculij* dictione poſſeſſio uenit. Pſal.134. Iſrael in peculiũ ſuum. Septuaginta poſſeſſionem. Nam elegit ſibi Iacob Iſraelem in peculium ſuum. Hinc 1.Pet.2. uocat Petrus Chriſtianos populum peculiarem, ſeu populum acquiſitionis, tropo Hebr. pro populo parto ſeu acquiſito, nimirum ſanguine Chriſti. ein erarnet uolck. Populus peculi. Plura de ſignificatione huius uerbi. Eraſmus in Annot. 2. cap. ad Tit. peculium idem quod theſaurus prædilectus. Exod.19. Et ſic uocat dominus populum ſuum, cui regnum ſuam tradidit, & uiuendi formam præſcripſit, atq; ſacerdotale regnum contulit.

¶ *Pedis* ſignificatio pro affectu & deſiderio & uoluntate cordis uſurpatur. Pſal.39. Pes meus ſtetit in rectitudine. i. ego neminem læſi, nec ledere uolui, ut uiri ſanguinum, quorum pedes ueloces ſunt ad fundendum illum. Sicq; affectus meus ſtetit in uia recta uerbi tui. Pſal.35. Non ueniat enim pes ſuperbiæ, ne ſcilicet arrogãter de meipſo ſentiã, de mea ſapientia, iuſtitia, uiribus, arbitrio præſumam: ne me aliquid eſſe putem, cum nihil ſim, ex quo non inuenio in carne mea bonum. Luc.15. Calceamenta in pedes. Aplanta pedis ad uerticem uſq; non eſt ſanitas in nobis. Pedes, affectus & quotidianos lapſus fidelium. Pedes ac manus, pro actione accipiuntur, quod probatur ex ſuperiori Pſalmo citato. Vide Iſychium in Leuit. lib. 2. cap. 4. 8. 14.

Pedum quoq; nomine, præſentatio uenit. Vide Aug. ad Fortunatianũ. Pedes etiam Dauid appellat progreſſus conſcientiæ, quibus de incœpto ad rerũ exitus prouehimur.

Pedes cooperire ſeu tegere, Hebraiſmus, quo rem obſcœnam uerbis uerecundis procacare & exonerare aluum, apud Magiſtros ſignificat, honeſte opus naturæ circumloquuntur Hebræi. Siquidem qui uerecundi ſunt, & huic operi indulgent, ueſtibus nudos pedes & crura tegunt. Iud.3. & 1.Samuel.24. eſt ſoluere potius ueſicam & meiere, quàm ſtomachum.

Pedes lauare, ſeu abluere. Ioan.15. nequaquam pedum tantum lotionem exigit, ſed ueræ dilectionis officia quæuis. Synecdoche enim eſt, ne ex eo quod ſeruiliſſimum uidetur, omnia officia intelligas. Qui nanq; eò demiſerit ſe, ut ex ſyncera dilectione etiã hoſti, nedum fratri lauet pedes, quid illi miniſterij, quid officij detrectet?

Pedes abluere, allegorice, eſt quotidiana delicta coram deo gemendo & deteſtando agnoſcere & confiteri, & ſubinde poſt lapſum ad deum accurrere per pœnitentiam. Et ſuprà in uerbo Lauare pedes, diffuſius.

Pede ſecundo introiſſe, ſolemus dicere, cuius introitum proſperitas aliqua ſecuta ſit.

Vtroq; pede claudicare, quid ſit, uide Aug. in epiſt. Hieron. ad ipſum, epiſt. 26.

Ad pedẽ meũ, Hebraiſmus eſt. i. ad introitũ meũ, uel aduentũ, uel ad præſentiã. Gen. 30. Locu

30. Locupletauit te Dominus ad pedes meos. Nam hic Hebræi appellant præsentiam.

Ad pedes dei, uel Christi sedere, est non solum deum suppliciter inuocare, sed etiam suæ sapientiæ ac rationi, quæ coram deo stultitia est, immo etiam uoluntati carnis resignare. Qui, inquam, sic humiliantur in conspectu dei, docebuntur & illuminabuntur à deo, ut sint docibiles dei, alioqui ministerium uerbi per homines nullum erit, quo tamē medio uult deus ad homines. Sic Maria Luc. 10. sedens ad pedes Iesu audit uerbum eius.

Ad pedes uerò sedere, est discipulum agere & diligenter ipsorum dogmata auscultare. Apostolus in Actis dicit, se educatum ad pedes Gamalielis, ac accurate institutum in patria lege.

Pedes dei, stabilimentum uirtutis ac potentiæ eius sunt, eo quod ubique præsens sit, & uniuersa illi sunt subiecta, ipso dicente per Esa. scabellū pedum meorum. Aliter uero pedes filij dei incarnatio eius intelligitur, quæ diuinitati subiecta est, tanquā capiti. pedes, siue pro eo quod circa finem mūdi ipsa incarnatio facta est. Sicut enim per caput, ut dictum est, diuinitas: ita per pedes singulariter humanitas eius exprimitur. De humanitate in Exo. scriptum est, Viderunt enim filij Israel. hoc est. Moses & Aaron & Paulò post, Sub pedibus eius, quasi opus lapidis saphirini. Alter per pedes domini Christi, signati sunt sancti prædicatores, de quibus in Deut. 33. scriptum est, Qui appropinquauit pedibus eius, accipiet de doctrina eius.

Pes lassus, doctor Ecclesiæ uocatur, qui non uult cernere, quæ sunt fidei abscondita, sed cernit præsentia, homines qui tueantur eum. De his pedibus lassis Solomon in suis Prouerbijs cap. 23. eleganter differit.

Pede non recto incedere. Gal. 2. Prouerbiali figura inconstantiā & errorem notans. Similis sententia in libris Reg. Vsq; quo claudicatis in duas partes? Contrarium huic est illud Græcorum diuerbium, Rectam ambulare uiam.

E pedibus eius, est Hebraismus, pro ē medio seruorum. Deut. 28. Sub pedibus alicuius esse, est subijci alicui. Exo. 11. Qui sub pedibus tuis est. Vel, Qui subiectus est tibi. Hebraismus est, pro te & tuum consilium sequitur: uel ut sapiens Abraham exponit, Qui sunt sub potestate tua egrediuntur, &c.

Pede irrigare hortum suum, est deducere aquam quocunq; quis uult per sulcos. Deut. 11. Quasi dicat, humana ope irrigabatur terra, Chanaan de cœlo irrigabatur.

In pedibus substantia. Deut. 11. Quæ erat in pedibus eorum in medio totius Israelis. Pro, quam substantiam habebant præsentem. Vide insuper de hoc tropo Rabanum.

A planta pedis usq; ad uerticem, in toto corpore uestro. Esa. 1. Propheta ostendit per omnē populū, neq; in patrib. neq; in plebe, quicquā esse saluū, ab imo usq; ad summū.

Pedibus currere, pro inferiori sorte esse. Hier. 12. Quia pedibus cucurristi, &c.

Pedes leuare, est proficisci. Gen. 29. Et leuauit pedes suos. hoc est, profectus est Iacob.

Pes, gressus pro intellectu. Psal. 40. Statuit supra petrā pedes meos, et direxit gressus meos, hoc est, sensus bonorum operum.

Pedis nomē pro intellectu & cogitatione. Psal. Pes enim meus stetit in uia recta. Pes enim est pars ultima corporis nostri, imperio mentis locorum nos transponēs, ad cuius similitudinē cogitationes etiā nostras pedes uocamus, quib. in uarias partes accedimus.

¶ Pellis, pro carne: & econtrario, caro pro pelle accipi solet. Psal. 102. A uoce gemitus mei adhæsit os meum pelli meæ, seu carni meæ. Item Pellis, figurate si aliquid tectum re legi uolumus, & pulsare ad clausum, inuenimus extendisse deum cœlum ut pellem, ut intelligamus cœlum, sacrā scripturā. Hanc autoritatē primo posuit deus in ecclesia sua, unde cœpit exequi cætera. Posuit enim cœlum deus, extenditq; sicut pellem. istam scilicet tunam prædicātium extendit ut pellem. Pellis, mortalitatē denotat. Hæc Aug. Psal. 103.

¶ Penna, in sacris eloquijs uolatum aut nauigationem significat, eo quod utrunque ueri motu perficitur. Et ne eius rei desit exemplum, posterius illud in fabulis Poetarū ingenias usurpatum, qui Dædalum & illius filium Icarum, alas sibi quibus uolarint, tra dunt fabricasse, uela nauigiorum indicare uolentes. quæ primi inuenerunt. ex hostibus, nimbus quasi uolando per mare elapsi. Sed ad sacras literas redeamus. Psal. 17. 103. dicitur dominus uolasse super pennis uentorum: id est, diuina potentia sua motum uentorum, qui omniū est celerrimus superasse. Et Psal. 118. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris. i. si nauigio sumpto fugā adornare coner per plag. &c.

¶ Pendere ab alicuius ore, est diligenter & libenter dicentem audire, affici uerbo eius, & confringi ipsi. Luc. 19. Populus uniuersus pendebat (ab ore eius) cū audiret eum. das

volck haffter an im, hangt im an vnd hœrt in gern.

¶ *Pœnitere* Latinis illi dicuntur propriè, quibus id permoleſtum nunc eſt, quod aliquando deſignarunt, ueluti ſi quis alicui beneficium conferat, quod perditũ credat, atq; ideo doleat, & factũ ſuũ mutatũ uelleris dolor & animi cruciatus pœnitentia eſt, Germanis, ein reuvve appellata. Græcè dicitur μετανοία à μετὰ poſt, & νοὸς mens ſiue ſenſus et cogitatio, cõpoſita. Porrò νοὸς illa animæ excellens facultas eſt, qua præſtamus animalibus, quam in ſæuit homini deus, ut recte ſapiat cogitetq; cœleſtia, quam deniq; affectus carnis oppugnant, obſcurant & corrumpent. Recte ergo tradunt μετανοῆν à poſterius intelligendo dici, ubi uidelicet quis fœde lapſus, re peracta demũ ad mentem rediens, intelligit quàm turpiter egerit ac delictũ ſarcit. Proinde refertur metanœa ſiue pœnitentia nõ ad mentem duntaxat hominis, ſed ad ipſum opus, ad emendationẽ uitæ, adeoq; ad totã conuerſionem hominis. Iccirco Hebræi ſignificatiori utuntur uocabulo. His שוּב ſignificat rediit, reſipuit, & ad ſanam mentẽ peruenit: inde uerò theſchubah pœnitentiã appellant, reuerſionem uidelicet & reditionem in uiam & ad mentem.

Eſt autem in uerbo metaphora, tranſumpta ab hijs, qui à uia recta declinant, in quã demum redeunt. Huius oppoſitũ eſt, Meſchubah, auerſio inquã à deo, & à ueritate, & conuerſio ad diabolum ac omne malũ. Si ergo nunc libeat certis limitibus pœnitentiam circumducere, dicemus pœnitentiã eſſe conuerſionẽ ad deum, qua ex timore dei ſyncerè humiliati, peccata noſtra agnoſcimus, uitamq; noſtram totam in uocamus.

Pœnitentia eſt mortificatio uetuſtatis noſtræ, hoc eſt, carnis in omnibus ſuis concupiſcentijs, & cum omni gloria ſua. Sanè renouatio ſpiritus, atq; ea perpetua eſt per eam uitã, ad Coloſſ. & ad Ephe. 4. Renouamini ſpiritu mentis noſtræ. Pœnitentia ſic in euangelio capitur, Mar. 1. prędicans baptiſma pœnitentiæ, et ut Acto. 5. pater. Mutatio uitæ aut reſipiſcentia pro gratia dei, Acto. 11. clarius. Quod & gentibus dediſſet pœnitentiã, id eſt, euangeliũ, gratiã per Chriſtũ, iuſtitiã Chriſti, Itẽ, Acto. 20. Græcis eam quoq; dedit deũ eſt, pœnitentiam. Et Lucæ 3 cap. Pœnitentiã capi pro euangelio, per Synecdochẽ, quum Pœnitentia altera ſit pars Euangelij, altera remiſsio peccatorum, Marci. 1. cap. Pœnitere idẽ eſt, quod mutare rẽ pręſentẽ, quomodo deus. Nã deus ἀνεξμετανόητος, Pœnitere, id eſt, ſignificatione irę uel furoris ſui mutare dicit. Vnde Gene. 7. Pœnituit, ſiue cer, declarauit Noe quod perditurus eſſet genus humanũ, tactus dolore intrinſecus: quia pœnitere cũ dolore cordis, mutare ſignificat. Qui enim deſtruit q̃d fecit, uidet pœnitere illud feciſſe. Sic lib. Iudic. 21. pœnituiſſe filios Iſrael, ꝓpter tribũ Iſrael, ꝓpter tribũ Benamin prope ad internitionẽ deletã. Sic uti uerbo pœnituit eũ ſecundũ multitudinẽ miſericordię ſuę, id eſt, ſimpliciter adflictiones finiuit, & mutauit in conſolationẽ, Hiere. 26. Pœniteat me mali, q̃d cogitaui facere. 1. Reg. 13. Pœnitet me q̃d cõſtituerim Saul regẽ, etc. Non pœnitet humano more, ut dolore tangatur & diſpliceat, quod placuerat prius, ſed mutat factũ. Atq; in his locis eſt נחם. At שׁוּב, Reſipiſcere, eſt redire in uiã, ut ſuprà audiuimus. Et in uerbo Reſipiſcere, fuſius audiemus. Pœnitere aut Pœnitentia ergo dei, eſt tantũ mutatio facti. Et ſicut in uerbo miſereri, adfectus miſericordiæ et paternæ beneuolẽtiæ erga nos tribuitur deo, ita & affectus irę et furoris tribuũtur deo, nec aliter de deo homines loqui poſſunt. Aliàs pœnitẽtiæ ſymbolũ ſaccus et cinis, Mat. 11. Olim in ſacco & cinere pœnitentiã egiſſent. Pœnitentia, eſt perpetua uitæ renouatio, Matthæi. 3.

¶ *Perditionis* uocula interitũ ſignificat & abolitionem, in perpetuũ ponit ſuper Chriſto, cuius utiq; perditio perſecutionis magnitudinẽ & finẽ ſubſtantiæ monſtrat. Hæc D. Hieron. Perdere animã, uitã huius ſeculi deſpicere, et ea calcare in quibus hic mundus uitã et uerã beatitudinẽ collocat, Matth. 26. Qui enim uoluerit animã ſeruare, perdet eã.

¶ *Peregrinari* pro habitare, Pſal. 15. Domine quis peregrinabitur in tentorio tuo? Genes. 26. Peregrinare in terra iſta. Exod. 12. cap. Et peregrino qui peregrinatur inter uos.

Peregrinus, hoc uocabulum Hebræis qui eſt ex obſcura progenie, cui non conſtat qua familia prodierit, Hebraice Mebuſa. Exod. 12. De peregrino. Et econtra Æſora indigena, qui & Megula, clarus ex ſua proſapia, cuius anteceſſores longo tempore ubique aliquã incoluerunt. Alio modo accipitur Ger, peregrinus ſeu aduena pro eo qui ex gentilismo ad Iudaiſmũ conuerſus eſt, de quo in Leuit. Item, Peregrinus pro admirando, Eſaiæ 28. Ad faciendũ operationẽ ſuam, Ger, peregrinã operationẽ ſuam, pro admirando, & humanis mentibus inuſitato ac ſtupendo ponunt Hebræi. Quomodo D. Petrus quoq; accipit 1. cap. 4. Nolite mirari ſuper explorationẽ, quę nobis uſuuenit. Ne miremini

mini, habet Hebræus. Rarum enim & peregrinum fermè ſtulti homines admirantur.

Peregrini nomen quoq; interdū pro alieno & hoſte accipiunt. Nam & Hebræi alienigenā hoſtis nomine æque ac latini ueteres cōprehēdūt. Hier. 14. Cur fieres peregrin⁹.

¶ *Percutere*, pro depopulari, debellare. Ioſue 7. Vel tria millia uirorum aſcendant, & percutient Hai.

Percutere cor, eſt conturbare. 2. Sam. 24. Et percuſſit cor Dauid ipſum poſtquàm numerauit populum.

Percutere pugno, ut Eſa. 58. Vt percutiatis adiudicatum. Genus eſt, pro omni iniuria & uiolentia aut immani tractatione, qua utuntur creditores in debitores ſibi adiudicatos & iure condemnatos.

Percutere animam, eſt occidere. Gene. 37. Non percutiemus eius animā. hoc eſt, non occidamus eum.

Percutere maxillam, eſt contemnere & deridere. Pſal. 3. Qui percuſſiſti omnes inimicos tuos maxilla. Nam ob contemptum fit maxillæ percuſſio. Dominus noſter etiam ſimilitudine iſto uſus. Percutere lingua, eſt accuſare. Hiere. 18. Venite percutiemus eum lingua. Sic enim, Percutiendi uerbo, pro ſcindendi, ſternendi, impenſiſſimè utuntur Hebræi. Interpres dicit, Et recidamus ei linguam. Hebræus, Et percutiamus, &c.

¶ *Perfodere* domum aut ſuffodere, Hebraiſmum eſt, pro ſubire clam domum. Exo. 22. Si effringens fur domum aut ſuffodiens. Vſus eſt & Chriſtus hoc idiotiſmo: Si ſciret, inquit, paterfamilias, qua hora fur eſſet uenturus, non permitteret perfodi domum.

Perfodere aures, eſt aures alicui aperire, & ad auſcultandum alicui adaptare. De hoc tropo uide in litera A, Aures perfodere.

¶ *Perfectus* dicitur in ſcripturis, qui uera fide Chriſto adhæret, qui ſpe certa in deum uehitur qui credit. Sic Mat. 5. Eſtote perfecti ſicut & pater ueſter. hoc eſt, halten treuulick an im, als er an euch, &c. Sic, Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum. ſind ſteiff an mir uule ich an euch ſtyffe bin.

Perfecti ſunt, qui toti à deo pendent. Sic Perfectio, capitur in ſcripturis, non modo theologorum, qui perfectum dicunt eum, qui ſine peccato eſt. Coloſ. 1. Hominem perfectum in Chriſto. Teleion, abſolutum, perfectum, conſummatū, integrum, firmum, &c. quod Hebræis eſt Thom, hoc Græcis τέλειον from, gantz, gerecht, getreuu. Et Eph. 3. cap. Quotquot itaq; perfecti ſumus, hoc ſentiamus. Perfecti, hoc loco dicuntur, qui perfecte norunt & crediderunt q; ſolum Chriſti meritum ad iuſtificationē ſatis ſit. Iac. 1. Cæterum patientia opus perfectum habeat, ut ſitis perfecti & integri, nullaq; in parte dimi nuti. Habet opus perfectū. 1. perficit opus, & ad finem uſq; inducit. τέλειον enim iuſtæ magnitudinis eſt, & integræ ætatis, inquit Budæus, eximiū, ſanctū, luculentū & amplum.

¶ *Periurare*, deierare, iurare, quid ſit, uide ſuprà Deierare. Leuit. 19. Non iurabitis in nomine meo ad mendacium. Græcus, Non iurabitis nomine meo iniquum aut falſum, quod Latinus ſic habet, Non periurabis in nomine meo. Vides ut D. Hieron. eleganter eſt Periurandi uerbo uſus, pro falſo deierandi, non pro Iuſiurandum uiolandi.

Periurare, aliud eſt quàm deo, qui eſt ueritas & iuſtitia, ad mendacium, ad fraudem, ad iniuſtitiam abuti. Qui enim periurat, dominum prodit, nō quod domino mali quid iſthinc accidat, ſed in caput Periurantis recidit proditio. Periuri ſunt, qui fidem datam frangunt, ſacramentum datum polluunt, deniq; & quouis modo fallunt.

¶ *Perfidi*, in ſacris non ſolum ſunt qui à ueritate & fide turpiter deficiunt, ſed etiam qui agnitā ueritatē non recipiunt aut credunt. Perfidia & apoſtaſia, peccatū eſt in ſpiritū ſanctum. Peccare in ſpiritū ſanctū, eſt apertam, cognitā & reuelatā ueritatē impugnare, perſequi, extinguere, non recipere, non credere, & credita, cognita ac recepta iterū relabi.

¶ *Perire*, hoc uerbum inueniri licet, pro negari in ſacris. Sic enim in Pſalmis ſcriptum eſt, Periit fuga à me. pro fuga occupata aut intercepta eſt mihi. Sic & Latini Perire occaſionem dicunt. & Perire alicui fugam, nihil aliud eſt, quàm ei negari fugæ eſſe locum & nuſquam patere effugium. Hoc uerbo uſus eſt & Hier. 17. Pſal. 141.

Perire autem cor, eſt obſtupeſcere, attonitum & conſilij expertem eſſe. Hier. 4. Perhibitcor regis & cor principum, & deſolabuntur ſacerdotes.

Perire de populo ſuo. Leuit. 18. Peribit de medio populi ſui. id eſt, Deus non agnoſcet illum ranquam Iſraelitam circunciſum.

Perire, hoc uerbum uſurpatur interdum pro offendere & contemnere. ut Matth. 18.

Chriſtus,

Christus nō uult, ut mundus pereat, imō nullum omnino uult perire, id est, ut eum defendas, contemnas. Sic pereundi uerbo capite adducto Matthæi utitur, quemadmodū & in Epistola ad Rom. 14. Ne perdas cibo tuo, pro quo, &c.

¶ *Periodus* siue Pasuc. Mos non infrequens Hebræis est Periodos suas, quo ipsi Pasuc vocant, sæpenumero adfigere & apponere, ubi sententia non absoluta est, & contrà nō nunquā, ubi finita, non adfigere, ut apud Esa. 1. cap. quū dicit: Quur ego uapulatrem uos ultra? Quò citius iterum deficeretis, scilicet. Ibi non ponitur Periodus. Ac rursum quum dicit: noua sententia incipit: Omne caput languet, & omne cor mœret: iam ponitur Pasuc, quum solum modo membrum unum de tota sententia sit absolutum. Sequitur enim: A planta pedis, &c. quæ itidem in hac sententia sunt, in qua omne caput languet.

¶ *Periphrases* hebraicè magnam uim habent, ut si Germanice dicam: vvas thuot duc? herrz? plus aliquid habet, quàm si dicam vvas thuost du? & tamen sensus idem est, Lucæ 12 cap. Dicam animæ meæ. Periphrasis est sumptius, id est, dicam ad meipsum, dicam mihi ipsi, consolabor me ipsum.

¶ *Pernoctare*. hoc uerbum in Genesi, ubi seruus Abrahæ puellā alloqueretur Rebeccam: Est ne domui patris tui locus nobis ad pernoctādum, ubi noctē agamus? Sed hinc ad quietam immorationē, non noctis solum, sed perpetuam, uox traducta est, ut Prouerb. 15. cap. Auri auscultans admonitioni uitæ, inter sapientes morabitur, & fixam sedem habebit. Ita Psalmista: In umbra omnipotentis habitabit, quietemq; aget. Iam in bonis morari quietemq; agere, quid aliud est, quàm pro uoto bonis perfrui?

¶ *Persequi*, anceps uerbum, quod in bonam arq; malā partem usurpatur. In bonam Psal. 33. Inquire pacē, & persequere eam, siue sectare. Et 1 Timoth. 6. Persequi iustitiam, amplecti & iustitiæ adhærere, defendere, &c. 1. Cor. 14. Persequimini charitatē. In malam Psal. 39. Confundantur qui me persequuntur. Hic significat odisse, infectari, fallere & contumelia adficere. Sic accipitur in altero uersu. Id est, qui uitæ meæ insidiantur, eq; extinctam uellent. Persequi namq; aliquē, nihil aliud est, quàm in exitium illius percitere, hiare, & quamuis perdendi illius occasionem quærere & uenari. Ioan. 15. Si me persecuti sunt, & uos persequentur. Hinc persecutio est, pertinax ad perdendū infectatio, qua nullus datur quieti ac securitati locus, sed quouis genere cum uiolentiæ, tum insidiarū innocentis perditio quæritur. Matth. 5. Hinc quoq; Persecutionis uocabulum comprehendit odia, conuitia, direptiones facultatū & exilia. Lucæ 21. Persequentur uos, &c.

¶ *Persona* nomen externam qualitatē uitæ, operis, aut conuersationis, (hoc enim Persona, in scripturis significat) iuxta quam homo de homine iudicare, laudare, uituperare, nominare potest, & quicquid in homine per spiritū non uiuit, Persona uocatur. 1. Reg. 16. Homo uidet ea quæ patent, Deus autē intuetur cor. Et Psal. 7. Ista ergo patentia quæ cunq; tandē sunt, tu intellige. Personas, facies, apparentias & personalia ista, si recte uis intelligere scripturas de respectu Personarū loquētes, Sic intellige Paulū: Apud Deū nō est Personarū acceptio. Rom. 11. cap. id est, nō considerat faciē hominis aut externū opus seu staturam & conditionē & laruam externā, nec uisionem oculorū iudicat, sed cor conspicit & renes scrutatur, recte et iuste iudicans. Gal. 2 cap. Personam hominis nō accipit. Personam uoco quicquid hominum iudicio præclarum & insigne creditur.

Personas accipere, seu recipere, est mirari, suscipere, ut in eorum gratiam aliquid faciat. & hac loquutione Hebraica significat oculos & animum in externū hominis habitum defigere, eumq; ex hoc uel æstimare, uel contemnere ex hoc respectu, et deferre, meuere, in gratiā illius, quod fas non est, cōmittere. Dehortatur autem Iosaphat Iuda rex ab acceptione Personarum iudices. 2 Paralip. 19 cap. Iacobi 2 cap. Illud est personā accipere aut faciem suscipere & eleuare ex facie, ex qualitate, diuitiis, facultatibus personas distinguere, easq; acceptas habere, iudiciumq; peruertere, ut alteri fiat, quod non fit alteri.

¶ *Personarum* subita mutatio non est in scripturis infrequens, Psal. 2. dicitur: Ordinaui regem meum super nomen sanctum meū: Hæc uox patris est. Mox subiungitur: Annunciabo præceptum tuum, quod dominus dixit ad me: Filius meus es tu, quæ uerba filij sunt. Ita persona permiscetur, ut deinceps uniras demonstretur. Est autem in Psalmis usq; adeò frequens, ut non opus sit plurimis exemplis. Similiter Psal. 13. Christus orat ad patrem, & nos in Christo. & iam in secunda persona loquitur, dicens: Custodi me domine. Iam in tertia Dixi domino, sanctis qui sunt domini patris.

Personarum huiusmodi mutationes subitaneæ in prophetis, potissimum in Dauide, adfectuum

adfectuũ significat uarietates, & miras (ut ita nominem) translationes. Et sic formãda est persona Dauidis: nunc se inter sanctos, nunc inter peccatores numerantis.

Persona item secunda pro quaqȝ, omnibus tribus linguis commune est, ut secunda persona singulari infinite utant, pro quaqȝ: ut quũ uolueris eleemosynam dare, Tu quum uolueris orare, Tu quum, pro Quisque quum uolet eleemosynam dare, ieiunare. Ita ut Esaiæ 2. cap. uidere licet.

Personas quoqȝ mutari à secunda persona in tertiã, à prima in tertiã: non est ut miremur: Mos enim scripturæ est, quo discimus non ad unũ fieri sermonẽ, uel ad præsentes tantũ: sed uel ad omnes, uel ad multos: sicut si dicerem, Audi tu, audiant & alij. Esa. 42. sic dicit primum: non seruabis, & postea, non audiet.

Persona atqui secunda præteritorum, quoqȝ non minus quàm futurorum, pro imperatiuis poni, quod in Psalmorum libro uidere licet. Esa. 46. cap. Considera, & uide omnia Persona pro re, & contra usitatissimũ est apud Hebræos, q̃ rem pro persona atqȝ rursum personã pro re accipiũt, uirtute enallage. ut quũ Christus: Cauete, ne iustitiã nostrã faciatis corã hoĩbus, &c. iustitia pro rectè factis, pro charitatis operibus accipit. Sic Esa. 38. Fouea pro inferis, & mors pro mortuis accipiunt. Esa. 49. Erunt reges nutritij tui: Hic reges & reginæ, pro regnis Gentium accipiuntur. Personarum apostrophæ: id est, auersiones. Et epistrophæ: id est conuersiones: plerunqȝ sunt apud Hebræos sine demonstrationis, aut distinctionum notis. Id quod rudibus atqȝ tenerioribus hallucinandi magna frequens occasio est. Esa. 3. cap. Apprehendent enim uir fratrem suum, domesticum patris sui. Vestimentum (inquiens, potest addi, quo sensus sit distinctior) habes: id est, autoritatem.

¶ *Persuasionis* nomen accipit Paulus Col. 2. pro certitudine & indubitata fidei sanæ sententia. Græcè πληροφορία, Ea est certa persuasio quoties alicui rei fit fides adeò ut de ipsa nihil dubitemus. Budæus eñ πληροφορῆμαι dicitur, ait, pro eo quod est compertum habeo, & certissime noui. Idem illud Pauli ad Romanos decimoquarto capite, adducens: Vnusquisque compertum habeat quod mente concipit. Et Galath. 5. cap. Nempe persuasio non ex eo profecta qui uocat uos. Persuasio hic non usurpatur pro ipsa fide & persuasione indubitata, sed pro opinione temere cõcepta. Veluti cum Germani dicunt: Er hat sich bereden lassen: hoc est, imponi sibi passus est.

¶ *Pertransire* apud Danielem 12. cap. est percurrere: ut, Pertransibunt: id est, percurrent plurimi, multorum signat lectionem. Solemus enim dicere: percurri librum, pertransiui lustoriam.

¶ *Peruersus* dicitur qui obliquat & à fœdere recedit, & ipse sic agit, deflectit à promissis suis, & inuertit omnia. Deut. 32. cap. Moses uocat Israelem transgressorem, nationem prauã & peruersam. Sicut Rectum scriptura uocat, qui simplici animo stat promissis, & præceptis dei uiuit: ita Curuum & Obliquũ atqȝ peruersum uocat, qui fidem deo dat, eam uiolat, & à iussis eius declinat.

Peruersi sunt, quorũ corrupta est opinio, hoc est, q̃ imaginant deũ ꝓ suo arbitrio nec metuẽdũ, nec itẽ eiusmodi cui confidant. Et quia nihil accipere se diuinitus sentiũt, ferũt suo impetu ad ea quæ arrident, sua mirant, dei opera cõtemnũt & auersant. Qualis est Achas, Esa. 7. Hos Paulus abominabiles uocat, & qui persuaderi nõ possint, & ad omne bonũ opus reprobos appellat. Prouer. 12. Abominabile domino cor peruersum, uel prauũ. Quid aũt Cor peruersum seu prauũ. Vide suprà in nomine Cor. Item, Peruertere iudiciũ, est quãdo iusti perdunt, acre, pbi dirigũt, id q̃d in hoc seculo frequẽtissimũ est.

¶ *Peruenire*, pro attendere, Esa. 1. cap. Non peruenit ad uos. Septuaginta ὰ προσέχουτες: id est, non attendentes.

¶ *Pestis* uocabulum latam habet apud Latinos significationem. Exod. 9. Pestis ualde grauis, pro pestilentia hic capit, quam Hebræi Deber uocant, quemadmodum Germani: das ding, Græci θάνατον dicunt: ponunt autem mortẽ pro pestilẽtia. Sic Germani: Der todt ist im land. Intelligentes pestem per antonomasiam.

Pestis uerò magna apud Hier. 12. Idem est quod graue malũ, quo omnia per cõtagionem inficiuntur, & alibi grauiorem domini ultionẽ, uocat quoqȝ pestẽ scriptura.

Pestes denicȝ hominum interfectores sunt, qui nobis humana pro diuinis obtrudũt. Et sicut sapientes uocantur sanitas orbis terrarum. Sapien. 6. cap. Ita impij illi rectè pestilentia orbis terrarum uocantur. Quæ autem nocentior alluſio, quàm animabus pu-

ram ueritatem esurientibus, uenenum mortiferum dare? Pestilentiæ Cathedra quid sit, uide suprà in tropo Cathedra.

¶ *Petere*, pro interrogare. 1. Paralip. 13. Et petiuit Dauid deum. Septuaginta, Interrogauit Pacem petere, est salutare, Exod. 18 Petijt uir proximo suo pacem, hoc est, salutauerant se inuicem, mutuo, aduentum felicem esse precati sunt. Nam Pax Hebræis significat salutem, tranquillitatem, sanitatem, felicitatem & omne bonum. Quare cum Christus iubet legatos suos dicere, Pax huic domui, iubet eos seruare publicam salutādi formam, & intelligit his uerbis, optandam esse omnem salutem et fœlicitatem, quibuscunque id uerbis, modo usitatis & probe intellectis, fiat, De quo nomine suprà.

Pete à me, Psal. 2. Psaltes hac loquutione significare uoluit summam dei erga Christū suam beneuolentiam atq; indulgentiam, ut qui omnia uoluntati eius concedere uelit. Magni enim principes his uerbis oblata optione suam solet beneuolentiam declarare. Sic Herodes saltatrici iurabat daturum se quicquid postulasset, etiam si dimidium regni postulasset. Et Dominus Salomoni: Pete quod dem tibi. 3. Regum 3.

¶ *Petræ aut Lapidis* uocabulum in scripturis multifariam sumi constat: nonnunquam enim ueros & materiales lapides significat: aliquando homines induratos & rigidos, ut Ezech. 11 & 36. Alibi uerò pro eximijs & primatibus, ut Thren. 4. cap. Interdum Petra uel saxum, pro adiutore & forti et firmamento. Psal. 17. Deus meus petra mea, & sperabò in eum. *Βόηθος*, adiutor & Septuag. *στερέωμα*, id est, firmamentum. Item, pro deo 2 Reg. 22. Et quis Petra præter deum nostrum. Ac è regione fortes, pro duro usurpatur, Psalm. 76. Fortes corde, id est, duri. Petra quoq; pro solido fidei fundamento, Matth. 16. Et super hanc petram ædificabo ecclesiam meā. In Petra autem ædificare, est audire & facere. Vide D. Augustinum. Item petræ nomen accipit interim scriptura pro robore & firmitate, ut Psal. 39. Eduxit me, inquit, de lacu miseriæ & luto fecis, & statuit supra petram pedes meos, Psal. 26. In Petra exaltauit me. In Psal. 31. In petrā fortitudinis. Sic plerunq; significat Hebraismus arces & fortia ædificia, quæ supra montes & petras cōtra hostiū insultus extruuntur. Hæ metaphoræ, interdū in scripturis, uidelicet Petræ, præsidij, refugij, clypei, cornu salutis ac refugij, quàm necessitatē euadendi inimicorum insidias, persequutiones, innuere. Alias interim Christū denotat Petra, ut. 1. Petri 2. 1. Cor. 10. Petra autē erat Christus. Et tropus uulgaris apud omnes prophetas est, quod Christū appellitēt Saxū, Lapidem. Psal. 117. & Matth. 21 dicitur, fundamentum, etc. Petra dicitur fides in Christū, Matth. 16. Qui ergo Petrus est, hoc est, qui petræ Christo fidit & nititur, qui hunc Christū suū & seruatorē agnoscit, is firmiter in eo stabit, & immotus, illius gratia omnia faciet, & peteretur, quemadmodū & Christus fecit. Quod si nostra plus amamus, quàm ueritatem & iusticiā, nondum stamus in hac petra. Petri nomē commune fidelibus Ioan. 1.

¶ *Pharao* non hominis nomen, sed regiæ potestatis. Nam apud Ægyptios hoc uocabulo regia potestas demōstratur, sicut apud Romanos Cæsares & Augusti reges eorum appellant à primo Caio Cæsare, & secundo adoptatiuo eius Octauiano, qui postea Augustus est nominatus. Apud Syros Antiochi, apud Persas Arsacidæ, apud Philistæos Abimelech, et post Alexādrū in Ægypto Ptolemęi. Pharao uindex malorū aut iudex dictus, intererat punire sontes. Nā Pharao ultionē Hebręis significare dicit, Gene. 41. Ego sum Pharao. Sic ex Gene. 47. intelligimus Pharaonis, Ptolemæi nomē generale esse omnium regū Ægypti, quū dicit, Et posuit hoc Ioseph in statutum usq; in hodiernum diem super tellurem Ægypti, ut det quintam partē prouentuum Pharaoni. Pharao autē, ut dictum est, à uindicando nomen habet. Rex enim iudex esse debet, & uindex malorum.

¶ *Philauti*, sui amantes. Dicuntur enim & Prouerbiali figura Philauri, qui sibi uehementer placent, quiq; suis ipsorum cōmodis impēse student aliorū rebus uel neglectis uel afflictis etiam. Id uitij Plato malorum omniū fontem autumat. 2. Timoth. 3. Philautia est amor sui, & sibijpsis placere, præcipue iustis contigit, imbuti spiritu, agnitis bonis & dotibus, quę contulerit in illos deus, & quo longius abeunt reliqua scelera libidines iræ, & reliquorum adfectuum, eò propius accedit amor sui.

¶ *Philosophia* illa de qua Paulus ad Coloss. 2 cap. est, quæ facit, ut à uera fide deflectentes seu deficientes, nō unice inuitamur Christo domino, proinde cauenda est. Prius Paulus Pithanologiam nuncupauit, Philosophia uocabitur humanę uidelicet sapientię ratiocinium. Philosophia enim sunt hoc loco, hoc est inania ex hominum constitutione prolata, quæ & circa externa uersantur, & à Christo abducunt. Nam Philosophia ingenuum

tesum omnium parens, & Philosophi hæreticorum patriarchæ.

¶ Pietatis uocabulum usurpat sacra scriptura, pro mente uidelicet recte imbuta fide, recte de deo sentiente, uiuentéq; secundũ numinis uoluntatẽ, id est, pietas timor dei est, fides, spes & charitas. Paulus enim. 1. Tim. 4. Prophanas inquit, et aniles fabulas reijce, quin potius exerce temetipsum ad pietatẽ. Nã corporalis exercitatio paululum utilitatis habet: at pietas ad omnia utilis est. Idẽ usurpat pietatẽ pro toto negotio euangelij, dicẽs: Si quis diuersam sequit doctrinã, et nõ accedit sanis sermonibus Iesu Christi, & ei quæ secundum pietatẽ est doctrinæ, is inflatus est. Pie iraq; D. Augustinus credidit pietatem uerum esse cultum dei, deum uero coli charitate, itaq; Pietatẽ aliud non esse quàm charitatem, quæ semel continent omnia pietatis officia. Nã charitas gemina est, charitas uidelicet dei ac proximi. Pietas igit in sacris literis εὐσέβεια appellat, bonus uidelicet & uerus cultus. Cicero finit pietatẽ esse per quam sanguine cõiunctis patriæq; beneuolẽs & diligẽs officiũ tribuimus. Idẽ in oratione pro domo sua ad Pontifices. Equidẽ sic accepi Pontifices, inquit, in religionibus suscipiendis caput esse interpretari, quæ uolũtas deorũ immortaliũ esse uideat, Nec est ulla erga deos pietas nisi honesta de numine eorũ ac mẽ opinio. Et ad hunc modum prope usurpat etiam scriptura uocabulum Pietatis.

¶ Pingere, γράφειν Græcis & scribere & pingere est. Pingere autẽ non is modo dicitur, qui coloribus rem quampiam exprimit, sed qui proprie & euidenter uiuaq; oratione rẽ auditoribus ueluti ob oculos statuit. Hinc enim & prouerbio iactatum est, Tuis te pingam coloribus, pro eo quod est, talem te describam, qualis es, Gal. 2 cap. Quibus præ oculis Iesus Christus fuit depictus, etc. Hieron. legit prę scriptus, hoc est, ante scriptus Augustinus & Ambrosius proscriptus, sed prorsus alieno sensu à Pauli consilio.

¶ Pinguis nomen interdum pro robusto & forti, Iudicum 3. Omnẽ pinguem & omnem uirum formosum, Esa. 10. Propterea mittit dominator dominus exercituũ in pingues eius maciẽ. Hoc loci macies pro plaga usurpatur. Apparet ergo ex multis Bibliorũ locis pingues significari potentes, magnates, robustos, honoratos, pontifices, senes, & quicquid in mundo alicuius nominis, gloriæ, famæ, æstimationisq; est, uel qui cæteris præstantiores habentur, ut sunt sapientes, iusticiarij. Sic Psalmo 77. Et occidit pingues eorum, & electos Israel impediuit. Et Deuteronomij trigesimosecundo. Incrassatus est dilectus, impinguatus & dilatatus. Item Ezechielis 24. Quod crassum erat occidebatis. Huiusmodi pingues obumbrauit olim Agag rex Amalechitarum pinguissimus. 1. Reg. 15 cap. Et Æglon rex Moabitarum, itidem pinguissimus, Iudicum 3 cap. Nam Adeps impiorum, proceres, electi & delicati sunt diuites, iuxta Psalmum 21. Et adorauerunt omnes pingues terræ, id est, reges & principes & regna mundi. Et propriè Pingues terrę uocat qui saturati sunt, & eodem Psalmo, Tauri pingues obsederunt me. Et Psalmo 16. Adipem suum concluserunt.

Pinguedine porrò omnimodam rerum abundantiam & opulentiã intelligere, uulgatũ in scriptura est, ut Deut. 32. Pinguis factus est Israel, pro, diues factus est & opulẽtus. Et Psal. 36. Inebriabuntur de pinguedine domus tuæ, hoc est, ubertate.

Pinguedo olei, musti, & frumenti pro præstantissimo, optimo ac synceriſsimo, Numer. 18 cap. Omnem pinguedinem.

Pinguedines terræ, pro terra fertili, Geneſis uigesimoseptimo. Et pinguedine terræ, Id est, det tibi tertam fertilem. Solet enim in scriptura Pinguia & Adipea uocare, quæ intelligit opima, felicia, bonis omnibus referta, Psalmo 63. Sicut adipe & pinguedine satiabitur anima mea.

Præ Pinguedine, inquit, egressi sunt oculi eorum, id est, præ pinguedine uix possunt uidere, obtegente faciei crassitudine oculos. A quo habitu præpinguis hominis indubiæ felicitatis successum descripsit. Vade factum erat, ut os suum in cœlum poneret, & lingua eorum perambularet terram, hoc est, in deos & homines loqueretur quæcunq; eorum impietas & arrogantia ferebat.

Pinguis panis, ad hunc modum quoq; abundantiæ & iucunditatis mysterio seruit, Gene. 49. & suprà enucleatum est. Aser pinguis panis eius, & præbebit delicias regibus. Pinguis enim panis hic ubertatem terrę exprimit. Quasi dicat: Tam felix erit regio Aser, ut etiam reges hinc sint frumentaturi.

Pingue fieri, pro acceptabile, Psal. 19. Memor sit omnis sacrificij tui, & holocaustũ tuũ pingue fiat, id est plenũ, delicatũ, placitũ ac iucũdũ. Allegoria hęc: nimirũ sumpta ab usu

hominũ, qui pinguibus et bene pastis pecudibus, alijs'ue rebus uberioribus seu electioribus & melioribus iuuantur & delectant. Vide & in scripturis passim Pinguis ager aut mõs uocatur, quẽ Latini lætũ & iucundũ. Præ pinguedine perit. Prouerbialis sermo est, quum quis nimijs opibus uti nesciret, quũ seipsum proderet. Sic et Babylonicum regnum sua mole, sua potestate, sua opulentia ruiturum dicatur Esa. 10. Quomodo Titus Liuius de Romano imperio: ut iam, inquit, magnitudine laborer sua: scribit, Et Ciuitates Germanicæ incipiunt propria mole laborare, hoc est, potestate, intestinis discidijs, & tota Germania sua mole iam laborat. Pingue mactari, meliora est sectari commoda, uel malo exemplo meliores scandalizari. Ezech. 34 cap.

¶ *Piscium* uocabulo sæpe & boni & mali homines ueniunt, ut Matth. 13. Ex omnium genere Piscium cõgregati. Piscatores uerriculũ seu rete in mare iacientes Apostoli sunt. Mare mundũ significat uarijs fluctuum procellis inundans. Verriculum seu rete euangelium est. Piscatores quod prædicatores denotent, Matth. 4. patet: Faciam uos piscatores, piscatores hominum, sequamini me. Et in malam partem, ut Esaias 19 cap. Et lugebunt seu mœrebunt piscatores, hoc est operarij eorum ociosi erunt. Pisces sicut audientes simplices, qui sectantur quascunq; doctrinarum escas.

¶ *Placationis* dictione sacrificiũ pro accepta salute oblatũ Moses intelligitur. Numer. 6. Et arietem integrum in placationes. Translatio uulgaris habet, Hostiam pacificam.

¶ *Placere* pro suscipere, Malachiæ. 1. cap. Et munus non placebit de manu uestra, hoc est, Non suscipiam. Septuaginta προσδέξομαι, id est, suscipiã. Item, pro cõsentire, Deut. 1. Et placuit in oculis meis uerbũ. Placendi uerbo forensi utuntur Ebræi, pro constituere, quo modo et Latini dicũt: placuisse patribus aut senatui, pro statuisse, pro decreuisse patres. Sic & Hebræi, ut Esa. 56. & 61. Dummodo custodient Sabbata mea, hoc est summa quæ ipse decerno, id est, quę mihi placent. Hinc Placitum tempus, hoc est, constitutũ, ut Iacob ad Laban dicebat: Cras iusticia mea quum placitum tempus coram te uenerit, Et 49. tempore placito adero, id est, statuto. Hinc Placita, statuta, placita.

Placere, per omnia omnibus, est sine scandalo, autore D. Ambrosio, cuiusquam agere ad profectum utilitatis illorum, ut & illis & huic sit utile. 1. Corinth. 10. cap. Ego per omnia omnibus placeo.

Placere sibi ipsi, alicubi est quærere quæ sua sunt. Rom. 15. capite, capitur pro sua quærere. Item Placere proximo, est quærere quod proximi est. In Galatis, Placere hominibus est laudẽ affectare, Gal. 1. Nam si hactenus hominibus placuissem Christi seruus haudquaquam essem. Humana tradunt, qui meritis humanis niti docent. Hominibus placẽt qui humana prædicant. Idonei autem serui esse non possunt, qui sub nomine domini uel propriis lucris studeant, uel hominibus placere satagunt.

Placere in carne, ad Galatas sexto capite, Quicunque uolunt iuxta faciem placere in carne, hoc est, Germanice reddam, die vvollendt nun dem fleyſch augen dienen. Hoc est, non quærunt gloriã dei, sed carnalibus illis hominibus carnalia, in gentibus et adulari & placere uolunt.

¶ *Plagæ* dicuntur flagella, adflictiones & ægritudines, more Hebraico, quod corporis plagæ sunt & flagella, Lucæ 7 cap. A' plagis. Vide Flagellum.

¶ *Plantare* & Rigare. 1. Cor. 3. cap. Ego plantaui, Apollo rigauit, aliud non est quàm docere, hortari & consolari: ipse autem fructus, ipsum opus & agriculatio, fideles sunt. Plantarat, id est, fundamenta fidei iecerat apud Corinthios Paulus, &c. Sic Plantare, fundare est, Hoseæ 9 cap. Ephraim ut uidi Tyrus plantata in pulchritudine.

Plantari à domino, crebro in prophetis pro eo inuenies, quod est per dominum in suum populum aliquos asciſci et constitui, ut Esa. 3. Hiere. 2. & 12. Amos 9. Quo loco populo Israelitico ita promittitur per dominũ. Et plantabo eos super terram suã, & nõ euellentur amplius de terra sua, quam dedi eis, dixit dominus deus uester. Plantam atque leuare seu magnificare, supplantationem & oppressionem intelligit scriptura, Psalm. 41. Et Ioan. 13 cap. Vide in tropo Calcaneum leuare. A' Planta pedis usq; ad uerticem. Esaiæ 1. Hoc est, caput quod est princeps cor, id est, sapiẽtes, & reliqua corporis pars, ut quæ ad plantam, hoc est, plebem, grauiter adflicta, & tamẽ nihilo eos melior reddita.

¶ *Plangere* significat nõnunquã in scriptura planctũ insanũ: qui fit, ubi quis præ doloris impatientia suũ ipsius corpus cædit ac dilacerat, Græcè κοπτόμενοι, Matth. 24. cap.

¶ *Plaudere* manibus, est uitæ suæ opera in rectitudine confirmare, Hiob 27. capite. Plaudes

Plaudet super eum in manibus suis. Vnde Apostolus Hebr.12. Remissas manus & dissoluta genua erigere iubet.

¶ *Pignus* est donum spiritus sancti. 2 Cor. 5. Qui dedit nobis pignus spiritus. Pignus debitori reddere, est necessitatem patienti pro uirili succurrere, & perturbatum ex egestate non amplius perturbare, Ezechielis 18 cap.

¶ *Plenus* pro digno & iusto, Geneseos 23 cap. In pecunia plena dabit mihi. Septuagin. τῷ ἀξίῳ. Vsurpatur etiam pro precio, pondere & mensura.

Plenũ esse, pro fastidire, uel nulla re indigere. Domini enim est terra & plenitudo eius. Esa. 1. Ad quid mihi multitudo uictimarũ uestrarum, plenus sum, id est, fastidior, &c.

Plenum atqui esse post dominum, id est, obedire & sequi præcepta domini, Deut. 1. cap. Eo quod plenus fuerit post dominum.

Plenus insuper spiritu sancto, Lucæ 1. cap. Hebraismus est, Hebræi enim Implẽdi uerbo utuntur pro dedicandi, sanctificandi ac consecrandi, ubi à prophano usu res separatur, ac segregatur aliquid ad peculiarẽ usum. Segregatus ergo fuit Ioannes ab utero matris ad hoc officij, non ab hominibus quidem, sed à spiritu sancto, quod fides & sedulitas in officio comprobabat.

Plenus dierum, Hiere. 6. Senex cum pleno dierum, hoc loco discimus senectutem nõ ultimã ætatem esse, sed plenitudinẽ dierũ. Plenus enim dierũ Latino sermone depositus seu decrepitus appellat. Et de Abraham Isaac, & Iacob, quod pleni & saturi dierum, &c.

Plenitudo, Deut. 22. Ne sanctifices plenitudinẽ. Plenitudinẽ uocat fructuũ duriorũ. Quẽadmodũ et Lachrymã, fructum liquidorũ. Septuaginta τὸ γέννημα, id est, germen, fructus, uidelicet olei uel uini. Item, pro primitijs & decimis usurpant, Exod. 22 cap. Sanctificari hoc loci pro pollui usurpatur.

Plenitudo uolarum, Leuitici 16 cap. quantum utraq; manu capere poterat de suffitu.

Plenitudo terræ ponitur. 1. Cor. 10 pro omni eo quod est in terra, ex Psalmo 23. quo conuincitur, quod hominis gratia omnia fecerit deus.

Plenitudo temporis, Hebræi statutum & præordinatum siue præfinitum, Gal. 4. At ubi uenit plenitudo temporis, emisit deus filium suum, id est, ubi tempus æterno dei cõsilio præfinitum explebatur.

Plenitudo gentium, omnes qui credituri erant appellat Apostolus Rom. 11 cap. Dionysius Alexandrinus, Plenitudo, hoc est, bona pars seu plures.

Plenitudo gloriæ, modus loquendi, et illi modi nobis familiares nobis faciendi. Illud enim gloriæ Plenum uocant, quandoq; undiq; deus cantatur, prędicatur, dicitur. Perinde ac si de Alexandro uel Iulio Cæsare diceretur: Vniuersus mundus illos præduros uiribus Heroes commendat, ac rerũ eorum præclare gestarum præconia undiq; gentium sonuere. Sic Esaias de regno Christi loquitur cap. 11. Plena est terra cognitione domini. Numer. 14. Viuo ego, omnis terra gloria mea replebitur, id est, Vos tentatis, ut dehonoretis me. Ego uerò exhibebo me uobis, sicq; uos inuadam, ut mundus gloria mea repleatur, hoc est, ut lauder, dicar, prędicer, honorer, ubi audierint, quid fecerim uobis, quẽ adeo uos tentatis. Sic Abacuc cap. 1. Replebitur terra cognitione gloriæ meæ, &c.

Pleni estis dilectione, Rom. 15. cap. Hic uocat Paulus plenos dilectione, quum tamen nemo tam bonus uel doctus sit, cui nihil addi possit. Id quod satis liquet, ex eo quod additur: Valentes inuicem admonere. Ergo non loquitur Paulus de perfecta plenitudine, qualis in Christo uel præcipuis apostolis, sed ea quæ discipulorum.

¶ *Pleophoria*, mẽris dicitur certitudo & indubitata persuasio, puta cum tam certis argumentis fides facta est, ut nihil amplius desideremus, ut Hebr. 11. Accedamus in certitudine fidei, hoc est, per indubitatam fidem. Nam πληροφορῦμαι, est plenissime & compertissime rem scire, unde πληροφορία. Hac uoce usus est & Paulus Colos. 2, πληροφορία, hoc est, certa persuasio, quoties alicui rei sit fides, adeò ut de ipsa nihil dubitemus. 1. Thes. 1. Per certitudinem multam. Pleorophoria est Græcis, certa persuasio, certa fides. Mir allem dem das zu uolkommen hat gehœrt. Sæpe occurrit illa persuasio, siue pleorophoria, Græca dictio illa.

¶ *Pleonexia* dicta est à πλεονέκτειν, hoc est, à plus habendo: cum quis fraudatis cæteris plus occupat quàm iure sibi decidat. Vide Budæum in Commẽ. Græcæ linguæ. Et Luc. 12. usus hac uoce: Videte & cauete, à πλεονεξία. Nam φιλαργυρία, auaricia proprie dicitur, studium scilicet penuriæ, & πλεονεξία amplius quiddam est studium plus corradendi,

quàm par sit. Pleonexia ergo auaritia propriè est, & circumuentio. 2. Cor. 9 cap. Et 2. Thess. 2. Nec per occasionem auaritiæ πλεονεξιας præter alia significat hoc loco fraudare, ui eripere, aut astu extorquere, sibiq; plus uendicare. Hoc non in opibus solum fit, sed in omnibus rebus. Ergo non proprie & semper pertinet ad auariciam, sed ad fraudem, qua cum iniuria occupamus plusquàm par sit, quicquid proximorũ est, Pleonexia ergo usurpatio dici potest, occupatio, fraudatio, extorsio, circũuentio, Etvvas an sich bringẽ mit vnrecht, quo modo id fiat. Hæc uox familiaris est Paulo & Biblijs, ut Rom. 1. cap.

¶ *Plumbum* est grauitas peccati uel suppliciorũ. Zachariæ 5. Et ecce talentum plumbi portabatur, & hæc mulier unà habitãs in medio Æpho.

¶ *Pluratiui* usus honoris causa & loco utuntur Hebræi. Hinc Deos plurali numero, nõ aliter quàm Græci & Latini Deum unũ, multo sæpius quàm singulariter appellãt. Plurali numero itaq; Hebræi pro singulari sępissime utuntur, præsertim dum augere rẽ uolunt & magnificare. Vnde & Deũ plurali numero uocant, ut cernere licet in literis sacris. 2 Cor. 1. Hebr. 11 cap. De quo tropo & suprà in litera N, mentionem fecimus.

¶ *Pluuiæ* nomine Hebræi terrenam fertilitatem intelligunt, ut Zachariæ 10. Petite à domino pluuiam. Quasi dicat: Si petieritis pluuiã ueniet quocunq; tempore, quo opus fuerit, maximè tempore serotino, id est, quando fruges incipiũt matureścere & turgescere in spica. At nos de spirituali pluuia, cœlestia colloquia accipimus quam nobis plurunt prophetæ & apostoli.

Pluuia, est inundatio persequutionum & aduersitatũ crucis, ut est illud quod Christus de Pluuia, in domum male sitã in arena, scilicet constructam descendente dicit.

Pluuia interdum pro doctrina, Esaiæ 5. cap. Et mandabo, inquit nubibus, ne pluant super eam pluuiam. Sic & alibi per Pluuias, prædicantitum dicta signari, Deut. 32. Per Mosen dicitur: Expectetur sicut pluuia eloquium meum.

Hinc Pluuiã uoluntariã, seu Ros uoluntarĩ, emissi uerbi donũ uocat scriptura, hoc est, largã & abundantẽ Psal. 68. Pluuiã uoluntariã segregabit deus. De tollenda à Iudeis doctrina uaticinatur Esaias. Quia sicut Pluuia irrigat terram, ut proferat fructum: sic doctrina hominem irrigat, ut iusticiam operetur. Item, pro abundanti & larga pluuia. Pluit dominus à domino de cœlo, Gen. 19. Hebraismus est, pro dominus pluit de cœlo. Pluuia matutina seu tempestiua in scripturis dicitur, quæ prima uenit in tempore sationis & in tempore crescendi. Hoc est, Temporaneum, matutinam seu tempestiuam pluuiam uocat scriptura, quæ decidit semente facta, germinationis causa.

Pluuia serotina uerò dicitur, omnis pluuia quæ postea uenit, quando fruges & fructus terræ matureścunt, hoc est, quæ decidere solet in Martio, quum iam grandior est seges. Pluuia igitur matutina, & pluuia serotina non dicuntur de tempore diei, Deuteronom. undecimo capite.

¶ *Poculum* pro uindicta, Psal. 10. Et spiritus procellarum pars poculi eorum. Poculũ ira dei animaduertentis in peccata nostra. Poculum Christi eius in lege, & in prophetis. 1. Petri 1. denunciatum. Frequens est mentio Poculi & calicis, in sacris literis, quo significant adflictionem, calamitates, clades, strages&c.

Poculum bibere, est perferre malum, adfligi & cruciari, ut in uerbo Bibere, auditũ est. Matth. 20. cap. Symbolum est passionis.

¶ *Podera* uestis talaris linea & candida, qua puritas & innocẽtia sacerdotalis et Christi regis uictoria designatur, Apocalyp. 1. cap.

¶ *Polluere*, pro despicere. Malachiæ. 1. cap. Et dicitis in quo polluimus te.

Polluere nomen dei, est falso iurare per nomen eius. Leuitici 19 cap. Nec pollues nomen domini dei tui. Et 20 cap. Leuitici, Ne polluatis nomen meum sanctum. Id est, Videte ne nomen meum male audiat propter uos in plebe, &c. Item, Polluere nomen domini, est non sentire de illo in bonitate, non credere, non amare, non summum bonum scire & uenerari, Ezech. 20. Pollutum autem est, et quicquid nõ simpliciter ex fide Christi & gratuita gratia pendet, Esaiæ 52. cap. Pollutum nolite tangere.

Polluere se in pecore, Hebraismus est, pro, Ne polluatis uos, comedendo pecora & aues impuras, Leuit. 20 cap. Ne polluatis animas uestras in pecore, &c.

¶ *Ponendi* uerbo Hebrçi diuersimode utuntur. Interdũ per transumptionẽ pro exitẽdi, & faciẽdi uerbis mutuo utuntur, Esa. 25. Quia posuisti ciuitatẽ in tumulum, urbem fortem in ruinam. Item ponere pro dare et facere, Exod. 4 cap. Quis posuit os hominis.

Septua-

Septuaginta, ἔδωκεν: id est, dedit, Mich. 1. Et ponã Somrom in aceruum campi. Genes. 1. capite Et dedit eos deus in firmamento cœli, Septuaginta ἔθετο, id est, posuit. Hier. 1. Et uenient & dabũt unusquisq; soliũ suum in ostio portarũ Hierusalẽ. Septuaginta, θήσουσιν Id est, ponent. Iosue 7. Fili mi pone obsecro gloriã deo domino Israel. Septuaginta δὸς, id est, da. Psal. 66. Date gloriam laudi eius, uel: Ponite gloriam laudis. Item ponere pro ædificare. Gen. 6. cap. Et ostium ipsius arcæ in latere eius pones: id est, ædifices. Posuitq; immania templa. Item, pro sepelire. Marc. 13. Et posuit eum in monumento. Item, pro apponere, 4. Reg. 6. cap. Pone panem & aquam coram eis. Martialis ad Ligurinum lib. 5. Nolo mihi ponas Rhombum. Item, pro parare & ordinare. 3. Regum 20. Ponite, & posuerunt contra ciuitatem.

Ponere uultum seu faciẽ, aut obfirmare, nihil aliud significat apud Hebræos quàm inconstanter siue firmiter statuere. Hier. 43. Qui posuerũt (habent Hebraica) uultũ suũ ad proficiscendum in Ægyptum. Et in bono ac malo ponitur. Lucæ 9. cap. In bonam partem accipitur: Ipse faciem suam firmauerat, ut iret Hierosolymam, sed Hierem. addu ctio ap. in malam. Perhibent enim Physiognomi firmitatem aut inconstantiã in uultu deprehendi. Est autem non simplex, sed symbolica loquutio illud in 43. Hier. Et Latini cum perfricta fronte dicunt symbolice μετωπιάζειν.

Ponere faciem suam ad montẽ. Gen. 31. cap. Posuit faciem suam ad montem Gilead Idem est cum illo adducto loco, Luc. 9. Quia facies eius erat cũtis Hierusalẽ. Et 4. Re. 12. Quo enim ituri sumus, eò primum faciem intendimus.

Ponere sibi nomen: hoc est, ad opinionem aliquam aspirare: 2. Reg. 3. Posuerunt super me uultus suos omnis Israel. Noster Interpres sic: Me proposuerat omnis Israel in regione. 3. Reg. 12.

Ponere sanguinem domui suæ. Deuteron. 22. Quod est acsi dixeris, sua culpa fit, cur suis in ædibus homicidiũ cõmittatur. Noster interpres sic. Ne effundatur sanguis domi tuæ. 3. Reg. 2. cap.

Ponere uerba in ore uulgi: hoc est, diligenter inculcare. Deut. 23 & 31. Posuitq; uerbũ in ore eius: Id est, suggessisset illi quod loqueretur, siue respõderet.

Ponere uerba in corde: id est, memoria tenere. Deut. 11. Et apud Lucam uigesimo primo: Ponite igitur in cordibus uestris: Id est, inducite uobis ipsis in animos uestros. Et apud eũdem cap. 9. Ponite, seu accipite uos in auribus uestris, seu in uestras aures sermones istos. Idem uult: Auscultate diligenter, quod modo uobis dicturus sum, & reponite in mentes uestras, fidelissimæ memoriæ.

Ponere signa, pro signa facere, sic & signa dare, pro ponere, passim occurrit in Exodo.

Ponere in opprobrium, pro exponere opprobrio. 1. Regum 11. cap. Ponam uos opprobrium: uel, faciam uos ignominiosos ac infames.

Ponere in ore canticum: hoc est, ut memoriter teneant, & ore decãtent. Deut. 31. cap.

Ponere peccatum super aliquem, est imputare alicui peccatum. Num. 12. cap. Ne imponas nobis peccatum, quod stulte cõmisimus. Quasi dicat, Fateor nos peccasse, quare ignosce nobis.

Ponam te in gentibus, Hebraismus est. Gen. 17. Faciam ut ex te gentes multæ nascantur. Ponere oculos suos super aliquem, pro, ut uideam illum. Gen. 44. Vel: idem est quod curam eius agam, & obseruare diligenter, & curam diligentem habere.

Ponere manum, est iurare. Iurabant autem patres, manu sub fœmore posita, quod illic in locis genitalibus esset signum sacrum diuini fœderis Gen. 47.

Ponere manum super aliquem, est alicui insignia dare. Num. 27. Pone manum tuã super eum, ut scilicet ita uidearis illum constituere principem populi dei. Apostolus ad Tim. etiam hoc idiotismo usus est, pro conseruare & populo dei præficere.

Ponere in manum, est autoritatem dare, & facere facultatem. Exod. 4. Quæ posui in manu tua, ut facias coram Pharaone.

Ponere manum super os, est non audere loqui, Mich. 7. Ponent manum suam super os, & aures eorum surdæ erunt.

Ponere ad hæc domos in latrinas, uulgaris sermo fuit apud Hebræos. Idem ualet quod sterquilinio oblini ac desolari, exterminari, extirpare. Dan. 2. Facietis uos in fruta fieri, & domus uestræ in latrinas ponentur. Et. 3. cap.

Ponere os suum ad terram. Prouerbium esse apparet ex Thren. 3. Hier. pro humi-

lia loqui, non esse fastuosum, non magnifica tonare. Confine est superiori: Ponere super os manum.

Ponere solium, loquutio est Hebraica, & idem quod exercere potẽtiam. Hac loquutione usus est Hieremias cap. 49. in malam partem, dicit: Ponam solium meum in Elam. hoc est, potentiam meam exercebo in Elamitas.

Ponere in gratiam & miserationes, est facere gratiosum, commiserationeq; dignum, quem beneficijs plurimis demeremur, sicut in Psalmis nonnunquam uidere est. Dan. 1. Posuit deus Danielem in gratiam & miserationes.

Ponere cor super uiam, ut Haggæi 1. cap. est alacriter aggredi opus iniunctum, & alacri corde perficere.

Ponere cor, idem est quod considerare. Hiob 2. Nunquid posuisti cor tuum super seruum meum Iob. Interdum secum firmiter statuere.

Ponere in uel super Cor, est animaduertere & intelligere. 1. Sam. 4. cap. Et non respondet, & non posuit in cor. Quod est, non uelle intelligere. Malach. 1. cap.

Ponere uerba in os, est docere, erudire & instruere, Exod. 4. Et posui uerba in os tuũ.

Ponere in aurem, est quoq; instruere & docere. Exod. Et pone in auribus Iosua. Luc. 9. Accipite uos auribus uestris, sermones istos. uel, ponite in aures uestras. Id enim uult. Auscultate diligenter quod modo uobis dicturus sum, & reponite in mentes uestras, ne excidat unquam, sed inhæreat perpetuo memoriæ fidissimæ.

Ponere iudicium ad funiculum, est rem adamussim perpendere. Esa. 28. Et ponam iudicium ad funiculum. Septuaginta, Ponam iudicium in spem.

Ponere manum, est interdum promittere, seu pactum facere. Exod. 23. Ne pones manum tuam cum impio. Septuaginta, Non apponeris cum impio.

Ponere os in puluerem, est submisse loqui, de se submisse sentire, in terra repere. Superiori tropo cõiunctum esse quis non uidet? Ponere os in terram. Hier. Thren. 3. Nam Puluis sæpe pro terra, & è contrà. Et dare, pro ponere.

Ponere filios, pro quo interpres noster, parere filios. Esa. 10. cap.

Ponere nomen Abram Abraham, id est, indere uiro illi tale nomen, Nehemiæ 9.

Ponere animam in manibus: hoc est, animæ prodigus de uita periclitari & periculis uitam exponere. Iudicum 12. 1. Reg. 19. & 28. 1. Paralip. 11. cap.

Ponere super hoc, ubi noster Interpres, Ferre sententiam in commune. alij, deliberate, Iudic. 19. Ponere scabellum sub pedes, est damnare, ut Psal. 109.

Ponere legem, est docere, Hier. 31. Et ponam seu dabo legem meam.

Ponere circulum seu uncinum in auribus, est furorem compescere, & à conatu retrahere. 4. Reg. 19. cap.

Ponere salutem, non simpliciter est ad tempus, præsenti sumere necessitati, sed firmã & continuam salutem, ad futurum etiam sese extendentem constituere ac firmare. Psal. 12. Feram uel ponam salutem.

¶ *Pontificis* appellatione totum sacerdotij genus uenit, ut in epistola ad Hebræos uidere licet. Nam Paulus totum ordinem sacerdotalem eo uocabulo plerunq; complectitur: quanquam & suo in loco pro summo duntaxat usurpet, Hebr. 5. cap.

¶ *Populi dei* nomine intelligimus omnes eos, qui deo ex Iudæis & gentibus nomina dederunt, imò et sese totos dediderunt. Hebr. 4. cap. Relinquitur itaq; requies populo dei. Populus acquisitionis. 1. Pet. 2. cap. tropo Hebraico, pro populo parto siue acquisito: nimirũ sanguine Christi. Ein erarnet volck. Populus peculij, qui propius ἐκκλησίαν & acquisitus dicitur,

Populus terræ, idem quod uulgus, plebs. Leuit. 4. De populo terræ.

Populus autem sempiternus Hebræis, sunt angeli & stellæ, quorum duratio sempiterna, eo quod mutabilitati non sunt obnoxij.

Populus denicq; in tenebris ambulans, populus gentilium est, destitutus luce ueritatis, & in tam crassis agens tenebris, & habitare in umbra mortis, & inter mortuos computatur. Et quæ sunt tenebræ illæ ac lux, indicat Apostolus. Rom. 15. Nox recessit & dies appropinquat.

Populus Christianus, dei mons dicitur manifeste, Hebræorũ 12. Accessistis ad mõtem dei. Et Christus lapis à monte sine manibus præcisus. Dan. 2. cap.

Populus duplex, Vetus & Nouus. Populus nouus dicitur ac populus dei: nimirum dilecti dei & noui hoĩs: id est, filij dei in Christo per spiritũ sanctũ renati: quos & deus ipse æter-

ipſe æterna hæreditate poſſidet, ut peculium ſuum, ſicut è regione populus uetus, dicuntur iuſticiarij, qui ſpecie ſanctitatis falſi, iuſtitiam Chriſti non eſuriunt.

Ante Populum exire & intrare, & educere, uel introducere. Num. 27. cap. Id eſt, qui præſit illis in omnibus, regat & gubernet eos in omnibus rebus agendis: qui deducat eos ad bellum, & reducat ad urbem.

Populum ſuum ire, eſt mori, Num. 27. Ad Populum ſuum congregari, colligi, uel ire aut pergere, idem ſunt.

De Populo ſuo excidi, eſt ſeparari à congregatione. Leuit. 4. Excidetur de populis ſuis. Eadē forma Perire de populo ſuo. Leuit. 17. Interibit de populo ſuo: id eſt, nō cenſebitur, nō numerabitur inter populares ſuos. Et Leuit. 18. Vide ſuprà Perire.

Inter Populos erit. Gen. 48. Id eſt, multi populi orientur ex eo. Populis ſuis addi & colligi, idem cum ſuperiori, quod eſt ſepeliri & mori.

Populus in malo eſt, pro malus eſt. Exod. 32. 1. Sic Ioan. 5. cap. 1. Mundus in malo poſitus: hoc eſt, uere malus eſt.

Populi porrò pro Iudæis. Pſal. 2. Populi meditati ſunt inania, hoc eſt Iudæi: nimirum tali elogio in ſcripturis ferè omnibus antiquis appellati, Laudate, inquit, domini omnes gētes: Laudate eū omnes populi. Nonnunquā Populus pro gente. Pſalm. 95. Quia omnes alij populorum dæmonia. Septuaginta, τῶν ἐθνῶν, Item, pro principe, Daniel. 3. Vocis diciturpopulis, tribubus & linguis. Quādoq; Populi nomine exprimuntur, qui quaſi uulgari conſuetudine dediti, in cunctis quæ appetūt paſſim uiuunt. Hiob 36. Ne protrahas noctem, ut aſcendant populi pro eis.

Portare, eſt tolerare, (iuxta ſententiam Baſilij Magni) & curare, ſecundum quod ſcriptū eſt: Ipſe infirmitates noſtras tulit, & ægritudines noſtras portauit. Nō q̄ ipſe in ſemetipſum ſuſciperet infirmitates, ſed q̄ abſtulit eas ab ijs quibus erant, & curauit eos. & ego ipſe audire memini.

Portare autem pro auferre & exportare, conſuetudo eſt è ritu prouinciali ū dici, ſicut Portare ſuum iudiciū, peccatū, ſuam iniquitatē, ſuum onus, quo ſignificatur damnatio eorū. Leuit. 5. Galat. 5. hoc eſt, pœnam, quam peccato commeruit, ſic ait Paulus: Qui autem nos conturbat. id eſt, deijcit ac deturbat à ſtatu in quo ſtatis, portabit ſuum iudicium: id eſt, damnationem ſuam accipiet, Num. 10. Portare peccatum ſuum: Id eſt, dabit pœnas pro peccato ſuo. Leuit. 19. pro dabit pœnas iniquitatis ſuæ, & punietur à deo, etiamſi lateat id perpetuo homines. Hic iniquitas pro pœna ponit, ſed hi qui ſunt in Chriſto, non portant onus ſuum, ſed ut Eſa. 51. cap. dicit: Lāguores noſtros ipſe tulit. Pſal. 37. Quoniam iniquitates meæ, &c.

Portare atqui pro cōſeruare: nam Chriſtus deus omnia cōſeruat & omnia enutrit: ſic quod non ſolum omnia per ipſum creata ſunt, ſed quod etiam in eo ſeruētur, ut ad Hebræos. 1. cap. Portans omnia uerbo. Vnde Deut. 32. ſicut aquila prouocans, &c. Et Num. 11. capite. Et cur non impoſuiſti pondus uniuerſi populi ſuper me, ut dicas mihi Porta in ſinu tuo.

Portare ſuper alas aquilarum, Exod. 19. Et portaui uos ſuper alas aquilarū: hoc eſt, ſpedite & cito. Rabbi Salomon ait, cōſuetudinē eſſe aquilæ, ut pullos ſuos de loco ad locū ſuper alas portet, ut ipſi ſagitta ſurſum emiſſa feriantur.

¶ Portæ, in ſcripturis aliquādo dicuntur loca publica, conuentus populi, ubi uel iudicia uel cōciones aliæ agebantur. Vnde Portæ ,,p cōgregationibus & eccleſiis accipiūtur. Nam olim in Portis publica fora & conuitia habita ſunt. Gen. 34. Et uenit Hamor & Sichem filius eius ad portam ciuitatis eorum, & locuti ſunt ad ciues. Hinc & Porta pro ciuitate, urbe, eiusq; adminiſtratione & poteſtate interdum ponitur. Deut. 16. 17. 22. 29. pro urbib⁹. Ruth. 3. Omnis porta ,,p tota urbe per ſynecdochē. Hebræi enim per Portas ciuitates, & omnē munitionem intelligūt ſynecdochicos. Hinc nimirū quod circa portas omnia ſunt munitiſſima, & omnis urbium uis & munitio.

In Portis exercebantur iudicia, fori audiebantur accuſationes & eorum defectiones. Portæ ergo metaphorice accipiuntur pro ſumma & maxima ui ac poteſtate: item pro accuſatione ualida & damnatione certa. Huc reſpexit Chriſtus quum ait Matth. decimoſexto: Portæ inferorum non præualebunt, &c. Id eſt, omnes munitiones, machinæ, artes, omne robur, omne munimentum. Per Inferos omnem uim contrariam & ſatanicam, omnem hoſtis impetum intellige, &c. Eſaiæ 28. & 29. capite: Monitorem

quæ

qua porta ſedet. Qui in porta ſedent, ij ſunt qui iudicia exercent, aut ius dicunt, quæ illis in porta fiebant, ſicut in lege eius præceptum fuerat. Deut. 5. Et Gen. 22. Poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum, id eſt, ciuitates.

Portæ pro iudicijs. Iob 31. accipit: Quum egrederer ad portas. Item Portæ, Parietes etiam priuatos ſignificant: id eſt, domos, uillas & pagos. Deut. 12. Portæ pro ponte, Nahum 2. Portæ fluminum apertæ ſunt.

Porta, pro curia ſenatorum, & in qua erant ſenatores, Deut. 25. Portas porrò ciuitatis ingredi, idem quod urbem colere. Sic omnes qui ingrediuntur portas ciuitatis, Hebraiſmus eſt: id eſt, Omnes qui in ciuitate habitãt, omnes ciues. Gen. 21. & 24. Egredientes portam ciuitatis eius: id eſt, urbis eius ciues.

Portas inimicorum ſuorum poſſidere. Gen. 22. pro hoſtibus ſuis erunt ſuperiores. Portas inimicorum: id eſt propugnacula quæ in portis eſſe ſolent. Et cap. eodem poſſidere portas inimicorũ: hoc eſt, ſint inimicis ſuperiores inter portas tuas, Deut. 12. Id eſt, in quacunq; urbe habitaueris, ubicunq; locorum fueris. Ad portam aſcendere, loquutione Hebraica, eſt ire in forum, ſeu ad tribunal, ad iudices, Deut. 24.

Porta domini, eſt miſericordia domini. Pſalm. 117. Hæc eſt porta domini, & iuſti intrabunt in eam.

Portæ filiæ Zion, ſunt congregationes piorũ, qui cõgregantur in uerbo dei. Vbi ſunt conciones & doctrinæ ueritatis dei, & quicquid ducit ad uitã portæ filiæ Zion dicuntur quæ ſunt anguſtæ ſecundum euangelium. Latæ uerò, quæ ad mortem ducunt, Pſal. 9. Vt annunciem omnes laudationes tuas in portis filiæ Zion. Pſalm. 87.

Portæ uerò mortis ſunt, iudicia mortis intentata pijs, uitia ſeu peccata, quibus proximi ducitur ad mortem, & cõſilia impiorũ, conuenticula ſatanæ, doctrinæ falſitatis, & omnia quid ducit ad mortem, ut eſt deſperatio, &c.

Portæ mortis interdum idem eſt, quod ingreſſus inferorum, quæ aliàs & Ciuitas mortis appellatur, Pſal. 107. Dicit eos accedere ad portas mortis, ad ingreſſum inferorum. Vrgentis mortis periculum uocat. Hæc eſt, Porta mortis: id eſt, introitus mortis, ſeu mors inſtans & urgens, quam apoſtolus reſponſum mortis in ſe ipſo uidetur appellare. 2. Cor. 11. Pſalm. 9. Qui exaltas me de portis mortis. Porta mortis dicuntur quoq; ſpecus ſubterranei, eo quod nihil ibi præter caliginẽ & tenebras, quo ſolis radij nõ admittuntur. Iob 38. Nunquid reuelatæ ſunt tibi Portæ mortis.

Porta iuſtitiæ, eſt opus omne uirtutis, Pſal. 117. Aperite mihi portas iuſtitiæ: id eſt deus gratiam, ut iuſtitia dei manifeſta fiat in mundo, quæ adhuc tenetur intra portas & ciuitates tenebrarum. Vel per portas iuſtitiæ, ſcriptura templum & inde cœtum ſanctorum, in quem uere & coram deo cõueniunt iuſti, Pſal. 118. intelligit. Portæ iuſtitiæ ſunt. nouum Teſtamentum, & Euangelium gratiæ, Eſa. 62.

Portam deſolatam eſſe, pro eo quod eſt, nullum iudicium eſſe. Hier. 4.

Portæ aquarũ. Iob 38. littora ſunt: Et quis, inquit, & quis præſepſit portas. Portæ hic dicũtur, nõ quod apertæ, ſed quod clauſæ ſunt, & ſic littora portæ ſunt.

¶ *Porcus*, impuriſſimorũ hominũ imaginem refert, qui ſeſe totos obſcœnis immerſerunt uoluptatibus, mores ac ingenium utiq; nobis exhibet: & non ſolũ Iudæis tantum, ſed Gentibus quoq; nonnullis immundi ſunt habiti ſues, ſuem enim Ægyptij. Herodoto teſte, adeò ſpurcam dicebant beluam, ut ſi quis uel tranſiens contigiſſet, cõtinuo properaret ad flumen ſe pariter ac ueſtem abluturus. Subulcos in templa non recipiebant. Et ſues ſtercoribus & uolutabris cœni magis delectãtur, quàm margaritis cãdidis. Mat. 7. Et 2. Pet. 2. Et ſus lota, reuerſa ad uolutabrũ cœni. Porci ſunt ſubſannatores. Pro. uerb. 9. Qui erudit deriſorem ipſe facit ſibi iniuriam.

¶ *Portiones*, ſignificatio pro agro & poſſeſſione. Pſal. 141. Portio mea, uel pars mea in terra uiuentium. Pſal. 19. Pars ſeu Portio calicis eorum: id eſt, ſors & poſſeſſio. Videtur prà in nomine Pars.

¶ *Poſſe*, pro habere, Hier. 2. Quæ non potuerunt aquas, &c. Id eſt, habere. Poſſe pro uelle. Matth. 9. cap. Qui poteſt capere capiat: id eſt, qui uult amplecti, ad uitæ inſtitutum, quo ſe caſtret propter regnum dei, amplectatur ipſum, Marc. 6. Non potuit multa uirtutem, Non potuit: id eſt non uoluit, quod in ſcripturis, & Germanica non inferquens eſt, Der moch mir den dienſt nit thun, der mocht mir das gelt nit lyhen: id eſt, non uoluit. Ioannis duodecimo cap. Non poſſunt credere, idem eſt ac ſi diceret, Non uo-

Non uoluerunt credere. Sic enim mos est loquendi. Non possum, inquit aliquis, hominem istum diligere: id est, non uolo. Non potuerunt filij Israel Chananeum eijcere: id est, noluerunt, propter ignominam scilicet & socordiam aut metũ. Ioan. 7. Non potest mundus uos odio habere.

Posteriora per priora.

Hebræis hoc frequens, ut posteriora per priora intelligant, ut altero uerbo pro altero utatur, Gen. 15. Et lampadis ignis transiens inter diuisiones illas. Ponitur ergo hic transeunt, pro assumpsit. Nam quid alioqui ignis fecisset? Dabo terram: hoc est, promisi hanc terram patribus tuis daturum, id est, præstabo, statuam, & confirmabo, quod pollicitus sum. Tam firma, tam certa & indubitata, seu promissa, seu mandata, ut sacra scriptura per Præterita, loquatur quæ futura sunt, & è contra: quod deus nec fallere, nec mentiri potest.

Posterora dei, seu filij dei, eius incarnatio accipitur, quæ extremo tempore ob redemptionem humani generis facta est. de qua posteriori parte dei in monte Sinai ad Moysen per angelũ ait: Posteriora mea uidebis, faciẽ autem meã uidere non poteris. Ac si diceret, incarnationem meam uidebis, diuinitatem meam uidere non poteris.

¶ *Possessuo* uno, Latini ad multa subiecta contenti sunt, ut: Argento meo, uesti, supellectili, libris, &c. manum iniecit. Hebræi lucis gratia, interim addunt ad omne subiectum, ubertatem Asiæ suæ seruientes, interim parsimoniam Latinorum hac in re obseruant. Hieron. eum morem sequutus, dixit in Esaiæ 1. Calendas uestras & solẽnitates uestras, & sublata uestra non ferunt. Id quoq; contemnendum non est, quod hæ locutiones: Feria secunda, &c. Latinis commercio Hebræorum irrepserunt, &c. De quibus locutionibus suprà in Litera F. disseruimus.

¶ *Posteritas*, pro cognatione, Psalm. 73. Et dixerunt in cordibus suis posteri eorum simul. Septuaginta συγγενεας: id est cognationes.

¶ *Possidere*, pro acquirere, comparare, Prouer. 1. Posside sapientiam, posside intelligentiam. Item, pro rem habere. Deut. 24. Quum acceperit uir uxorẽ, & possederit eam.

¶ *Post dies*, Gen. 4. cap. Post multos dies, uel à fine dierũ, id est, post aliquot annos. Dies enim pro annis hoc loco accipiuntur.

Post eum: id est eo mortuo. Exodi 29. Post eum. Post hæc uerba, pro his transactis. Genesis 15. His itaque transactis. Hebraismus: Post hæc uerba. Post uos, Genes. 9. Id est, uobis uita functis.

Post me ueni, idiotismus Hebræus est, pro eo quod cap. 9. & alibi habetur ἀκολούθει μοι: id est, consectare me, sicut Hieremiæ tertio, Patrem uocabis me: id est post me deflectes, quod perinde est, ac me sectaberis. Ita Hos. 11. capite: Post deum ambulant, Matthæi, 3. 4. Veni post me.

¶ *Potare* Hebræis est deuorare, alijs sua rapere, spoliare, ad se trahere, simili forma Bibere tantum illis significat, quantũ alijs spoliare, deuorare, opprimere, ut Abac. 1. clarè apparet. Nam Nabuchodonosor, ingentẽ bibulũ arguit & culpat, ut qui omnes terras bibebat, omnia aduocat in hamum suum, omnia regna deuoret, expilet, subigat princeps, congreget eos in sagenam suam. Denicq; omnia ad se uelut Cæcias (ut in adagio uulgari est) nubes attrahat, sic & Christus de Pharisæis Matth. 23. ait, quod uiduarum ædes deuorent, sed & in Iob idem uerborum usus est.

Potare atqui aqua felle infecta, parabolicus sermo est, pro adfligere, misere adficere: quo ramen impense utantur Hebræi, Hier. 7. Potant nos aqua felle infecta.

¶ *Potestatis* uocabulo usus est Ioannes cap. 1. Quotquot autẽ receperunt ipsum, dedit eis potestatẽ, ut filij dei fierent. Est enim liberalis dei munificentia obseruanda in uocabulo potestatis. Quia enim filij dei efficimur, atq; ideo dñi & hæredes omnium rerum ideo potestatis meminit. Potestas tenebrarum, Potestas satanæ est, quod nihil aliud est, quàm seruire peccatis: nempe in denssissimis ignorantiæ tenebris, in idololatria, in contemptu numinis, in impietate, in sceleribus atq; nefarijs flagitijs. Colos. 1. cap. Potestates in Ecclesia. 1. Cor. 12. intelligamus eos, qui cõstituti sunt in imperio, adeoq; ipsum magistratum, quem in ecclesia, imò & ecclesiæ necessariũ esse, cap. 5. Esa, comparare potest. Plericq; exponũt hunc locũ ad Corinth. uim coercendi dæmonas.

Potestatis nomen denicq; pro petulantia accipit Paulus. 1. Cor. 8. Videte autẽ ne quo modo potestatis offendiculo sit ijs, qui infirmi sunt.

Prauitas

¶ *Prauitas* est, quæ Ebræis uerbo עקש significatur, omnino tale quid est, quod ex primi nequeat clare, ut in se est עקש per se significat incuruum, distortũ, gibbosum, nõ eodem tenore, tractuq; sed plane nũc illo, nunc alio auersum ac reuersum. Atq; hinc per metaphorã trahitur ad humani cordis prauitatẽ, Esa. 42. Vbi pollicet dominus populo suo omnia se complanaturũ, id est, prospera & secũda redditurũ, inter alia dicit, Incurua ac distorta in planiciem. Et Mich. 5. Quicquid rectũ ac planum est peruerterunt, id est, distortum ac incuruũ reddiderunt. Ergo Prauitas ista impiorum est subdola, astuta, incurua, ac miris modis peruersa quædam iniquitas & malicia. Ista Prauitas, nunquã satis agnoscitur. Est enim non simplex quædam iniquitas, sed multiplex & uaria, deinde subdola et occulta. Iuxta illud: Prauum est cor hominis et inscrutabile, quis cognoscet illud? Mat. 16. Natio praua & adultera. Et cap. 12. Generatio praua & aduletra. Praua in Græco est πονηρὰ, qua dictione nõ uulgaris notatur malicia, sed singularis quædã improbitas & prauitas: ingeniũ uidelicet summe prauũ, & quasi natũ ad omne genus maliciæ. Sic Sathan uocat πονηρός. Et in Ebr. Deut. 32 nõ est simpliciter sed עקש id est, prauus et peruersus.

¶ *Præceptum* pro iusticia, Deut. 4. Et nunc Israel audi. &c. Et Ioan. 15. Hoc est præceptum meum, ut diligatis inuicem, hoc est, dilectio est iustitia mea. Si iusticiam meã implere animus est, amore inuicem complectemini.

Præcepta dei dicũtur quæ dominus præcipit & exequitur iussa sua, Gene. 1. Deus iussit aquis procreare pisces quod mandatũ ipse exequitur: nã ipse creat & facit Ceregrandia. Sic Moses Deut. 10. Circũcidite corda uestra, Deut. 30. Circumcide cor uestrũ. Ezech. 18. Facite uobis cor nouũ. Et 36. Ego dabo uobis cor nouũ. Sic quoq; deus executor præceptorum suorum in nobis. Ezech. 36. Ego spiritum meum ponã in medio uestri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis. Proinde non sequitur nostrarum esse uiriũ, præcepta dei implere, quia passim præcipit: Custodite omnia præcepta mea, & uniuersa iudicia & facite ea, Leuit. 19 cap. Deut. 32. cap. Inde D. Augustinus non semel in Confessionibus suis: Dã domine quod iubes, & iube quid uis.

¶ *Præcipere*, pro inangurari & confirmare, gratum facere, Ezech. 18. Si uerbum hoc sceleris, & præcipiet tibi deus & poteris stare.

Præcipere alicui, est alicui dare præcepta, Deut. 31. Et præcepta illi. Id est, dabo ei aliquot præcepta. Præcepta constituere populo, Exod. 15. cap. Et statutum & iudiciũ scilicet Israeli. Id est, illic deus tulit Israelitis aliquot leges. Præcepta alicui dare, est docere aliquẽ quid agere debeat. Numer. 28. Dabis ei præcepta.

Præcipiendi uerbo usus est Paulus 2 Thess. 3. Præcipimus autem uobis fratres. Significat propriè, Angeben, vorsagen mit einem befelch vnd gheyss. Latinis Præcipere. Nã Prçcipere non significat gebieten, imperare, sed heyssen, uel vormelden, ut prçceptor facit pueris. Græci & Latini distinctas habent uoces seu dictiones, legem ponere, imperare, præcipere.

Præcipere domui, est conficere testamentum de secularibus negocijs, quo minus post obitum lites emergant ob relictas diuitias, & possessionum iura, Esaiæ trigesimoseptimo, de rege Ezechia.

¶ *Præcipitantes* dicuntur in scriptura Insipientes, stulti, accelerantes, qui absq; industria & consilio temerè agunt omnia, Esaiæ 32. Cor præcipitantium tuum, &c. Præceps corde autem, pro pusillamini, Esaiæ 38. Dicite ad eos qui precipites sunt corde. Septuaginta, Pusillamines mente.

¶ *Preciosus* pro honorabili, Psal. 71. Et preciosus erit sanguis eorum in oculis eorum. Item Preciosus pro raro. 1. Samuelis 3 cap. Et uerbum domini fuit preciosum temporibus illis. Omne siquidem rarum preciosum est, Esaiæ 13. Preciosior erit uir auro, & homo auro decorato Ophir.

¶ *Prædestinatio*, *Propositum*, Ephe. 1. cap. Prædestinati secundum propositũ. Inter Prædestinationem & Propositum hoc discrimen est, προορισμὸς alicuius rei, multo ante in mente eius, qui destinat quod futurum est præfigurat, πρόθεσις autem quum iam uicinam machinatio, & penè cogitationem sequitur effectus. Hæc Hieronymus.

¶ *Prædicare* Latinis, quemadmodũ & κηρύττειν Græcis est, rem aliquã collaudare, celebrare, multisq; & palam apud omnes cõmendare, Matth. 9. scribit Christũ circuisse, prædicasse Euangeliũ regni dei. Nihil aliud dicit quàm illam eam gratiã regni dei, quę tum offerebatur, reconciliationẽ humani generis, & restaurationem omniũ plenis buccis & magno

magno ſpiritu apud omnes celebraſſe, laudaſſe & commẽdaſſe. Et Mat. 10. Profecti autem prædicate, dicentes, &c. hoc eſt, celebrate, collaudate, &c.

¶ *Præmium* pro gratia. Matthæi 5. capite: *Si enim dilexeritis eos, qui uos diligunt, quod præmium habetis?*

¶ *Præputium* uocat Paulus gẽtes præputiatas & incircũciſas. Euãgeliũ Præputij. Gal. 2. uocat, quod gentibus annũciatur. Nam peculiare eſt D. Paulo, ut Iudæis circumciſos Circumciſionem & Gẽtes, Præputium. Rom. 4. Circumciſionem Apoſtolus ad Rom. pro omnibus mandatis, quæ in lege comprehenduntur elegantiſſime uſurpat. Fuſius in nomine Circumciſio diſſeruimus. Circumciſio illa exterior corporis, ſignificabat in Iudæis reſecandam illam cordis cæcitatem, ex qua omnes naſcuntur impietates, ſcelera & abominationes.

¶ *Præſens* pro futuro. Ioan. 17. cap. Et iam non ſum in mundo. Loquutio eſt Hebraica: Præſens pro futuro. Et ualet tantũ ac ſi diceret: Iamiã, uel poſthac, nõ ero in mundo.

¶ *Præteritũ* pro præſenti, Hebræis frequẽs & ꝑ priſſim⁹ idiotiſmus eſt, quo præteritũ tpe uſurpat ꝑ prſenti, ut Luc. 1. Magnificat anima mea dominum. Et exultauit, ꝑ exultat. Pſal. 13. Corrupti ſunt, Pſal. 19. Nũc cognoui: id eſt, iam ſcio. Sic Ioan. 15. Clarificatus eſt pater meus: id eſt, clarificatur. Pſal. 13. Dixit inſipiens in corde ſuo, pro dicit, &c.

Præteritũ pro futuro poni peculiare eſt Dauidi in Pſal. ut Pſal. 9. in futuro loquitur: Firmabit, Fugabis, perdes eum. De præteritis, Glorientur & Confitentur, &c.

Prophetæ quoq; mixtim & Præteritis uerbis utũtur, ideo nihil refert in prophetis per Præteritũ legas, ſiue per futurũ, tam enim prædicũtur futura certa, quàm certa ſunt, quæ iam facta ſunt: & apud Prophetas in ſpiritu facta uidentur, quæ adhuc mundo futura ſunt. Pſal. 8. Quoniam eleuata eſt magnificentia, & perfeciſti laudẽ. Et ſtatim: Quoniam uidebo cœlos opa digitorũ tuorũ. Et Pſal. 24. Leuaui oculos meos, &c. Pro leuo animã. Adeò certus eſt ſpiritus, qui in prophetis loquitur, de his quæ prædicit, ac ſi iam facta eſſent. Pſal. 91. Et deſpexit oculus meus in inimicis meis. Quo utrũq; ſignificet, ꝙ ea quæ prophetant, uentura ſecundum tempus, futura ſunt: ſecundum ſcientiã uerò prophetãtium, pro iam factis habenda. Imò nõ tantum propter certitudinem (ut dicunt) prophetiæ, ſed magis propter oſtendendã & docendã fidei naturam, ut Pſal. 9. Cognoui præteritum (quo fides cõmendatur) cum uerbo futuro Exaudi, & (quo opus creditũ ſignificatur) cõponitur, & obſeruatur os loquentiũ iniqua, & ſciant opera dei ſuper uos futura, per fidem eſſe credentibus debere ceu præſentia imò præterita.

¶ *Præteritis imperfectis* & pluſquamperfectis carent, quorũ loco Præteritis pefectis utuntur. Exempla ſunt, Gen. 34. de Dina, quod egreſſa eſt ad filias terræ: hoc eſt egrediebatur, & conſuetudinem habebat cum filiabus huius regionis cõgeminandi. Sic etiam Gen. 38. Apparuit ei deus, ubi appareat dicendum erat.

¶ *Præuaricari*, pro relinquere. Hoſeæ 5. cap. In domino præuaricati ſunt, qui alienos filios genuerunt: hoc eſt, qui ipſis nati fuerunt, cultui uerò ſerio non applicauerũt. Nam alienum filium genuiſſe putandus eſt, qui ſibi natum in timore domini inſtituere ceſſat. Quẽ in modũ noſtro ſeculo, qui de Euangelio gloriantur, filios plericq; gignũt alienos, quod prolẽ ſuam ad faſtũ & opes mũdi ferè fingãt. Ergo præuaricari, eſt infidioſe ac fraudulenter aduerſus dominum agere, ſicut Iuriſconſulti in legẽ incidere dicũt, pro contra legẽ præuaricari. Septuaginta, Hoſ. 5. dicũt: ἠγκατέλιπεν, id eſt, reliquerũt. Item, pro deſpicere 6. Hoſeæ: Sicut Adam tranſgreſſi ſunt pactum, ibi præuaricati ſunt in me. Septuaginta, contempſit, deſpexit, ἠθέτησαν.

Præuaricatio pro impietate. Eſaiæ 1. In quo percutiam uos ultra addentes præuaricationem. Septuaginta, Impietatem.

¶ *Præuenire* ſignificat uenire ante conſpectũ, uel anteuertere, ſiue anteſtari, ut Pſal. 119. Præueni in maturitate & clamaui: id eſt ueni ante te mature: uel, præuentũ ſe cauit, beneficijs dei ſignificans, quocũque ſe uertiſſet dei bonitate factum, & ultro undique illi bona obuiarent, ſeſeq; ultro offerrent. Sic & Micheas ſexto capite: quo præueniam dominum: Id eſt, quo ſacrificio, quo munere, quo opere ueniam ante conſpectum tuum, & quomodo demerear gratiam tuam? Quod Latinus uertit: Quid dignum offeram domino? Pſalmo decimooctauo, ſed de malis, quæ ipſum incurrant.

Præuenire diem, in Hebræorum epiſt. capite 4. Rurſum præficiunt diem: hoc eſt, quia illa dies iam in foribus eſt, qua uocem Domini perceperimus, ingrediemur in

requiem,nos qui credimus:De qua requie Psal.90.loquitur.

¶ *Primitiæ* sunt de Abrahamo prognati & posteri.Rom.11. Quod si primitiæ sanctæ,sancta est & massa.Et si radix sancta,sancti erũt rami, Primitias hos uocat quoniã de Abrahã descenderunt. Massam aũt & ramos,qui de genere eius fideles effecti sunt.

¶ *Principis* nomen interdum pro philosopho & oratore sumitur.1. Cor.2. Sapientiam autem non huius seculi,neq; principium huius seculi.Principes dicuntur clypei populi,quia eorum est tueri & noxia auertere.Psalm.47.

Sub Principũ uocabulo principaliores antesignani fidei Christianæ aliquando intelligũtur.ut Psal.44.quũ Propheta in Patrũ locum,Apostolos dicit numero & autoritate successisse:Cõstitue eos principes,&c.Et Psal.46.& 47. Itẽ,magni, potẽtes & duces, sapientes uocantur,Psal.32.Et.1. Cor.2. quod sapientiã dei nemo principũ huius mundi cognouit.Psalm.118.Principes persecuti sunt me gratis,id est, Iudices, reges, seniores plebis,&c.Sic enim in scriptura primarios uiros & apud homines honoratos uocat. Vnde Psalm.119.Sederunt principes & aduersum me loquebantur, uidelicet in consilio, in iudicio,mũdi sapientes,& iusti secundum speciem.uocat Hebraismus magnum,uirum quemq;,qui præ cæteris eminet in populo.Leuit.4.Principes in populo.

Principes bonos,sacrosanctos habuerũt Iudæi.Sic Latini Magistratũ sacrosanctum: hoc est, inuiolabilem uocabant.& uocantur à Iudæis Benefici,Seruatores, ut uidere est in Euangelistis,& suprà in litera B explicatum est.

Princeps dei es,apud nos locutio Hebraica.Gen.23.Id est,pro magno principe te habemus.Princeps domorũ per familias.Exod.6.Id est,qui præerant familijs maiorũ suorum.Principes uestri & tribus,pro principes tribuum uestrarum. Deut.29.

Princepes aeris ac potestatis.Ephes.2.Iuxta principẽ potestatis:Id est, diaboli.Ineptè uxit deum huius seculi,id est,diabolũ & aeris potentẽ. Item,Princeps militũ,pro tribuno.Nu.14.A principib⁹ militũ.Principat⁹, Prou.8. Neq; principatus,neq; uirtutes,filij sine dubio aduersus quas nobis certamẽ est intelligit, Princeps eñ hui⁹ mũdi appellat.

Principes gentium,loquutio est,Pro Principes nationum, populorum, terrarũ, die vveltlichen fursten,oberen,non die fursten der heiden.Nã hæc uox Goim genrium,ut Matth.22. habetur.Hebraico schemate,non solum gentes infideles,sed & populum dei Iudaicum aliquando significat,ut uidere est in ueteri Testamento in multis locis.Hebraismus ergo est,Principes gentium,id est,populorum.

Principum nomenclatura.

Scriptura potentes:hoc est,reges,principes, cedros Libani uocat, Psalmo 20. Cerui, eod.Psal.Tauri,Libani. Psal.93.Capita,Esa.2.ca.Psal.119.Congelati montes. Psalm.21. Tauri pingues.Tauri Basan.Psal.67.Socij furum.Esa.55.cap.Principes Edom. Robusti Moab uocantur.Item,Fundamenta montium cõturbata sunt.Montes,Psal.17.Esa.14. Lupi uespertini,Prophetæ,reges,catulos leonum uocãt.Plaustra.Esa.41.Portæ:hoc est, Iudices,principes,qui sub porta iudicabantur:per ciuitatẽ autẽ reliquũ uulgus, ut Esa. 14,Vlula porta,clama ciuitas.sicut Montes,alibi reges.Colles aũt plebeios. Elohim:hoc est,deos sæpe scriptura uocat.Exod.24.Nimroth robustus.Gen.10.Tauri.Esa.19.Abietes,Buxi,Pini.Esa.15.cap.& arbores & alibi.

Hebræi hircos terræ uocant principes.Ideo sicut hirci gregem caprarũ antecedunt, ita reges & principes plebi præsunt.Pingues uaccæ. Item Leones, unde symbolum est regũ,& tribui Iuda dictum,quod quasi leo accubuerit. Nam inter bestias principatum gerit.Prouer.30.sed & rapacitatẽ significat.Psal.7.Ne quando rapiat ut leo animã meã. Quia & diabolus leo est.Item,per leonem & draconẽ intellige in scriptura, ferocissimos reges.Deniq; scuta terræ appellantur.Sic eñ filij Corath.Psal.47.Scuta terræ principes uocant.Sicut Deus subinde hoc nomine à sanctis appellatur:propterea quod defendit suos,& mala auertit,uti scutos auertuntur iacula & seruantur quos illa tegunt. Hos.4.Clypei populi sunt,ut suprà.&c.

¶ *Principium* à Ioanne ca.1.usurpatur lõge alia significatione,q̃ apud Mosen. Gen. 1.Nam in Mose,Principium ordinis est,quasi ut dicas:Primo quidem creauit deus cœlum & terram,ipsam inquam,materiam,unde mox uniuersitatẽ ꝓduceret, deinde uero singula digessit,suoq; loco & in sua substantia atq; forma disposuit.Quẽ sensum uides ad sequentia spectare,siue relationem,ut aiunt,habere,non ad præcedentem quidem æternitatem,sed consequẽtem creationis ordinem ac modum,& quidem Hebræis Rosch significat principium,caput,exordium, atque cuiusuis rei initium. Porrò apud Ioannem

Ioannem refertur ad æternitatem, ut intelligendum sit uerbum esse in principio: id est, filium dei esse ab æterno. Nam apud Ioannem in cap. 8. ipse filius: Antequam Abraham esset, ait ἐγὼ εἰμι, ego sum: sum inquam, non fui, dixit, ne quis filium per incarnationem id quod fuerat desiisse putaret: sum inquit, substantia illa æterna sine fine, & sine principio. Nam sicut deus incorruptibilis est, ita æternus & incorruptibilis. D. Cyrillus in Ioanne 1. cap. scribit: Qui enim ante cuncta secula est, Principium sane temporis nullo pacto possumus in unigenito Dei filio intelligere. Hæc ille. Principium doloris, seu fortitudinis quid sit, infrà in nomine Primogenitus docebimus.

¶ *Primogenitus & Primitiæ* differunt. Primogenita namq; omnia quæcunq; fuerint in terra eorum, quancunq; attulerint domino, tibi erunt. Hic Primogenita, non fœtus primitiuos pecorũ, dicit: nã ipsa Græce πρωτότοκα nominantur. Hæ autem πρωτογενήματα quidam primitias interpretati sunt, sed primitiæ ἀπαρχαὶ dicuntur, & aliud sunt. Hæc tria igitur ita discernuntur, quia πρώτοκα sunt primitiui animalium, fœtus etiam hominum πρωτογενήματα uerò, primi fructus de terra sumpti, uel de arbore, uel de uite. Primitiæ autem de fructibus quidẽ, sed iam redactis ab agro, sicut de massa, de lacu, de dolio, quæ Primitias sumebantur. Hæc D. Augustinus.

Primogenita sæpenumero ponunt Hebræi, pro primitijs & optimis. Esaiæ 14. cap. Et pascentur primogeniti pauperum: id est, optimi.

Primogenitura (ut aiunt Hebræi) fuit successio in dignitate patris, & principatu atque honore eius, & quod autoritatem haberet in minore, ita ut fratres minores consurgerent à conspectu eius, & ministrent illi, sicut filij patris. Genesis uigesimo quinto: Ẽn morior quid mihi proderunt primogenitura. Alij existimant, Primogenitum accepisse ex bonis paternis duas portiones.

Primitiuorum dies: id est, dies nouarum frugum. Num. 29.

Primitiarum oblatio, est gratiarum actio, qua cor cognoscit se diuinitus accipere. Sic docet locus ille Deut. 29. Et præcepit apost. 1. Tim. 4. Cum gratiarum actione percipere.

Primitiæ & decimæ sunt signa, quibus testatur fidei cor se à deo accepisse, proueꝯtus.

Primitiæ quæ deniq;, est tempus quo incipiunt matureſcere. Num. 13.

Primitiæ sanctæ (inquit Paulus Rom. 11.) sancta est & massa. Et si radix sancta, sancti erunt & rami. Primitias hos uocat, qui de Abraham prognati sunt. Massam autem & ramos, qui de genere eius fideles effecti sunt.

Primitiæ dolorum, primogenita sunt. Psal. 78. Percussit omne primogenitum in Ægypto primitias dolorum.

Primogenitus hinc, inquit Aben Esra, solet uocari principium doloris, quasi ille incipiat dolorem afferre patri. Gen. 49. Principium dolorum referunt ad procreationem uertens. ἀρχὴ τέκνων μου. id est, principium filiorum meorum, id est, primus. Deuteronomij quoq; principium doloris & fortitudinis uocat primogenitus, quod D. Hieron. uertit, principium liberorum eius. Hebræus, principium fortitudinis eius. id est, primum illum genuit pater.

Hebræi quoq; per robur etiam primum & radicem sobolis totius intelligunt. Gene. 49. Ruben primogenitus tuus tu, robur meum & principium doloris mei.

¶ *Primogenitus* Hebræis dicitur, non is solus qui ante alios primus natus est, sed qui solus. hoc est, ante quem nullus alius ab eisdem parentibus æditus est, si etiam nullus post eum unquam æditus fuerit. Nam primogenitũ uocarunt Hebræi, non eum quem plures natiuitate sequerentur, sed magis ante quem nemo. Primogenitus igitur apud Luc. cap. 2. pro unico dicitur, quod is solus esset hæres, & ius primogenitorum obtineat. Primogenitum esse apud istam gentem, peculiare quoddam priuilegium fuit.

Ita Christus Iesus dictus est primogenitus, quasi tu dicas ab æterno genitus. Recte enim D. Ambrosius, Ante omnem creaturam genitum ait filium non creatum, testatur, ut secerneret natiuitatem eius à creaturæ factura.

Primogeniti erant quoq; apud Hebræos hæredes & omnium rerum Domini, diues & principes familiarum, deniq; sacerdotes.

D. Hieronymus aduersus Heluidium recte quoq; dixit, Primogenitum nõ tam eum esse, post quem & alij, quàm eum ante quem nullus. Dicitur & Christus unigenitus for tassis, quod solus filius non sit factus, sed genitus Christus. Itaque prius quidem domini est & regni: posterius uerò diuinitatis æternitatisq; argumentum. Hebr. 1. Primoge-

nitus omnis creaturæ, id est, filius dei ante omnem creaturam, non tamen inter creaturas annumerandus. Dominus noster Iesus Christus primogenitus, id est, princeps & dominus est uniuersæ creaturæ, genitus quidem non creatus, & primogenitus etiam id est, æterna natiuitate à patre æterno genitus. Primogenitus quoq; ex mortuis Christus appellatur, quod primus resurrexit, & quod ipse resurrectionis autor est. Col.1. & Apoc.1. Dicitur & primogenitus in multis fratribus. Rom. Primogenitorũ ecclesiã (inquit Paulus ad Heb.12.) accessistis, qui conscripti sunt in cœlis. In hac uidere est primogenitos: hoc est, electos dei, omnes sanctos patres, q̃s primogenitos appellauit alludens ad primogenitos fratrum qui dilecti & domini rerum erant.

¶ *Primus* nõ est semper ordinis, sed excellẽtiæ interdũ, ut 1.Tim.1. Christꝰ Iesus uenit in mũdũ, ut peccatores saluos faceret, q̃rũ primꝰ sum ego. Perinde ualet ac p̃cipuꝰ et maximus. Fuerat eñ blasphemꝰ, p̃secutor, uiolẽtꝰ, parricida. Et Marci 12.cap. Primũ mandatum: id est, eximium & præcipuum das fordereſt. Primum interdũ dicitur non q̃ alia præcedit, sed antea nunquã fuit. ueluti cũ dicitur: primũ, recte dicitur etiamsi posteà nũquam uideas. Primum Sabbatorum nominauit Matth.27. cap. Primum diem in hebdomada, qui nobis est dies solis, & die dominica. uidet enim Marcus atq; Matthæus per sabbatũ posterius intellexisse hebdomadã, ac unam posuisse primam.

¶ *Probare*, pro intelligere, & rursus intelligere, pro, p̃bare, ut Rom.7. Quod enim ago, non probo. Non placet mihi, uult Paulus dicere: uel, non intelligo, quod ego ago. Et 14.ad Rom. Beatus qui non iudicat seipsum, in eo quod probat: id est, qui nõ dubitat, id est, in eo quod probat: id est intelligit, & certo scit sic esse.

Probare, interdũ pro curare, & rei alicui diligenter incumbere. Roman.1. cap. Et quemadmodum non probauerũt, ut deum agnoscerẽt. Deum in notitia non habere dixit Paulus pro eo quod est, deum præ oculis (sicuti nos dicimus) non habere, uel illius cognitionem, siue manifestationẽ non suscipere, uel nihili pendere. Item, probare pro eligere. Psal.10. Palpebræ eius probabũt filios hominum. Septuaginta, ἐξετάζουσι: id est, scrutantur. Item, pro scire. Philip.1.cap. Vt probetis quæ sunt præstantia. Item, probare pro animaduertere, ut Rom.12. Vt probetis. Quasi dicat, Illud uerò, nõ se conformare huic mundo, atq; mẽte renouari, est probare: id est, animaduertere, quod deus uelit, & quod ipse uult, gratum & acceptum habere.

¶ *Probrum Christi* uocauit epistola ad Hebræos ubi inquit: Maiores arbitratus diuitias probrũ Christi, quàm Ægyptiorum thesauros. Probrũ uocauit uitã ærumnis plenam, conuitijsq; pessimorũ hominũ obiectam, qualem in hisce terris (quem spiritu uidit Moses) egit Christus, specimen exhibens omnibus cultoribus suis.

¶ *Procumbere* apud alitquẽ, est animi submissi ac humiliati humiliterq; gratiam alicuius ambitis & gestus, ista corporis, p̃stratio, uel incuruatio, p̃ more cuiusuis nationis. Atq; hinc est, q̃ oraturi in genua coram deo procũbimus hoc ipso testãtes, humiliter, & animo subiecto ambiendã esse gratiã dei. Alias diximus in uerbo Adorandi. Mat.9.

¶ *Prodire* iudicium à facie dei, est deum ipsum, pro tribunali sedentem pronunciare ac iudicare. Iudicium proferre in publicum, ac manifestare: & oculos dei uidere æquitates, nihil aliud est, quàm nec in gratiã nec odio cuiusq; ab eo quod iustum & æquũ est in ferendo sententiam deflectere. De hoc loquitur Psaltes 17 Psal. A facie tua iudicium meũ, p̃deat, oculi tui uideant æquitates. Aliàs dicit, Egredi iudiciũ, egredi sermonẽ, egredi uerbũ, egredi causam, &c. Et Abac.1. dicitur. Ab eo conspectu egreditur iudiciũ quæsum, & nõ puenit ad finẽ iudiciũ, laceratur etiã lex, idiotismũ hũc satis notũ arbitror.

¶ *Profundare*, pro stabilire & prævalere usurpatur. ut Psal.92. Quàm eximia sunt opera tua uehemẽter profundauerũt cogitationes tuæ: id est, firmiores ac certiores sunt, quàm q̃ aut perueſtigare ac interuertere queã. Item, pro despicere & reiicere. Hoseæ 5. Victimas declinauerunt in profundum. Hier. quoq;: Declinantes à uero cultu per idolatriam, sicut à marito mulier deficit, quæ ob id dicitur, profundauerunt: hoc est, infirmæ arboris radices in idololatria altissimas egerunt, crebris ac splendidis sacrificiis. Nam sic usu uenit Israelitis, ut abominatio contra synceritatem uerbi tandem placeret propter sacrificiorum splendorem.

Profundus pro medio. Mat.18 Et demergatur in profundum maris. Profundum. Rom.8. Neq; altitudo, neq; p̃funditas. Profunditatẽ gehennã: Altitudinẽ uerò regnum cœlorum

cœlorum uocat. Vel: Diuinæ sapientiæ secreta sunt. Item,

Profundi corde, qui in summa miseria constituti sunt: nam cordis anxietas & compunctio animi est, unde Dauid: De profundis clamaui ad te domine. De quo profundo lachrymas fuderũt, Petrus negator, Publicanus peccatorum tundebat pectus, & Ionas in oratorio ceti uociferabatur.

Profundum significat etiam uoracitatem peccatorum, & persecutionum oppressio nem iniuriam iuxta illud: Libera me de profundo aquarum.

Profunditas pro adflictione. Psal. 68. Dixit dominus ex Basan conuertam, conuertam in profundum maris. alia trãslatio, Restituã à Basan, restituam à profundo mari: hoc est, populum meum adflictum, atq; à tyrannis oppressum, è malorum immensitate, atq; profundo, in liberiorem statum uitæ restituam, &c.

¶ *Proijcere* hoc uerbũ Hebræis idem est, quod Latinis exponere. Gen. 21. Agar anicilla quũ proiecisset puerũ. Inde infantes expositi, aut expositi dicuntur, qui ut pereant abijciuntur à parentibus. Desperabunda mater putabat puerum æstu moriturũ: abscessit ergo relicto puero sub arbusto, ne cogeretur mortem eius aspicere.

Proijcere à deo, est excæcari & desperare de benignitate diuina, Proijciuntur illi quũ in securitate carnis (qua nihil indignius fert spiritus dei) non timent se proijciendos, hoc deprecabatur Dauid. Psal. 15.

¶ *Prolongari* uerbũ elegans est, quo usus est Ezechiel 12. cap. Prolongati seu producti sunt dies, & perijt omnis uisio. Vulgo uice prouerbij iactabant hoc simplex dictum, quod ob frequentẽ usurpationem, speciem adagij referebat. Significant hoc dicto terram non deuastandam, sed post multos dies uisionem perituram. Vel habet hunc sensum: Continuabuntur dies ordine suo, & prophetæ in uanum loquuntur.

¶ *Propellere*, pro prosequi. Deut. 6. Ad propellendum omnes inimicos tuos à facie tua, sicut locutus est dominus. Septuaginta, ἐκδιῶξαι.

¶ *Propitius*, schema Hebræis ac Christo in Euãgelistis peculiare, p quo nos dicimus: Bona uerba quæso, dij meliora dãto. Mat. 16. Propitius sis tibi dñe. Propitꝰ fuisti, pro percisti. Num. 14. Sicut propitius fuisti egredientibꝰ de Ægypto. Id est, quẽadmodũ percisti populo isti ab Ægypto. Vel: egressu de Ægypto. Hinc propitiabilis pro miti, Psal. 85. Quia tu domine bonus & propitiabilis. Septuaginta, ἐπιεικὴς. id est mansuetus.

¶ *Propitiatorium* sententia Vulgarij in Hebræis, erat arcæ operculum, id quod Christũ figurabat, qui nostrorũ est prauorũ facinorũ conciliator effectus. Hæc ille. Propitiatorij scabellum pedum. Mons sanctus. Cœlum sedes dei, idem sunt.

¶ *Promissionis* nomine sæpiuscule Testamentum, fœdus, pactum intelligimus. Nam D. Paulus ad Gal. 3. Vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Per promissionem eñ nihil aliud intellexit, quàm Testamentum. Promissio autem spiritus, ut eadem epistola, & eodem cap. ubi inquit: ut promissionẽ spiritus acciperemus per fidem. Promissio spiritus hic nihil aliud non est, quàm benedictio Abrahæ promissa, spiritus uidelicet sanctus arrabo salutis nostræ, sanctificatio nostra, testimontũ redemptiõis nostræ.

¶ *Prophetare* uarijs quidem modis scriptura utitur. Primo, tam pro præteritarum, q̃ futurarum rerum enarratione: ad hunc modũ loquendi & Moses quidem propheta fuit, quũ de mundi creatione & aliorũ dei testificabatur & docebat. Gen. 1. Sic Esa. 2. Ecce uirgo concipiet filium. Significat futurarum prædictionem, ut Moses præterita narrauit, ut Genesis 1. cap.

Secundo, est prophetare futura prædicere, res diuinas agnoscere. Ita uox apud Hier. usurpata, dum ipse futurũ p̃diceret, ut cognitio dei prorsus esset uulgaris facta, uel futura: sicut oñs prophetæ uates fuere: quũ unꝰ quidẽ de Christi natiuitate, alter de eius doctrina, tertius de eius passione, quartꝰ de eius regno loqueret. Et omnes q̃tq̃t de eo tã quã de filio dei, totius mũdi redẽptore uaticinabãtur. Tertio, Prophetare inter alias eis significationes, est prophetiã uerbo ad uerbum enucleare: hoc est, exponere, sed quæque res diuinas agnoscere, res diuinas denunciare, & Psalmos & uerba dei canere, spiritu doctus, quẽadmodum legis de Asaph, Idithũ, Hemam prophetasse confessionẽ, laudem dño in cithara, qui erant cãtatores à Dauide iussu dei instituti, ut 1. Paralip. 25. Magistratus exercitus segregauit filios Asaph quod prophetarẽt in citharis: id est, prophetias recitare, & laudes dei canere. Nu. 11. cap. Quis tribuat mihi, ut omnis populus prophetet. Et Helias ad Psalterium prophetabat. Et 3. Regum 18. capitur pro sacra facere,

ſacros ritus peragere,carmina carcere ſacra: Factum,inquit,eſt ergo quum tranſiſſet meridies,ut prophetarent uſq; ad tempus ſacrificij ueſpertini.

Quarto,Prophetare idem eſt quod prædicare,& ſenſum ſcripturarū populo aperire, docere,monere,exhortari,cōſolari,erigere,arguere,increpare, accuſare, & corripere mores hominū corruptiſsimos ex ſacris literis: deniq; prophetiā exponere, de quibus habes.1.Cor.14.cap.Actorum.13.cap.Item,Prophetare inuenimus eſſe idem quod figurare,quemadmodum Ioſue dicitur propheta,quia ſignificabat Chriſtum.

Prophetare in nomine Chriſti,idem eſt atq; uirtute & numine Chriſti prophetare. Omnino enim orationes iſtæ:Per nomen tuum: Vel, in Nomine tuo:aut propter nomē tuum,& huiuſmodi:eundem ſenſum habent Ebræis,à quibus ueniunt,illæ noſtræ nuperæ tamen:Oro tuam maieſtatem, tuam reuerentiam, maieſtati, præſtantiæ uel reuerentiæ tuæ placeat,&c.Matth.7.cap.

¶ *Prophetæ* nomen uarie & multoties quoq; accipitur in ſcripturis. Apud Iudæos Prophetæ erāt,qui diuinorum eloquiorum,ac diuinæ uoluntati,adflatu numinis ſcientiſſimi erant. Officium eorum erat ſacrarum literarum ſenſum, quem ipſi à deo didicerant,populo depromere. Deinde emoliri & eradicare quicquid contra deum erectum erat,plantare & ædificare quicquid deo placet. Vigilare,ne in populum dei irruat, quod noxium eſt. Hoc idem munus epiſcoporum,paſtorum & euangeliſtarum eſt in eccleſia Chriſti. Hoc tamen à noſtris uereres differunt,quod ueteres futura quædam ſub uerborum inuolucris,reuelante ſpiritu præſentiebant ac prædicebant. Inde & Videntes uocabantur,ut 3.Regum 9.& Amos.7.Tametſi in naſcenti eccleſia huiuſmodi prophetæ fuerunt,ut patet Actorum 13. 21.& 11.cap.

Sed D.Paulus uocat eos prophetas,qui per reuelationem eccleſiæ ad pietatis ædificationem tradunt:hoc eſt, qui docent ac interpretantur legem domini.1.Cor.14. Quoniam omnes prophetetis.pro,interpretari,docere,conſolari,arguere.

Inter Propheras & Apoſtolos,hæc eſt differentia:quod Apoſtoli primum ad infideles duntaxat miſſi ſunt,non item Prophetæ.Nam prophetia fidelium eſt.

Prophetæ, os domini dicuntur,quia nihil proprium loqui debent.

Prophetæ porrò dictio etiam illis competit,qui prophetiam:hoc eſt,uerbum dei audiūt,aut in lege dei diligēter uerſant,ut 1.Cor.11.Mulier orās aut ꝓpheтās. Nā alioqui mulieribꝰ in eccleſia docere,permiſſum nō eſt. id enim Pauli, imò præcepto uetitū eſt,ut liquet.1.Cor.14.& 1.Tim.2.& Luc.2.fœminam ſignificat,quæ uel in lege & prophetis docta erat:uel,quæ ꝓphetis & doctis diligenter auſcultabat. Sic in Actis, Philippꝰ quatuor filias habebat prophetas:Prophetat mulier,quū audit prophetas. Prophetiſæ ergo dicātur,q̄ prophetiæ:id eſt,uerbo domini prorſus deditæ,ſe in uera pietate exercuerint. Ita & illa uidua Anna filia Phanuelis ꝓphetiſſa dicit. Ein gots forchtig vvyb, das dan dem vvort gottes flyſſig anhieng.

Prophetæ dictio nonnunquam honoris, non uaticinij uocabulum eſt, ut apud Eſa. 8. capite : Ad prophetiſſam.ut enim Prophetæ uocabulum propter ſacratiſſimum officium, ſummum & auguſtiſſimum eſt,ita & quæ dominum prophetarum parturiā erat,prophetidis nomen datur.

Prophetæ appellatione non unus uenit, ſed generatim omnes, quibus longa ſerie præeuntibus,ab hoſtibus populus egregie defenſus eſt, Hoſ. 12.Et in prophera. Tanquam unus propheta exiſtimantur,qui ijſdem partibus, in plebe deo gubernanda per ſucceſſionem perfuncti ſunt,ut Moſes & poſtea Ioſia,&c.

Prophetæ nomine interdū Pſeudoprophetæ intelliguntur,ut Zach.13.cap.Et etiam prophetas,&c.Propheta puer dicitur,propter ſtuporem & ignorantiam:uel, per cor humile,propterea dignus à quo myſteria non celarentur.

Prophetā aūt dici in ſcripturis Chriſtum.& Moſen,teſtis qui dicit Deut.18. Prophetam uobis ſuſcitabit deus de fratribus ueſtris. Eſt etiam exercere officiū prælocutoris. Exod.7.Aaron erit propheta tuus.Eſt etiam propheta,qui aliena refert,ſicut Saul prophetauit in medio domus ſuæ:id eſt, aliena referebat, non eos qui uenturum in carne dominū Chriſtum prophetarunt,dicimus, ſed per aliquam gratiā ſecuturi, ut Agabus cernebat,qui & famem inſtantē prædixit,& quæ beatus Paulus paſſurus eſſet in Hieroſolymis, & uerbo denuntiauit, & ſigno zonæ eius oſtendit.

Prophetæ & lex pro libris ſacris,Actorum 13.cap.accipi clarum eſt: Poſt lectionem autem

autem legis & prophetarum, hoc est, sacros libros in publicis conuentibus esse tractandos, non nugas aut humanas leges. Et in eodē capite differūt Prophetæ, quod doctores sunt, pastores, euangelistæ & episcopi, qui promiscuū pro cōcionibus publicis eruditum uulgus. At propheţ arcana scripturæ indagāt, eruūt, & eruditioribus priuatis publice tamen institutis lectionibus tradūt: deinde & populo q̄ prosunt diligēter exponūt. Quāquam ea non semper obseruetur differentia, sed prophetæ quoq; Euangelistæ dicantur.

Prophetæ & Pseudoprophetæ hoc discrimen est. Prophetа uir diuinus est, ac diuinæ mentis conscius, dei minister, peritus mysterij regni dei, doctor euangelij ac gratiæ Christi seu dei, apud homines interpres, qui scilicet dei uoluntatē ac placita hominibus annunciat, & ad illa facienda urget atq; propellit.

Pseudopropheta est, qui talis omnino uideri cupit, & huius tamen nihil penitus habet, qui se simulat propheтam esse, at spiritu interim donis ac facultatibus prophetiæ destituitur. De his Matth. 7. & cap. 10.

Prophetæ furiosi & amentes apud Iudæos appellantur, ut Hiere. 29. & 4 Reg. 9. Ob quam causam ingressus est furiosus ille ad te? Vocantur Prophetæ à malis, furiosi & amentes, quod nonnunquā destituerentur omni sensu, nescientes quid inter ipsos ab extraneis fieret: & id Hebræi uocant priuationē sensuū atq; uirium animæ. Propheta interdum Paulo dicitur, qui nobis est doctor, episcopus, ecclesiastes aut euangelista. 1. Cor. 14. At qui prophetat, congregationem ædificat. Quanquam propheta peculiariter dicatur scripturæ sacræ interpres, & nunc ministri ad dispartienda mysteria dei ordinati.

¶ *Prophetiæ* nomen accipitur non semper pro prędictione rerum futurarum, sed etiā pro interpretatione sensus scripturæ sanctæ intelligitur, hoc est pro expositione oraculorum diuinorū cœlestium, ut. 1. Cor. 14. cap. habetur. Et Rom 12. &. 1. Timoth. 4. cap. D. Ambrosius enim, Prophetas ait interpretes intelligit scripturarum. Et. 1. Paralip. 15. Chononias prophetiæ præerat, hoc est, doctrinæ sacrorum miraculorum exponēdæ legis, formandæ mentis, castigandorumq; morum disciplinæ præfecturam gerebat. Sic Prophetiæ uocabulo doctrinam intelligimus euangelicam, id est, denunciandi diuinorum iussuum cum fide officium. 1. Cor. 11. cap. & 14. & Actor. 21. cap. Et 1. Cor. 11. pro prophetiam audiendi cupiditate atq; pro auditorio fidelium.

Prophetia denicq; accipitur pro apertione aut prædictione rerum futurarum, ut quū adflictis salus promittitur, aut sceleratis exterminium, cuius generis plurima sunt, ut exemplis nihil sit opus. Hanc Prophetarum prædictionem aut annunciationem procedere oportere, aut ex diuinis responsis & oraculis, uel adflatur, uel angelorum ministerio allatis: siue id uoce, spectro, uel insomnio, siue paradigmate aliquo fiat, aut ex lege recte perspecta. Ista enim cognita, facile est contumaci prædicere, quantum malorum impendeat, pijs autem ac deum timentibus, quæ bona sint undemiaturi. Sed utrobiq; requiritur fidei certitudo ista, quam Paulus πληροφορίαν appellat.

Prophetarum filij, discipuli eorum appellabantur quales habuit Heliseus & alij, &c. qui docti ab ipsis, & interpretes eloquiorum dei agebant, & populo diuinam mentem exponentes à uicijs auocantes, & ad pœnitentiam & studium iustitiæ quosuis hortantes. Vide latius suprà in tropo Filius.

¶ *Prophetarum mos.* Prophetæ & uerbis & factis aliquādo utunt, Zach. 11. Et dixit dominus ad me, etc. Propheta sicut p uisionē uidebat sibi præcipi ea q̄ ibi dicit, ita et opere implere pręceptū sibi uidebat. Nō est enim necessariū adserere, ut dicamus ipsum sic abiisse acceptā pecuniā. Sed satis est, q̄d propheţ in uisione sic uidebat. Id genus figurarū & apud alios prophetas est inuenire. Vt quū Esa. nudus incedit. At noluit cū quopiā pugnare, etiāsi hoc corā sacerdotibus obediēs egerit, nō uideo uerò quę necessitas urgeat. Item nonnunquam per unum hominem totum regnū cum successoribus significāt. Sic nō est ille mos rarus prophetarum, ut parabolas coram repræsentent, & uelut operibus euentum demonstrent, ut Ezech. 12. & Hieremias confringendo ollam in Tophet. Prophetis & hoc familiare est. Primū generaliter omnia damnare. Deinde uero rursus erigere pios & consolari. Sic Petrus inquit, Iudicium incipit à domo dei. 1. Petri 4. cap. Et Rom. 1. Reuelauit iram dei super omnem impietatem, Esa. 1. cap. Omne caput languidum, & omne cor mœrens, Geneſis 6. cap. Cuncta cogitatio cordis humani, &c. Et uidens deus quod multa esset malicia. Et deinde: Omnis caro corruperat uiam suam. Et postea dicit: Noe uero erat perfectus, & Noe gratiam inuenit.

Propheticus quoq; mos est, sicut etiam Apostolicus, ut in Actis 20. certo futurũ, propter promissionem dei præsenter & indubitato inculcare, ut præsentem necessitatẽ leniant futuræ felicitatis spe fideles, ut Lucæ 21. Quum uideritis hæc fieri, attollite capita uestra. Sic & Esaiæ 51. cap. Ecce uidi de manu calice soporis, fundum calicis indignationis meæ; non adijcies ut bibas illum ultra, &c. Similiter Micheæ 6. Narrata destructione ciuitatis Hierusalem consolatur eos. Cap. eodem dicit Tu turris Eder propugnaculũ filiæ Zion usq; ad te ueniet dies, id est, tempus aderit, ut ædificentur maceriæ tuæ Hierusalem, & interrupta, ut Amos ultimo cap. instaurentur. Sic & 4. & 5. consolatur quoq;.

Vatum item sacrorum consuetudo, ut per unum hominem totum regnum cum successoribus significent, ut Danielis 7 cap. Et Ioannes in sua Canonica nomine Antichristi totum regnum, omnesq; successores intelligit.

Interdum de sexu hoc etiam non inusitatum est mulierem usurpari, indifferenter pro quolibet statu fœminei sexus, id est, pro corruptis & incorruptis uirginibus & maritatis, Geneseos 24. cap. Si noluerit mulier uenire mecum in terram hanc. Et rursum: Si autem noluerit mulier sequi te.

In hac sententia quædam pura uocantur, quum sint alioqui corruptissima, ut Hiere. 18. Quis facit talia horribilia, quæ fecit nimis uirgo Israel? Vbi uirginẽ uocat, de qua ante dixerat filij Memphos, & Taphneos constupraverunt te in uerticem. Et apud Ezech. cap. 16. habetur: Diuaricasti pedes tuos omni transeunti.

¶ *Pronomina possessiua.* Idiotismus Hebrææ linguæ, qui talis est, ut adfixa, hoc est, Pronomina possessiua, possessori confirment, non rei possessæ. Quæ quidẽ res plurimum lucis in loco cõciliat sensibus: Vt si uolet Hebræus de ueste sua loqui, nõ dicet uestis mea uel mei: Vbi possessiuũ pronomen conforme est possessori. Et, si Hebræus de libro suo loqui uolet, nõ dicet Liber meus, sed liber mea: propterea quod possessor fœmininũ est. Hinc enim pronomen possessiuum conformat, & non rei possessæ, puta libro.

Pronominum quoq; omissio in sacris literis non infrequens. Sic Psal. 9. in Hebræo. Infixę sunt gentes in interitu, fecerunt: sicut incidit in foueam, fecit. Nostra autem translatio exprimit quem & quam Prononomina.

Hebræis quoq; familiare est, pronomen ad finem addere, quod apud nos parum facere uidetur ad sensum, ut in Psalmo, Quorum non audiantur uoces eorum.

Pronomina denicq; duo pro uno ponit, tritissimum item est, ut: qua propheres habitauit in ea, id est, simpliciter in qua. 3. Regum 13 cap.

¶ *Properare*, est aliquid facere absq; uocatione sine fide, et omni sensu pietatis. Prouer. 25. Quæ uiderũt oculi tui, ne properes in iurgio tuo cito, id est, ne facias quicq; quod postea pximum tuũ cõfundat: uel ideò nõ statim properandũ est, ne Satanas nos seducat. Ergo fidendũ est deo, nõ temere obsequendo cuiquã, & nõ properandũ in iudicando.

¶ *Prophanum* quod sanctum non est, separatum & commune, & quod non ex sacris literis docetur. 1. Timoth. 4. cap. Prophanũ est, quicquid à sacrosancta fide alienum est. Cæterum inquit, prophanas & aniles fabulas reijce.

Prophanare arborem uel uitem, Hiere. 31. cap. est idem quod licite de ea comedere, Nam Leuitici 19 cap. habetur, quod fructus tertij anni erant à plantatione abijciendi ut luti immũdi, fructus autem quarti anni erant domino consecrati. Et quinto anno prophana fiebat arbor, & poterat plantator eius de ea comedere.

Prophanare uineam, Deut. 20. est uindemiare eam, ut uuis eius uesci liceat omnibus, Moses inquit. Et nondũ prophanauit eam, hoc est, nec dũ fecit eam esse cõmunẽ, de qua uesci omnibus liceat. Prophanare autẽ templũ quid sit, in uocabulo Templũ dicemus.

¶ *Propinquus* pro hærede, Numer. 5. Etsi non uiro propinquus. Item, Propinquos uocat Iudæos Paulus suo more, Lõginquas Gentes, Ephe. 2. id quidẽ sumpsit ex 57 Esaiæ.

¶ *Proponere*, uerbum istud habetur Rom. 1. Quod sæpe proposueram uenire ad uos, hoc est, uolueram. Propositũ Paulo dicitur deliberatio ista liberrima, qua deus ad eligendum accingitur, quemadmodũ cap. 9. uidemus, cũ ait: Vt iuxta electionẽ dei propositum maneat. Est igit propositũ supra electionẽ, hoc est natura prior. Fieri enim apud hominẽ potest, ut quid eligat, sed habita ratione eius quod eligitur, puta si adparet utile, honestumq; futurũ eligitur. Hic propositum siue deliberatio non est libera, sed ab eo pendet quod eligit. Volens ergo Paulus ostẽdere, dei electionẽ ex libro proposito enatci, nõ ab ipsis quos electurus est, liberum propositũ dicit in causa esse cur eis, qui deum diligunt, omnia

omnia bono cedant. Nihil hic adscribi hominis merito: addit enim. Quia quos pronunciauit, & cætera.

¶ *Prosperari* pro irruere, Iudicum 14. cap. Et prosperatus est super enim spiritus domini, hoc est, irruit.

¶ *Prouerbium*, græcè est παροιμία. Significat autem parœmia uulgare ac triuiale dictū, cui tamen aliquid insit in uolucri. Sic ista parœmia Christi de ueris ac falsis pastoribus allegoriam habet, quam Pharisæi non intellexerunt. Ioan. 10. Ideo & interdū pro obscuritate usurpatur Prouerbiū, Ioan. 16. Ecce nunc palam loqueris & prouerbiū nullū dicis.

¶ *Proximus*, Hebraice Reæ, Græcè πλησίον, significat propriè eum, qui tibi qualibet ratione coniunctus fuerit. Ratione cognationis, siue alias arctioris amicitiæ uti Ionadab ille, qui Amenoni filio Dauid consilium dabat de corrumpenda Thamar sororem Absaloni, dicitur fuisse se Reæ, id est, amicus uel propinquus Amenonis: fuerat enim filius fratris Dauid. 2. Samuelis 13 cap. Ita Chusai dicitur fuisse Reæ, id est, amicus Dauid. Sodalitatis, Iud. 30 cap. Sodales dati Sampsoni, Mereræni dicebantur, id est, proximi eius, Iudic. 14. Vicinitatis, Exod. 3. iubebantur Hebræi egressuri ex Ægypto, quilibet à proximo suo, & quælibet à proxima sua, petere uasa argentea, aurea & uestē. Vbi idē uocabuli Reæ legitur. In summa, cum quo quicquā tibi negocij fuerit, qui quauis tibi ratione adiunctus fuerit, eum scriptura uocat Proximum tuū. Ita qui inciderat in latrones, Lucæ 10. Quemlibet etiam inimicum ostendit Lucas, si opus habeat consilio & auxilio, proximum esse. Ergo Proximus est, qui indigo cuilibet benefacit, quicq; beneficium dū necessitas poscit, accipit, aut auxilio indiget. Nam Lucas sic dicit: Vade & fac tu similiter. Quod perinde est, ac si dixisset, si quem igitur nactus fueris tuo indigentem auxilio, quisquis tandem fuerit, is est tuus proximus, ei benefacias.

Recte quoq; D. Augustinus lib. de Doctrina Christ. 1. cap. 30. Eum, inquit, Proximū esse intelligimus, cui uel exhibendum est officium misericordiæ si indiget, uel exhibendum esset, si indigeret. Istud in lingua nostrate proprijssime exprimimus cū proximum appellamus, den nechsten, intelligentes uidelicet quemlibet quē nobis sors obtulerit. Et Paulus Ephe. 4. Proximū uocat omnē hominē, qui ex eodē nobiscū parente natus est.

¶ *Prunæ* allegorice sunt humanarum traditionum opera, & propriæ iustitiæ merita, quibus iustitiarij extrinsecus utrunq; non tam calefiunt, quàm se calefieri putant. At in regno Christi, ueri solis, interno spiritus sancti calore recreantur pectora fidelium. Petrus ad prunas pontificias studio, ad negandum Christum sollicitatur Ioan. 18. capite. Stabant autem serui & ministri qui prunas congesserant.

¶ *Psalmus* canticum uel hymnus dicitur, quod propheræ spiritu sancto reuelatū est et compositum, ut intelligas Psalmum Dauidi reuelatum, quasi dicas, Psalmus ad Dauid (ut tertij Psalmi titulus) cum fugeret à facie Absalom filij sui, nihil aliud uox hæc sonat, quàm uerbum & prophetia Dauidi per spiritum sanctum reuelatum. Nam sicut in alijs prophetis legis, Factum est uerbum domini ad Hieremiam, &c. Et in Euangelio, Factum est uerbum domini super Ioannem. Et quod Psalmus & canticum dicitur, alibi uerbum, uisio, prophetia. Sic enim legimus in Hieremia: Et factum uerbum est domini Hieremiæ, Et similiter in Esaia, Visio Esaiæ filij Amos, &c.

¶ *Publicani* dicuntur, non publici peccatores, quemadmodum imperiti interpretantur, sed publicorum uectigalium, tributorum, censuum & aliarum id genus rerū exacto res, & collectores. Ac inter Iudæos quidem, hoc genus hominū pessimè audiebat, & cō numerabatur inter extreme sceleratos ac flagitiosos: Amicus, inquiunt, Publicanorū & peccatorum, Matth. 11. Et iterum: Quare cum publicanis & peccatoribus manducatis? Lucæ 5. cap. Vide Ciceronem pro Flacco. Et Vlpianum in Pandectis Iuris Ciuilis. Titulo de Publicanis & uectigalibus. Et Cicero pro lege Manilia apud Romanos uictis gē tibus in precio habiti sunt, & postea Iudæos gentem liberam grauarunt. Inde ipsis Publicani nomen inuisum fuit. Inde Publicani uocabulum usurpat sacra scriptura pro omnibus, qui lucro turpi quæstum ac res suas augent, id'que iactura Proximi sui, ut sunt auari, impostores, raptores, furaces, improbi, usurarij ac oppressores, quæ quidem omnia comprehendit sub hoc uocabulo Publicani. Pro usurarijs ergo ponuntur in euangelio, nam malis artibus miseram plebem aggrauant. Huiusmodi Harpijs Germania plena & referta est, πλεῶναι, id est, Publicani dicebantur priscis. Sed ò hodie quoque uidere licet in nostris institoribus, mensarijs, monopolis ac mercatoribus,

quibus

quibus non aliam ob causam nobilium insignia ac tituli conferuntur à magnatibus, n si quod per usuram ac plebis & publicam rapinam & artificiosam expilationem opulē tissimi facti, Germanice dicuntur vvuocher.

¶ *Pudere* uerbum apud Hebræos pro pigere perinde accipitur, atque pigere pro pudere apud Latinos, qui dicunt Piget me tui, pro pudet, Hiere. 14. Pudefacere pro increpare, arguere: Iudic. 18. sumitur: Nemo, inquit, erat in ea regione, qui pudefaceret quenquam aliqua in re, hoc est, neminē pudebat alicuius rei. Item, pro prohibere, Ruth. 2. cap. Quod enim prohibent aut negant, faciunt, ut petentes rubore suffundantur: Ruth. 3. Neq; enim pudefaciatis. Pudefieri deniq;, est in periculo spe sua destitui, frustrari, cadere, iuxta illud: spes credentium non pudefacit. Spiritum enim perpetuum arrabonē salutis hauserunt, quum impij spiritum huius mūdi perituri conceperunt. Qui enim credit in eum, non pudefiet. Item, pro frustrari, Psal. 31. Domine ne patiaris pudefieri.

¶ *Puer* usitatissimum uocabulum est apud Hebræos: nam duplicis significationis est, uti apud Græcos παῖς. Siquidem & puerum & famulum significat. Et hoc commune illis est pro seruis & famulis uti, Iudicum 19. Habens secum puerū & duos asinos. 1. Reg. 25. Abigail nunciauit unū de pueris, id est, seruis, Gene. 19. Vocat Hebraismus ministros quoscp, etiamsi senes fuerint pueros, Acto. 4. Qui per os Dauid pueri tui dixisti. Et D. Paulus per Pueros intelligit homines mortales, Hebr. 2. Posteaquā igitur pueri cōmercati habent cum carne & sanguine, corpore et anima cōstemus. Idiotismus est hebraicus. Iri

Pueri nomen pro legato usurpatur, Esaiæ 37. Ne timeas à facie uerborum regis Assur, quæ audisti quibus pueri blasphemarunt. Septuag. πρέσβεις. Pueri adhæc uocantur, qui cœlestibus mandatis inseruiunt, Esaiæ 8 cap. Ecce ego & pueri mei, quos mihi dedisti deus. Hic pro sanctis & pijs usurpantur: nimirum à puritate fidei. Per Pueros autem lum infantes aut teneræ ætatis homines, sed etiam simplicem plebeculam intelligere cet, ut Matthæi 21. cap. clarum est. Pueros adhæc corruisse in ligno, Hiere. in orat. Thren. est oneribus portandis succubuisse.

Puerum porrò scorto dari, id est, uili precio, uel puerum prostituere, ut scortum, Hæc locutio Ioelis 3 cap. habetur.

Puer sensu, significat illum qui caret spirituali delectu rerum, & hæret in his, quæ ipse sentit, quum à rebus à donis progrediendum esset, ut in deo solo hærendum, non in donis eius. 1 Corinth. 14. Pueri sensibus ne sitis, sed malitia pueri sitis, sensibus uero perfecti sitis. Quasi dicat Paulus: Nec ignoro repueraſcendum nobis, uerum id quidem ad innocentiam uitæ, nō ad imperitiam rerum referendū est. Hic est enim sensu perfectus qui agit ut prosit alicui, maxime fratri. Ita enim in malam partem usurpatur, ut: Nolite pueri effici sensibus. Et puer, inquit, Salomon, centum annorum stultum appellat.

Puericia pro stulticia hinc accipitur, Hoseæ 2. Et canet tibi iuxta dies puericiæ suæ. Septuag. παιδότητος, id est, infantiæ. Hæc dictio quum ad animum refertur stultum, atq; ætatis uitio impendentem significat.

Pueris alienis adhærere uel applaudere, uel imaginibus alienorum applaudere, est se in scientijs alienis occupari, Esaiæ 2. cap. Et in filijs alienis applauserunt, uel sufficientes fuerint, hoc est, dederunt operam scientijs alienis, obmissis lege præceptisq; diuinis. Septuag. Et filij multi alienigenæ nati sunt eis. Vide D. Hieronymum.

Pueros deniq; uocat Christus discipulos, Ioan. 21. Vocat eos παιδία, per modū blandiendi. Significat hęc uox latine puerulos. Dicit ei Iesus: Pueri nunquid opsonij habetis?

¶ *Puluis*, Hebræorum more, pro terra usurpatur, Iob 28. Ferrum de puluere sumitur. Et Gene. 1. cap. Puluis es, & in puluerem redigeris. Vox Hebræa Haphor; significat puluerem, lutum, humum, terram. Neq; infrequenter populum impium, Puluerem, quisquilias & paleam scriptura uocat, ut Psalmo 1. Esa. 5 & 50. & alibi.

Puluere aspergebantur olim ieiunantes atq; in terra sedebant. Et induebantur sacco, hoc est, sordidiore ueste: hoc gestu & habitu animi tristitiam testantes, ut Psal. 35. & alibi in plurimis locis. Et Leuitici 23. Ieiunium quod die propitiationis dominus Iudæis præcipit, adflictio animæ uocabatur.

In Puluere quoq; solebant iacere, qui uehementer lugerent, ut de Dauide lugente moriturum puerum, & Niniuitis legimus. Hinc dicit Psal. 102. se puluerem uelut panē esitasse, dum nimium pronus in terram procumberet. Id in Psal. 22. Lingere puluerem uates dixit. Quid autem sit Puluerem pedum lingere, uide in uerbo Lingere.

Puluis

Puluis est consummatus, prouerbialiter ponitur apud Esaiam 16 cap. pro conculcatione aut cõminutione, ut ex sententia prophetæ constat. Puluerẽ pascere apparet quoque omnino prouerbialis sententia apud Iudæos fuisse, cuius Esaias 44. meminit: Pascens puluerem, id est, custodiens: qua usi sunt quando quis studium quidem aliquod sectaretur, ac prorsus friuolum ac inutile.

Puluerem deniq; iactare in aera, summa incandescẽtiæ signa, Acto. 23. Tolle de terra hominẽ istum, nec enim fas est talẽ uiuere. Inde iam erant illa indignationis plena uerba. Vestimentum & Puluerem iactare in aera. Pulueris deniq; excussio adumbrat impiorum interitum. Matth. 10. ut quemadmodum citra negotiũ excutimus puluerẽ, ita dominus impios nullo negotio disiiciet à conspectu suo. Et hoc quidẽ Icon apud prophetas uulgatissimum est. Vbiq; enim, Impij, aiunt, disiicientur à facie domini ut solet puluis à facie uenti. Exemplum excussionis habes in Actis cap. 18. Talis contestatio est, Mat. 23. in fine cap. Item Matth. 11. Actorum 13 & ult. cap. Ligarunt autem hoc modo Apostoli quos ex ore & sententia domini cœlo excludere ac diabolo tradere uoluerunt.

¶ *Pullus asinarum*, pro asino, more scripturæ, Matth. 21. sumitur. Figura enim est illa propheteris familiarissima, qua idem mutatis uocibus geminant, עיר enim quod nostri pullum solent reddere, non pullum propriè sed idoneum iam equitationi iuuencũ significat, ut ex Iudicũ 12 & alijs aliquot locis satis liquet. Matthæus ergo cap. 21. pro pullo filio asinarum, pullum filium subiugalis posuit, epitheto asinæ, pro asina abusus. Sedens inquit, super asinum & pullum filium subiugalis. Idẽ enim est, cum eo quod prophetа dicit. Sedisse super asinum pullumq; asinarum. Et reliqui tres Euangelistæ memorãt cum propheta Zacharia, licet simul asina fuerit domino adducta, & est Synecdoche, quod Matthæus scribit, Dominum sedisse super eos.

Pulli Coruorum nobis in scriptura, in fidei argumentũ proponuntur, Psal. 146. Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.

¶ *Pupilli* significatu ueniunt quicunq; & sua & aliorum ope destituti, quorumlibet iniuriæ patent, quiq; sunt rerum omnium inopes, qui sibi nequeunt consulere, neq; est qui natura cogatur ad illarũ curam suscipiendã. Nam ij sunt, qui cognatis quoq; carent. Sic olim patres in Ægypto tanquã pupillos domini eripuit quos Ionathas apud Osee 14. per Pupillũ intelligit. Psaltes 10. Psal. de his canit. Aliàs solẽt adiũgi Viduæ quę & ipsæ malorũ improbitati peculiariter, q̃d defensoribus careant maritis, solẽt esse obnoxiæ. Pupilli & Viduæ plerunq; ex persona ecclesiæ accipiendi, Iob 24. Rapuerunt ab ubere pupillum. Vide D. Augustini Annotationes in Iob libro uno cap. 24.

Pupillam oculi Hebræi uocant filiam oculi, hoc est, intimum & principale in oculo, nigrum illud in medio oculi, Hiere. Thren. 2. Neq; taceat pupilla oculi tui, &c.

¶ *Puteus* pulchre gerit imaginem carnalium uoluptatũ apud Ioan. 4. Num tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis hunc puteũ. Meminit & huius D. Augustinus. In Puteũ deducere, Psal. 68. In Puteũ semel quispiã delapsus, nõ habet quo se expedi at, sed manere ibi cogitur ac perire, recte in Psalmis pericula præsentẽ intentantia mortem hoc uerbo significatur. Sic Psaltes ait: Deduces eos in puteũ interitus. Et Psal. 68. Nõ demergat tempestas aquæ, neq; absorbeat me profundũ, neq; urgeat super me puteus os suum. Puteum aut foueam parare aut effodere cuipiam, metaphorica loquutione idem est, atq; exitium struere, Psal. 7. Psal. 57. & 93. & Hiere. 18.

¶ *Purgare*, est ad fructum ferendũ parare, Ioan. 15. Ego sum uitis, & pater meus agricola est. Omnem palmitẽ in me non ferentẽ fructum tollit, et omnẽ qui fert fructũ purgat, ut fructum copiosiorem afferat. Sancti sine fide multis obnoxij sunt calamitatibus cupiditatibusq;, & in numeris diuexantur tentationibus, ut quamuis gratia per fidẽ sint in Christo sanctificati, & faciant iam opera bona, patris tamen cœlestis cura, inspectione & purgatione in singula propè momenta indigeant. Sancti ergo simul & sancti sunt & ampliore indigent sanctificatione.

¶ *Pythonis* spiritus pro oraculo, aut spiritu diuinante, Lucas in Actis capite 16. accipit per antonomasiam. Puella quædam habens spiritum Pythonis. Nam spiritus Pythonis aliud non erat quàm uirtus, hoc est impostura dæmonis. Damnatur hic spiritus in scripturis sanctis, Leuit. uigesimo. Deut. 18. 1 Regum 28. Et Esaiæ 8. Intelligimus autẽ hoc loco uatidicum siue ueridicum, aut diuinantem spiritum quales erant qui à ueteribus consulti, responsis & oraculis imponebant, interim etiam uera canentes. Nomen

autem

autem sortitus est ab Apolline Pythio, quod in eius delubris frequentia proderetur oracula, adeo ut nunc Apollinis spiritus, aut per antonomasiam Pythius, siue Pythonicus spiritus ponatur pro oraculo, aut spiritu diuinante.

Q

Quadragenarius numerus multis domini operibus celebris factus est. Ter quadraginta annos dedit dominus spatium respiciendi mundo, priusquam tempore Noah, diluuio humanum genus disperderet. Quadraginta postea dies inundauit diluuium. Decies quadraginta annis peregrinatus circumducti fuere in deserto. Mose secundo quadraginta dies apud dominum pro lege recipienda absq; cibo mansit Exodi 23, & 34. Elias quadraginta dies ambulauit, usq; ad montem dei Horeb. Quadraginta dies in ritu Ezechiel, cap. 4. Ezech. Quadraginta dies ad resipiscentiã Niniuitę habuerunt. Quadraginta diebus approbauit Christus discipulis suis resurrectionem suam. Quadragesima dies ieiunauit Christus, Matth. 4. Quadragesimo anno post passionem domini apprehendit Iudæos, ultio per Romanos, autore Egesippo. Ex his subapparet, Quadragenarium numerum præparationi atq; peccatorũ expurgationi sacrum ferè habitum. Iste conuenire ieiunio, orationi, sacco, et lachrymis, et perseuerantiæ deprecandi, ob quod et Moses, Helias & Christus quadraginta dies ieiunasse scribuntur.

¶ *Quadrans* apud Matthæũ cap. 5. significat debiti uel minimã portionem esse soluendam autor est D. Augustinus lib. de sermone domini in monte. 1.

¶ *Quadrigæ* & Equi in scriptura humanam potentiã significant, à quo auocat gressus nostros, ne in principibus fortibus, & filijs hominũ spem seruandam ponamus, ut cernere est in Zacharia 6 cap. Hiere. 17. & 30. Hoseæ ult. & Micheæ 3. ac innumeris locis.

Quadrigæ apud Zachariam cum equis, nihil aliud sunt, quàm quatuor plagæ mundi, cœli scilicet portiones, oriens, occidens, auster & aquilo.

¶ *Quantus*, uox est admirationis, ut apud Matthæũ 24. Quantus, id est, quanti obsecro pretij est fidelis seruus ac prudens: ut oratio admirationis habeat, & speciem exclamationis sicut illa in nostrate lingua, O vvie ein gros ding ists vmb ein vvysen vnd truvven knecht. Quantus namq;, more hebraico, qui dicunt Mi, uel Ma, quod non solũ quid aut quis, sed quantum & quantus significat. Sic de Manna dicebant: non solũ quid est hoc? sed quantum? per admirationem tantæ rei quæ cœlitus dabatur.

¶ *Quærere* apud D. Paulum quod requirere. 1. Cor. 4. Quod reliquum est autẽ quæritur in dispensatoribus. Item, pro uelle, Ioannis 7 cap. Quærebant eum interficere.

Quærere & non inuenire, tropus scripturæ est, quo significanter inquisitionẽ et manifestationem maliciæ, eius esse destructionem & perditionem, Psalmo 9. Quęretur peccatũ illius & non inuenitur, non ut nemo sit, sed non possit. Sic dolus quoq; quàm primum cognitus fuerit, mox sine uiribus, aciam non dolus est, sed sua ipsius ignominia. Ira enim de perditis & uulgo quæritur, in sultãdo. Vbi sunt? quò abierunt? eo tropo quo Deut. 32 dicitur: Et dixi, ubi nam sunt? Cessare faciam ex hominibus memoriã. Et Esa. 14. Quomodo cessauit exactor? quieuit tributum. Non sic autem potentia, quæ etiam cognoscatur, non ideo definit, imò cognita maxime ualet, ipsa potius à deo conterenda & frangenda est, testimonio Psalmi noni.

Quærere faciem dei aut domini, est amplecti uerbum et cultus in uerbo propositos. Hæc enim proprie facies dei est, qua se reuelat et nobis quasi conspiciendum offert, uerbum scilicet & cultus externi, uerbo mandati.

Quærere ergo deum aliud nihil est, quàm amplecti uerbum, uerbo attendere, uerbo parere, non instituere alios cultus, non credere aliam salutem, quàm uerbum ostendit. Deum contemnere, est negligere uerbum, fingere cultus præter uerbum, niti in alijs rebus quàm uerbum iubet.

Quærere item faciem domini, pro consulere oraculum domini. 2. Regum 21 cap. Sic aliter accipitur 3 Regum 10 cap. Item, 2. Paralip. 9. Quærebatur uultus Salomonis, id est, omens erant cupidi uidendi Salomonis faciem.

Quære bonum filijs Israel, locutio est, Nos diceremus: Operã dare Israeliticæ genti, ut illi bene res succedat, aut bene uelle ac cupere isti genti, &c. Nehemiæ 2 cap.

Quærere

Quærere orationem, est captare occasionem loci, temporis ac argumenti necessarij ac sancti de corde puro ac feruente, Danielis 9 cap.

¶ *Quærere dominum*, primum est, illum obseruare & uoluntatem illius inquirere, ac studiose colere. Hoc est, studere, ut sciat homo illius beneplacitum, & dum didicerit, annitatur oretq; ut possit quod debeat, cupere illi per omnia probari, tota fiducia in illum incumbere, quo tandem illi contingat ad uisionis beatæ brauium peruenire. Thren. 3. Animæ quærenti illum. Psal. 14. Vt uideat num sit intelligens quisquã, aut quærens dominum. Et Hiere. 10. Dominum non quæsierunt, ideo non intellexerunt. Deinde, Quærere dominum, est auxilium & gratiam illius quærere & inuocare. Sic. 2. Paralip. 16. de Asa legitur, quod ne infirmus quidem dominum quæsierit. Et Esa. 55. Quærite dominum, inquit, dum inueniri potest: inuocate eum, dum prope est. Coniungantur ista, ut simus non modo inuocatores dei, sed & uoluntatis illius obseruatores. Et Psal. 9. Quoniam non derelinquis quærentes te Domine. Nõ Derelinquere dominum quid sit, non potest melius cognosci, quàm si expendas quid sit animũ in necessitatibus derelinquere. Est autem hoc, cum primis illum animo uel contemnere, uel odio prosequi, & extinctum uelle. Deinde & omni auxilio & consilio destituere. Ergo non derelinquere, est primum animo complecti beneuolo & amico, deinde omnibus uiribus pro necessitate fueri. Nam hi demum sunt uerè quærentes Dominum, qui illum utroq; modo quærũt, & hos ille non desit unquam.

Quærere. 1. Regum 13 cap. ait Augustinus de ciuitate dei lib. 17 cap. 6 allegat. Et quæret dominus sibi, &c. Non quasi nesciat ubi sit, ita deus sibi hominẽ quçrit, sed per hominem more hominũ loquitur, qui & sic loquendo nos quçrit. Nõ solum enim deo patri, uerumetiã ipsi quoq; unigenito eius, qui uenit quçrere quod perierat Lucç 19. Vsq; adeo iã eramus noti, ut in ipso essemus electi ante cõstitutionẽ mundi. Quçret sibi ergo, dixit pro eo ac si diceret, quem suũ esse iam nouit, sibi esse familiarẽ alijs ostenderet. Hæc ille.

Quçrendi dictione porrò, apud Ioan. 7. nõ nudã uoluntatẽ, sed malicioſum potius, insidiosum, cautũ et solicitũ, conatũ ac studiũ prehẽdendi dominũ exprimit. Nõ simpliciter dicit Ioan. Quçrebãt enim apprehendere: sed, Quærebãt ergo eũ apprehẽdere, &c.

Quærere quoq; Dominũ interdũ est publico iudicio cõtendere, & petere in causa sua sententiã legitimã, quæ est sententia dei, quæ uel per Mosen, uel per ordinarios iudices pronunciabatur, Exod. 33. cap. Et omnis populus qui habebat aliquam quæstionem.

Quærere deniq; animam non in bono tantum, sed etiam in malo solet in scripturis dici, Psalmo 39. Cõfundantur & reuereantur simul, quærentes animã meã, ut auferant eam, Est infidiari uitæ hominis. Einem vff synem leben nach stellen, ut uidere licet Hieremiæ. 11. Et Exodi 4 cap. Qui quærebant animam tuam, id est, qui uolebant te occidere. Similis hebraica locutio est Matth. 2 cap. Defuncti sunt qui quçrebant animam pueri, pro occidere. In bono, Psal. 141. Non qui quærat animam meam.

Quçrere regnum dei, Matth. 7. Nimirum ut primum, id est, ante omnia quçratis regnum & iustitiam eius, hoc est, operam detis, ut bonitatem ipsius quàm plurimi nobiscum uere agnoscũt, sedulo colant, sanctq; adorent, fide in eum, & dilectione erga proximos solidam iustitiam sectantes.

Quærere atqui deum tota anima, est deum toto studio suo quærere, illum obseruare & uoluntatem illius inquirere, ac studiose colere, Psal. 14 & 9. Deinde est auxiliũ et gratiam illius quærere & inuocare. Sic 2. Paralip. 16 de Asa legitur. Et Esa. 55. Quçrite dominum. Coniungantur ista, ut simus non modo inuocatores dei, sed & uoluntatis illius obseruatores. Nam hi demum sunt uere quærentes dominum, qui illum utroq; modo quærunt, & hos ille non deserit, Deut. 4. Quærere dominum, pro consulere, Exod. 33. & opem poscere inter aduersa à domino.

¶ Que pro ut, Geneſis 17 cap. Eritq; pactum meum in carne uestra. in fœdus æternum. Hebraismus, pro, ut sit signum mei in carne uestra præputium. Sic Que coniunctio, sæpe reperitur pro, ut.

¶ Quæso: hæc particula Hebræis magnã uim aut adhortandi, aut obseruandi habet, quàm Latini per obsecro uel quæso sæpe reddunt, Nonnunquã per Age, Agedum, Eia, Gene. 22, Tolle quæso uel obsecro filium tuum unicũ. Latinus dicit unigenitum. Sçpissime conglutinant Hebrçi consignificatiuũ Na, cum Imperatiuis, quemadmodũ in Hosia Na, ut Sa Na, id est, tolle quæso, Lechna, id est, abi quæso, Kumna, id est, surge quæso.

Geſana,id eſt,accede quæſo.Tenna,id eſt,da quæſo,Kana,id eſt,accipe quæſo,Inuenies id genus multa in Hebraicis Bibliis.Na illud cohæreſcit etiam aduerbijs,ut:Alna,id eſt, ne quæſo,Germanice,Ach nit.

¶ *Quieſcendi* uerbum, pro adflandi & adſidendi ac pro præditum eſſe accipitur, Eſa. 11.Et requieſcet(ſic uertit Hieron.)ſuper eum ſpiritus domini,ſpiritus ſapientiæ et intellectus,etc.Præditum ergo fore Chriſtum prædicit ſpiritu ac mente diuina,ſapiente,prudente,ut omnia ſciat & intelligat,ut conſilio & uiribus polleat,omnia prouideat, & patrem obſeruet tamen,quæ illum obſeruantia commendabilem ſit factura,tum apud deum iuxtà humanam naturam,tum apud homines iuxta utranq;.

Quieſcere,Prouerb. 24 cap. ſententia Theologorum in Hebræo ſignificat infirmum fieri.Quid autem eſt infirmari,Eſt nos crucifigi & mortificari,& omnino ad deſperationem adigi,ſed eripimur & glorificamur cum Chriſto,quum quieuerimus,hoc eſt,nos deo eripiendos & ſaluandos commiſerimus.Cęterũ de triplici quiete conſule Vulgariũ.

Quieſcere deum in nobis,eſt non monere creaturas, ut agant naturalia opera,ſed abſorbere nos intra ſe,ubi eſt æterna quies,id quod uerum Sabbatum eſt.

Quieſcere in ueſtimentis pignoraticijs iuxta altare. Eſt bonis contra legem per calũnias à pauperibus raptis nouos dei cultus inſtituere.

¶ *Quia*,expoſitiua nonnunquã eſt, Hiere. 2. Quia tranſire ad inſulas Cithim. Sicut Græci ὅτι,ut Dominus Centurioni dicit ὅθ' ὁ παῖς σου ζῇ,quia filius tuus uiuit:quam dictionem Latini commode omittant,& dicunt:dicit ei Dominus,filius tuus uiuit.

¶ *Quis*, pro quantus interdũ accipitur:ut, Quiſ putas eſt fidelis diſpenſator, Mat.24. pro quantũ putas eſſe fidelẽ diſpenſatorẽ.Quis pro,ubi:Galat.4.Quæ igiẽ eſt beatitudo ueſtra,ac ſi diceret:Vbi eſt beatitudo ueſtra.Aliquãdo pro raro,uel nullo,uel nihil.Ioan. 12 & Pſal.106.Quis loquetur fortitudines domini,Rom. 8.Quis nos ſeparabit à charitate dei,Abacuc 2.Quid prodeſt ſculptile, quia ſculpſit illud fictor ſuus.Et Ioan.6.Vt ipſo edat aliquis,& nõ moriatur Græce ἵνα τις,id eſt,ut quis.Poſita eſt hęc particula Hebraico more in genere,pro eo quod eſt, ut quiſq; quẽ ſenſum Hebræi ſubinde per τις exprimunt,nec inſolens eſt hominẽ Hebræum etiam Græce ſcribendo Hebraiſmis uti.

¶ *Quis det,tribuat.* Mos eſt ſcripturæ aliquid deſiderãtis,ut dicat:quis det:aut quis dabit:pro utinã det,ut ille modus optantis.Hebræi hac loquutione utuntur uice aduerbii,utinã.Et eſt optatiua locutio,Exod 16.Quis det mortui eſſemus in manu domini in terra Ægypti,hoc eſt,utinã mortui eſſemus.Septuag. ὄφελον,id eſt,utinã,Iudic.9.Quis det ut iſte populus ſit ſub manu mea.pro,O ſi contingeret mihi imperiũ ſuper iſtũ populũ. Vtinã inquit Moſes,talẽ habeant mentẽ.Quis tribuat.Et quis det. Hebræis interrogãdi ſunt formulæ,quæ & optãdi:Quis oſtendat,hoc eſt,exhibeat,idẽ illis eſt, atq; utinã det: ò ſi cõtingat,utinã uidere liceat. Vtinam omnis populus propheret.Et quis dabit capiti meo aquas:id eſt,utinã dentur capiti meo aquæ.Pſal.4 & 14.Quis det è Zion ſalutẽ Iſraeli,idẽ eſt quod utinã.Et Numer.12.Quis det omnẽ populum domini eſſe prophetas: quod idẽ ualet atq; utinã ſint omnes prophetæ.Simili affectu dicit Hiere.9 cap. Quis dabit capiti meo aquam,id eſt,utinam.Et Dauid,Quis dabit mihi pennas & uolabo.

¶ *Quiſquiliæ*, χνοῦς græce,Motz hebraice minutias ſignificat palearũ,quæ prorſus nulli uſui accommodatæ ſunt,tantũ diſperſæ uento omnia cõmaculant,& oculos hominũ lædunt.Hoc nomine Quiſquiliarum,inanitas atq; fugacitas improborum notatur, ut Pſalmo 1.Non ſic improbi,ſed ſicut Motz,id eſt,quiſquiliæ,quas diſpellit uentus,& alibi Dauid imprecatur hoſtibus ſuis,ut ſint uelut Quiſquiliæ expoſitæ uento,Et Eſa. 17 cap.de diſpergenda multitudine populi aduerſarij: Perſecutione, inquit, agentur, ceu quiſquiliæ in montibus expoſitæ uento. His quid eſt inanius?quid æque fugax?Sic ſunt omnes,qui deum ignorant,utcunq; oculis carnis uideantur mihil nõ poſſe,& elle, &c. Impij ac inimici dei, ut Eſaiæ 29.Paleis, ſtipulis, quiſquilijs, puluere comparantur. Item Quiſquiliæ apud Ezechielem traditiones humanas denotant,Ezech.5 cap.

¶ *Quotidie*, Lucæ 9,cap. καθ' ἡμέραν more Hebraico hoc dicitur Iom beiom, hoc eſt, de die in diem,Ein tag und alle tag,fur vnd fur, vvie gott das creutz vfflegt. Sic inquit,ſubducas in adducto capite:Si quis me uult ſubſequi,abneget ſemetipſum, & tollat crucẽ ſuã quotidie,et ſequatur me.Crux enim labor eſt,quem cuiq; deus imponit,moleſtia,afflictio,onus.Crux Chriſti cœpit à tenera ætate in mortem uſq;, ſed quiſq; ſuam habet crucem,iuxta uocationem ſuam.Syn arbeit,ampt,dienſt.

Quid

¶ *Quid mihi & uobis*, loquutio est. 2 Samuelis 16. pro, Quid mihi uobiscum negocij filij Zeruiæ? Et in Ioanne 2 cap. Quid mihi tecum rei est mulier? Quod genus locutionis ab Hebræis repulsam cum quadam obiurgatione habet: Germanice, vvas gadts dich an? vvas hab ich mit dir zuo thuon?

¶ *Quàm male faciet*, 2 Regum 12 cap. Si dixerimus ad eum, mortuus est puer, quàm male faciet (supple Dauid) Omnino hic Germanismus est. Solemus enim dicere: Ei vvie vbel thut er, nimirum de eo cuius res in arctum contractæ sunt. Interpres noster prouerbio sententiam reddidit, se adfliget inquiens. Septuaginta uero Hebræum expresserunt. Quàm malefaciet, id est, ut insaniet præ uehementissimo dolore animi.

¶ *Quomodo uos?* hoc est, quomodo habent se uestræ res? Iudicum decimooctauo cap. Sic in lib. Ruth. cap. 3. Quid tu?

R

Racha Hebrea dictio est, quæ ita scribitur רקא & significat malũ, seu adflictionem. Erasmo Roterodamo uidetur esse uox indignantis, uelut Interiectio. Alioqui ait, quid intererit inter Racha & Fatuum? Consentaneum est enim Christum Matth. 5. cap. gradus quosdã ostendere, quorum primus sit irasci: secundus sono aliquo incerto motum significare: tertius in manifestum conuitium prorumpere. Atq; ita sentit D. Augustinus Commentariorum, quos in hunc ædidit locum, lib. 1. addens: sed id à Iudæo quopiam accepisse, Racha, Hebræis interiectionis instar esse, eaq; uoce nihil certi, sed tantum animi indignationem significari. Fortasse fuit ea uox temporibus Christi uulgaris irascentibus, quemadmodum hodie frequentissima est in omnium concitatorum ore, illa indignatione turgidissima aposiopesis, das dich. Intelligimus autem vil vnglucks angang. Et sunt qui interpretantur Raha, malum tibi, id per omnia æquipollet, das dich. Esset igitur sensus istius textus: Non is tantũ homicida est, qui alterũ manu trucidat, uerumetiã is qui alteri malũ aut afflictionẽ quandam imprecatur, obnoxius erit concilio. D. Chrysostomus ait, Syriaca lingua Racha perinde esse, atq; es tu, uti irati, subinde quæ commotus animus conuitia suggerit, premere solent, ita tamen & sono aliquo indignantis animi, paratos se ad conuitiandum prodant. Consule ipsum Chrysostomum latius in Matth. 5. Homil. 11. cap.

D. Basilius ait, uerbum suæ regionis populo peculiare, leuioris conuicij gratia aduersus familiariores usurpatum. Sunt qui illi certam significationẽ assignent, utpote quod significet hominem nihili. Simplicius est ac uero similius, ut dicamus esse animi cõmoti, & intra se frementis interiectionem, qua ueluti signo quodã indignantis fremitus proditur. Intelligendum Matthæi quinto capite, damnari omnia qualiacunque rancoris & maleuoli animi signa, quouis illa modo prorumpant, siue murmurando, siue frendendo, siue expuendo, siue faciem auertendo, siue frontem rugando, siue nasum suspendẽdo, siue fremendo. Nam huiusmodi signis irascentis animi commotio plerunque proditur, quemadmodum & diligentis suauitas certis ac peculiaribus notis significatur, Geneſis trigesimoprimo capite uidere est. Plura de hac uocula apud Diuum Hieronymum, Theophil. & reliquos doctores Ecclesiasticos, quorum omnium scripta sane expendenda, & cum iudicio legenda sunt.

¶ *Rachel* plorat filios, per synecdocham Israelem intelligit scriptura apud Hieremiã trigesimoprimo, totũ. Rachel mater Ioseph, & Ioseph frequẽter pro Israele ponitur, Matthæi secundo capite. Vox audita est in Rama, &c. Rama est appellatiuum, & significat excelsum. Proinde auxesis est: perinde ac si dicas: Vox astra ferit. Nam per hypotyposim fingit tantum fuisse Bethlehemiticarũ matrum eiulatum & planctum, ut in aere et cœlo ipso intonuerit. Neque uero coactum est per Rachelem intelligere non tantum mulieres decem tribuum, sed & matronas Bethlehemiticas, ut nomine Rahel regio Bethlehemitica, à propheta significetur. Nam Rachel cum è partu expiraret non longe à Bethlehem, ad ipsam sepulta est à marito. Imò pro toto Israele ponitur, ut annotatũ est.

¶ *Racemare* sæpe in prophetis, idem est quod despoliare & expilare, Esaiæ tertio capite, Populum meum exactores eius racemant, id est, ita expilant, ut uix obulus superfit, sicut quis post uindemiam etiam racemos auferret. Sic & Micheæ septimo capite, Heu mihi, quia factus sum sicut colligens ficus, sicut racemos uindemiæ. &c. Racema-

tionem comparat prædicationi, ubi exprimendæ sunt unæ, & exhilaranda pectora uerbo domini, & erudienda.

¶ *Racemus, Iuncus*, pro forti, & Iuncus pro imbecilli, Esaiæ 9 cap. Et succidet ramum & iuncum. Racemi ecclesiæ dei sunt electi, Ioannis decimoquinto capite, Ego sum uitis, uos palmites.

¶ *Radix* pro origine, Ezech. 16. Radix tua & generatio de terra Chenaan 1. Timoth. 6 cap. Radix omnium malorum est auaricia. Per Radicem latentes cogitationes exprimuntur, Esaiæ trigesimoseptimo capite. Et quod reliquum, mittet radicem deorsum, & faciet fructum sursum.

¶ *Rapere seu Rapina* significat quæq; deuastare, depopulari, perdere. Hinc Rapina, depopulatio, ut apud Abacuc 1. cap. Rapina & Temeritas fortem significationẽ habent. Primum, nõ simplicem rapinam indicat, sed uelut perditionẽ ac depopulationem: sicut domus aliqua uel ciuitas destruitur & desolatur. Nam quũ Abacuc dicere uolebat quo modo alius alium perderet et ad inopiam redigeret, ædibus, agris, adeoq; cunctis bonis priuarentur, non secus ac si perditi desolariq; essent, ut & in ciuitatibus, tum prouinciis fieri solet. Vbi nulla siue æquitas, siue ordinatio locum habent, diuites et tyranni pro libidine quiduis perpetrant. Vnde & altera dictio Temeritas uocatur, hoc est, iniuria, ceu ij quibus nulla sit cordi iustitia. Rapinæ item appellatione ueniunt fallæ delationes, iniuriæ, usura, interuersi contractus, & copia male parrarum, cauillosis furacibusq; astutiis parta. Quæ omnia irruptionibus congestarum. Psalmo sexagesimosecundo. Et Rapinas nolite concupiscere, & cætera.

Rapere de ara, uolunt Hebræi hac loquutione significare, non debere turum eiusdem micidam, uel in sanctissimo loco qualis est ara. Hic mos ad aras confugiendi erat apud gentiles fuit, de quo in libris Regum & alibi plura. Rapi in nubes 1. Thess. 4. Rapiemur in nubibus: hoc est, in sublimum, in altum, & per nubes subduci.

Raptores sunt boni et mali. Boni quidem illi, de quibus saluator, Matth. 11. cap. Quia regnum dei diripiunt. Sunt autem & mali, de quibus dicit propheta Esaiæ 3. cap. Et rapina pauperum in domibus uestis. Apostolus uerò abrupte. 1. Cor. 6. Neq; fures neq; raptores seu rapaces regnum dei possidebunt.

¶ *Ratio*, Verbum, sermo, Hebraice Dabar apud Ioannem cap. 1. idem sunt. Ratio quædam est, quæ apud Græcos λόγος appellatur, quæ inter patrem & filium personas uel uocabula distinguit. Quia ipse filius Ratio dicitur, quæ ramẽ ratio multis nominibus appellatur. Modo enim uerbum, modo uirtus, modo sapientia, modo dextera, modo brachium, modo salus, modo fons, modo petra, modo lapis angularis, modo agnus, modo leo, modo uita, modo ueritas, modo uia, cum sit deus omnia in omnibus. Et per hæc uocabula diuinarum dispensationum mysteria cognoscuntur. Nam & ob hoc uerbum nuncupatur, quia & proprie diuino ore processit, & nihil pater sine eo aut iussit aut fecit. Virtus dicitur, quia uere de deo, & semper cũ deo, & omnis potestas patris in eo cõsistit. Vide D. Hilarium de patris & filij unitate.

¶ *Recedere*, pro accedere, Amos 6. cap. Et recedet gaudium lasciuorum. Kimhi. Et recedet uocabulum accessionis, sicut recede, sede hic, recede quæso & uidebo.

Recedere à deo, est abiecta fide in deum, fidere hominibus, et eorum ope niti, Hosea 7 cap. Væ eis quoniam recedunt à me.

¶ *Recipere* est agnoscere, uenerari, exosculari, credere, Annemen vnd einen dafur haben, das er ist, Ioannis 1. cap. Sui ipsum non receperunt. Recipere sermonem cum actione multa. 1. Thessal. 1. Recipiunt qui credunt, & uitam suam ad illud componunt. omniaq; illa aduersa pro nomine domini subire non horrent, quæ ipse dominus & apostoli subierũt. Proinde amplissima laus est deo obedire, & uerbum ueritatis recipere.

¶ *Rectus* Hebraice Iascar dicitur, qui nihil à iustitiæ æquilibrio uariat, qui ita omnia ut maxime decet, ut proximis commodissimum est, & dicit & gerit, quem & æquum & iustum iure uocamus. Græci huiusmodi ἐπιεικῆ uocant, qui non spectat quid sibi quoquomodum sit, quid iure uendicare queat, summo iure, quod summa iniuria est, & summa (ut Columella inquit) crux, agere indignum se dicit, eoq; omnia ex æquo & bono exprima scilicet fide uiri boni, qui eum si aliis exhiberi sibi optat, cognoscet, æstimat, & constituit. Tales scriptura cum Rectos, tum corde Rectos, uocare solet. Hinc Rectus pro iusto, Psal. 48. & 25. uersu 21 & 8. Dominus bonus & rectus est. Ergo Recto

Ergo Recto corde sunt, ij qui de deo recte sentiunt, & erga proximos recta afficiuntur fide, & dilectione solidi feruentesq;.

Recte igitur dicuntur de quibus Psal. 107. Recti reuerebuntur & lætabũtur, &c. hoc est, recto in rebus iudicio præditi, & æqua in omnibus uoluntate sancta curiositate extendunt, mirum in modum in studio religionis promouent, secure sese deo cuncta pro suo arbitrio moderanti committentes, & in omnibus hoc unum operam dantes, ut ipsi sese approbent. Hi sunt Iusti & Recti, hoc est, hac incumbentes, ut ex bono & æquo cum omnibus agant. De his quoq; Psal. 33. Ouate iusti in domino, rectis conuenit laus.

Et sicut enim Rectum scriptura uocat, qui simplici animo stat promissis, & præceptis dei uiuit: ita curuum & obliquum atq; peruersum uocat, qui fidem deo datam uiolat, & à iussis eius declinat. De hoc Psal. 18. canit.

Rectus spiritus dicitur Nachon, Hebraice, cui nõ libeat nisi quod sanctum est, quod deo gloriæ & proximis sit saluti, de quo spiritu recto integro & firmo Psal. 51. canit.

¶ *Rectum* domini uerbum est & dicitur, quod mentiri nequiens, id quod recipit, re ipsa præstat. Nobis item Rectum, quia nos iustos & rectos efficit, quotquot illi ex corde credidimus. Sicut enim deus iustus est, & iustificans, ita uerbũ quoq; eius, quod ipse est, Ioan. 1. est rectum & rectificans. Nam Rectitudo alia non est, & iusticia corã deo, quàm fides in uerbum eius, Psalmo 23. Rectum est uerbum domini.

Recto denicq; pede incedere, Gal. 2. Verum quum uidissem, quod non recto pede incederent ad ueritatem euangelij. Sicut hi qui sanis gressibus claudicare se simulant, non uitium habent in pedibus, sed est aliqua causa cur claudicent. Ita et Petrus sciens circumcisionem & præputium nihil esse, sed obseruationem mandatorum dei, edebat quidem ante cum gentibus, sed pro tempore ab eis se, ne Iudæos à fide Christi perderet, subtrahebat. Recto ergo pede incedere, est Rectam, iuxta prouerbium, ambulare uiam. Non Recto pede incedere ad ueritatem euangelij, est deflectere à uero, & claudicare in duas partes iuxta Heliæ sententiam. Nam Petri simulatio aliud non erat quàm claudicatio, ut qui non nesciret tam Iudæos quàm Gentes sola dei gratia per fidem Iesu Christi purificari, interim uerò à Gentibus ceu immundis se separabat. Itaq; D. Paulus prouerbiali figura inconstantiam & errorem Petri notauit.

¶ *Recordari* uerbum, pro mentionem facere positum reperimus, ut Genesis 40 cap. quod Latinus: Recordatus est inter epulas magistri pincernarum, & pistorum principis. Recordari hic pro mẽtionem facere usurpatur. Recordatus est rex captiuorum, hoc est, consideronem censuum, & mentionem de ipsis in seruis habuit: instabat enim conuium, opus erat, ut officijs singulis singulos præficeret.

Recordari item, pro misereri, Genesis 8. Et recordatus est dominus Noah.

Recordatur deus nostri, quando nostri quum suppetias fert & nobis auxiliatur, ut Psal. 73. Memento congregationis tuę, quam possedi ab initio, hoc est, illi auxiliare. Tum deus nostri obliuiscitur, dicitur, quum à uobis suum auxilium subtrahit. Peccatorũ autem nostrorum quasi obliuiscitur, dum illa dimittit, ac nos pro illis minime punit. Psal. 78. Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, &c. Id est, illas nobis dimitte, & pro illis nos minime puni ut meremur, propter quod subiunxit: Cito anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis. Tum uero illorũ dicitur Recordari, cum ea non remittit, proq; illis sua flagella immittit, ut Psalmo uigesimoseptimo, Memento esto improperiorum, &c. Et Psalmo 126. Memento esto domine filiorũ Edom, &c. ad hunc modum intelligitur.

Recordari ergo dicitur dominus iniquitatũ, quas antea (dum nõ puniret) uidebatur aut nescire, aut oblitus esse, quando iam uindictam de illis sumit, Apocalyp. 18. Et recordatus est dominus iniquitatum eius.

Recordari denicq; deus dicitur, qui nunquam obliuiscitur, quando facit nos credẽtes recordari: ut, Gene. 9. Arcũ meũ ponã in nubibus, etc. Cumq; obduxero nubibus cœlũ, apparebit arcus meus in nubibus, et recordabor fœderis mei uobiscũ. Hæc Augustinus.

¶ *Reddere* pro facere, Genesis 50 cap. Et reddendo reddet uobis omne malum quod reddidimus ei. Septuaginta ἀνταπόδωμεν, id est, ostendimus.

¶ *Redemptor* seu Redimens, pro, propinquo, Ruth. 3. cap. Est redimens propinquior me. R. Dauid Kimhi. Redimens uocatur propinquus, quia sibi competebat ius redemptionis. Leuit. 25 capite. Redemptorem uocat propinquum, quiuis habet redimendi id

quod frater eius necessitate compulsus uendiderat.

Redemptio significat precium, quo redimuntur captiui ab hostibus in bello aut à piratis. Siquidem quæ Galli uulgo Ransonas uocant, Græi λύτρα uocant. Vide annotationes Erasmi in nouum Testamentum.

Redemptio temporis aut Redimere occasionem, uide in litera T, & in nomine Tempus. Redigere in puluerem, est idem quod aboleri. Vide in litera L. In lutum deduci. Itē, Redigere in aceruum, uide quoq; suprà.

¶ *Reducere ad cor*, id est, in memoriam tuam, Deut. 30. Et reduxeris illos ad cor tuum. Reducere in terram, est reducere in uerum dei cultum, id autem spiritualiter contingit, si mentem per Christum patre adoramus.

¶ *Referre* pro exponere Latini utuntur, ut primo quoq; tempore ad senatum referret, id est, senatui exponeret. Consuli à plebe mandatum est, Esaiæ 37. cap. Hæc Ezechiæ referetis, id est, exponetis.

¶ *Regenerationis* dicto idē apud Matth. 19. quod resurrectio: Amen dico uobis, quod uos qui secuti estis me in regeneratione, quum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ. Item, Regeneratio dicitur etiam in scriptura cōuersio, Ioan. 3. Cum spiritus sanctus motus nouos & nouam uitam affert.

¶ *Reges*, pro magistratibus quibuslibet. Nam Hebræi quemuis principem ac summū Regem nuncupant, quod identidem Græcis ac Latinis aliquando in usu fuisse perhibetur, Geneseos 14. cap. Et rex Amorrhæorum, rex Seon egressi, &c. Hi quinq; sententia quorundam doctorum non fuerunt Reges, sed Domini ac Magistratus.

Rex insuper à regendo nomen habet. Hebræi uocant Melech, consulem à consulendo. Olim enim Reges reipublicæ cōsultores erāt. Et Germani Regē appellamus Kinig, uel Kœnig, quasi quis dicat: Kœnig von kœnnen hær, der vvol kan, oder vvol kœnne. à cognitione & scientia uaria. Oportet ergo ante omnia regem sapere siue sapiētem esse, deinde & potentem, qui sibi concreditos, & sciat & possit liberare tuerique.

Rex Israel, rex decem tribuum pro eodem significatu. Post diuisionem regni Hebræorum, uidelicet ætate Roboam & Hieroboā, cœpit rex Israel uocari, rex decem tribuum. Rex uero Iuda, rex duarum tantum reliquarū: nempe Iuda & Beniamin. Regnum Israel signatur sæpe hijs nominibus in libris prophetarum: Ephraim, Samaria, Israel, Ioseph, Iezrahel, Bethauen, Pethel, & interdum Iacob. At regnum Iuda nominibus hisce: Iuda Ierusalem & Beniamin, Hæc ex D. Hieron.

Reges gentiū, ut est apud Euangelistas seu Principes gentiū, loquutio est, pro reges nationū seu principes, die vveltlichē furstē. Nō hi tantū gentibus aut infidelib. imperāt.

Reges terræ, Psal. 2. Herodes duo sunt. Alter pueros interimi iussit. Alter in necē Iesu Pilato consensit.

Regis quoq; nomine deus alienus intelligitur, ut Sophoniæ cap. 1. Iurantq; domino, iurant simul & per regem suum. Quem sibi in deum ac ita supremum regem elegerant, regem suum constituerant, sicut se dominus subinde regem Israelis in Prophetis uocat, iam non unum dominum, deum suum & supremum numen agnoscebant.

Reges Iudæorum & Gentium diuersarum quibus nominibus appellati sint.

¶ *Regum* ipsorū nomina apud ueteres talia fuerūt, ut ipso nomine quid officiū eorū esset, indicaret. Sic Consul Romanus erat qui consuleret toti Reipublicæ & ciuibus uniuersis. Sic Pharao uindex malorū: nā à uindicando nomē habet, ultionēq; Hebræis Pharao significare uidetur, Gene. 41. Ego sum Pharao. Sic intelligimus ex cap. 47 Geneseos, Pharaonis & Ptolemæi postea generale nomen fuisse & esse omnium regum Ægyptiorum.

Rex primus Israelitarum subegit regem Amalekitarum. 1. Reg. patet. Et secundū Messen Gerundensem, quilibet rex Amalekitarum fuit uocatus Agag, transiitq; primi regis nomen in omnes posteros, solium regni occupantes, sicut à Cęsare Iulio primo omnes Romanorū reges Cæsares appellabant. Et Augusti ab Augusto Cæsare ab Iulio regum inquam generales appellationes. Rex eius super Agag, sublimabitur regnum eius.

Sic Abimelech erat apud Iudęos nomē generale Regū illic alienigenarum. Nā & ipse Abraham erat Abimelech, & sub Isaac, & sub Dauide, dignissimum scilicet nomen illorum, qui bene præsunt. Nam Abimelech interpretaturi dicitur, Pater meus rex. Sed ferè fit, ut res non adsit, ubi egregia sunt nomina & tituli insigniores. Et reges Palæstinæ uocati sunt præcipue Abimelech.

Similiter

militer Argiuorum reges dicuntur Abantiadæ Persarum Achemenidæ, Artaxerx quoq; omnium Persarum regum generale. Chaldæorum atq; Medorum Nabuchodonosor. Latinorum Murrhani. Albanorum Syluij. Syriæ Antiochi. Arabum Arabarchæ. Lybicorum Lybiarchæ. Thebanorum Labdacidæ. Iudeæ reges omnes à magno illo Herode, sub quo Christus nascebat, postea cognominatos fuisse Herodes, perhibent. Vide Raphaelem Volaterranum lib. Geograph. 11. Ben adad generale nomen Syriorũ, &c.

Per Regem item Hebræi intelligunt Sophoniæ cap. 1. idolum, ut quum quis nollet acceptare iuramentum per nomen dei ueri factum, parati erant increduli homines iurare per idolum, quod in terra illa colebant.

¶ *Regina cœli* pro luna, Hiere. 7. Vt facerent placentas reginæ cœli. Septuaginta στρατιὰν, id est, exercitum siue militiam cœli uerterunt. Hieronymus Lunam intelligit, & non temere: cum enim genti Israeliticæ neomeniæ sacræ essent, procliue fuit Lunæ cultum de integro adsumere.

¶ *Regnare*, pro prævalere. Psal. 96. Dominus regnauit, exultet terra. Regnare est præesse exemplo & doctrina, ut patet Actorum 20. cap. de Ephesinis presbyteris, & Matthæi 2. cap. Quoque non simpliciter regere, sed pascere & regere, quomodo pastor gregem suum regit. Regnare in æternum & ultra. Exodi 15. cap. Loquutio est Hebraica, species hyperbolæ. Regnet & uiuat. Sic uerba precantium in augurato regi. Et hoc familiare est: Viuat & regnet rex in æternum. Similiter: Regnet dominus, idem ualet illa loquutio, quod uiuat Dominus. Esaiæ uigesimoquinto: Regnet & uiuat deus tuus. Vi uit, dicunt Hebræi, pro saluus erit.

¶ *Regni* dictione intelligitur, dominãdi, gubernandi, imperãdi, ac suos defendẽdi uis ac potestas. Matthæi 6. Quia tuum est regnum. Quasi dicat, utut uideantur quidã esse reges in hoc mũdo, ut nihil nõ possit, tu tamẽ solus es uere rex, & tuũ uere est regnum.

¶ *Regnum cœlorum* quatuor quidem modis nonnunquam in scripturis sacris usurpatur. Primo, præsertim pro gaudio quo fruuntur animæ credentium per fidem ex hac uita migrantes, & ad deum peruenientes, quæq; etiam eius conspectu exhibeantur. De huius lege Luc. 15. cap. Matth. 5. & 25. cap.

Secundo accipitur pro tota congregatione & republica credentium, seu fidelium: hoc est, ecclesia quam quidẽ, in terra deus inuisibiliter regit & inhabitat. De hoc regnõ Mat. 13. & 25. ubi Christus dicit: Simile est regnum cœlorum decem uirginibus, &c. hoc est, nonnulli fideles, in eorum operibus finceri sunt, alij infideles. Hoc latius Luc. 17. capite: Mat. 18. & 17. cap. priori parte capitur pro ecclesia, in posteriori, pro æterno isto regno, in quod aspiramus. Et Mat. 21. & 7. cap. Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnũ cœlorum. Hic Regnum cœlorum non sumendum pro ecclesia in terris adhuc existente, quemadmodũ in multis locis capitur, sed pro uita illa æterna, & futura.

Tertio, pro ipso sacrosancto Euangelio, siue de ipso sermone regni, prædicatione uidelicet de regno dei instituta, imò pro toto mysterio, siue negotio euangelij, siue regni dei, & usitatius pro uerbo dei capitur. Nam sceptrum est, quo deus per corda credentiũ regnat atq; habitat. Ita enim ait Christus. Matth. 5. cap. Quisquis igitur soluerit, &c. minimus uocabitur in regno cœlorum: id est, qui uerbum dei alioqui syncere & pure docuerit, nõ tamẽ secundũ uerbum uixerit, uel suæ doctrinæ conformẽ se reddiderit, ille pro minimo inter uerbi diuini prædicatores reputabitur. Et Matth. 13. Sic etiã regnum cœlorum dicunt scripturæ, attestante Chrysostomo in opere imperfecto, cap. 23. Et Luc. 8. cognitio dei est & gratiæ per Christum partæ. Et Mat. 4. & 11. cap. pro his qui tum prædicabant & fidẽ amplectabãtur. Et Matth. 21. pro gratia dei & euangelica doctrina.

Quarto sumitur pro ipsissima fide. Rom. 14. Non enim est regnũ dei, cibus ac potus, sed iustitia & pax & gaudium in spiritu sancto, Et. 1. Cor. 4. Non enim in sermone regni dei est, sed in uirtute. Breuiter, Regnum cœlorum est, ubi uerbum dei. Quod autem quidam excludũtur & reiiciuntur ex illo regno, parit eorum diffidentia de uerbo per falsam speciẽ pietatis amplectentium, Consule Rabanũ latius, & Cyprianũ martyrem in explicatione illa orationis Dominicæ admodum egregia.

¶ *Regnum dei* & cœlorum ferme idem sunt, sed in locis quibusdam differunt, Regnũ namque & illius uocabulum sæpe significat prædicationem Euangelij, qua regnum dei reuelatur. Iustitia autem, quam prædicatio sanctissimi Euangelij in Apostolo

aut ministro requirit, est quod Euangelion prædicetur diligenter & fideliter & omnia ea, quæ ad hoc ministerium pertinent, perficiantur. Lucæ. 4. Quærite regnum dei & iustiam eius. Ideo Regnum dei, aut cœlorum, cognitio dei est & gratiæ per Christum partæ: nempe, quod per Christum salutem assequamur, quod totũ se nobis in Christo donat, quod peccata remittit, Lucæ 8.

De Regno dei quid sit, nihil arbitror esse obscuri, esse in genere gubernationem illam cœlestem, qua omnia, ad diuinæ maiestatis nutum, cum cœlestia tum terrena dispo nuntur & gubernantur. Luc. 14. & Matth. 25. & alibi.

Regnũ dei est, iustitia, pax, gaudiũ in spiritu sancto, &c. ut augescat: hoc est, ut sancte & inculpate uiuamus, ut nostrum quàm plurimi in regnum dei ueniamus, ut illum regem agnoscamus colamusq;, Matt. 6.

Regnum dei habet duplicem respectum: nam in terris regnat deus inter fideles, fide iustitia ac dilectione in spiritu sancto. Rursus uita æterna & felicitas sanctorum, sine beata uita etiam ipsa dicitur regnum dei.

Regnum dei Luc. 10. cognitio est bonitatis & iustitiæ dei, cognitio gratiæ per Christũ exhibitæ. Hinc sæpe non solum uita illa futura & sempiterna felicitate, sed pro gratia redemptionis humanæ, quæ per Christum dispensabatur, de qua illud est & Ioannis & Christi: Respiscite, appropinquat enim regnum cœlorum. Et Ioannis 3. Non potest uidere regnum dei. Vt regni huius dictio etiam sæpe pro doctrina cœlesti & prædicatione euãgelij, ut Actor. 1. Loquutus est de regno dei: hoc est, de euãgelio, de gratia sua & misericordia dei, ex scripturis nimirum legis & prophetarum, ut Lucas dicit: Aperuit illis mentem in scripturis. Et Lucæ 8. Vobis datum est, Ioan. 3. regnum dei. Euangelia ad Colos. ult. Hi soli cooperarij sunt ad regnum dei. Et Mat. 22. Dicit dñs scribũ non longe abesse à regno dei. Regnum dei, gratiam eam uocat, qua posterioribus temporibus noui testamenti uidelicet, uera pietas & solida iustitia, quæ cordium est, per spiritũ dei: diffusa circunquaq; cognitione dei, illustranda erat, per uniuersum orbem, ut iam deus coleretur, & adoraret, non in umbris & typis legalibus, sed in spiritu & ueritate, Ioan. 4. Et Mar. 12. pro euangelio & notitia dei per Christum. Sic sæpe pro ecclesia & congregatione fidelium: quæ hic in terris adhuc uiuunt accipitur. Matth. 13. & 10. ubi & regnũ cœlorũ dicitur: hoc est pollicitatio dei (qui in cœlo habitat) facta nobis de seruatore Messia deq; redemptione mundi, iam præstita est.

Regnum dei, ubi deus uerè colitur, ubi uirtus eius agnoscitur, illic est regnum dei & ubi deus habitat in homine per gratiam & iustitiam. Lucæ 9. & 11. cap.

Regnum dei dicitur, ubi Christus uerbum & gratiam suam reuelat omnibus, per quod homines regni dei fiunt participes. Marci 1.

Regnum dei, aut tempus est post resurrectionem, aut cognitio Christi plenior, aut certe uita æterna post hanc uitam, in qua super mensa Christi esuri & bibituri sunt fideles cum Christo nectar illud dulcissimũ, ut Luc. est 22. Regnũ dei quærere. Luc. 12. est dare operam, agere, curare, ut omnia recte satisfaciamus nostræ uocationi. Quærimus enim quæ omni studio & diligentia inuestigamus. Quærunt enim regnum dei & iustitiam eius, qui ex animo summa fide atque cura religioni ueræ sese impendunt atque dedicant.

¶ *Regulam tenere*, Sic ait Esaias 34. cap. Et extendatur super eum mensura, ut redigatur ad nihilum, & perpendiculum in desolationem. Habemus in Ezechiele & alio quodam ex minoribus prophetis, uisum esse uirum, qui regulam teneret ad capiendum templo aut urbi arram. Hic uerò in eam tendi perhibet regulam exterminij: hoc est, dominum constituisse eam excidere. Similis loquutio habetur 2. Reg. 8. Mensus est autem duos funiculos, unum ad occidendum, & alterum ad uiuificandũ. Quasi funiculo metiens occidẽdos atq; seruandos: Sic subegit illos seruitute perfecta, quæ per mensuram funiculorum, adagij more intelligitur: nam uix tertiam partem Moabitarum superstitem mansisse, quæ seruiret Dauidi sub tributo.

¶ *Relatiua*, post duo aut etiam plura subiecta ponũt Hebræi, quibus tamẽ singulis tim seruiũt. Esa. Et erit fortitudo uestra ut fauilla stuppæ, & opus uestrũ, quasi scintilla succẽdatur utrunq; simul, & nõ erit qui extinguat. Hic mos Hebræorum frequens est, ut adfixa sua: id est, relatiua *μετανικῶς* ponant.

Relati-

Relatiua ad ſequentia referre hoc quoq; frequens eſt Iudæis, ut Geneſis.1.habetur: Producat terra animã uiuentẽ in ſuo genere, iumẽta reptilia & beſtias terræ (ubi pro beſtijs) Hebræus legit Hauetho æretz, animans terræ, ubi Vauf relatiuũ ad æretz reſpicit. Sic & Geneſis.15.cap. Credidit Abraham deo, & hæc reputata eſt ei ad iuſticiam. Relatiuum enim Mappick in fine uerbi non ad ſuperiora refertur, ſed ad ſequentem dictionẽ zedake, ſenſus eſt, Iuſtitia hæc ſcilicet, fides & credulitas, ei reputata eſt.

Item, frequens eſt apud eos, ut adfixis: hoc eſt, relatiuis notis ſimilitudinis & diſtributionis nota ſylleptice utantur: hoc eſt, ut eas notas ad unũ tantũmodo mẽbrũ apponant, unde tamẽ alteri quoq; eadẽ uirtute ſeruiãt. Eſa.4. Et ſuper omnẽ cœtũ eius nubẽ & fumũ, &c. Relatiuũ pro antecedẽte, ut Num. 8. Vt conſuleret oraculũ: Vel, ut loqueretur cum eo, ſcilicet deo, Relatiuũ loco antecedentis: Id eſt ut conſuleret deum.

¶ *Religio*, metus, timor, aliàs etiã uirtus, ſeu pietas, ferme idẽ ſunt. Gen. 31. Et niſi metus Iſaac fuiſſet mihi: id eſt, θεοσέβεια, religio patris mei: ſic enim Latini quoq; Religione pro metu utũtur. Religio eſt hæc facere. Senſus ergo prædictorũ eſt: Si coluiſſem hũc deum, quẽ pater meus Iſaac coluit. Nam Timor & amor ille, quo coluit Iſaac pater meus deũ, effecit ut deus qui reſpexit adflictionem & laborẽ meũ, non ſineret te mihi illudere, &c.

¶ *Reliquiæ*, pro ſaluato, Micheæ 5. Et erunt reliquiæ Iacob in medio populorum, Heſychius, Reliquias autem ubiq; ſaluatos appellat.

Reliquiæ, potiſſimum electi ſunt: & ſic ideo uocantur, quod ſibi eos reſeruet & relinquat deus ne pereant. Et quantumlibet in eos deſæuiant mundus, caro & infernus, non poſſunt nos rapere de manu domini, Ioan. decimo capite. Nam in ſanctorum benedicta ſorte illos relinquere compelluntur. Etiam ideo ſic dicti, quod ſaluandorũ numerus paucus eſt, iuxta illud Eſa.30. Relinquemini, quaſi malus nauis in uertice montis, &c. Chriſtus quoq; adfirmat plures eſſe uocatos, paucos uerò electos. Mat.7. 20.22 Luc.13. Harũ reliquiarum mentionem faciunt prophetæ, ut Eſa.11. Hoſ.1.cap.

Sunt porrò Reliquiæ uetuſtatis in ſanctis, & reliquiæ Cananæorum in terra ſancta: nimirũ circunſtans peccatum, & aſſidua impiorum perſequutio.

Reliquum præterea, Græce λοιπὸν, Hebræis uarie dicitur, Luc.12. Reliquũ more Hebraico (læther), id ſignificat quod reliquum, aut relictum aut repoſitum eſt. Quandoquidem uerò quæ reponimus præſtantiora ferè & clariora, quàm quæ in propatulo iacent, fit ut λοιπὸν ſignificet, præſtans, eximium: Sic hoc cap.12. Quid de cæteris, &c. capitur, ut ex antitheſi patet.

Reliquias atqui alicui ponere, eſt ſeruare nepotes, & poſteritatem in regione. Geneſis 45.cap.

Reliquiæ cogitationum, ſunt poſt effuſas lachrymas & aſſiduam contritionẽ cordis, præteritorum criminum recordata pernicies. Pſal.75. Quia cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi.

Reliquus, pro fugiente. Abdias: Et non erit reliquus domui Eſau. Septuag, σωζόμενος, quem nos (teſte Hieronymo) frumentarium tranſcribere poſſumus, iuxta antiqui ſermones eloquium: eos enim quos nunc agentes in rebus uectarios appellant, ueteres frumentarios nominabãt. Snnt eñ qui non σωζόμενον à Septuaginta translatũ putẽt, ſed σωζόμενον: hoc eſt, q geſtaꝛ poſſit igniculũ. Itẽ, p cõtẽptibili. Hiob 5. Qui aũt reliq fuerint.

Reliquiæ carnis intelliguntur conſanguinei & propinqui, ut Leuitici 18.cap. Nullus ad quaſcunq; Reliquias carnis ſuæ accedat. Sunt enim Reliquiæ carnis, quæ ad unitatem totam trahuntur. Et Leuitici uigeſimoquinto, Reliquiæ carnis: id eſt, aliquis de ſtirpe eius.

Relinquere mundum, ut Ioan.16. eſt hanc mundi ærumnam & humanam fragilitatem exuere. Exire à patre, eſt patris gloriã diſſimulari, non arbitrari rapinam eſſe deo ſimilẽ, ſed ſemetipſum exinanire, uelut Paulus loquitur. In mundũ uenire, eſt non tantũ hominẽ fieri, ſed mundi calamitatẽ & miſeriam in ſe recipere, ſerui formã induere, in ſimilitudine hominũ conſtitui, & figura, ut homo reperiri. Ire ad patrem, eſt redire in gloriã patris, ſe glorioſum, cœleſtẽ, diuinũ, omnipotentẽ declarare, patris gloriam, potentiã maieſtatemq; recipere, & cum deo æqualem eſſe, ſicut Apoſtolus ad Phil.2. explicat.

¶ *Reminiſci* dominũ, apud Eſa.42. ſignificat orare, ſic enim ait: Reminiſcentes Dominum, ne ſit ſilentium uobis: id eſt, orate ſine intermiſſione, ut Paulus dicit.

¶ *Remiſſio peccatorum*. Luc.3. In remiſſionem peccatorũ, &c. Periphraſis eſt euãgeliſ-

aliàs Paulus Iustificationem uocat, more Hebraico, pro absolutione & remissione peccatorum.

¶ *Renes* in scriptura reconditiores siue interiores adfectus, consilia hominum symbolice subinde significare: nam nomine Cordis & Renum intimas cogitationes, affectus cupiditatesq; ueniunt. Vnde cum dominum prædicat omnia nostra secreta nosse, scientiam ei tribuit cordis & renum. Huius uerò aliam causam comminisci nequeo, quàm quum gignendi affectus in renibus sedem habet, & is sit omnium potentissimus, quod huic renes tanquã omniũ affectuum sedes & origo, pro ipsis affectibus cogitationibus, studijs, abditissimis & naturalibus atq; intimis, imò pro ipso toto naturali interno homine, per metonomyam ponũtur. Psalmo septimo & 16. & alibi: Vre renes meos & cor meum: id est, carnis adfectus, siue delectationes atq; deflexas uanasq; cogitationes, &c. Et Psal. 26. Cor & renes, pro intimis cogitationibus & adfectibus naturalibus poni uidemus. Renes deinde pro constantia mentis interdum usurpantur, unde propheta: Renes mei resoluti sunt. Renes frequenter in scripturis memorantur in Leuit. cap. 3. de hostijs pacificis erudiens sacerdotes, ferè totum de renibus seu reticulis & renunculis uitalium & adipe & pinguedine intestinorum sacrificium absoluit. Igitur Iecur, renes, adipem, pinguedinem, reticulum offert Deo, qui amore, libidine, delectatione, uoluptate, lætitia, terrenis & corporalibus mortificatis deũ amat, & fruit, in deo delectat, & lætat, & ijs quæ dei sunt. Renibus increpari p diẽ, est dies noctesq; sine cessatiõe, interna affectuũ pugna exerceri, ut Psal. ait: Renes mei increpuerũt me. Psal. 16. Renes deniq; pro granis frumenti usurpantur, quod renibus similia dicit Dauid Kimhi. Deut. 32. Cum adipe renum frumenti.

¶ *Repellere*, pro incredulum esse. Num. 1. cap. Eo quod repulistis dominũ, qui in medio uestri est. Septuginta, ἀπεβάσατε: id est, non fidistis.

¶ *Replendi* uerbum significat muneris copiam & abundantiam. Luc. 1. Et replebitur spiritu sancto. Hinc repletionis uocabulũ, & abũdantiam doni signat, & aliunde afferri spiritum indicat, nimirũ cœlitus. Exod. cap. Luc. 1. Et spiritu sancto replebitur iam inde ab utero matris.

Replendi uerbum quoq; Hebræis est idem quod gratum faciendi, ut Esa. 11. cap.

¶ *Repetitio*, Est frequens in sacris literis. Gen. 21. cap. Visitauit autem dominus Saram sicut promiserat, & impleuit quæ locutus est. Hebraismus, fecit Saræ dominus sicut promiserat. Idẽ enim est: Visitauit Saram dominus sicut promiserat, & Fecit Saræ dominus sicut locutus fuerat: id est, promiserat.

¶ *Reptile*, pro impio. Mich. ult. cap. Reptilia turbabuntur. Nam reptilia Hebræis à pauore dicuntur symbola impiorum, qui terrore iudicij domini perpetuo timent, perpetuo fugiunt, nunquam aufugiunt, ut de nouissimis temporibus Christus dicit: In diebus illis quærent homines mortem, & non inuenient, dicent montibus: Cadite super nos, &c. Hanc perpetuã fugam, perpetuũ tremorẽ cordis Mich. exprimere uoluit.

¶ *Repudij libellus* uulgo dictus, Ebræis excisionis, aut exterminij siue succisionis dicit, q; is libellus semel datus, reditionẽ omnẽ uiro adimerit, ad repudiatã ceu resectis ac radicibus euulsis rationibus reconciliandi. Deut. 24. Scribet libellũ repudij, &c. Hebræce, Libellus succisionis: quod eo libello uelut excidebatur à domo mariti uxor.

Formulã aũt libelli repudij nõ tradũt sacræ literæ. Magistri aũt Hebræorũ in his libellis utũtur hac forma: In quarta sabbati, in uicesima mensis Siuan, anno quinquies millesimo ducentesimo nonagesimo tertio à creatione mũdi. hic & in hac ciuitate, ego Iacob, sic cognominatus, filius Rabi Isaac, uolui ex animo & citra ullam coactionẽ dimisi, & eieci, hanc quæ hactenus fuit uxor mea, filia illius Rabi, doq; ei facultatẽ & potestatẽ, ut pro animi sententia eat quò uoluerit, ducíq; possit ab alio quocũq; uiro, nec eam quisquã prohibeat. In cuius rei testimoniũ dedi ei libellum repudij, & schedam amissionis, atq; signaculum diuortij, iuxta constitutionem Mosi, & Israelis.

Formula autem libelli repudij, qua usi sunt ueteres Romani, fuit hæc: Res tuas tibi habeto, res tuas, tibi habeto. Lege tractatũ de diuortijs.

¶ *Requiescere*, Hebræis nonnunquã significat habitare, sed pacifice & quiete, sicut in ciuitate, uel castro. Psal. 34. Et quis requiescet in monte sancto eius? Significat aũt per idem in Christo securã quietamq; cõscientiã habere, in medijs etiam pugnæ tumultibus quæ res pertinet ad iustificationem noui hominis. Acquiescere, est obedire & audire uocem

uocem domini,& credere.Nam Acquiescere ueritati,est fidere:contentiosi,qui ueritati aduersantur,qui carnis opinionem sequuntur,non acquiescunt ueritati.Et Paulus ad Romanos:Tu qui acquiescis legi.

Requiescere porrò & Dormire,his uerbis significatur mors naturalis & sepultura, Psal.4.se cum fratribus suis simul dormiturum pronunciat.Quomodo in lib.Regum frequenter dicitur,ut suprà dictum est.

Requiescere septimo die,loquutio est Hebraica,Genesis.2.cap.Requieuit dominus septimo die,id est,eodem die opus absoluit.

Cum Requie.Hebraismus est,id est pedetentim.Iudicum 10.cap.Insequi fecerunt illum cum requie.

¶*Requirere sanguinem.* Psal.9. Quoniam requirens sanguinẽ, est ulcisci, uindictam q̃ de persecutoribus pauperum sumere & reposcere pœnas sanguinis effusi,ut: sanguinẽ eius de manu tua requiram.Ezech.33.de pseudo prophetis.

Requirere sanguinẽ hominis de manu hominis,est supplicio extremo afficere aliquẽ, qui hominẽ occiderit,& sanguinem eius fuderit.Gen.9.cap.

Requirere deũ,est in omnibus nihil suorũ quærere, omnia in gloriam dei & cõmodũ proximi tam facere,quàm pati:id est,abnegare seipsum cum omnib⁹ suis,seruũ alioru m fieri:summa,scilicet in deum & homines pietas. Cõtra quã nemo acrius pugnat quàm uiri sanguinum & dolosi,qui deũ quærere sibi uideantur, &se ipsos quærunt. Requirere in summa deum,est non obliuisci dei & timere deum,uulgari tropo scriptu ræ.Non requirere,estcontemptus.

¶*Res pro persona*,usitatũ est apud Hebræos,quod rem pro persona,atq; rursum persoã pro re accipiũt,uirtute enallages. Vt quum Christus inquit:ne iustitiã uestrã faciatis coram hominibus,&c.Iustitiam pro rectè factis,,p charitatis operibus accipit. Sic & Esa. 38,Fouea pro inferis,& mors pro mortuis accipiũtur,impius pro impietate.Halitus per allegoriam pro ui ueritatis.Esa.11.1.Thess.2.Sic prædicatio crucis,pro re p̃dicata.1. Cor. 1.cap.per enallagẽ.Res autẽ prædicata est,quod deus dedit filium suum in mortem, ut nos uiuamus per eum(hoc enim prædicarunt Apostoli)Est rursus,ubi res ipsa prædicata pro prædicatione ponitur,ut quum Christus dicit:Quorum remiseritis peccata,remittuntur eis. Idem enim est,ac si diceret:Prædicate euangelium omni creaturæ, qui crediderit,saluus erit.Non q; prędicatione fiat remissio,sed dei uirtute,& morte Christi,quæ per uerbum prædicatum sensibiliter adferuntur,&c.

Res diei in die suo:hoc est, Quotidie.Exod.3. Quotidie,ut prius facere solebatis quãdo dabãtur uobis paleæ: Vel,Rem dici in die suo,quemadmodum quum esset uobis palea.Id est pensum diurnum,ut reddatis illud tempore suo,&c.cap.16.Leuit.23.3.Reg.3. Dan.1.cap.Noster Interpres transfert hunc idiotismum,quotidie.Quin & illud reperitur,Res anni in annum.2.Paralipom.8.& 9.capite,ubi noster Interpres legit, per singulos annos,Item 1.Esdræ 3.Nehemiæ 11.cap.Ægyptus facta est in gentem. Exod.Hoc est gens condita,siue facta est.

¶*Resipiscere*,Græcæ uocis elegantiam adnotauit elegantiam Tertullianus lib.aduersus Marcionem 2. Nam in Græco inquit, sono pœnitentiæ nomen, non ex delictis confessione,sed ex animi denuntiatione compositum est,unde iudicio Erasmi Matth.3, cap.uerti poterat: Resipiscite, siue ad mentem redite, siquidem resipiscit, cui uita superior displicet.

Resipiscere ergo Hebræis est,relicta delinquendi stultitia ad se redire, & pristinam animi sententiam mutare. Hoc est,resipiscere idem est quod interpretari,agere pœnitentiam,& in uiam redire.Actorum secundo capite: Resipiscite:hoc est, mentem & mores immutate odite scelera uestra,iustitiam diligite,credite filio dei, deserite studia uiarum uestrarum,ac benefacere discite.Et Matthæi 3.cap.Pœniteat uos: Vel, Resipiscite, aliam mentem modo capite,innouamini,actæ uitæ ita pœniteat,ut totam deponere,& nouã commutare libeat,&c.

Interest autem inter resipiscentiam, & Pœnitudinem. Resipiscentia cõplectitur nõ solum agnitionẽ delicti,deinde & cordis dolorem, sed & animi ac uitæ immutationẽ, & conuersionẽ ad deũ.cum fiducia diuinæ gratiæ & misericordiæ Pœnitudo cordis ne cessaria quidẽ ad resipiscentiã (nam sine illa non potest quisquã uere resipiscere) uerũ ita cõparata est,ut ad conuersionem & resipiscẽtiam sufficiat.Est itaq; abusus uocabuli,

quo scho-

quo scholastici pœnitentiã pro resipiscentia usurpãt, dãtes illi partes cõtritionẽ cordis, confessionẽ oris, & satisfactionẽ operis: cũ cõtritio cordis nihil aliud sit, quàm ipsa pœnitẽtia. Resipiscentia in summa uitæ prioris mutatio animi cõuersio, suiq; ipsius cognitio, uita est Christiana. Et pœnitentia uera, est resipiscentia, & uitæ mutatio: id est, conuersatio à mortuis operibus & peccatis. Vide suprà Pœnitere.

¶ *Respicere*, pro misereri & auxilio esse. Hoc est ad adflictum respicere, ut Psal. 13. habet, est illius miseria tangi: & ad auxiliandũ moueri. Exodi 2. Respexit dñs filios Israel, & liberauit eos. Esaias dicit: Ecce respice obsecro populus tuus omnes nos. Sic Psal. 24. Respice in me, & miserere mei. Ita etiam reditus domini, eius est adiutoriũ, quemadmodum & recessus ipsius, quando auxiliũ suum homini subtrahit. Hos. 11. Et 2. Sam. 16. dicebat Dauid, si forte respiciat dominus adflictionem meam.

Respicere interdũ ad aliquẽ, est illi fauere, placere, seu potius sequi, Hos. 3. Respicientes ad deos alienos: hoc est, sequentes. Et Esa. 66. Super quem, inquit, respiciam, nisi super humilem, &c. Item pro approbare. Luc. 1. Quia respexit humilitatẽ ancillæ suæ. Respicere dicitur dominus, quæ sibi placent, & non Respicere quæ displicent. Gen. 4. Respexit dominus ad Abel & ad munera eius: ad Cain autem non. Hebraismus, pro placuit dño & eius munera: Cain aũt non placuit ei, neq; eius munera. Repicit dñs, nõ tam res externas, quàm internas: Id est, animã donantis potius, quàm dona ipsa. Similiter Respicere ad oblationẽ alicuius. Num. 16. cap. Ne respicias ad sacrificia eorum. Ne respicias ad oblationem eorum: Id est, ne tibi grata eorum oblatio sit.

Respectus domini, ferè in bonam partem accipitur, quando dominus dicitur respicere oculis, & Psal. 10. Oculi eius in pauperem respiciunt. Et Zachariæ 4. cap. Oculi domini peruagantur, &c. Quo hemistichio docetur: Dominus suis oculis lustrare omnem terram, & propitiũ etiã fieri gentibus. Respectus dei, est prouidẽtia dignum faciens, manũ porrigere, suscipere, in omnibus gratias agere, sua largitate præbere. Hæc Chrysostomus ad populum Homil. 34. Respicere post tergum, Gen. 19. Noli respicere post tergum: id est, ne te incœpti pœniteat. Similis loquẽdi modus, Luc. 9. Nemo mittẽs manũ ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno dei. Respicere & Euigilare dicitur deus, impijs prostratis, suos seruat. Psal. 44. Euigila quare obdormis domine?

Respicere, in summa tropo scripturæ, effectum dei miserentis significat. Psal. 13. Exurgere, effectum salutis ostendere. Psalmo, Et Respicere præstantiorem gratioremq; effectum, quàm meminisse significat.

Respicere faciem dei dicuntur, quotquot carnaliter iudicant de sapientia & iustitia eius, seu propter sapientiam & iustitiam, mendaciter deum excusant: nam in lege præcipitur, ut in iudicio non respiciamus personas: hoc est, ne personam iudicio propositam, iudicemus iuxta potentiam, eloquentiam, prudentiam, diuitias, amicitiam, beneacta, & malefacta eius impertinẽtia, sed iuxta causam, unde nec deus personarum respector est, nec in electione, nec in iudicij executione. Quid sit Respicere personas, in nomine Persona explicatum.

¶ *Respondere* elegans & usitatissimum scripturæ uerbum. Hebræi Ana aliquando, & est modus loquendi Hebræis familiaris, ut respondere dicant, aut respondentem faciant, etiamsi nullus sermo præcedat, uel etiam si nemo quærat, ubi uel exclamatur, uel alacritas in sermone est. Sic Iob cap. 3. Postea aperuit Iob os suum. Et respõdit & dixit: Quomodo respõdit silentibus alijs, & nullum adhuc uerbum elocutus? Hunc & Euangelistæ obseruarunt quoque: nam Responsionem uocant, quemlibet ad alios sermonem, etiamsi nullus ab illis præcessit, ad quem referatur. Sic Marci 9. Et respondens Petrus. Et tamen nemo loquebatur ad Petrum. Hic disseruimus hunc esse Hebraismum, qui (ana) respõdere, aliquando utuntur, etiam dum nemo loquitur, aut interrogat, sed ad factum respondetur. Dum uidet tantam Christi claritatẽ respõdit. Germanice diceremus, vnd vff das redt Petrus, quum tamen nulla oratio, sed factum duntaxat præcesserat. Et Marci. 12. Respondit Iesus, pro locutus est, more Hebraico. Et Lucæ 14. cap. Et respondens Iesus: Quomodo uerò respondet, quum nemo interrogarit? Er hub an zu reden, & ad cogitationes eorum respondit. Et Ioannes cap. 2. scribit Iudæos respondisse, quum nihil adhuc uerborũ ad eos fecisset dominus, & ipsi dialogizarentur inciperent. Sic Gen. 31. Respondit Laban, quum tamẽ Laban nihil dicit. Vsus est & Daniel. 2. Respondit & Daniel, & dixit, &c. Chaldaismus est.

Respon-

Reſpondere, itē pro obijcere. Ita enim Reſpōdendi uerbo ſæpe utuntur Hebræi. Ioannis 2. Reſponderunt ergo Iudæi, uel orſi ſunt, uel obiecerunt.

Reſpondere interdum, pro rependere uſurpatur, ut frequenter & eleganter Latini ſolent Gen. 30. cap. Reſpondebit mihi iuſtitia mea. Sic Latini dicunt: Tellus non reſpondet labori. Verum aliud eſt Reſponſum mortis, in Paulo, ut alibi dixi.

Reſpondere præterea pro teſtari. Deut. 19. cap. Si ſurrexit teſtis iniquus contra hominē, ut reſpondeat contra eū præuaricationē. Pro humiliari, ſeu uerecundari. Hoſ. 5. Et ana, uel reſpondebit arrogantia Iſrael in facie eius. Septuaginta, ταπεινωθήσεται: id eſt humiliabitur. Pro cauere. Hoſ. 2. Et reſpōdebis ibi ſecundū dies iuuentutis ſuæ. Item, p exaudire. Prou. 1. Tunc inuocabunt me, & nō reſpōdebo. Septuaginta, Exaudiam uos.

Reſpondere deum ad ſe clamanti, eſt non ſimpliciter exaudire orantem, ſed & exaudientis ſenſum illius cordi inſerere, ut ſciat ſe diuinitus exauditum, & deum ad ſe liberandum conuerſum. Pſal. 13. Reſpice & reſpōde mihi domine deus meus. Item, Reſpōdere, pro arguere. Prouer. 27. Reſpondebo ego pro te, per uerbum meum.

Reſpondere eſt etiam, quum percipis iram domini, ſeu dei iram imminui pœnamq; minorē fieri. Vel eſt adeſſe & exaudire. Eſa. 58. Tunc clamabis, & dominus reſpondebit. Nam reſpondet deus oranti, dum adeſt. Et Ionæ 2. Clamaui in tribulatione mea ad dominū, & reſpondebit mihi. Nō poteſt ipſe non reſpōdere, modo tu poſſis nō clamare.

Reſpondere atqui dominum prophetæ, eſt cor illius tangere, & de aliquo certo euentu aſſecurare. 1. Sam. 9. cap.

Reſpondere deo, eſt obedire deo. Iob 14. Vocabis me, ſcilicet in die iudicij, & ego reſpondebo tibi: hoc eſt, obediens ero, comparebo, prodibo de terra ad uocē tuā. Ioan. 5.

Reſpondere coram domino, pro reſpondere domino. Exod. 16. Reſpondit Moſes coram domino, pro reſpondit Moſes domino.

Reſpondere & apparere & exturbare, quid ſit, uide ſuprà in uerbo Apparere. Reſpondere inſuper nobis iuſtitia noſtra. Geneſis 30. cap. Contrarium huic: Reſpondere nobis peccatum noſtrū. Eſa. 59. cap. & Hie. 14. Iuſtitia defendit inſtar patroni, eos qui uitam innocentem ducunt, at iniquitas accuſat inique agentes. Magna uis eſt conſcientiæ tam excuſantis quàm incuſantis.

Reſpondere in hymno & confeſſione domino: hoc eſt, in uicem hymnizare, alijs ceſſantibus, alij pſallere cœperūt, &c. Huc reſpexit Lucas, quū ſcriberet de diua Anna ἀνθωμολογεῖτο. Eodem enim uerbo Septuag. Græci utuntur. Eſd. cap. 3.

Reſponſionem diminuere, eſt pro concubitu mercedem non dare. Exod 21. Et Reſponſionem eius non diminuet. Translatio uulgaris: Et precium pudicitiæ non negabit. Septuaginta, καὶ τὸν ὁμιλίαν, Locutionem. Quo nomine intelligitur, ſcriptura honeſtius cōcubitum appellare. Nam apud Danielem 13. capite, contra Suſannam falſum teſtimonium dicentes ſeniores. Venit ad eam adoleſcens, &c. Sic enim faciebatis filiabus Iſrael, ſed illi timentes reſpondebant uobis.

¶ Reſiſtere deo, eſt ſe ſublimiorē, iuſtiorem, & potentiorē exiſtimare, quales ſunt omnīū impiorū cogitationes, quibus mirum in modum diſplicent iudicia dei: tales ſunt & qui dicunt, Quare ſic feciſti? & Iob 9. Quis reſiſtit ei & proſperatus eſt?

¶ Reſtem facere, prophetа Eſa. 5. cap. dicit: Væ his qui trahunt peccata ſua ſicut reſtem longam. Auguſtinus: Quis facit reſtem longam? Qui peccato addit peccatum. Quomodo adduntur Peccata peccatis? Quū peccata, quæ facta ſunt cooperiuntur alijs peccatis. Furtum fecit, ne inueniatur, quia fecit quærit Mathematicum.

¶ Reſurgere, in ſcriptura accipitur, pro eo quod eſt emergere & non interire, aut occidere, ſed permanere atq; ſubſiſtere, Ita Reſurrectio uſurpari poterit pro animæ ac ſpiritus permanētia, ſiue ſubſiſtentia uel immortalitate. Eſt item Reſurgere, niſi eius quod cecidit. Iterum ſurgendo, quia cecidit, reſurgere dicitur. Re enim ſyllaba iterationem ſemper adhibetur. Sanctus Paulus utitur uerbis ἀνίστημι, quod eſt erigo, exurgo, rurſus ac denuo ſiſto: & ἐγείρομαι ἐξ ὕπνου exurgo & è ſomno euigilo. Hebræi utuntur uocabulo Kom, quod ſignificat quidem ſurgere, ſed & ſtare, permanere, ſiue ſuperſtes eſſe. Nam Ioſue dicit, Nū poterūt filij Iſrael ſurgere, ſiue ſtare corā hoſtibus ſuis: id eſt, ſubſiſtere. Genes. 7. cap. Et deletum eſt omne quod ſurgebat, ſiue ſubſiſtebat (alle vvas da vvas vnd vff rechter ſtand) quod erat in ſuperficie humi ab homine uſq; ad pecus. Vnde Reſurgere ac reſuſcitare non raro ſignificat & animæ immortalitatem, ut dictum eſt, ac perma-

nentiam siue subsistentiam.

Refertur itaq; & Resurrectio tam ad immortalitatem animarum quàm corporum resuscitationem siue restitutionem. Hæc enim proprie moriuntur, cadunt & computrescunt, animæ non computrescunt, neq; cadunt, aut moriuntur nisi lapsu & morte peccati: Sic enim Ioan. 6. cap. dicit: Resuscitabo eum in nouissimo die. Si enim per diem nouissimum intelligis fatalē cuiusque hominis horam, dñs resuscitat: id est, in esse ut sic dicam) conseruat animam, sed & corpus in ultimo die sub iudicium de terra excitat.

Proinde Resurgendi & Resuscitandi uocabulum, significat uel conseruationem ineſſe, ne unquam pereat, uel plenam reductionem & restitutionem ad integram essentiam eius, quod fuerat dilapsum. Credimus enim carnis siue corporum resurrectionē. Scriptura fere appellat, Mortuorum resurrectionem, ut manifestissime indicet resurrectionem, neq; ad animam neque ad spiritum, sed ad ipsum corpus, adeoq; ad ipsam carnem referri deberi, quæ moritur atq; corrumpitur sola.

Resurgendi ideo uerbum, non pro uniuersali illa tantummodo mortuorum resurrectione accipi solere, uerum etiam pro uita, qua anima hominis corpore hoc liberata post seculum hoc uiuit, quod ipsum ex 1. Cor. 15. cap. patet.

Resurrectionis igitur uocabulum uarie & multipliciter in scripturis accipi obseruandum est. Primo, pro uita post hāc uitam, ut in epistola ad Hebræos, ubi Paulus docet, fideles aspernatos esse redemptionem, ut potiorem sortirētur resurrectionem, id est hanc uitam facile contempserunt, ut meliorem uitam sortirentur. Hic D. Paulus accipit Resurrectionem, pro uita semper consistente. Sicut & Christus Ioannis 5. Resurgent, inquit, in resurrectionem uitæ: hoc est, ut semper uiuant. Hic non solum ultimam illam corporum resuscitationem, sed etiam uitam ac subsistentiam animæ immortalem, post hanc uitam significat, etiam antequam corpus reuiuiscat.

Secundo, significat reparationem & uitam, quæ nobis per Christum donatur. Romanorum quinto: Per unum hominem mors, per Christum resurrectio mortuorum. Item undecimo capite: Ego sum resurrectio, Kom Hebraice & uita, das vvider vfferlehten. Kum Hebraicum, quod per fidem in corde credentis est, unica & efficax fides quod per Christum à peccatis purgatus & à morte in uitam traductus sit. Qui hanc ueram fidem habet, non dubitat se post hanc uitam ueram habiturum.

Tertio, capitur pro ultima illa corporum resurrectione. Est ergo resurrectio animarum & resurrectio corporum: de utraque Ioannis quinto, & alibi: Videbit omnis caro salutare dei, &c.

Resurrectionis nomen Lucas Actorum 1. accipit pro toto euangelij negotio, partem potissimam, pro ipsa re tota. Incumbit enim euangelij prædicatio, ut Paulus apostolus in 1. Corinth. 15. cap. ostendit in resurrectione tota. Et cap. 4. Actorum quoq; pro toto Christi negotio posuit. Hic nemni obscurum est Resurrectionem Apostolis, Petro in primis, usurpari pro uiuifica illa in Christo & toto redemptionis negotio.

¶ *Retis* uocabulo dei flagellum interdum recte accipitur, in nihil tale speraues superueniat, & haud secus atq; aues reti, ita illi dei flagello subito irruente capiuntur. Hoseæ 7. cap. Et quum profecti fuerint, expandam super eos rete meum.

Rete apud Matthæum quarto capite & Lucæ quinto, est ministerium & doctrina prædicationis & euangelij, quo pisces capiuntur: hoc est omnis generis homines in hoc seculo colliguntur. Rete hoc non est abdendum in latebras, sed mittendum in mare, incorruptum & integrum.

¶ *Retentio*, pro conuocatione. Esa. 1. cap. Non potero iniquitatē & retentionem, &c. pro cœtu aut concione exponūt. Et Leuit. 23. Hebræi interpretantur Retentionē, quod transactis solennitatis septem diebus, populus adhuc uno die retineretur.

¶ *Retro abire*, Ioan. 6. Multi discipuli eius abierunt retro: etiam cum illo non ambulauerunt. D. Augustinus: Alij abierunt, sed post Satanam, non post Christum. Nam aliquando dominus Petrū appellauit satanam magis, quia uolebat præcedere dominum suum, & consilium dare, ne moreretur ille, qui uenerat ut moreretur, & ait illi Matthæi decimosexto capite: Redi post me satanas, non enim sapis quæ dei sunt. Non enim illum repulit retro, ire post satanam, sed fecit post se ire, ut non esset satanas ambulando post dominum. Isti autem sic redierunt retro, quo modo de quibusdam fœminis dicit Apostolus primæ Timothæi quinto. Quædam conuersi sunt retro post satanam &

nam & ulterius cum illo non ambulauerunt. Hæc ille.

¶ *Retribuere* nõ solũ significat rependere, siue benefacere, sed etiam dare, quũ nullus prior dederit, id quod in Psalmis sæpe deprehenditur, ut Psal. 116. Quid retribuam domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? dicere debuit, dedit: Deus enim non retribuit, sed tribuit. Nam quis prior dedit illi, & retribuet ei? Ro. 11. cap. Quid uerò habes quod non accepisti? quum deus omnium bonorum, in cœlo & in terra, fons & origo sit, imò solus bonus, sacris literis attestantibus.

Retributionis (secundum Basilium Magnum) nomẽ, mos scripturæ est non solum in præmium aliquid boni & mali accipere, sed in actionum principio: ut: Retribue seruo tuo, pro tribue. Dare nanq; initium benefaciendi est. Reddere uerò, mensuram ijs, quæ sunt tributa, æqualem circumscribere. Retributio autem, alterum ferè dandi principium, ac bonorum seu malorũ in quosdam cumulus quidam ac periodus. Exemplum uide Psal. 7. quem & Basilius enarrauit.

Retribuere bonum, locutio illa. 1. Reg. 24. capite legitur: Quare retribuat mihi retributionem istam? pro quo noster Interpres legit: Non indigeo hac uicissitudine, secundi Regum 19. cap.

¶ *Reuelare*, pro illuminare. Luc. 2. Vt reuelẽtur ex multis cordibus cogitationes. item pro prædicari & manifestari est, Amos 5. Et reuelabitur quasi aqua iudicium.

Reuelare pudenda, apud Esaiam 20. est confundere & auferre gloriam. Item, reuelare nuditatẽ mulieris. Leuit. 18. pro: Nemo rem habeat cum cõsanguinea sua. Item, Reuelare, uel discooperire turpitudinem mulieris, est cum ea coire. Leuitici uigesimo cap. Et reuelauerit ignominiam patris sui; Vel: turpitudinem patris sui reuelauit. Id est, coijt cum uxore patris sui.

Reuelare porrò aurem alicuius, est significare rem alicui. Ruth 4. Reuelabo aurem tuam: hoc est, significabo tibi, & breuiter negotium rei aperiam.

Reuelare autem aurem, seu auriculã prophetæ, est alijs ignota secreto prædicere. 1. Samuel. 9. cap. Dominus autem reuelarat auriculã Samuelis. Reuelatur prophetæ uentrus Saul & dies & aduentus, Et eod. lib. 20. & 22. cap. Reuelare ad hæc aurẽ, est rudium cordis uerberibus, plagis aperire, Hiob, 36. cap.

Reuelat deus aures nostras: hoc est, patefacit nobis uoluntatem ac propositũ suum &c. Quin reuelare etiam oculos dicitur Deus in scriptura, pro eo quod est, facere, ut uidere possimus, quæ uidere ipse nos uult. Potest etiam legi: Deum reuelare auribus, & oculis. 1. Paralip. 17. cap.

Hinc Reuelationis uocabulũ pro prophetia, arcanarum scilicet rerum retectio, siue expositio. 1. Cor. 14. Nisi uobis loquar aut per reuelationem: id est, per prophetiam, ut Reuelatio idem sit quod prophetia.

Reuelatio interdum pro aduentu usurpatur 2. Thes. 1. cap. In reuelatione domini de cœlo. Vide D. Hieronymum.

Reuelare denicq; pedes, est se præparare ad sacra Veneris. Ruth tertio capite, Coopere pedes, est inclinare humi, ac aluum deijcere. Iudicum capite tertio, & primi Regum capite 24.

¶ *Reuerti ad deum*, est abijcere idololatriam & omnem impiam uitam, & deum quærere, est uerbum sequi. Hos. 7. cap. Et tamen nõ reuertuntur ad dominum deum suum, neq; quærunt deum in omnibus istis.

¶ *Reuolutio* dierum 1. Sam. 1. cap. Et factum est in reuolutione dierum: hoc est, transacto anno. Septuaginta, tempore dierum.

¶ *Ridere*, ludere. 1, Paralip. 13. Et Dauid & omnis populus ridentes. Septuaginta, παίζοντες, ludentes. Ridere. Prouer. 1. Ego quoq; in interitu uestro ridebo: hoc est, adflictioni uestræ nulla pietate compatiar.

Ridere porrò dei est humanæ nolle adflictioni misereri. Psal. 3. Qui habitat in cœlis ridebit & subsannabit eos, idem est, atq; securus ac tutus conatus eorum contemnet, utpote cœlos inhabitans, &c. Sic Iob 41. de cete scribitur, quod uibrantem contra se hastam derideat. Risus à prophetа tribuitur, non quod rideat, sed quod conatus impiorum securus, tanquam irritos & uanos, cœlitus è sublimi spectat.

Risus quoq; ad hæc, pro lætitia usurpat. Psal. 126. Tunc implebitur risu os nostrũ: hoc est gaudio, lætitia. Septuaginta χαρᾶς. Risum Ismaelis Apostolus persecutionem uocat,

Gal.4.cap. Hinc quoq; Risum facere,est gaudio efficere.Genesis.21.cap.Risum fecit mihi deus. Hebraismus,Deus effecit me gaudio,lætam me reddidit, quicunq; me peperisse audierit,gaudebit mecum,congratulabitur mihi.

Ridentes deniq; apud Lucam.6.cap.Væ uobis qui ridetis nunc,&c.Notatur leuitas carnis & nimia illa securitas,qua toti diffluimus,nihil unquam sentientes aduersi, & sine sensu dei uiuentes,nec aliud curantes,quàm ludos,illecebras & uoluptates huius seculi.

Rideat insuper qui sibi applaudunt tanquam ereptos ex iniustitia & omni malo, ideoq; segnes sunt in precibus & ieiunijs.Hi enim lugebunt & flebunt æternis addicti malis atq; tormentis futuri seculi.Aliàs non est peccatum,si non excedit modestiæ terminos,sic & Lætari.

¶ *Riui* dictione,cœlestis gratiæ irrigatio exprimitur, Petra profudit mihi riuos olei, id est,Christus dona spiritus sancti largitur,& effundit.Riuos eius inebria.Nam Riui etiam Apostoli & fideles intelliguntur.Riui item,sanctorum prædicatio est. Erit super omnem montem excelsum, riui currentium a quarum , sed hæc ut mystica sunt, ita firmiori iudicio ac examine indigent.

¶ *Robur*,pro adiutorio.Psal.88.Etiã auertisti robur gladij eius.Septuaginta, βοήθειαν Auxilium:Robustus uerò pro potente, Psal. 85. Et congregatio robustorum quæsierunt animam meam.Septuaginta potentium.

Robur interdum pro diuitijs capitur,ut Hier.19.cap.Omne robur meum. Sic Latini neruum belli,pecuniam nominant.

Robur interim pro primogenito scriptura usurpat,ut Gen.49.Ruben robur meum. Per Robur primum,& radicem sobolis totius intelligere possunt Ebræi.

Roborare uirtutem, est exercitum congregare. Naum 2.cap. Robora uirtutem,&c. Septuaginta,Confortare robore uehementer.

¶ *Rogare* super Hierusalem:id est,interrogare quomodo se habeat urbs sancta.Latini quoq; isto sermonis genere delectantur: Rogitat super Hectore multa. Nehemiæ capite primo.

¶ *Ros*, pro misericordia & refrigerio. Esa.26.cap. Quia ros pratorum ros tuus,& terram potentium inferni prosternes.De hoc Rore, Prouer.19. cap. Sicut ros super herbam ad refocillandos iustos.

Per Rorem aliquando, quæcunque superius in terram operantur, intelligunt Hebræi,ut solem & lunam,pluuiamq;,cœliq; temperiem. Vt per pinguedinem terræ quæcunq; de subtus terra proueniunt.Genesis 27.In Pinguedine terræ, & in rore cœli desuper erit benedictio tua:id est,habitabis in solo,quod deus reddet fœcundum immissione roris & pluuiæ. Ros porrò Hermon,&c. Gratia fraternæ charitatis & unitatis comparatur rori fortissimo. Est autem mons Hermon trans Iordanem, Iosue duodecimo cap. à quo loca quoq; uicina Hermonim dicuntur. Et ultra Iordanem loca ejus pascuis uberrima,uidere licet,uel Num.23.cap.

Ros ergo qui illic dicitur optimus. Hinc est quod gratia hæc fraterna rori conferetur,quia ros ille spiritus sancti è cœlis demissus,omnia fœcundat, Deus enim charitas est.Sic de rore cœli loquitur Esaias,unde etiam mysticos,uerbum domini, & euangelizantium est doctrina.Stillæ roris præcatores ipsi sinceriores:nimirum,qui aruis pectoris nostri gratiæ supernæ benignitatem infundere student, sed non nisi,ut uasa & ministri spiritus. Ros denique nonnunquam etiam Christum designare soler,sententia quorundam.Esa.45.Hos.14.sed hæc quia allegorica sunt ,acriori iudicio opus habent, ne sensus simplicitate amissa,in nostris excogitatis temere uagemur.

Ros cœli,est diuinus fauor,quo deus suos complectitur & fouet.Esa 45. Rorate cœli:hoc est,depluire iustitiam,quæ nisi desuper in nos effundatur actum est. Ros uoluntarium,& Pluuia uoluntaria.Psal.68.denotat spiritum effundentem,de quo loquitur super omnem carnem.Imber ille uberrimus & salutaris, cuius aquis irrigatis mortalium corda madefacta, spõtaneum deoq; dignum emittunt fructum.Hæc est ille spiritus,uitæ,gratia & euangelium,quo pure sancteq; populis promulgato, sancti spiritus imbre fœcundatur ecclesia, fitq; eius obsequium ac religio ultronea, aperta, libera,non coacta,uiq; è duris hominum cordibus exorta.

¶ *Rudera*, Latini materiam diruptorum ædificiorum,quæ lapidibus & testis con-

fractis

fractis calce q̃ arena commixta constat, Græce appellant Apostolus Philipp. 3. capite, σκύβαλα. Græcis autem σκύβαλον dicitur, quod ex intestinis proijcitur canibus, ἀπὸ τοῦ τοῖς κυσὶ βάλλεσθαι, reiectamenta, stercus aut excrementa dicere potes. Conuitium est extreme probrosum de rebus nihili & contemptissimis: ueluti cum Germanicè dicimus. Ich halt es grad fur dreck vnd kaat.

¶ *Rotis* ea uis est, ut ex arduo decliuia petentes, nisi aurigæ perspiciant, & seipsas per dunt & sarcinas. Ita quod ad hunc locum attinet, impij ad permitiem sibi alijs q̃ afferendam semper apparent esse propense: unde propheta in Psal. 72. Deus pone illos ut rotam. Id est, cura ut uertigine circum agantur in suis consilijs, quæ miseros præcipitet in barathrum interitus.

¶ *Rugire* pro loqui & maxime commotum esse, Amos. 1. Dominus de Zion rugiet. Septuaginta ἐφθέγξατο, locutus est. Quasi dicat Amos iratus est, erigit iubar instar irati leonis. Significat magnam iram & commotionem dei. Et Rugire è cœlis, est terrere gentes uerbo suo. Rugitus leonis, euangelij uocem denotat, ut suprà annotauimus in nomine Leo.

¶ *Ruminare*, est operam scienti dare, & in lege domini meditari die ac nocte. Leuitici undecimo capite.

¶ *Rumorem* falsum adsumere, est uocem mendacij suscipere. Exod. uigesimotertio capite: Ne assumas rumorem falsum: Id est, ne sis autor falsi rumoris contra proximum tuum: aut fingas in corde tuo, uir de illius fama lædi possit. Vel: ne admiseris rumorem falsum.

¶ *Rumpere* rupturam & aperire secundinam, utuntur hoc schemate, pro primogenitum esse & nasci, ut Gen. 38. Quare rupisti super te rupturam: quasi dicat gratulãdo, Tu rupisti claustra, tu aperuisti portam prior.

¶ *Ruina* uerbum ad exitium significandum uidetur conuenire, & mortem. Psal. centesimo quinto, quum cædes post uitulum à cædis conflatu sequutas describeret: Irritauerunt, inquit, deum in adinuentionibus suis & multiplicata est in eis ruina. Et Psalmo centesimo nono: Iudicabit in nationibus ait, implebit ruinas: id est, omnia cædibus implebit, quum ceperit impios.

S

SABBATI nomine omnis cultus uniuersus dei comprehenditur: hoc, est, omne religionis exercitium, imò ipsa religio uera. Hier. 1. Et rident sabbata eius. Et Esa. 56. Custodiens, scilicet, sabbatũ. Sub alio membro charitas proximi uniuersa. Et Hier. 17. In Sabbati obseruatione tota comprehensa uidetur. Sic & cap. 1. Lamentationum.

Sabbatũ uox est petita ab Hebræis, quibus שבת significat quiescere siue cessare, unde שבתון Sabbaton siue sabbatũ requiẽ significat, & pro ea usurpat quæ cõsecrata est quieti. Fuit aũt obseruatio illa quietis celebris semper & uetustissima. Tradunt ergo duplex esse sabbatum, internum siue spirituale, & externum siue corporale.

Spirituale & internum, est perpetua pœnitentia & cessatio ab opere seruili, à peccato uidelicet, dum uidelicet aduigilamus summa diligentia, ne inueniatur in nobis nostra uoluntas, sed ut omnia in nobis operetur dominus, qui & totus uiuat in nobis.

Corporale siue externum Sabbatum, est ordinatio externa diuinitus in hoc tradita, ut externa religio siue dei cultus in eo exerceatur.

Sabbati præterea appellatio pro hebdomada usurpari constat. Nã testis est Pharisæus ille apud Luc. 18. dicens, Ieiuno bis in sabbato, in hebdomada nimirum. Et Leuit. 25. cap. Numerabis quoq; tibi septem hebdomadas annorum: Id est septies septem. Numerabis apud te septem sabbata annorum, septem uidelicet annos septem uicibus. Hic uides sabbatum pro hebdomade accipi. Leuit 23. sabbata, pro hebdomada, unde est quod Hebræi dicunt: Prima sabbati, secunda sabbati: id est prima dies hedomadæ.

Sabbatorum ad hæc primum nominauit Matthæus, cap. 28. primum diem in hebdomada, qui nobis est dies Solis & dies dominicus. Et sabbatũ principio appellauit diem Paschæ sanctum. Videtur enim Marcus atq; Matthæus per sabbatum potius intellexisse hebdomadam, ac unam posuisse pro primam.

Sabbatum secundo primum Deuteron proton, de quo Lucas 6. cap. In sabbato se-

cundo primo. Quum duo festa sese contingunt, quorum alterum Sabbatum est: quod tam & si ordine secundum est, proton tamẽ, id est, præcipuum & summum. Nam Sabbatum ante omnia præceptum est à deo.

D. Ambrosius, noue dictum esse secundo primum, pro eo quod est primo secundũ, id est, primum Sabbatum, ipsam diem uti Pentecostes mox secundo loco insequens, vvie by der Rœmischen kirchen der Montag der erst vnder den Pfinst fyer tagen vnd der ander tag vff das fest oder vff den Pfinstag vvas. Iudæis nonnunquam toti septem dies feriæ fuerunt. Theophylactus hunc Lucæ locum enarrans, huiusmodi affert sententiam. Iudæi, inquit, omne festum Sabbatum uocant. Nam Sabbatum requiem sonat. Sæpenumero igitur incidebat festum cum parasceue, & uocabant parasceuen Sabbatum propter festum: itaq; quod proprie Sabbatum erat, nominabant secundo primum, quod secundum esset ab altero festo & Sabbato quod præcesserat. Hæc ille.

Sabbatum ultima dies hebdomadis, significat Iudæos ultimis temporibus ad fidem accessuros, in nouamq; uitæ formam traductos, umbras legis posituros, Ioan. 5. Erat Sabbatum.

Sabbatum atqui magnum dictum, quia intra dies Paschæ inciderat, magnum uocabatur, quia magis solenne erat, ut Matthæus enarrat Parasceue, de quo Matthæus sabbati sequentis, non agni edẽdi: nam hoc præterierat ferẽ, sed erat adhuc instar septem dies, in quibus edebant infermentata. Hoc uerò sabbatum magnum dictum.

Sabbatum dei domini tui est, Exod. 20 cap. Id est, quiescendum est ab operibus corporis, ut uaces operibus spiritus in laudem domini. Item, Et sabbatũ est dño, Exod. 16. Id est, cessari uobis hodie in honorẽ domini. Sabbatum requietionis. Leuit. 17. Quietem quietis: Id est, summa quies est: Hoc est, animo & corpore uobis quiescendum est.

Sabbati uerò iter, est iter mille cubitorum, autore Rabi Salomon. Sabbatum sanctificare, est sanctis operibus inuigilare, uerbum dei audire, & benefacere omnibus. Nõ prohibetur sabbati quiete, omnis actio simpliciter, ne quid operemur prorsus, sed ne quid agamus prophani. Non excluditur necessitas & iusta corporis cura. Lucæ 13. Gen. 2. sanctificauit dominus septimum diem: id est, ad specialem dei cultum elegit, seorsum parauit, ac dedicauit. Germanice, Gott hatt den Sabbath gefryet.

Sabbatum agere, est abstinere à nostris operibus, siue proprie malis, siue in speciem bonis, quæ nos ipsi sine uerbo dei eligimus. Esa. 58. Si auerteris pedem à sabbato.

Sabbatum prophanare, est otiari, libidinari, insolescere, debita repetere, pauperes contristare & opprimere: hoc est, deum irritare.

Sabbatũ ergo nihil aliud est, quàm manum abstinere ab omni malo. Quum ergo manus semper cohibenda sit ab omni iniuria, fit ut sempiternas agere ferias debeamus. Vna enim sabbati appellatione Esa. 66. auellit nos ab omni scelere. Iterum cap. eod. poni pro uacatione à scelere. Capite autem 18. ponitur pro omnimoda per merastasim felicitate, quia fruuntur, qui inter diuos relati sunt.

Sabbata, Festa & Nouilunia. Leuit. 23. significant gaudium & lætitiã conscientiæ in nouationem hominis & sabbatũ illud in quo requiescimus ab operibus nostris, non facientes uoluntatem nostram, sed dei operantis in nobis creditum. Hoc enim uere est festa, Nouilunia & sabbatum in spiritu agere. Sabbatum in hoc esse institutum, ut in hoc rebus uacemus diuinis: nempe Oratione, Lectionibus ac concionibus sacris. Nam per Sabbati sanctificationem intelligimus uerum & sincerum cultum dei. Et est Sabbatum symbolũ creationis mũdi, ducens nos in agnitionẽ magnifici creatoris nostri.

¶ *Saccus* uox Hebraica, Græca ac Latina: nam per multa uocabula Hebraica in cæteris linguis remanserunt. Saccus autem non tam cilicio quàm prophetali ueste accipitur, quæ propter uilitatem Sacci nomen induit, Esaiæ. 20. cap. Vade & solue Saccum tuum de lumbis tuis.

Sacci nomen deinde quoq; pro lugubri habitu & mœrore mœsticiaq; usurpat, Esaiæ 50. cap. Induam cœlos tenebris, & Saccum ponam operimentum eorum. Et Hieremiæ. Cœlo inquit, Saccum induam, hoc est, tenebris & nubibus obducam. Et Matth. 11. cap. Olim in sacco & Cinere scelerum suorum pœnitentiam egissent. Saccus enim uiliorem uestem. Cinis uiliorem sessionem significat, Esa. 58. cap. Ideo apud Matthæum. 11. Sacci dictio non ponitur pro culeo, sed pro strictiore ueste, quam aliàs uocarunt Cilicium. Fiebat autem Cilicium ex hircorũ & caprarũ pilis, à Cilicibus ita dictũ, apud quos, ut inquit

inquit Varro)cilitia primũ cõfecta sunt. Gen. 37. legis, Indutus est Iacob cilitio lugens. Item, Scidit Iacob uestimẽta sua, & posuit saccum in lumbis suis, & mœrore affectus est super filio suo multis diebus. Solet alicubi scriptura per habitũ significare affectum, & symbolum ponere significata. Saccus & cinis symbola pœnitentiæ, Danielis nono. Et Hiob 16. cap.

Saccum consui super cutem meam, & operui cinere carnem meam. Per cinerem & saccum pœnitentia demonstratur, & omnem materiam lugendi signat, teste etiã Esa. 30. cap. Soluisti mihi saccum. Et infigere cornu in puluerem. Hæc apud Iob pœnitentiæ symbola sunt. Testatur his sæpe intẽtum fuisse, etiamsi hæc pœnitẽtiæ symbola nõ tam accurate seruarit: hoc est, uolutabatur in luctu.

Saccos insuper & culeos induere, seu uestiri sacco. Hebraica locutio est, significat uilem & abiectũ habitum gestare (nam uestis publice lugentiũ erat & animi tristitiam testabatur, ut uides Ionæ 3.) atq; sine omni ornatu uestitũ incedere, quemadmodũ illi faciũt, qui mœrẽt. Vnde pullati inambulant. Psal. 20. Cõuertisti planctũ meum in gaudium, mihi dirupisti saccũ meũ: id est, abstulisti uestem luctus, & induisti me uestimento lætitiæ sempiternæ, pro mortalitate immortalitatis gloria me donasti, & pro luctu gaudio. Et Esa. 35. Dicit quoq; Dauid humiliatũ se fuisse, & ieiunasse: hoc est, sordidiore ueste indutum & aspersum fuisse, & in terra quoq; sedisse. Et eius ergo dissolutione, & exuitione, luctu remotionem per synecdochen intelligit scriptura. Et Apoc. 6. cap. Cilitiũ permutatum esse dicit, quod est dare suauitatẽ & lætitiam. In summa, olim sacco uestiri & cinere conspergi solebant lugentes ac pœnitentes, perinde ut nos cõsueuimus in mœrore uestiri pullis. Deiectebant isti sese præterea in tertã, uolutãtes sese in puluerẽ ac cõspergentes cinere: ita enim animũ planè deiectũ, & sese excruciantẽ prodebant, & semetipsos suæ cõmonebant sortis, q̃d uidelicet è puluere exorti, in puluerem sint redigendi.

¶ *Sacerdos*, is dicitur, qui deo dicatus est, & res sacras facit. Et sacerdotiũ sacerdotis, est officium. Sacerdotẽ magnum. Hag. 1. summum sacerdotẽ uocat. Item, Cohen Hebraice, sacerdos Latine nõnunquam generale nomen est, & ad præfecturas pertinens, sicut de filiis Dauid legimus, quod fuerunt præfecti 2. Reg. 8. cap. Sicut & Ietro sacerdos erat Madian, ut sacerdos generaliter etiam alios præfectos denotet. Nam Cohem, quod præfectura fungi significat, proprie sacerdotali. Esaiæ sexagesimoprimo & 24. cap. Et erit populus, sic sacerdos. Hebræi suum Cohen pro præfecto primario & sacerdote usitatissime uruntur. Hinc Cohen, pro senioribus populi, & primatibus satrapis intelliguntur. Sic Melchisedech rex fuit & sacerdos altissimi. Genesis 14. capite. Verbi autem ministris Christus ne principum more dominentur, interdixit, Matthæi 20. cap. Apud uetustissimos potentes erant, præerantq; reipublicæ ac magistratibus fungebantur, etiam sacerdotio: erant enim multarum rerum scientia & usu sapientissimi. Hinc accipiunt Hebræi Cohen pro consiliariis præcipuis & uelut directoribus. Vsurpatur tamẽ apud Hebræos quoq; pro ministro dei, siue sacrorum.

Sacerdos summus dominus noster Iesus Christus unicus mediator & saluator noster: Iuxta illud Psalmi: Tu es sacerdos in æternum.

Per sacerdotes Zachariæ 7. intellige eos, qui ex scriptura docere possunt. Per prophetas uerò eos per quos absq; scripturis spiritus sanctus docet: uel qui abdita scripturarũ norunt. Vnde ibidem prophetæ sacerdotibus maiores sunt. Sacerdotium pro summo pontificatu. Num. 16. cap.

¶ *Sacrarium*, hoc nomen apud Paulum 1. Cor. 10. cap. uidetur accipi pro tota illa religione, proq; ipso deo cui offertur sacrum: Nonne, inquit, qui edunt uictimas, communicatores sacrarij sunt?

Sacrarium habitaculorum dei, Cantores sacri, Psal. 46. Ciuitatem dei uocant. Ex omnibus enim locis Israel quæ omnia dei habitacula erant, quia ubiq; deus cum suis agit, selecta Hierusalem fuit, ut in ea primarius colẽdi dei locus esset. itaq; ut qui fide proiectiores sunt, & deum ideo præsentius intra se habent, sic ampliore ex dei bonitate lætitia perfruũtur, & uelut sacrarium dei, inter reliqua dei habitacula inferiores sanctos, censebũtur sacrariũ dei ingredi. Psal. 73. pro perceptione diuinæ eruditionis posuit, quę tum percipitur, dum abstractus à creaturis animus, uoluntati diuinæ discendæ & amplectendæ, torum se contemplatione addicit.

¶ *Sacramentum*, Varroni pignus est, quod litigantes nescio ad quam arã deponebãt:

qui uicisset, pignus aut pecuniam suam repetebat. Rursus Sacramẽtum, iusiurandũ est, qui usus uocabuli etiamnũ apud uulgum Galliarum & Italiæ durat, & religiosam obligationẽ significat, ꝙ hæc arcanis quibusdã cęremonijs peragerẽtur. id quod T. Liuio admodum familiare est. Vnde & Cato uoluit filiũ sacramento solutum merere. Postremo dicitur & sacramentũ militare, quo milites duci adstringuntur ad imperium eius, iuxta belli ius, aut leges: habent enim & bella leges, sed suas quasdam, iustæ enim leges inter arma silent. Nam pro re sacra & arcana apud ueteres accipi, non constat. Sacramentum nihil aliud est ergo, quàm initiatio aut oppignoratio. Sicut enim qui ligaturi erãt, certũ pecuniæ pondus deponebant, ꝙd auferri non licebat, nisi uincenti: sic qui sacramẽtis imptiantur, sese adstringunt, oppignorant, ac uelut arrabonẽ accipiunt, ut referre pedẽ non liceat. Atqui mysteria & sacramenta nonnunquã appellamus in genere omnia occulta ꝙquo pacto, etiãsi doceri ac disci possint, modo à multis sint obstrusa, ut quum dominus dicit: Vobis datum est nosse mysteriũ regni dei. Et Paulus orat, ut detur sibi sermo in aperitione oris, quo notum faciat mysterium euãgelij, & ad Colos. 1. Verbum dei uocat mysterium, Porrò quod Paulũ sequuti ueteres. Matrimoniũ aliquoties uocant sacramentum, id sentiunt iudicio Erasmi, in copula uiri & uxoris, quoniã est arctissima animi citia repręsentari typũ quendam & imaginẽ Christi, spõsam ecclesiam sibi copulantis. Id sentit, nisi fallatur Erasmus. D. Augustinus ediserens Psal. 118. Erunt, inquit, duo in carne una, Quod magnũ mysterium apostolus Paulus exponens: Ego, inquit, dico in Christo & in Ecclesia. Quanquam idem euidenter explicat lib. de nuptijs ad Valerium. Quod magnum, sed tamen cõiunctionis inseparabilis sacramentum.

Sacramentum atq; non raro Latini pro mysterio dictione Græca usurpare consueuerunt. Mysterium uerò nonnunquã arcanũ quoddam, nonnũquã externã aliquam formam, figurã, uel quamcunq; rem magnæ alicuius, arcanæ, diuinæ, & excellentis significatum significat. Vnde in nouo Testamento Sacramenti uocabulum nonnunquã prodigium significat. Vnde in nouo Testamento Sacramenti uocabulum nonnunquã prodigium uini consilij arcana & inscrutabili sapientia, quo humanum genus morte filij sui unigeniti redimere instituit, poni inuenire licet.

¶ *Sacrificare*, pro mactare, occidere. Act. 10. cap. Surge Petre, sacrifica & comede. Exod. 12. Et sacrificabis ex bobus tuis & ex omnibus tuis. Hinc sacrificium magnũ etiam populi præuaricantis cædem & mactationis significat, Nec; otiosa est illa metaphora in sacris literis, præsertim prophetics. De qua metaphora & Zophon. 1. disserit, Parauit dominus sacrificiũ, expiauit. Erit in diem mactationis, dñi ultionem sumam de principibus, &c. Alibi dies festus & uictima domini dicitur. Esa. 34. Victima domini in Bozra in terra Edom. Vide in litera D. tropo Dies.

¶ *Sacrificium* aliàs generale nomen est omnium, quæ inferebantur altari secundũ legem, ut erat sacrificium matutinũ & uespertinum, de quo dicit Psal. 49. & 50. Sine panis & cibus, dei præsertim ea quæ ignis absumebat. Itẽ, alia secundũ tẽpora & psonas. Sacrificiũ aũt est quidem non simplex, & quæuis incruenta oblatio, sed proprie uictima, quæ deo mactatur & offertur, & tamẽ generaliter apud Mat. 6. Et non sacrificium ait: accipitur, pro quauis oblatione, quæ deo offertur. Quasi dicat Christus, Non hoc à uobis quæro, ut mihi offeratis munera & sacrificia, sed ut misericordiam quisq; erga proximum suum declaretis. Sacrificij & oblationis uerbo, ueteres pro laudis, siue gratiarum actionis hymno, pro gratulatoria ac solenni memoria usurparũt, ut apparet ex Cypriano & Tertulliano. Sacrificium ad hæc in scripturis solet peccatum dici, ut Hoseæ 4. Peccatum populi mei comedent sacerdotes. Sacrificium hic pro publicis epulis ut detur accipi, quæ ex sacrificijs populo dabantur. Sacrificiũ sacrificiorũ, omniũ sanctum hoc est dei, sacerdotis & offerentiũ. Mintha uerò erat dei & sacerdotũ. Holocaustũ totum erat dñi. Cutẽ aũt accipiebat sacerdos. Ex hostijs uerò, q̃ fiebãt ꝓ peccato et delicto, sacerdos, nihil cedebat offerẽtib⁹, sed dño offerebãtur adipes, renes, abundãtia iecoris, &c. & reliquam carnẽ sacerdotes comedebãt. Leuit. 7. Sacrificia illa omnia Christũ & sacrificiũ eius significarũt. Nam ꝙd iuge sacrificiũ ꝙtidie super altare oblatũ fit, partim significat sacrificia legis non expiare peccata, alioqui eadem toties nõ essent reperita, quotidie modum ad Hebræos scribitur: partim significat sacrificiũ Christi: sacrificium ita perfectum esse, ut etsi extrinsecus in oculis hominum semel peractum & consummatũ est, uirtus tamen eius perpetuo duret. Sacrificium Christi, est quicquid patri obtulit pro nobis, oratione & opere, in nostri saluationẽ, ipsius eñ nõ nostra saluatione saluamur.

Sacrifi-

Sacrificium iusticiæ est, dum nos ipsos sacrificamus, et exhibemus corpora nostra hostiam uiuentem, non boues occidentes, sed terrena nostra membra mortificantes, et spiritum humiliantes. Item, & deum iustificare & laudare, seipsum peccatorẽ accusare, dignum q̃, omnibus his, quæ patitur, pronunciare, cum Psalmo 118. dicendo: Iustus es domine, &c. Et Danielis 3. Et Baruch. 1. & Psal. 14. Lege ad Hebræos de hoc sacrificio, præcipue cap. 5 & 6 cap.

Sacrificium laudis est, dum non solum ore, sed etiam uitæ innocentia deũ laudamus et sacrificamus. De quo Psalmo 49. dicit se honorificari, et ipsum esse iter ad salutare dei uidendum, Ephe. 2. cap. Tradidit seipsum. Hoc sacrificium quod perenne esse uoluit dominus, ut legis Psalmo 49 allegato.

Sacrificium et hostia fidei, est conuersatio Christianorum siue fidelium. Sic Paulus ad Philip. 2. uocat conuersationem Philippensium, hostiam, sacrificium q̃ fidei: Significans eos esse bonum odorem deo in omni loco. 2. Cor. 2 cap. Quemadmodũ de sacrificijs carnalibus, in ueteri lege sæpe legis, Numer. 18. Et alibi Paulus ait, Quinetiam si immolor super hostia sacrificio q̃ fidei uestræ gaudeo.

Sacrificia pacificorum, quæ rebus pacificis & gratiæ alendæ quodam modo pacis, cũ deo, cum sacerdotibus & cum familiaribus fiebant. Holocausta uerò hostiæ erant, quæ tota adolebantur, & offerebantur ferè ad emerendum dei fauorem, & beneuolentiã in rebus seriis ac periculosis. De his lege Leuit. 1. & 6. cap.

Sacrificia mortuorũ atqui, de quibus Psal. 106. loquitur. Et comederunt sacrificia mortuorum, id est, idolis immolarunt. Vocat uerò hæc sacrificia mortuorum, quod nihil uitæ haberent quos illi pro dijs colebant, quemadmodum fiebat. 1. Corinth. 8 & 10 cap.

Sacrificium deniq; iuge illud ac nunquã intermissum, sacrificiũ ἐνδελεχισμὸς uocatur. Vnde dicitur ἐνδελεχίζω, non illa Aristotelis, Exod. 29. Per singulos dies iugiter. Septuagin ta clarius exposuerunt. Deos, inquiunt, agnos iumes per singulos dies iugiter, oblationem continuationis.

¶ Sagena dicit græcè σαγήνη, haud dubie ab irretiendo. Germanice appellat, Ein zug garn: pro euangelio seu ecclesia sumit Matth. 13. Verriculũ quoq; dicit, retis genus est piscatoriũ à uerrẽdo mari dictũ, quod ingẽs longissimis funibus circũducit. Quemadmodũ hoc amplũ est, & omnia q̃ arripuerit attrahit: ita Euangelica prędicatio ampla gratię annunciatione omnes ad Christũ adducit. Cõtrahit Sagena ex omni genere, uidelicet pisciũ: ita euãgeliũ colligit oĩs generis homines. Sagenæ ideo nomine ecclesia intelligit.

¶ Sagittæ appellatione prædicationis uerba et animaduersionis sentẽtiæ exprimunt. Psal. 44. Sagittæ tuæ acutę potẽtissimæ, Esa. 66. Mittã eis qui saluati fuerint ad gẽtes in mari, in Aphricam, in Libyam, tenẽtes sagittam. Animaduersionis percussio 4. Reg. 13. Iace sagittam, quo iaciente, inquit, percuties Syriam donec consumes eam.

Sagittæ dei, pœnæ sunt quas sumit de impijs, aut certe quibus terret conscientias, ut resipiscant. Nam in scriptura non obscure uulnera conscientiarum, id est, uerba quibus configitur conscientia, ob terrorem iusti iudicij dei & iræ comminationis diuinæ contra nos, significantur. Vnde & fulmina dicuntur atq; fulgura, Psalmo 17. Et misit sagittas suas & fulgura multiplicauit. De illis Sagittis Hiob sexto cap. Sagittæ domini in me, indignatio ebibit spiritum meum, & terrores domini militant contra me. Multa de sagittis eiusmodi passim legimus, ut Psalmo septimo, Sagittas tuas ardẽtibus effecit. Et Psal. 19 & 145. Sagittæ tuæ acutæ. Et Psalmo 126. Sagittæ tuæ potentis acutæ. Nam etiam ministerio diaboli infligunt. Et tunc propriè in scripturis solent ignitæ appellari. Inflammant enim ad concupiscentiam, iram, impatientiam, blasphemias & desperationem, atque accendunt ignem illum æternum, nisi rursum extinguantur aqua sapientiæ salutaris, de qua supra, id est, fide promissionum diuinarũ in Christo. Vnde Paulus ad Ephesios sexto capite, Scutum fidei sumentes, in quo possitis omnia ignea tela iniquissimi hostis extinguere. Sagittarum autem & Arcus allegoria creberrima est, non modo in sacris Biblijs, sed quotidianis uulgi sententijs. De qua allegoria in tropo Arcus, fusius differuimus.

Sagitta atqui uolans, est periculũ quod uiderur quidẽ, sed tamẽ ferit antequã amolia mur, quia in die quidem est, sed tamen Sagitta uolans est: quomodo autem tutus eris in medio Sagittarũ uolantiũ, quamuis uideas: ut Psal 90. A sagitta uolante in die. Hoc periculũ est illis, qui uerbũ quidẽ audiũt & cognoscunt, & quũ scelerate uiuant & impie

non

non tam ab impietate resiliunt, sed etiam uidentes non uident, & audientes non intelligunt, quia scuto ueritatis diuinæ proteguntur.

Sagitta paruulorum, significat conatus resistentium uerbo, quorum conatus comparantur paruulorum sagittis, quæ ad occidendum alios inefficaces sunt, & sæpe reuertuntur in capita, & in oculos ipsorum paruulorũ, qui eas iaculati sunt, Psal. 63. Sagitta paruulorum facta sunt plagæ eorum.

Sagitta munda porro Christus dicitur, Esaiæ 49. cap. Et posuit me in sagittam mundam: hoc est, nõ rubiginosum, ut sit sensus: Posuit me in Sagittam, & misit me in hoc, ut essem Sagitta munda, quæ nihil admitteret falsitatis, qualia sunt eloquia dei, purgata septuplum. In scriptura usitatus tropus est, ut sagittæ appellentur uerbum, sicut patet ex Psal. 45. An sagittam in Psalmo allegato pro ipso uerbo, an pro doctore & ministro uerbi accipias idem est. Sicut apud Esaiam: Assumam te mihi in aceruum. Et 49. ut suprà. Apostolus enim qui docet uerbum, est quasi sagitta acuta. Sic etiam uerbum spiritus sancti, est sagitta acuta: id est, felix ac fortunata & efficax.

Sagittæ ex aliena pharetra, prouerbiali figura, dicuntur sermones aut consilia, ab aliis suggesta. Proprie autem falsæ doctrinæ hoc nomen conuenit, quæ facilime penetrat. Psal. 120. Item, mala lingua dicitur sagitta. Est ut acutæ sagittæ potentis, ut ignis iuniperis: Sagittas omnes suas complere in aliquem. Deut. 32. cap. Id est, mittam in eos omnes sagittas meas.

Sagittas inebriare sanguine. Deut. 32. cap. Inebriabo sagittas meas, Vel: Tingam, sibi audi inimicorum. Quasi dicat: Conficiam sagittis inimicos meos.

¶ *Sal*, pro discretione & uerbo dei, siue pro pura, sincera & sana doctrina accipitur. Mat. 5. Item Sal uiuacitatem & acrimoniam doctrinæ increpationis & euangelicæ libertatem, ut: Vos estis sal terræ. Per terrã uerò homines agentes per terrã. Et, sermo uester per in gratia sit sale conditus. Colossensium quarto capite Paulus qualia esse debeant, gratiosa nimirum & sale condita. Plinius libro trigesimo primo, capite septimo, indicat metaphoram esse sumptam ab usu salis, quod in omnibus cibis sit condimenti uice, ut auiditatem inuitet: Ergo hercle, inquit, uita humana sine sale nequit degere, adeo nec cibi sarium elementum est, ut transierit intellectus ad uoluptates animi quoq. Nam ita sales appellantur, omnis q; uitæ lepos, & summa hilaritas laborum q; requies non alio magis uocabulo constat. Atq; hinc insulsa oratio, quæ nihil habeat leporis, & insulsus homo moribus inelegantibus. Contrà sales uocant festiuiter, & argute dicta. Leuit. 2. cap. iubetur in omni sacrificio apponi ad designandum, nullum sacrificium deo placere, nisi fuerit cum discretiõe factum. Ne auferes, inquit Moses, Sal fœderis dei tui de sacrificio tuo, Vel: Ne cessare facies sal fœderis, &c. Id est, Perpetuo uteris sale in omni munere, quod mihi oblaturus es ratione fœderis, quod tecum percussi.

Sale condire, siue Igne salire Marci 9. cap. Igne salietur, Christus apostolos suos in hoc loco Sal terræ pronunciat, id q; propter doctrinam ueritatis. Nam ueritas amara est carni. Ministrorum uerbi est pugnare cõtra uitia, contra q; affectus carnis. Nam sale condire, est uitijs obstare, & corruptione carnis seruare. Hoc si ministri non faciunt, sal sunt infatuatus, insipidus q; & inutilis. Igne uerò salire (quod hic dicitur) est tentatione probari: nam & crux à uitijs seruat. Ignis symbolum est tribulationis & persequutionis, ut auditum suprà est, &c. Sal ergo doctrina est, castigatio & disciplina ecclesiastica, seueritas illa eorum, qui speculatores & oculi sunt in ecclesia.

Sal perpetuitati consecratus, unde legis in sacra historia, Fœdus salis, pro fœdere sempiterno.

Salis natura ad hæc infœcunditatem terræ significat. Posuit terram fructiferã in salsuginem. Omnis siquidem locus (ut subdit Plinius lib. 31. cap. 7.) in quo reperitur sal, sterilis est, nihil q; gignit. Vnde quum Abimelech Sichem destruxisset, seminauit illic salem, quo perpetuo sterilem & desertum locum, uel reddere, uel saltem fore talem significaret, uoluit. Iudic. 9. Et Zophoniæ 2. Ita futurum est, ut regio Moab instar sit Sodoma, & filij Ammon, sicut Gomorrha, squalidum, senticetum & saliuæ, & æterna uastitas. Peripsis est extremæ uastationis, qualibus passim prophetarum libri pleni sunt. Esa. 34. cap. de regione Idumæorũ desertam & squalidam terram futuram describit. Hinc Salem seminare, est incultam & inhabitabilem reddere regionem, aut terram.

¶ *Salicum* nomine aliquando ꝓ uiriditate boni, aliquãdo pro sterilitate reprobi designantur

gnantur, Esaiæ 44. Germinabit inter herbas sicut salices iuxta præterfluentes aquas, Psal. 113. In Salicibus in medio eius, suspendimus organa nostra.

¶ *Saltus* pro sterilitate, Hoseæ 2 cap. Et ponam eam in saltum. Septuaginta μαρτύριον, id est, testimonium.

¶ *Saluare* elegans uerbum & obseruandum: nam non semper significare æternã salutẽ cõsequi, sed sæpius sumi pro seruare, protegere, custodire, succurrere et adiuuare: ue lut Psal. 35. Homines & iumenta saluabis domine, hoc est, enutris, adiuuas et conseruas. Sic accipitur Matth. 24. Nisi decurtati fuissent dies illi non fieret salua omnis caro, Hoc est, perirent uniuersi homines, & ne ullus superstes ac saluus remaneret. Item Matth. 8 cap. Salua nos, perimus, id est, adiuua, ne submergamur. Deinde Matth. 17. Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere, id est, adiuuit multos & seruauit incolumes, seruet seipsum nunc à morte. Sic Marci 6. Quotquot tangebant eum, salui fiebant, hoc est, sanitati restituebantur. Ita 1 Timoth. 2. Deus uult omnes saluos fieri, de salute omnium et corporali intelligendum est. Inde etiam Saluari pro æternam salutem consequi, benedici, & iustificari transumitur, quam spiritualem salutem pauci assequuntur.

Saluare pro liberare Psalmo 106. De angustijs saluauit eos. Item, saluare pro reparare, quemadmodum & Germanis mos est usurpare uerbum Heylen, fur vviderbringen vnd ersetzen. 1. Timoth. 2 cap. Salua tamen fiet per generationem puerorum. Item, Saluauit salute magna, locutio hebraica, hoc est, optatissimam salutem attulit. 1. Paralip. undecimo capite.

Saluare animam suam, est eripere è periculo, Genesis 19. capite. Salua animam tuam. Saluum te fac, pro anima tua, id est, fuga consule uitæ & saluti tuæ.

Saluari atqui in domino, Deut. 13. Qui saluaris in domino, id est, qui seruaris ope diuina. Salua facta est anima mea, id est, animus meus liberatus est metu, uel mortuus nõ solũ Saluari per gratiã, est autẽ citra omnem satisfactionem aut meritum saluari, & ferme idem est, quod in Iudicium non uenire, Ioan. 5. quod est per gratiam à merita condemnatione liberari ac saluari.

¶ *Saluatoris* nomen non solum ad Christũ in scriptura refertur, sed etiam ad alios ut Moses saluator tuus, Et Hoseæ 13. cap. Ero rex tuus ubi? & saluator tuus in omnibus ciuitatibus tuis ubi sunt. duces hic Saluatores uocat, ut apud Euangelistas reperire licet, Lucæ 22 cap. Iudicum 3. cap. Et excitauit dominus Saluatorem Israel saluauitq; eos.

¶ *Salutare* frequẽs est uocabulum in sacris literis, & fere ad Christum refertur, recte, sed non satis aperte. Aliud enim sonat Saluator, aliud Salus.

Salutare enim Latinis id dicitur, quo usus saluator salutem confert, sicut cibum, potum, medicinã, & similia dicimus salutaria. Quæ quũ ita sint, Christus aptissime saluare uocatur, quum ipse sit remedium illud, quo nos saluamur. Ipse est panis qui dat uitam. Et omnino idẽ carduus & medicamentũ, quo sanantur peccata animarũ, & libera mur ab omni malo. Sic ait Dauid Psal. 9. Exultabo in salutari tuo, id est, ego salutem neque in me, neq; in ullis hominibus quæro. Vana enim salus hominis, &c. Et ut Apostolus 1. Cor. 1. Ipse sanctificatio, sapientia, redemptio nostra à deo factus. Quibus uerbis optime energiã huius nominis Salutare, & usum Christi, & incorporationẽ nostri in Christũ exposuit. Ita uerbum Salutare, quia usum & uim salutis includit, aptius conuenit militanti ecclesiæ, quàm Salus, quæ potius futuri seculi res consummata erit:

¶ *Salutare dei* apud Lucam 2 cap. ait Simeon, Quia uiderunt oculi mei Salutare tuũ, quod plus quodammodo est, quàm si uocasset salutem, aut Saluatorẽ. Nam σωτήριον salutare significat: uidetur sacrarium quoddam thesaurum & copiæ cornu salutis, in quo quicquid ueræ salutis est, abundantissime inueniri exhibitum.

¶ *Salus* autem non tam pro salute, sed etiam pro effugio & refugio Hebræis accipit, Esa. 12. Et factus est mihi in salutem, id est, refugium. Item pro ope & auxilio, Exod. 14. cap. Videte, dicit Hebræus, salutem domini quam faciet nobis hodie.

Facere opem aut salutem, loquutio est hebraica, Latinus dicit ferre opem. Hinc scriptura Salutem usurpat pro quolibet auxilio, præsertim autem pro eo quod adfertur periclitanti, adeoq; & pro assertione & defensione ponitur. Vnde Iudices in libro Iudicum, Saluatores, ut suprà declaratum est, dicuntur, quia periclitantibus tulerunt opem, & per fortitudinem diuinam liberauerũt oppressos ab hostibus. Sic & Apostoli dicunt Saluatores, in propheta Abdia & Acto. 16. Christus ergo dominus noster, quia ipse uere

saluauit

ſaluauit mundũ, id eſt, è poteſtate diaboli aſſeruit in libertatẽ filiorum dei, adeoq; ſolus hoc fecit, merito Saluatoris nomen gerit ſolus. Non enim in alio quoquam ſalus eſt, ut ait Petrus, neq; aliud nomen eſt datum inter homines, in quo oporteat ſaluos fieri.

Salus & Schalom, hoc eſt, Pax Hebrçis fermè idẽ ſunt. Sic Chriſtus Lucæ 8. Noli timere, crede tantum, & ſalua eris. So iſt ſach vñs recht, ſo vvirts vvol ſton. Hoc enim valet Schalom hebraicũ, quod Latini pacẽ dicunt. Hinc Salutares hoſtię dictæ, gratulatoribus appellare licet, quæ offerebãtur pro rebus bene geſtis, quum res erant integræ ac ſaluæ. Sic dicũt: Eſt ne pax pueris, id eſt, ſunt ne pueri ſaluĩ? Stadts vvol vmb fie? Sind fie gſund vnd fryſch. De quo tropo in litera P, fuſius in nomine Pax.

¶ *Salutare* per uiã, eſt ambire humano more amicitias, uel non recto tramite ad opus procedere. 4 Reg. 4. Si inueneris uirum non ſalutes eum, Lucæ 10. Neminẽ ſalutaueritis per uiã. Salutate domũ, quam intrabitis, Mat. 10. Id plerique de uulgari Salutãdi modo exponũt, quo utuntur Latini dicentes: Salue, Grçci, χαῖρε, Hebrçi Syriq;, Scholõ Lecho, pax tibi: ſed ſenſus eſt de prædicatione Euangelij: Salutate domũ illã, id eſt, ſalutem prædicate familię iſti. At ſalus noſtra, iuſtitia pax & redemptio Chriſtus eſt, Chriſtus ergo prędicandus eſt. Apud Lucã certa formula prędicãdi tradit. Namq; ait: In quãcunq; domũ, inquit, intraueritis, primum dicite: Pax huic domui. Quod perinde eſt, ac ſi dixiſſent: Dominus huic familiæ certo erit propitius, ipſaq; pax, ſalus, & incolumitas ad uos peculiariter pertinet, ſi crediderit is Salutem ex inimicis, Lucæ 1. cap. hoc eſt, friſt, ſchutz, ſchirm.

Salutationis uocabulo ergo comprehendit Lucas cap. 1. gratulationem, uiſitationẽ & cõuerſationẽ ac colloquia familiaria. Et intrauit in domũ Zachariæ ſalutauitq; Elizabet. Et euenit ut cũ audiſſet Elizabet ſalutationẽ Mariç, etc. Cõmendat nobis hac ſalutatione humanitas & affabilitas cũ erga omnes homines, tũ maxime erga pios & hoſpites. Ioan. 4. Per Samariã. Id eſt, per terrã filiorum Iſrael, illic enim habitauerũt Iſraelitæ antequàm abducerentur per Aſſyrios. 4 Reg. 17. Iudæa, Iudæorum erat regio, diuiſa enim erant tribus ſub Ieroboam. Samaria montis nomen habet in ſcripturis: ut mons Samaria pro ipſa Samaria ponitur: mons Amorræi pro regione Amorræorum.

¶ *Sanctificare* & Segregare, idem ſunt in ſcripturis ſanctis. Et eſt à prophano uſu ad dei cultum aliquid ſeligere, ad aliquid magnum ſeparare, dedicare, nuncupare, conſecrare & præparare, ut Nehemiæ reperitur ſumptuoſe & magnifice præparare, uel ſanctificare ad ſacros uſus: quod enim ſegregatur domino, non amplius prophanum manet, ſed ſanctum fit. Sic enim legis, Sabbatum eſſe ſanctificatum, hoc eſt, domino ſegregatũ. Sic & ſanctificata omnia primogenita domino erant, ut Exod. 13 & 30. Sanctifica mihi omne primogenitum. Ioſuæ 7 cap.

Sanctificare, hinc pro ſacrificare & immolare, reperit: Ioan. 17 cap. Sanctifico me, hoc eſt, immolo, illuſtro. Sanctificare namq; domino, eſt aliquid offerre deo, & rem ſacram offerre, Deut. 15. cap. & Numer. 18. Sanctificare annum, Leuitici 25. Id eſt, pronunciabitis annum quinquageſimum eſſe ſacratum deo. Sic & nos ſumus Sanctificati, id eſt, conſecrati, ſeparati ad ſacros uſus, ut hoſtiæ, ſicut & Chriſtus hoſtia fuit.

Sanctificare præterea, eſt quoq; tanquam rem ſacram retinere: Numer. 1. cap. Sanctificaui mihi. id eſt, retinui mihi tanquam rem ſacram & ſanctam.

Sanctificare, pro ſanctum habere, Leuit. 22. Et ſanctificabor in medio filiorum Iſrael. Eo ſenſu dictum eſt, & in oratione Dominica Matth. 6. Sanctificetur nomen tuum, hoc eſt, ſanctum habeatur ab hominibus. Item Sanctificare pro diſponere, Hieremiæ 1. cap. Priuſquam exires de matrice ſanctificaui te, hoc eſt, diſpoſui, ſegregaui te. Legimus quoq; de Ioanne Baptiſta & de Paulo apoſtolo quod ſanctificati fuerint in utero matris, Rom. 1. & Gal. 2. Pſal. 4. Item, Sanctificare pro mundare, Ioſue 7. Surge ſanctifica populum. Septuaginta ἁγνίσον, id eſt, purifica. Item, pro polluere, Haggęi 2 cap. Sanctificauit uir carnem ſuam in alam ueſtis ſuæ. Et Sanctum, idem eſt quod immundum, & Sanctificari pro contaminari, ut ex Haggæo patet. Sic etiam apud Vergilium: Auri ſacra fames. Hinc Scortum Kadeſcha dictum, hoc eſt, pollutum & immundum.

Sanctificari quoq;, pro in uſum ſacerdotum cedere, dicitur in re aliqua, Leuit. 6. Sanctificabitur. Id eſt, in uſum ſacerdotum, neq; comedi debebit, niſi à ſolis ſacerdotibus.

Sanctificauit ſe in illis deus, Hebraiſmus, Numer. 20. cap. id eſt, apparuit glorioſus ſanctus Iſrael, & omnipotens ſuperauit incredulitatem eorum.

Sanctificare deũ, pro honorem impendere. Deut. 31. Et non sanctificastis me inter filios Israel: Id est non impendistis mihi honorẽ. Et Num. 27. Sanctificamus dominum, dum illum supra uniuersa obseruamus. Esaiæ 8. Dñm autẽ exercituũ sanctificate.

Sanctificare prælium, seu bellum apud Hier. dicitur, à quo non licet discedere, sicut sanctũ, quod nõ licet uiolare. Et muri sancti, quos non licet transilire. Sic ait cap. 6. pro pheta. Sanctificare contra eum bellum. Vox hostium. Et Ioelis 3. cap. Sanctificate prælium. Kimhi, disponite, delectum habete, & facite. Sanctificare bellum item apud Micheam 3. Si quis ait, non dederit eis quod uorent, sanctificant seu parant contra eum bellum. Acsi dicas: non quidẽ gladio contra eos pugnant, qui nihil uolunt dare, sicut ciuis magistratus, qui gerit gladium, habent peculiare bellum, quod excõmunicant, quod excludunt tales ab ecclesia, quod damnant tanquam hæreticos, &c.

Sanctificare dominum, est timere eum ut patrem & iudicem, illius beneplacito per omnia uelle cõplacere, ab offensa illius summopere cauere, &c.

Sanctificare ieiunium apud Ioel. 2. cap. est indicere, instituere, publice mandare & ad illud populũ conuocare ac id sanctificare: id est, tempore eius ieiunij petere uel synagogas, uel templum, & ibi audire uerbum dei, de quo admonebantur de emendatione uitæ, & de diligenti oratione, &c.

Sanctificare populum apud Ioel. 2. cap. hoc est, publico edicto admoneri, ut omnia prophana negotia & operas intermittat, ac uacet uerbo ac orationi.

Sanctificare atqui diem sabbati. Gen. 2. cap. hoc est, benedixit & sanctum ac celebrem haberi uoluit. Vel: segregauit: id est, uoluit diem septimum sibi tribui. Sanctificauit sabbatum, aut septimum diem: Id est ad spectalem cultum elegit, separauit, dedicauit. Iosue 20. Sanctificauerunt Kades in Galilæa. Id est elegerunt, separauerunt hanc ciuitatẽ pro homicidis, ut hic liberi & tuti essent ab ultore sanguinis. Gott hatt den Sabbath gefryet. Ita Germanice dicimus frytag, quod eo die frequenter sunt nundinæ, ut plebs libera à labore, conueniat.

Sanctificare aliquem diem, est in eo cessare ab omni opere, & agere gratias deo pro beneficijs acceptis.

Sanctificare populũ suũ deus dicit: Exo. 31. Id est, qui separaui uos ab alijs populis, & mihi selegi, ut sancti essetis. Sanctificare sacerdotem. Exod. 28. Ad sanctificandum eum ut ministret. Id est, ad separandum & dedicandum eum, ut agat sacerdotem apud me. Item, sanctificare sacerdotem, pro habere illum in honore. Leuit. 21. cap.

Sanctificari deus quomodo dicatur. Leuitic. 10. legitur: sanctificabor: id est, sanctũ me ostendam, & sanctitatis amatorem, qui sancte uelim coli, & leges meas nolim pollui. Sanctificare enim nomen dei, est religiose colere.

Sanctificare atqui ad diem occisionis: hoc est, segregare ad certum tempus, quo sunt uasa iræ, & ad interitum pertinent. Hier. 12. cap. Et quemadmodum sanctificandi uerbum, pro consecrandi acceptum est: sic è contrà, Consecrandi uerbum accipitur pro uerbo deuouendi. Ritus enim erat, ut qui sacrum atrigissent, iam deuota adeoq; sancta fierent ac manciparentur sacris obsequijs. Esa. 63. cap.

¶ Sanctum hinc scriptura uocat quod est deo consecratum, eoq; angustius iã & diuinæ quodãmodo reuerẽtiæ particeps. Sic populus Israel, præcipue sacerdotes, templũ & instrumẽta eor̃ sanctitatis nomine passim in scripturis celebrãtur. ut Hebr. 9. Ipsa em̃ loca ipse neq; sancta sunt, neq; prophana. Vsus aũt eorũ uel sacra facit uel prophana. Sanctũ fuit typicũ sacerdotiũ: hinc sanctũ dicebatur locus in quo res agebat sancta, sed multo sanctior est intercessio & uictima Christi: hinc sanctũ sanctorũ is locus dici cœpit, in quo peragebat figura sacrosancti sacrificij Christi. Nam Christus est ille, ut Daniel ait.

Sanctus sanctorũ: id est, omniũ sanctissimus. Sanctũ seculare dicit Chrysostomus, Hebr. 9. quoniam omnibus licebat intrare, & manifestus erat ille locus in illo tabernaculo, ubi sacerdotes stabant, ubi Iudæi, ubi proselyti, & gentiles & Nazaræi. Quoniã ergo gentibus accessibile erat, seculare illud appellat: Vel

Sanctum mundanum, aut sanctimonia mundana. Mundanũ autem uocamus quod externum & elementale est. Ritus enim Iudaici ipsi, reuiuificabant neminem, sed mundana erant omnia.

Sanctimonia uerò ad Hebræos 12. continentia corporis est, ut abstinentes ab omnibus q̃ animã aggrauare possunt, aptissim⁹ ad cultum, uitamq; deo dignã hic uiuamus.

Hinc quoq; Sanctum sancta, &c. sæpissime usurpatur nomen illud pro loco sancto & habitatione sancta: ut Psal. 149. Laudate Dominum in sancto, uel sanctuario, uel sanctis eius. Sic etiam Psal. 19. ait: Mittat tibi auxilium de sancto. Et Psal. Tu autem in sancto habitas. hoc est, in sanctis locis & habitationibus.

Sanctum quoq; non solum uenerandum & inuiolatum, uerum etiam purum & impollutum, ut suprà. ut & D. Aug. explicans tropos scripturæ ueteris testamenti, lib. 4. ostendit. Mat. 6. sanctificetur dictum, non pro eo quod est, fiat sanctum: sed pro, declaretur sanctum. Quãquam apud Hier. queritur deus nomen suum pollui inter gentes, culpa suorum. Sanctum & sacro sanctum etiam Romanis pro sacro, inuiolato, firmo & religioso crebro ponitur. Nam sacro sanctum, quomodo Tullius pro Corn. Balbo definit, est id quod populus sanxit. Id prætergredi fas non erat aut abrogari, ne senatus quidem & patrum autoritate ac prærogatiua. Vnde tribunitia potestas sacrosancta fuit appellata. Esa. Et Deus sanctus, sublimis fit & inuiolatus. Et, Sanctificetur nomen tuum. hoc est, sanctum, & non solum impollutum, uerumetiam uenerãdum & inuiolatũ, &c.

Sancta, kadesche, scortum dictum Hebræis: hoc est, polluta & immunda. Nam & Latini sacrum pro publico utuntur, ut Gen. 38. Vbi est sancta: meretricem per antiphrasim sanctum uocat, sicut & Latini sanctum pro execrabili dicunt.

Sanctuaria Israelis. Amos 7. ca. uocat delubria, quæ idolis consecrata erant, quæ ipsi pro sanctuarijs habebant. Excelsa Isaac uastabuntur, & sanctuaria, inquit Israelis in solitudinem redigentur.

Sanctum dare canibus, margaritas porcis, est theologiæ mysteria impijs prodere. Antiquitas enim res sacras paradigmatis & ænigmatis & parabolis pandit.

Sanctum, sacrosanctum est, purum & quicquid sanum, diuinum ac salutare est. Mat. 7. ponitur pro salutari obiurgatione uel admonitione.

Sanctum, uocant Hebræi quicquid diuinum est & maximum, quod effari non possunt. Luc. 1. & Mar. 2. Noui qui sis, sanctus dei. Hebraismus est. Nam quum, ut dictũ est, uolunt aliquid excellens & summum appellare, dicunt Sanctum. Hinc & sancta ciuitas Hierusalem appellata est, partim ex imitatione prophetarum, quorum non postremus Daniel ipsam in ca. 9 sic eam appellauit & propter promissiones: partim propter res sanctas, quas in ipsa operatus est dominus, & propter homines sanctissimos, qui in ipsa habitarunt: quæ aliàs & propter corruptos hominũ mores ab ijsdem prophetis meretrix, ciuitas sanguinis plena; latronibus & homicidis cognominata est: adeo nullus locus per se sanctius est, sed ab operibus & indigenis uel sanctus uel prophanus cognominatur. Mat. 4. In sanctam ciuitatem assumit eum diabolus. Periphrasis est Hierosolymorũ nam Lucas diserte dixit, Et duxit illum Hierosolymam.

Sanctificatio domini, apud Malach. 2. uocatur coniugium uiri & mulieris.

Sanctuariũ dei Dauid Psal. 83. appellat religionis cultum unà cum tabernaculo atq; arca fœderis. Sic Psaltes ait, Hæreditate possidemus sanctuarium dei. Et Psal. 73. Donec intrem in sanctuarium dei, uocat spiritus cœlestium rerum cognitionem: etenim è sacrario illo antiquo templi, certa dei oracula audiri fama erat.

¶ *Sanctus dei, & sanctus Israel*, in scripturis passim & proprie Christus appellatur, sicut & Christus domini. Nec inuenitur in singulari numero facile ullus qui sanctus dei dicatur seu sanctus tuus, præter Christum solum: quem & Dauid Psal. 15. solum prædicat, dicens: Nec dabis sanctum tuum uidere corruptionem. Psal. 4. Mirificauit dominus sanctum suum. Dan. 9. Et ungatur sanctus sanctorum. Luc. 4. Noui te, quod tu sis ille sanctus dei. Pic Psal. 70. Domini est assumptio nostra & sancti Israelis regis nostri. nam Christus dicitur sanctus Israel, seu Israelis, sanctificator Israelis, hoc est, sanctificans populum. Sanctimonia uera timor dei & innocentiæ studium. 2. Cor. 7. & 1. Thess. 4. 1. Cor. 6. Perficientes sanctimoniam cum timore dei.

¶ *Sancti & sanctificati* dicuntur in scripturis omnes recti corde: hoc est, credentes, seu fideles, & adhuc nobiscum utentes, quia per fidem Christo omni sanctissimo sanctificantur, & à spiritu sancto peracti sumus. Io. 17. Rom. 1. 1. Cor. 2. Philip. 1. & in Psalmis passim, ut in Psal. 148. In ecclesia, id est, in congregatione credentium. Imò clarior textus ipse Psal. 15. Sanctis qui sunt in terra eius. hoc est, Domini, Similiter Paulus Eph. 6. iubet orare pro sanctis, & pro se. Et Philip. 1. Omnibus sanctis qui sunt Philippis. hoc est, sanguine & merito Christi lustrari, & ad similitudinem uitæ uocat. Vulgus hodie sanctos putat, qui

rat,qui reuera diui sunt.Et 1.Cor.7.Sanctus pro fideli accipitur, Hebr.3 cap. Vnde fratres sancti,uocationis cœlestis participes.Hoc est credentes,sancti quidem, quod (ut in Corinthijs ait)sanguine Christi & sancto dei spiritu sint sanctificati.Idem dicuntur Participes uocationis cœlestis, eò quod ab ipso deo, per unicum filium, cœlitus uocati sint ad hæreditatem uitæ æternæ.Sancti,hoc est puri,mundi, integri, innocentes 1.Thess. 4. Sanctificatio nostra.Hoc uult deus ut sancti sitis, quemadmodum ipse sanctus est. Suber,erlich,from,erbar,ersam,zuchtig.

Sanctificati,in sacris literis separati & mundati,ergo dicuntur fideles.Et de his Sanctis intelligendus est fidei ille articulus:Credo sanctam ecclesiam, sanctorum communionem,id est,quę nihil aliud est quàm cœtus omnium fidelium & Christo fidentium. Ideò autem dicuntur & sancti & sanctificati,quia ministerio diuino sunt addicti, & nõ occupantur in rebus alijs prophanis.Vnde & templa & uasa in usum sacrum deputata, Sancta dicuntur, hoc est, consecrata dicimus. Ita & Christiani omnes sancti. Et apud Esaiam tertio capite,Medi ac Persæ sancti,quatenus opus dei instruendo regno Babylonis faciunt.Et breuiter,Omnes qui sunt in Christo renati & ueteri Adamo execti, atq; sanctissimi sanctissima corporis Christi membra adoptati,Sancti uocantur in scripturis.Similiter scriptura sanctos uocat tabernaculum,templum,ciuitatem,demum ecclesiam,eò quod deus illorum pectora inhabitet,& gloriam in eis explicet. Et populus Israel identidem sanctus uocatur in sacris, quod ab omnibus alijs populus secretus, & lege dei,uero q̃ cultu esset donatus,Exod.19 & Deut.4.

Sancta,uocantur etiam solennitates,præcipuè uocationes sanctæ,quod in illis omnes masculi tenebantur conuenire in templum domini.Licet & aliæ quædam solennitates celebres sic uocentur,in quibus populus à labore abstinere iubetur,& conuenire adhortationem diuinæ legis.

Sanctitates atqui sanctitatum,Leuit. 21. cap. uocat res sacrosanctas. Intelligit autem ea quæ offerebantur pro peccato,& pro delicto. Sicut per sanctificationes, siue res sanctas, intelligit decimas.

Sanctitas domini est,Exodi 28 cap.Id est,sanctitas decet dominum.

Sanctificationum iniquitas,id est,peccatum oblationum,Exod.28.

Sanctitas pro tabernaculo & conuentu,Leuitici 10 cap.

Sanctitas domino,Exodi 31.Sabbatum est,requies sancta domino,id est, sacer is dies & consecratus domino.

Sanctitas sanctitatum,perinde est,ac si dicat sacro sanctũ erit, Exod. 40 cap. Sic sancta sanctorum & sanctitas sanctitatis. Id est, est enim res sancta, Leuitici 14. Sanctitas sanctitatum,pro tabernaculo,Numer. 18. In Sanctuario, uel in sanctitate sanctitatum. Id est,in loco sacro uel sacratiore,hoc est,in tabernaculo.

Sanctum sanctorum domino. Sanctitas sanctitatum est domino, pro sanctissimo, Exod.30.Id est,tanquam res deo dicata sanctissimum erit uobis.

Sanctitates Israel,id est,quæ deo obtulit,Leuitici 22.Sanctus erit pro sacerdotio fungetur.Sancta sanctorum,id est,sanctissima,Exod.30 cap.Sanctuarium,pro rebus.

¶ *Sanguinis* uocabulum scripturæ notissimum, eo namq; nomine adflictio & mors designatur,ut Gene. 42.Et etiam sanguis eius exquiritur. Item, sanguis pro perditione animarum,Ezech.3.Sanguinem eius de manu tua requiram. Pro periculo.1 Paralip. 11. Et sanguinem uirorum istorum bibam.Pro turpi carnis operatione,naturæq; mortalis corruptela corruptione,hoc est,peccato,Psal.51.Libera me de sanguinibus. Item,pro uino,Deut.29 cap.Et sanguinem biberes merum,id est,uinum coloris sanguinei.

Sanguinis nomen interdum pro rancore & inuidia. Nam homicidæ & sanguinarij nomine scriptura omnem iracundum taxat. Dauidem quoq; de hac causa uirum sanguinum,deus templum sibi extruere uoluit,Esaię 1.cap.Manus uestræ sanguinibus plenæ sunt,hoc est,inuidia & rancore.

Sanguinarium seu uirum sanguinum appellat Dauid Psal.5.Virum auidum, studiumq; effundendi innoxium sanguinem,quem nos non solũ eum esse intelligimus,qui manu,ferroq; aliquem interimit,sed qui odio ira'ue ac maleuolentia insequitur.

Sanguis rursum peccatum est,summumq; scelus,atq; immane aliquod flagitium.Nã Hebræi per sanguinem atrocissima quæq; scelera intelligunt,ut sunt oppressio pauperum,in corpore,animo,fortunis,cædes:unde illud est,

Sanguis ſanguinem tetigit apud Zachariam. Id eſt, peccata peccatis coniuncta ſunt Siquidem omne peccatum animam occidens, ſanguini comparatur. Sicut in Prophetа 2 Regum 1. cap. pro peccatore dicitur.

Sanguinem fundere innoxium, uiolẽtia eſt, corruptio iudiciorum, iniuſti cõtra-ſus, &c. Eſaiæ 33. Qui obdurat aures ſuas ne audiat ſanguinem. Hic pro quouis crimine, & ſummo ſcelere, in loco Hebrçi accipiunt, maximè tamen pro interfectione innoxiorum & oppreſsione imbellium ac humilium, ut dictum eſt.

Sanguis ſimiliter pro re capitali, ut Deut. 17. Sanguinem & Sanguinem. Per Sanguinem res capitales intelligit Moſes.

Sanguis adhæc pro hoſtia, remiſsione et redemptione, ut. 1. Ioan. 5. cap. Hic eſt qui uenit per aquam & Sanguinem Ieſus Chriſtus. Alluſit ad ueterum ſacrificia. Et ſine Sanguinis effuſione (ait Apoſtolus) non fit remiſsio. Nam docuit cœleſtem ſapientiam, & morte ſua uiuificauit nos, & ſanguine ſuo lauit.

Sanguinis effuſio in ſcripturis, pro uiolenta occiſione accipitur, ut in Chriſti effuſione mortis, eſt ſignificatio ſita. Vita enim carnis in ſanguine eſt. Anima, inquit, Leuit. 17. omnis carnis in ſanguine eſt. Matth. 23. Si fuiſſemus in diebus patrũ noſtrorũ, nõ fuiſſemus ſocij eorũ in ſanguine prophetarũ, id eſt, in occiſione, pphetarũ. Et cap. 27. Sanguis eius ſit ſuper nos & filios noſtros, id eſt occiſio illius. Et Act. 5. Vultis inducere ſuper nos ſanguinẽ hominis iſtius, id eſt, occiſionẽ, uel culpã occiſionis illius. Ideo Sanguis Chriſti, ſanguis teſtamẽti noui dicit, eo quod illud morte Chriſti teſtatoris cõfirmatũ eſt. Et ſanguine ſuo nos redemiſſe ſcribit, id eſt morte ſua. Et 1. Ioã. 1. Sanguis eius, inquit, emundat nos ab omni peccato. i. mors eius. Ergo ſanguis effuſus, mortis ſignificationẽ habet.

Sanguinẽ Chriſti bibere, & Edere carnẽ filij hominis, eſt fide uera redemptionem per ablationẽ carnis, & effuſionẽ ſanguinis illius humano generi acquiſitæ participẽ fieri.

Sanguis eius ſuper caput tuum, hoc eſt, reum te eſſe mortis ob crimen publicum, tuã culpa eris, quod Chriſtũ dominũ interfeceris. Sanguinis uocabulũ, p morte et ſanguinis uindicta ponitur, Matth. 27. Sanguis eius ſuper nos & ſuper filios noſtros. Eſt enim ſenſus, Si quid uindictæ irrogari oportet cuiquam, ob effuſum iſtum ſanguinẽ, id omne in nos atq; liberos noſtros decidere cupimus. Quaſi dicant: Tum certo nouimus hunc hominem commeruiſſe mortẽ, ut ſecura cõſcientia omnem in nos uindictã transferamus. Sic ſæpe pro ultione capitur, ut uidere eſt apud Ezech. 3. & Actorum 18. Sanguis ueſter ſuper caput ueſtrum. & deſumpta hæc uerba uidentur ex ſuprà allegato cap. Ezechielis, quo ſignificatur ſua culpa mori & perire illum, qui perit & moritur, ſic & ille Paulus Actorum 20 cap. Quod mundus ego ſum à ſanguine omnium, hoc eſt, culpa.

Sanguis & anima, idem in Hebræa lingua. Peccata conferuntur rubro filo & coccino, unde & peccata ſanguinis dicuntur, Pſal. 51. Eſa. 1. ut ſuprà dictũ. Vnde & Adam qui de rubra terra ſumptus, hoc nomen accepit præſagio quodam, quod futurus eſſet peccator. Innocentia autem confertur candori niuis & lanæ. Eſaiæ cap. 1. Si rubuerint quaſi uermiculus, ſicut lana erunt.

Sanguinis uocabulum in bonam partem ſcriptura nonnunquam accipit, Exod. 19 cap. Mater tua ſicut uitis in ſanguine tuo, id eſt, mortuo tuo, & in ſemine tuo, uelut ut Hebrçi in ſucculentia tua. Sanguinis enim copia uires et robur adauget. Et Ezech. 19. In Sanguine tuo, Ezech. 19. hoc eſt, in ſobole numeroſa. Mater tua, inquit, ſicut uitis in ſanguine tuo quæ eſt plantata iuxta aquas.

Sanguinem uenire ſuper aliquem, eſt culpam habere, & pœnæ fieri participem, quæ ſanguinarijs debetur, Lucæ 11 cap. Sic in cœna domini dicitur reus fieri corporis & ſanguinis eius. Hoc eſt, qui morte Chriſti gloriatur, nec tamen uiuit innocenter in Chriſto, fit eius corporis & ſanguinis domini.

Sanguis innoxius, pro innocuo homine, Matth. 27. Peccaui, inquit Iudas, prodens ſanguinẽ innoxiũ. Sic enim & nos in noſtrate lingua dicimus: das arm bluot, der armſchvveyſs, vvas zichſtu das arm bluot, dẽ armẽ ſchvveyſs. Cõmiſerationẽ excitãt loquutiones et maiorẽ quandã uim habẽt, quàm ſi diceremus ſimpliciter, Prodidi hominẽ innoxiũ. Sanguinẽ ponere domui ſuę, Deut. 22. Quod eſt ac ſi dixeris, ſua culpa fit, cur ſuis in ædibus homicidium committatur. Noſter interpres ſit: Ne effundatur ſanguis domi tuæ. 3. Regum 2. Sanguinem requirere à manibus ueſtris, hoc eſt, ſupplicium ſumere de ſontibus, inſontium nomine. vvil die vnſchuldigẽ rechẽ. 2 Reg. 4. Ezech. 3 & 33 cap.

Sanguis

Sanguis in terram alicuius cadere, est effundere sanguinem. 1 Regū 26. Ne cadat sanguis meus in terram. Noster interpres sic: Ne effundatur sanguis.

Sanguis pro homine, Deut. 28. Sanguis innocentis. Item sanguis pro cæde, Leuit. 17. Fundetq; sacerdos sanguinem super altare domini.

Sanguinis ultor, Numer. 35. Vltorem sanguinis uocat consanguineos interfecti.

Sanguis uuæ, Deut. 32. Sanguinem uuæ bibisti mecū. Succum uuæ uocat sanguinē, quod propter colorem uideatur sanguis. Cōtra sanguinē stare alicuius, Leuit. 19. Non stabis cōtra sanguinē proximi tui, Id est, nō eris in causa quod occidatur proximus tuus Quasi dicat: Non solū non occides proximum tuū, sed etiam cædis illius causa nō eris.

Sanguinē innoxiū auferre, Deut. 19. Non misereberis eius, & auferes noxiū sanguinem de Israel, ut bene sit tibi. Id est, expiabis peccatū sanguinis innocētis: tolles de Israel effundentem sanguinem innocentem. Sanguinem, pro interfectore innocentis posuit.

Sanguis pro morte, ut suprā, & Gene. 4. Vox sanguinis fratris tui. Item, Sanguis pro pœna cædis, Deut. 21. cap. Et auferetur ab eis reatus sanguinis. Id est, pœna cædis. Sanguinem innocentem uocat pœnam homicidij hominis innocentis.

Sanguinem operiri à terra, est non clamare uindictam. Operitur sanguis à terra, quū facet, Iob 16. Prosopopœia quadam alloquitur terram, ne operiat sanguinem suum, & non hoc concedatur ut conquerar, inquit, aliud enim solatium mihi relictum esse non uideo. Sic ait: Terra ne operias sanguinem meum, &c.

Sanguine insidiari, est conficere, & uitā laboriosam et molestā hominibus facere: pro rapinis, cæde, minis accipit scriptura, Micheæ 7. Omnes in sanguine insidiantur. Item, sanguinem pro eo quod est effundere occidendo, Exod. 34. Non occides.

Sanguinē in terra abscondere, capitur in Hebraismo pro nō ulcisci, cum superiori tropo consonat, Iob 16. Sic & uox de Abel scribitur in Genesi, Vox sanguinis, &c.

¶ *Sanguines* in plurali numero, pro concupiscentiq peccato ac lue, sumi cernimus. Et Sanguines in genere uocant peccata prophetæ. Sic Dauid petit liberari à sanguinibus. Et Ioan. cap. 1. carnalē generationem uocat Sanguines. Hose. 1. Idololatriā uocat Sanguines seu sanguis. Nam Idololatria semper cum cædibus & sanguine coniuncta est. Hinc etiam sanguines pro sanguinarijs sceleribus & fœdissimis. Et apud Esaiam legis, Abluet dominus fordes filiarum Zion, & Sanguines Hierusalem amouebit de medio eius in spiritu iudicij atq; ardoris. Et apud Ioannē cap. 1. Qui non ex sanguinibus, &c. Quare Ioannes illos qui ex deo nati sunt, ab illis qui è carnis concupiscentia, feruoreq; libidinis, secernere uoluit. Hinc quoq;,

Sanguines attingere sanguines, hoc est, peccata cumulantur peccātis, & unum peccatum trudit aliud, non tantum cædes, sed in genere omnia peccata, morte digna, ut et suprā in Hosea explicatum. Sanguines hinc quoq; non modo occisiones sed & oppressiones iniquas innocentum ac piorum, Psalmo 9.

Sanguinum sponsus, Exod. 4 cap. Sponsus sanguinum tu mihi es. Id est, Tu qui es sponsus meus occidendus eras propter omissam filij tui circumcisionem. Quasi dicat: Angelus dei te interfeciſſet, nisi circumcidissem filium tuum Eleazarum. Sanguinū uiri dicuntur, quia sua potentia miseros premunt, sanguine & sudoribus illorum pascuntur, Psal. 54 & 25. ut suprā fusius diximus.

¶ *Sapere* uerbum illud latinum accipitur Rom. 15. non more Philosophorū uel pro philosophico sermone, uerum pro Christiano adfectu, uel ut uulgo dicitur pro intellectu sano & cogitatione, & sentire. hoc est, intellectum habere & eo animo esse erga proximum nostrum, ut proximo usui esse uelimus.

Sapere quoq; Rom. 14. cap. est curare & sentire, discrimen inter diem & diem, quod est Iudaicæ superstitionis. Et non sapere, est non curare discrimen dierum.

Sapere altum, est superbire, sibijpsi placere, id quod Paulus Rom. 11. cap. prohibet: Nolite altum sapere, id est, ne superbi sitis, ne tibi placeas, ne efferaris animo, Siquidem Rom. 11. cap. Sapere uocat Paulus affici animo.

Sapere ad sobrietatem, Rom. 12. est ad mensurā fidei sapere, hoc est, ut Comicus ait, Ne quid nimis. Est enim in re quauis modus, sunt certi rerum fines, etc. Fides enim quę cœlitus confertur, uera & sola est sapientia. Sapere idem apud Paulum Rom. 15. sic accipitur, ut unusquisq; alteri suum iudicium, suamq; sententiā cedat & probari sinat, quod probatur alteri, &c. Vide in Tropo, Idem sapere, in litera T.

¶ *Sapiens* interdum pro pio usurpatur. Daniel. 2. Dat sapientiã sapientibus. Apostolus Rom. 11. pro perito usurpat. Sapiens nonnunquã dicitur, qui tametsi per omnia non sapiat, cœpit tamen sapere. Ita legimus prophetam dixisse: Argue sapientem & diliget te. Qui autem plenæ consummatæq; uirtutis est, ut ait Hieronymus, corruptione non indiget. Sapiens ad bonum, sincerus ad malum, hoc est, Sapientia præditi sint, ut á nullo iniuria afficiantur. Synceri ad malum, ut aliis non infidias parent.

Sapientes uocat Matth. 11 cap. Abscondisti hæc à sapientibus, pro more, astutulos & acuti ingenij homines, qui mundum sapiunt: nam illi mundo sapientes dicuntur, qui corradendis pecuniis & lucris inhiant: perfidi, infidi, qui se ipsos amant, qui uoluptatibus indulgent, terrena curant & sectantur, &c. Huiusmodi homines doctrinam Christi non recipiunt, docet enim terrena contemnere.

Sapientes in scripturis etiam dicuntur, qui non unde à deo eruditiuntur, sed ex libris & opera hominum proficiunt, & sunt discipuli atq; sectatores prophetarum. Quæ dixerint autem, per se prædicant, & uiua uoce aliis exponunt. Huiusmodi erat Aaron, qui loquebatur quæ Moses iubebat. Sicut Exod. 4. cap. dominus Mosi præcepit: Dabo uerba mea in os eius, & ipse pro te populo loquetur, & tu eris ei deus. Tales esse debent omnes sacerdotes, Zachariæ 11 cap.

Sapientes corde, pro peritis artificibus: Exod. 28 & 35. cap. Sapiens est uel Sapienti est corde, id est, quisquis est industrius. Et 36 cap. Vocauerat enim omnem sapientem corde uirum, id est, ingeniosos quosq; artifices.

Sapientes quoq; pro incantatoribus, ut Exod. 7 cap. aperte claret.

Sapientes & Prudentes scriptura uocat, qui amplectuntur & reuerentur uerbum, seu deum timent. Sicut è contra, stulti uocantur qui abiecto timore dei & uerbo, seruis indulgent cupiditatibus & studijs huius mundi, nihil soliciti de ira & iudicio dei, flo- reæ capite decimoquarto.

¶ *Sapientia* denicq; Hebræis chochma propriè ex rebus propositis intelligit progressiones & fines, siue euentus rerum. Testimonio erit Moses, Deut. 32. qui sic ait: Vtinam saperent et intelligerent nouissima. Astipulatur Salomon Prouerb. 6. cap. Vade ad formicam & disce sapientiam. Et cap. 19. Vt sapias in nouissimo. Et 39 cap. Quatuor sunt parua animalcula in terris sapientia sapientibus. Nostri accipiunt Sapientiam pro cognitione dei & Christi sui, siue eruditione, ut 1. Corinth. 1. cap. Non in sapientia uerbi ἐν σοφίᾳ λόγου, id est, eruditione sermonis, siquidem σοφὸν appellant, non solum quod sapit, uerũ etiam quicquid elegans est, & eruditum, Græcis autem placebat eruditio, sicut Iudæis miracula ac prodigia.

Sapientiæ nomen pro cognitione dei & Christi sui, habes Prouerb 1. cap. Ad scientiã sapientiam & disciplinam. Aben Ezra exponit timorem domini. Salomon quoq; uidetur pro eodem usurpare, ut Prouerb. 9. cap. Principium sapientiæ timor domini. Et cap. 1. Timor domini initium scientiæ siue cognitionis.

Sapientia atqui differt ab intelligentia. Nam sapientia donum est propriè doctorũ. Intelligentia uero discipulorum, Daniel. 2. Dat sapientiam sapientibus, & cognitionem scientibus intelligentiã. Sapientes sunt, qui iam edocti sunt. Intelligentes, qui capiunt, quod edocentur, & docibiles sunt, Iob 10 cap. Sapientia autem unde.

Sapientia præterea & scientia quoq; differunt apud Esaiam cap. 28. Sapientia est ipsa fides in Christum & cognitionis ueritatis. Scientia autem est hoc iudicium seu cognitio illa, quæ ex fide proficiscitur, & iudicat, quid cum fide conueniat, quid non, &c. Reperies etiam qui scientes & docti sunt, Sapientes minime. Sapientem rursus offendes, ut plane indoctum. Sapientia autem Scientiam præcellit. 1. Cor. 12. cap. Nam huic quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, aliis uero sermo scientiæ secundum eundem spiritum. γνῶσις scientia, siue cognitio, siue intelligentia. Cicero de officijs lib. 1. Omnium autem uirtutum princeps illa sapientia est quam σοφίαν Græci uocant. Et hæc cognitioni anteponenda est. Etenim cognitio contemplatioq; naturæ manca quodammodo & inchoata sit, si nulla actio rerum consequantur. Inuenias ergo homines, ut suprà attigimus scientia instructos, sed non sapientia. Inuenias & doctos multos, sed non Prudentes, quemadmodum & prudentes multos, qui nõ sunt docti. Quod si hæc duo simul in bonum aliquem inciderat, nihil utilius, nihil melius esse potest. In malum si incidant, nihil peius ac pernicioſius.

Sapientia

Sapientia & Prudentia, ubi absolute ponuntur in sacratissimis Scripturis, nequaquam sunt uana aut superflua uocabula, quemadmodum apud Philosophos, sed significant ueram sapientiam, id est, non mundi huius sapientiam. Id quod Diuus Paulus ad Colossen. cap. 1. dicit, In omni sapientia & spirituali, &c. Hisce enim uocibus comprehendere & efferre uoluit apostolus Paulus cognitionem & sapientiam per omnia absolutam & perfectam.

Sapientia, inquiunt alij, in ipso est, nempe Deo. Scientia uerò, in nobis: suppeditans quæ nos scire refert.

Sapientia, facit intelligere quæ Dei sunt. Prudentia autem est, in his permanere: ut non seducamur rursum uarijs doctrinis. De hac loquutione Christus Dominus in suo Euangelio, Matth. Estote prudentes sicut serpentes, & simplices ueluti columbæ. Et diuus Paulus ad Ephes. 6. cap. Non est nobis lucta cum carne & sanguine.

Sapientiæ & Prudentiæ uocabula simul coniungit diuus Paulus ad Ephesios cap. 1. Vbertim nobis impartiuit in omni sapientia Dei. id est, intellectu spirituali & prudentia: hoc est, qua cauemus rursum cadere. Et in finem capitis explicat, quidnam sit Sapientia: nempe agnitio Christi & crucis & experientia spiritualis,

De hac Sapientia lege epistolam Pauli ad Ephes. 3. sic breuiter, Prudentia nihil aliud est, nisi cautio quædam in rebus gerendis. id est, ut obseruet quisq; ad quæ & quomodo à Deo uocetur & obsequatur. Eph. 6.

Sapientia perfectionis, de qua loquitur diuus ille Paulus in 1 epistola ad Corinth. cap. 2. Sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam autem non huius seculi, hoc est, sapientiam perfectionis: uel sapientiam absoluram, ipsum, inquam, Christum Dominum nostrum. qui per antonomasiam, uel cuius negocium, per enallagen, dicitur Sapientia.

Sapientiam autem perfectionis idiomate Hebraico, quod dum alij non obseruarunt, hunc locum exposuerũt, quos dixere perfectos: Sapientiam, inquit, non seculi huius: id est, eam quam miratur & colit mundus eloquentia, & naturalibus nitens rationibus, obseruansq; circa inutilium & superstitiosarum rerum quæstiones, qualis fermè est philosophia, quæ de moribus & religione disserit. Et quod Paulus paulò ante sapiẽtiam in perfectis, uocat ilico sapientiam dei, in mysterio: hoc est, de mysterio: hoc est, prædicamus reconditam sapientiam. Hæc autem nulla alia est, quàm Christus dominus, & negotium ipsum euangelij.

Sapientia dei, ad hæc 3. Regum 3. Videntes sapientiam dei, pro insigni Hebraico more, eximia, & inconsueta sapientia, quæ non nisi speciali dono Dei immittitur piorum cordibus.

Sapientia denique pro malicia, iuxta quod & filij semper sapientiores sunt filijs lucis. Lucæ cap. 16. & Rom. cap. 8. Sapientia enim carnis, mors. Apostolus 1 Corin. cap. 2. pro doctrina usurpat, ut suprà auditum est, Non ueniebam in eminentia sermonis aut sapientiæ.

Sapientia, postremò est notitia Dei & religionis. Intelligentia est iudicium, quod uidemus quæ pugnent cum religione & cultu Dei. Esaiæ 29. Peribit enim sapientia. Hæc duo si tollas, quid reliquum erit præter mendacia, errores & idololatrias. Similiter Prouerb. 8. Sapientiæ nomine accipe cognitionem dei, quam habemus ex uerbo Dei.

Per prudentiam uerò accipe cognitionem, qua facta Dei & iudicia eius cognoscuntur. Et Prouer. 1. eodem sensu accipitur.

¶ *Satan*, Hebræis sonat aduersarium & impeditorem, & qui aliquem impedit in prosequendo proposito, obsistit atq; obturbat, ut Mat. 16. Satan enim, aduersari significat. Vnde & nomen Satan, quem corrupto uocabulo seu nomine appellamus Satanas, aduersarius uocatur: quia omnibus sanctissimis rebus sese opponit. Mat. 4. Vade Satana. Quem uerò Euangelista diabolum, mox Satanam uocat, à Græcis diabolus, Latini habent: ab Hebræis, Satan. Significat antem utrumq; Aduersarium & calumniatorem. Ita dicebat Dauid. 2. Samuel. 19. Quid mihi & uobis filij Seruiæ, nam estis mihi hodie pro Satan. id est, pro suasore noxio, quicq; malum mihi quærat, uel pro aduersario. Suadebãt enim occidere Semei, atque ita funestum reddere diem reditus sui. Ita reuocanti à cruce Petro Christus, dicebat, Vade retro satana. Mat. 16. cap. hoc est, impeditor. Aduersabatur enim illi, & à mandato reuocare patris quærebat.

Satanas sunt quicunq; quacunq; occasione nos à deo, à iustitia, à ueritate abalienare & abducere conantur. At quia ueterator ille spiritus, nusquam non aduersatur nobis, ac pessima ubiq; suadet, tum ad ultionem postulat, peculiariter & per antonomasiam satan uocatur. Vnde 1. Paralip. 11. Consurrexit aũt satan contra Israel, & incitauit Dauid ut numeraret Israel. Sic Iob 1. & 2. plenius describuntur: totus in eo est, ut nobis aduersetur & noceat. Vnde D. Petrus ipsum, ult. epist. suæ prioris, rugienti leoni obambulanti & quærenti quem deuoret, similem facit.

Similiter stabat à dextris, ut aduersaretur. D. Paulus. 1. Thes. 4. cap. Obstitit satanas, aduersarium significat. Vtitur genere pro numero. Nam qui aduersantur euangelio & bonis conatibus obstant, faciunt hoc suggerente satana, & satanæ sunt ministri & organa, imò satanes sunt.

Similiter per Satanam intelligit Paulus Rom. 16. omnem uim aduersariã Christo & euangelio eius, siue sint pseudoapostoli, siue tyranni, siue falsi fratres euangelici: satanam sub pedes, inquit, uestros breui deus pacis conteret, &c.

Satanæ adhæc tradere, est in aduersitatem conijcere, ad interitũ carnis: hoc est, admortificandum externum hominem, adeoq; ipsum scelus designatum. Proinde scripturarũ more satanæ tradere dixit Paulus, pro eo quod est adfligere, confundere, perturbare. Sic enim Iob satanæ traditus est, & Paulo refertur datus angelus satanæ, qui colaphizet ipsum. Significat Angelus nuntium & ferè ministrũ, Satan uerò aduersariũ. Posuit ergo Apostolus speciem pro genere, uel personam pro re, ut intelligas cuneum aduersariorum, pseudoapostolos & persecutores uerbi dominici, uel omnis generis aduersã quæ adfligebant carnẽ Pauli. Vide D. Ambrosium. Nam omnes aduersitates intelligit & omnia mala, quæ nobis accidunt, cõmunem nimirum hominũ morem sequutus: quicquid aduersitatũ et periculorũ accidit, aut diabolũ uocant, aut ex diabolo esse existimãt.

Satanæ uaria deniq; uocabula & grauia competunt: πονηρὸς. id est, malus & nequã dicitur Mat. 6. Qui nunc & Princeps mũdi. Ioan. 12, & 14. Nunc Dominus mũdi. Item Rector ac Princeps tenebrarum, & cui potestas est aeris. Similiter Deus huius seculi. 2. Corinth. 4. Ephes. 6. Neminem autem offendere debet, quod Paulus satanam uocauit deum. Catachresi enim usus est, illorumq; respexit mentem, qui dei loco diabolum habent magistrum, uitæ præest ipse deus uerus toti mundo, interim & satan deus appellatur huius seculi: hoc est, eorum hominũ: qui mundana præferunt cœlestibus, & in omni flagitiorum genere uolutantur.

¶ *Satietatis* nomine bona omnia exprimit Dauid Psal. 103. Qui satiat bono maxillas tuas: renouat sicut aquilę iuuentutẽ tuam, sicut alibi per illud. Dilata os tuum, & implebo illud, cumulus bonorum omnium designatus est, ita & in Psal. allegato uates per Satietatem oris, bona omnia expressit, quibus opus habet ista uita, præcipue quidem temporaria, uerum per hæc tum simul & æterna significauit.

¶ *Saturi* sunt (apud Lucam cap. 6. Væ uobis qui saturati estis, quia esurietis) & dicuntur iustitiæ suæ confidentes, & nauseabundi, erga prædicationem euãgelii gratuitam annuntiãtis peccatorum remissionem. Hi reuera pascantur tandem uentro, cum ex humana iustitia nulla satietas & tranquillitas conscientiæ oriri possit. Saturi sunt denique comedones, cibones, lurcones, & ebrij, quibus & in Esaia 5. capite, minatur dominus, sitim & esuriẽ. Et 1. Corinth. 4. cap. Iam saturati estis. Ad summum iam fastigium peruenistis, ut neque prædicatore, neque doctore opus uobis est. Ironia est. Agnoscit hunc sensum D. & Ambrosius dicẽs: Ironia est, irascentis enim uerba sunt, non confirmantis. In quibus enim tanta uitia arguit, regnare illos dicit. Sic enim putabant, gloriantes de his quæ à pseudoapostolis tradebantur. Sic Germanice, Ich sich vvol das ir rich vnd vol findt und mynem nit me bederffent. Apratur per ironiam, qua illos dicimus felicitatem consequutos, qui minime consecuti sunt.

¶ *Saul inter prophetas*. 1. Samuelis capite 10. A tempore illo abijt in prouerbium, Num Saul inter prophetas: cum insolita eruditio uel sapientia, uel facultas de aliquo prædicabatur, si quis insperato egisset magnifica, & de humili statu repente summus euasisset. Erasmus putat in eos dici, qui repente sunt mutati, uel qui dissimilibus conuiuunt. Vide Chiliades. Adagium hoc multis potest accommodari, quemadmodum & illud gentile: Nos poma natamus.

¶ *Scabellum* significat omnimodã subiectionẽ & depressionẽ. Mat. 22. & Mar. 12. Donec po-

nec ponam Scabellum inimicorum sub pedibus eius. Donec, refertur ad inimicorum abolitionem, & subiectionem, non ad Christi sessionem. Hostes Christi Scabellum fieri sub pedibus eius. Schema est, & subiectionem denotat. Quasi dicat. Messias filius Dauid Dominus erit, & potenter regnabit etiam inuitis & reclamantibus eius aduersarijs.

Scabellum similiter ponere sub pedes, ut Psal. 109. est damnare. Et Hebr. 1. cap. Sede à dextris meis, &c. donec omnes hostes Scabellum subijcientur pedibus, Prouerbiali locutione dictum esse, pro eo quod est. Regnare quoad usq; omnes illi subdantur hostes. Quos enim prorsus uincimus nostroq; subijcimus imperio, eos Scabelli in morem pedibus subdidisse uidemus.

Scabellum pedum dei, arca olim fuit, siue propitiatorium: ad quod qui religioni uacabant, sese prosternere cõsueuerant. Dauid quidẽ rerũ istiusmodi, atq; mysteriorũ non ignarus. Sic hac de re loquitur. Cogitaui, inquit, ut ædificarẽ domum, in qua requiesceret arca fœderis dñi, & scabellum pedum domini dei nostri. In illo enim sessurũ se dans promiserat, indeq; orãtes exauditurũ. Modo uerò illud sibi nomen uendicat ecclesia, & merito. Vide Psal. 99. Et prosternite nos ante scabellũ pedũ eius. Et Psal. 132. Et suppliciõbimus ad scabellũ pedũ eius. Hortatur uates, ut deum sic præsentẽ, & omnia optime instituentem, religiose colamus: peculiaris tamen huius locus erat coram arca fœderis, quam scabellum dei uocat, quod erat propitiatorium & super arcam, &c.

¶ *Scandalum* & scandalizare, uox petita à Græcis, qui σκάνδαλον ἐς πρόσκομμα appellãt, & ruinam significat & impactionẽ item offendiculum, remoram & impedimentũ cuiusmodi sicut in itinere eminentia saxa, uel pedicæ per insidias collocatæ, in quæ qui impingunt uel corruunt: uel à rectitudine itineris detorquentur retrahunturq;. Ergo cum plana alioqui & expedita uia est, per quã inoffense quiuis ambulare posset, tu uerò aliquid in uiam ponis, in quod ambulans, uel impingat, uel impediantur, scandalum imposuisti. Transfert hoc ad res religionis ac mores hominũ, quod rectius intelligemus si priori paradigmati Mat. 18. inhæserimus. Iusta & plana est uia ueritatis, omnes per ipsam ambulantes ad ueram perducens beatitudinẽ. Iam uerò est uir bonus & simplex, qui hęc ad uitã proficiscì cupit, & itineri accingitur, tu uerò uel dicis uel facis aliquid imprudenter, arroganter, turpiter, improbè, contra iustitiam, æquitatẽ & charitatem, quo ille simplex impeditus, non rectà pergit, uel in incœpto suo non perseuerat, sed totus cõcidit, recte diceris huic offendiculum posuisse, aut scandalizauisse.

Scandalũ ergo dat quisquis dictis uel factis prauis, ineptijs seu ineptis & intẽpestiuis obijcit alter, unde occasionẽ peccãdi accipit. Vnde scandalũ erit, oblata ad peccandũ præuaricandũq; occasio, ipsa ad ruinã impulsio impactioq; in malũ. Scandalũ alij aiũt dictum, aut exemplũ, quo alius fit deterior, seu quia error in eo confirmatur, seu quia imitatur malum exemplũ, seu quia flammas maiores odij aduersus euangeliũ concipit.

Scandalum alij inquiũt, est offensio coniuncta cum contemptu. Reuera enim offensio perpetuum induit sum̃q; secum trahit contemptum. Vnde Scandalum alibi quoq; pro iniuria, cõtumelia, uituperatione, despectu, offensione coniuncta cum contemptu. Mat. 18. Nam scandalum à ruina dictũ, quod occasio sit cadendi, si quis obstet eunti: & scazo, claudico, quod claudus inflectens se uideatur tendere ad ruinam. Hinc scriptura utitur uoce scandali pro obstaculo & impedimento, & Mat. 17. Scandalum mihi es, id est obstaculum seu impedimentũ sonat. Et Mat. 17. Præuenit Petrum Christus, ne scandalizemus inquit, eos, das kein unrat daruß uolge, oder niemant erzurnet uuerde.

Sub hoc uocabulo Scandalizare, non solum offendere comprehenditur, sed & contemnere, & pudefacere. Scandalorum ideo tria genera. Primum, cum patefacimus prorsum, immerito. Deinde, quum impura uita & horrendis sceleribus publice designatis, alijs ut idem designent, occasionem præbeamus, offensione scilicet & lapidẽ offendiculi, in uia dei potentes, hos excommunicatione coercere debemus. Tertiũ genus est, quum infirmorum in fide ratio non habetur ab his, qui adoleuerunt in his scilicet rebus, qui ipsi adhuc ex animo nõ penit⁹ abijcere possunt, ut de esu carnis.

Scandalum nonnulli igitur duplex ponũt. Aut est, aiunt, offensio qua læditur fides aut charitas Fides, ut si quispiam aliquid doceat diuersum à sacris literis, offendit fidem proximi. De tali scandalo dicit Christus, Mat. 18. Si quis scandalizat unum ex pusillis, &c. Charitas læditur, si quis egentem non adiuuat, non gratificatur in re aliqua uel necessaria uel commoda, interturbet pacem, quod exemplum alios ad inuitationem mali,

uel ad

uel ad illius odium inuiter. De quo scandalo Christus dicit Matth. 17. de tributo persoluendo: Ne scandalizemus. Et Exo. 23. & 34. Et Deut. 7. Voluit Moses significare, si paterentur inter se gentes idololatras, & cum eis fœdus percuterent, fore ut abominationes ipsorum sequerentur, ac ita id laqueus ipsis & scandalum: nempe occasio ruinæ esset. Et Prouerbiorū uigesimosecundo, Et accipias scandalū animæ tuæ. Quid hic scandalum aliud, quàm occasio mali quod contrahat, cum malo habens consuetudinem. Ad hunc sanè modum scriptura scandalon, & scandalizare, ubique uidetur accipere. Quod scandalizare, est remorari uel reuocari quempiam à pierate & salure. Vel scandalon, ut Hebræis, pro calumnia & opprobrio, ut quinquagesimo Psal. Et aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum.

¶ *Scapulæ* conseruationem & defensionem denotant. Deus plerunque à corporibus hominum in se trahit similitudinem, sicut de eo sperante homine per propheram dicitur: Scapulis obumbrabit tibi, quum constet deum, natura sua scapulas nullas habere. Sed quia scapulis sustinemus, Deus quod nos tolerat, eoq; ipso conseruat, nos scapulis suis circumdare & obumbrare dicitur. Nam infirma membra patienter quasi in scapulis suis portat & portando protegit.

¶ *Scire* uerbū non inelegās & pro seruare. Esa. 58. Et scire uias meas cōcupiscunt, scie di uerbo utuntur pro uitare, canere, & in huiusmodi locis Christus usus est, & eodem uerbo ignorantiæ ante occupatur. Scire animas aliorum: hoc est, quid aliis in animo sedeat nosse. Exo. 23. Scire atqui apponere, locutio hebraica, & est commiscere, coire, concumbere. Gen. 38. ca. Et non apposuit amplius scire eam. Scientiæ nomen pro notitia dei, cultu & obsecratione nonnunquā emphatice ponitur. Hos. 4. Esa. 11. cap. Scientia domini quomodo isthic, Non glorietur sapiens in sapiētia sua, neq; in scientia sua, sed in hoc glorietur, scire & nosse me: hoc est, agnoscere uere & colere.

Scire item pro doctrina. Esa. 53. In scientia sua iustificabit iustus seruos meos multos. Item pro cogitatione. Eccl. 10. In scientia tuæ reginæ maledicas. Et 2 Cor. 11. Non tamen scientia, Scientiam capit pro intelligentia, vverstand, vvusſen. Et 1. Cor. 13. Et nouerim mysteria omnia omnemq; scientiam. Per scientiam intellexit Paulus omnium disciplinarum cognitionem. Et 2 Cor. 6. In ieiunijs, in puritate, in sciētia, &c. D. Ambrosius per scientiam intellexit cognitionem legis & euangelij. Hinc cognitionem dei, tam apostoli, quàm prophetæ continuo in scripturis commemorant, nominantq; ferme scientiam domini. Esa. 11. Quia terra repleta est scientia domini, sicut aqua inundantis maris. id est tam abundanter erumpet cognitio dei, uelut cum aqua inundans eruperit, & totam aliquam regionem oppleuerit. Itaq; cognitio dei, uel scientia dei aliud nihil est, quàm integra fides Christi, qua sentias & scias deum & Christum esse, tuum Christum. Scientia denicq; est, per quam intelligimus & dijudicamus de singulis quæ accidunt, ut scias in quo pecces, in quo non, quid sequendum, quid fugiendum. Quid autem sit sapiētia & scientia, & quodnam discrimen sit, recurre ad tropum Sapientia.

¶ *Sceptrum* à uirgarum ratione (ut Cælius dicit in Antiquis lectionibus) haud dissonum est. Id signum ueteribus censebatur imperij, siue regni, necnon orationis & iustitiæ quoq;, Proinde Agamemnoni late imperitanti, & Telemacho, apud Homerum, concionanti datur, adeoq; & pro ipsa regni administratione iusta & sancta usurpatur. Nam & Achilles per sceptrum ceu iustitiæ symbolum, iurat. Nam ex uetusto more baculum & sceptrum, ut dictum est, gerunt reges, symbolum æquitatis & iustitiæ, quibus conseruantur regna atq; reguntur.

Sceptri nomen in sacris, ut est Psal. 2. administrationem regni Christi adumbrat. Sceptrum proinde ferreum, quo gentes Christus atterit & confringit, ipsum est euangelium, cui gentes populiq; terrarum, non possunt resistere, cui omnes nomen dant, cui omnia accedunt, quantumuis ipsæ gentes antehac potentes & feroces fuerint, & barbaræ efferæq; moribus mitescunt, iam cicures reddantur, dominanturq;. Sceptrum ergo adhuc, uel uirga, est euangelium, uerbum uitæ, quod procedit de ore, quod ferreum & solidum firmumq; est. Hic potest frangi, non potest flecti, uel separari.

¶ *Scindere* uestem, siue pallium, tunicā, & tondere comā capitis, &c. symbola luctus. sic Iob 1. se suę gētis moribus accōmodabat. Hūc aut lugēdi morē fuisse priscis etiā capseq. Iob patet. Et testabatur Iacob patriarcha, qui nūtiata Ioseph scissis uestib⁹ indut⁹ est sacco. Declarabat his signis suā gloriā à se alienatā, sic eñ in Thren. Diuiserunt capita sua in

sua in terram. Sic Pontifex Caiphas discidit uestimenta. Matth. 26. Nam uestimentum hoc loco est indignari. & alibi. 4. Regum. 5. cap. Et scidit uestimentum suum. Fuit enim consuetudinis Iudaicæ ad horrenda nuncia, præsertim uerò ad blasphemias auditas, discerpere uestes, distringere cutem, & exclamare horribiliter. Dauid em̃ audiẽs fatũ Saulis, scidit uestimenta sua, & omnes uiri qui in eo erunt, luxerunt atq; fleuerunt. Ezechias quoq; rex audiens blasphemias execrabiles magistri militiæ regis Assyriorum Rabsacis, discrupit uestes, operuit se sacco, & abijt in domum dei. De Barnaba & Paulo quoq; referunt Acta apostolorum, quod discidерũt uestes suas cum uidissent consilium Lystranorum uolentium sacrificare apostolis. Testabantur externo ritu internum animi dolorem, quem uideri uolebant ineffabilem, ceu animos & corda ipsorum discerpentẽ. Cai phas ficto faciebat pectore, &c.

¶ *Scribæ*, sunt Hebræis, qui scriptis & libris docent quod non possunt ore: uel non scriptores, sed scripturarũ legisperiti dicebãtur: hoc est, quorum omnis scriptura in lege intelligenda populoq; explananda insumebatur. Tales etiam Apostoli fuerunt, præcurrentes euãgelistę & discipuli eorũ, in posterioribꝰ patribꝰ. Hi scribę quasi Librarij diceban tur ab euoluẽdis, enarrãdisq; libris sacris, q̃lis Esra fuit, de quo cap. 7. Et ipse scriba uel librarius ueloxid est, dexter & scitus in Mose: hoc est, nõ scriptor, sed scripturarũ legisq; periꝰ prędicat, expeditꝰ in lege dñi. Græcis grammatę, literati dicũtur, nõ à scribẽdo nomẽ habentes, sed à literis & eruditiõe, thelogos aut doctores, uel legisperitos appellare licebit. Vt em̃ Romani habebãt aruspicũ collegia & sacerdotes, qui rogati ex libris respõderent Sybillinis. Ita Iudæi ex diuina ordinatione suos habuerunt scribas, sacerdotes & theologos, qui respõsa dabãt ex bibliis, quemadmodũ & respõdent ex Michea, ut Mat. 2 Consule Erasmum in nouum testamentum. Hinc scribæ Hebræis pro doctis accipiuntur, & apud gentes quasdam, Schriben fur gelerten. Et apud Luc. 22. pro doctore. Conuenerunt seniores plebis, & principes sacerdotum & scribæ.

¶ *Scribere* Hebræis idem est, quod decernere, statuere, sententiamq; dicẽdi uerbo utuntur, ut passim est apud Demosthenem. Esaiæ decimo capite: Væ qui condunt leges iniquas, & scribentes iniustitiam. Vel: Et scriptores laborem scripserunt, hoc labor pro iniustitia ponitur.

Scribendi, item uerbo usus est Paulus, pro exaltandi, aut inflandi. 1. Cor. 4. Id quod sc quens ephexegesis docet, qua se ad hunc modum declarat. Ne suprà quàm scriptum est sentiatis. hoc est, ne plus quàm par est sentiatis de uobis ipsis. Ne alius aduersus & supra alium infletur. Quæ enim scripta sunt, modestiæ nos admonent. Disciplinam ergo & legem scriptam non seruat, qui turget in contemptum aliorum.

Scribere nonnunquã est mittere, prophetare, uaticinari apud ꝓphetas. Mos em̃ prophetarũ erat literis cõprehẽsas ꝓphetias pro foribus tẽpli populo omni legẽdas proponere, quæ non solũ certissimę, sed etiam generales essent & ad posteritatẽ: hoc est, ad Christũ dñi uẽturũ pertinerẽt. Quod sic esse ex propheta Abac. colligitur: Vnde scribere legem apud Hos. uaticinari & mittere significat, scribã, inquit, ei ꝑcipua legis, Hos. 8. hoc est mittam prophetas ego dñs, qui populum arguãt de præcipuis legis omissis. Idq; nõ sermone solum, sed etiam scriptis publicatis. Sunt autem præcipua legis, quæ per Christi instaurantur, cognitio dei per fidem, & dilectio erga proximum. Proinde hoc uerbo quoq; Hier. 22. usus est: Scribite, inquit, uirum istum. Indicat missum se, ut publicet scriptorum & sine liberis Iechoniam regem.

¶ *Scripturæ* dicti pro gratulatione sumi interdum uidemus. Esa. 38. Scriptura Ezechiæ regis Iuda, Septuaginta, proseuche legunt, id est oratio. Apostolus legem ubiq; scripturam appellat. Rom. 4. Quid enim scriptura dicit, &c.

¶ *Scoria* Iudæi interdum dicuntur, & omnes pseudochristiani, speciem quidem habentes populi dei, interim autem dicati uitijs & impietatibus in deum & homines, propter quod conflandi sint in igne, non ut mundentur, qui nihil habent auri & argenti uel, sed ut consumantur igne furoris diuinæ, uarijs pœnis. Ezech. 22.

¶ *Scorpiones* sunt qui blandi & innoxij in facie uidentur, sed post dorsum portant, unde uenenũ fundant. Ezech. 3. Quoniam increduli sunt tecum, & subuersores, & cum scorpionibus habitas.

¶ *Scortandi* uerbo impensissime delectantur prophetæ, uti pro fidem prostituere, alienare

alienare, Micheæ 1.cap. Hoseæ 1. Hier. 2.cap. Hinc scortationis nomine, solet creberrime sacra scriptura apostasiam à deo, idololatriam siue cultum idolorum uocare ueluti est cernere Ezech. 16. 23. Esa. 57. Hier. 3. Per scortationem nihil, quàm idololatriam intelligi uolunt.

Scortationis præterea uocabulo scriptura exprimit atque intelligit omnẽ in se luxum, omnem illicitum coitum maxime immundiciam & libidinem carnis, omnem fornicationem, adulterium, petulantiam: deniq; quicquid eſt rerum uenerearũ, quicquid his adiacet & cognatum est, ut est lasciuia, obscœnitas, scurrilitas, & omnis incontinentia. Romanorum primo cap. 1. Thess. 4. Actorum 15. In scortationis uocabulo, ueluti in genere reliquas illicitæ ueneris species intelligit Lucas, quas Paulus passim Ephes. cap. 4. 1. Cor. 6. præcipue insequitur. nam uidemus Apostolum hac uoce πορνείαν generaliter usum esse pro omnis generis immunditia.

¶ *Scutum* per transnominationem pro fiducia. Dauid Psalm. 7. Nam quemadmodum scutum illum, quem regit fidentem, securum reddit: ita ille, qui in omnibus, hujus mundi aduersus deum pro scuto habet, tutus efficitur, ac fidens. Scutum hinc deũ uocare Psalmis metaphora creberrima est, ut Psalm. 3. eo quod sibi fidẽtes ita protegat atq; defendat, ut eos nulla hostium iacula attingant, nulla re lædãtur. inuenitur autem omnibus, etiam ijs quæ in malum eorum mali intendunt. Et tu Iehouah, inquit, clypeus, seu scutum pro me, &c. Scuta terræ hinc principes uocantur, sicut deus subinde hoc nomine à sanctis appellatur: proptrea quod defendit suos, & mala auertit, uti scutis auertuntur iacula, & seruantur quos illa tegunt. Psal. 4. 7. Per principes enim & clypeos, Scuta: id est, præsidia terræ, magistratus & optimates, simul & plebes intelligitur. Hos. 4. ut & hoc allegato Psal. Principes ergo populi hoc nomine uocantur, quod eorum sit populum tueri, & nocitura auertere.

¶ *Secare* ligna & uulnerari ab eis, est accersere sibi ipsi periculum. Eccles. 10. 9. Et qui secat ligna uulnerabitur ab eis.

¶ *Secta* uocabulum non semper in malam partem sumitur, ut clarè appatet. Act. 28. cap. Nam de secta ista notum est nobis, quod ubiq; ei contradicitur: Id est, de doctrina & uia Christi & euangelico negotio.

¶ *Secretum* pro consilio, Gen. 49. In secretum eorum non ingredietur anima mea, Septuag. εἰς βουλὴν. Quasi dicat mens mea abhorret eorum cœtu: Non est mihi uoluntas in eis, nihil est mihi cõmune cũ eis. Secretũ quoq; pro cogitatiõe. Psal. 43. Quia ipse cognouit secreta cordis. Septuag. τὰ κρύφια, abscondita. Secretũ domini atq; dẽ. Psal. 25. Secretũ domini timẽtibus eum, & fœdus eius ad uotũ faciendũ illis. Secretũ uocat, quod carni & sanguini patefieri nequeat, & reueletur solis electis. Idipsum uero est fœdus, quod nobiscum deus icit: nẽpe, ut sciamus ipsum uelle nobis patrẽ esse: quod qui plane persuasus fuerit, non poterit se ille non cupidissime tradere & addicere in filiũ. Hinc uideas, ut nihil dei norint, quicquid iactent, quicũq; dei timore & reuerẽtia uacui sunt. Vacui aũt sunt quicũq; instituendæ uitæ ad placitum dei non sunt sollicite. De qua ratione timoris dei Psalmus 2. canit uersu 11.

¶ *Seculum* qualis uox sit, uideamus. Est uerò solita scripturæ eclipsis. Seculi & usque, subaudiendum enim seculum, 21. Psal. Dedisti ei longitudinem dierum seculi, & usq. Quasi dixisset, In seculum & usq; in seculum: quibus tamen uerbis nihil nisi longæuam uitam significat.

Seculum seculi, seu secula seculorum, periphasis, seu circumlocutio est quædam apud Hebræos, qua uulgo exprimunt æternitatem, sicut sæpe uidemus hunc tropum in sacris literis. Ad Epesios capite 3. Sit gloria, inquit Paulus, in Ecclesia per Christum Iesum in omnes ætates seculi seculorum: hoc est illius seculi quod succedẽtibus seculis, nunquam sortietur finem. Aliàs uerò secum centum annorum dimensio est, & pro longo tempore apud Latinos usurpatur. Et Psalm. 21. Quoniam dabis eum in benedictione in seculũ seculi: id est, inæternũ. Longitudinẽ dierum in seculum seculi: hoc est, Nõ solũ, inquit, dedisti ei uitã, sed uitã longã, æternã immutabilẽ, hoc enim significat.

Cæterum Olam, ut ait Abraham Ezra, tempus duarum generationum cõplectitur, hoc est, centum annos, quod tempus Latinis seculũ dicitur, ut passim in scripturis, pro longo tempore usurpari solet. Hinc Hebræi frequenter utuntur hoc uocabulo pro generatione, siue ætate hominis, ut in Esaia 28. cap.

Seculum

Seculum, inquit D. Hieronymus. Hebraice Olam. Quãdo uauf literam O lam positam habet, æternitatem significat: quando uerò sine uauf scribitur annum quinquagesimũ, quem illi Iubileum uocant, ob hanc causam etiam ille, Exod. 21. cap. Qui propter uxorem & liberos, amans dominũ suum aure pertusa seruitio subiugatur, seruireq; iubetur in seculum: id est, usq; ad annum quinquagesimum. Quia omnis dura conditio Iubilei soluebatur aduentu. Hæc Hieron.

In seculũ, nõ semper ergo sonat perpetuitatẽ & perpetuum tempus, ut Gen. 48. In possessionẽ seculi: hoc est, ad lõgum tempus. Et Exod. 21. In seculum: id est, usq; ad Iubileum: siue is annus prope fuerit, siue longe abfuerit. Et Exod. 40. Vngentur autem, ut perpetuo fungantur mihi sacerdotio seculis suis. Id est, quamdiu uiuent.

Seculare deniq; pro mundano usurpat Paulus ad Titum 2. Secularia desideria: id est, mundana. Alioqui Latinius seculare dicitur, quod centesimo quoque anno instauratur, ut, Ludi seculares.

Seculum ultimũ illud dicitur, quod intercedit inter Christum natum & ultimã illam iudicij diem. 1. Cor. 10. cap. Termini ætatum, Nouissima hora, &c.

¶ *Secundum* pro iterum. Esa. 11. Adijciet dominus secundùm manum suam. Secundum iudicium prius. Gen. 40. cap. hoc est, secundum morem, seu secundum pristinum officium. Septuaginta, Et secundum principatum tuum priorem. Secundum nomina generationum. Genesis 25. Et hæc sunt nomina filiorum Ismael secundum nomina generationum eorũ: hoc est: secundũ quæ nomine generationis eorũ appellatæ sunt secundum diẽ in diẽ: hoc est, sicut quotidie solitus erat, uel consueuerat per singulos dies.

¶ *Secundo* aduerbiũ Hebræi nõ tantũ utunt, sed pro iterum. Id aũt multis locis apparet, Esa. 11. Et erit in die illa, adijciet dominus secũdo manũ suam, ut & suprà Secũdum.

Secundo pede introire dicimus, cuius introitum posteritas aliqua consequitur.

Secundo autem curru uehi, significat alterum aut secundum à rege, principeq; esse, Gen. 40. Et uexit eum curru secundo.

¶ *Securis*, & gladius in scriptura pro graui dei uindicta poni aut usurpari, nouum non est. Mat. 3. cap. Iam uerò & securis ad radicem arborum posita est. Aut euangeliũ recipientes agite pœnitentiam, aut colla uestra ad ictum uibrantis exerite. Certo enim uindicta domini, quæ uos funditus & radicitus excindet, uestris impendet uerticibus. Luc. quoq; meminit. Securim nominat mortiferã iram, quæ diuinitus irruit in Iudæos, propter exercitam impietatem in Christum.

Securis est admota radicibus. Parabolicus est sermo, significans imminere Iudæis extremum iudicium, seu excidium, extremam ultionem, quæ eos sit radicitus euulsura.

¶ *Securi* dicuntur iuxta morem scripturæ, qui restituto per fidem animo in semitis iustitiæ gradiuntur. Diligunt siquidẽ ij deum, ideo bona eis omnia esse oportet. Rom. 8. Et Psal. 23. Etiam cum ingrediar per uallem umbræ mortis, non timebo malum, &c. Nam illi cum certi sint, satanæ & satellitibus eius uniuersis, quantumlibet furiant, medium, ut in prouerbio est, digitum ostendunt.

¶ *Sedere*, sæpenumero pro regnare, administrare & imperium obtinere intelligitur. ut sedere super soliũ, siue tribunal. Hebraico schemate, est iudicare, præesse & regem es se. Exod. 11. cap. A primogenito Pharaonis, qui sedet in solio, usq; ad primogenitum an cillæ, quæ est ad molam. Intelligunt ergo nonnulli, per sedentem in solio eum filium regis, qui & iam regno esset inauguratus. uel antithesis committitur, quia summum & infimum, præcipuum & abiectissimum simul iungat. Et 2. Thess. 2. cap. Adeò ut in templo dei sedeat, ostentans seipsum esse deum: id est, regnet, &c.

Sedere in dextera maiestatis tropicos dixit, Hebræorũ epist. cap. 1. pro eo quod est, diuina uirtute & administratione cœlitus regnare. Nam sedere & habitare, est regnare Siquidem Lucæ 24. dicit Christus: Vos autem sedete in ciuitate Hierusalem: id est, Hierosolymis præstolamini manete, quiescite (Nam sedendi uerbum, quietis significationem habet) & habitare, donec induamini uirtute ex alto. Et 3. Regum 1. cap. dicit Dauid de filio Solomonis: Sedebit super solium meum, & ipse regnabit pro me. Hinc & solium & sedes, in scripturis accipiuntur pro imperio. Sed & Latinè dicimus, hominem qui Argentinam inhabitat, Argentinæ sedere: Rursus Iulium Cæsarẽ annis quinq; sedisse, id est, regnasse quinq;. Et Dextera principum consessu locus est primus, summus,

& dignissimus. Et qui ad dexteram, siue ad latus dextrum sedere dicuntur, summè rerum præesse intelliguntur. Hinc mater filiorum Zebedæi: Dic, inquit, ut hi filij mei duo sedeant: unus, à dextris & alius à sinistris in regno tuo: id est, concedent in regno tuo constituantur primi, ut per sedere à dextris principibus intelligit scriptura, proxima ab eis potestate fungi, Ioannis sexto capite.

Sedere super duodecim sedes, est glorificari propter uirtutem, Mat. 19. cap. quo significatur iudiciariæ simul cũ Christo potestatis consortium. Et Apocalyp. 4. cap. Hic suis pollicetur tranquillitatem & consortium sui in cœlis glorioſum.

Sedere pro uersari, ut Prouer. 23. cap. Quando sederis, ut comedas apud principem. Et in libris Regum frequens.

Sedere item pro morari. Iudic. 6. Sedit sub quercu. Item, pro habitare. Esa. 15. Non sedebit in perpetuum. Sedere seu habitare, idem ualet quod per se, suo iure, suo arbitrio, nemine facessente negotium, nemine obturbante, habitare & quiescere, & animi curis, omnique anxietate liberatum esse, ueluti cum dicitur: Sedebit uir sub uite sua. Et: Nunquid fratres uestri ibunt ad pugnam, & uos hic sedebitis? Id quoq; de Israele Balaã prædixit: Ecce populus per se sedebit, uel habitabit, & non reputabitur inter gentes. Volunt enim dicere eum egregium & liberum fore, suis legibus usurum. Ita sedere ad dexteram patris, est miserijs hisce mũdi solutũ quiescere in cœlis: hoc est, transire ex hoc mũdo & cõcedere in æternam patriam, ubi nõ est mors, neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor.

Sedere in tribunali, est esse iudicem: nam sedendo, iudicis refertur autoritas. Ioelis 3. cap. Esa. 6. cap. Sedentem super sedem. Apocalyp. 20. capite: Sic Iudicare, iudicem esse. Nam Israel in duodecim tribus censebatur, ut est in Euangelista Matth. 19. Iudicantes duodecim tribus: hoc est, uniuersam multitudinem. Sic sedere pro tribunali Cæsaris, est iuxta legem Cæsaris iudicare.

Sedere cum Christo, est regni illius esse consortẽ. Apocalypsis 3. Dabo ei sedere mecum in throno meo.

¶ *Sedere* in cathedra, seu sede pestilentiarum, ut Græcus habet, aut derisorũ. Sedis hic Psal. 1. dictione, cœtus & consessus consultantium intelligitur, Psaltes dat illis sedem, regnum uidelicet, iudiciariam quoq; potestatem, ac impietatis securitatem. Significat aũt iudicare atq; docere ritu & more pestilentium hominum, eorum inquam, quia omnia diuina & honesta contemnunt atq; irridenț.

Cathedra pestilentiæ ergo est, ubi cœperis consilium impiorum: id est, quicquid illis bonum uidetur & sanctum, docere & defendere, & nolueris uiam peccatorũ damnasti, id est, audire legem & uerbum dei, quod omnia nostra damnat. Sic Dauid audiuit à Nathan propheta, hæc est extrema impietas.

Consessus irrisorum quoq; appellatur: id est, blasphemanitum legem, seu uerbum dei. Id faciũt dum uolũt, ut humanas adinuẽtiones pro uerbo dei suscipiamus. De hac sede & consessu Psalmus 1. disserit.

Et quemadmodum sedere in cathedra pestilentiæ, est doctrinas dæmoniorũ & errores stabilire, pestilentẽ doctrinã docere & defendere: ita sedere in cathedra Mosi, est docere & profiteri legem Mosis, seu ipsum Mosen prædicare, qui ab ætatibus antiquis in singulis ciuitatibus, in synagogis per omne sabbatum legebatur, teste Iacobo, Act. 15.

Sedere in medio cineris, pœnitẽtis indicium erat, ueteri more, quo se aspergebant pœnitentes cinere, induebantur sacco, ut suprà auditum est Iob 2. Idẽ est quod se demittere, descendere & inferius sedere, non in sublimi ingredi, nec in honore incedere. Ionæ 3.

Sedere seu assidere aũt ad pedes, discipulorũ est. More ueterũ, qui ad pedes præceptorũ in subsellijs sedere solebãt, sicut & Paul⁹ ad pedes Gamalielis asserit se didicisse legẽ. Et Ezech. 33. Et sedebant corã te, quasi essent populus meus. Et quasi assiderẽt ad pedes prophetæ audituri, aut in conspectum differentis considere antiquitus soliti erant. Vnde postea mos obtinuit, ut minoribus (ut diximus) subsellijs discipuli in senatu magno assiderẽt ueluti ad pedem præceptorũ. Hinc sedentes pro audientibus, accipi rarũ nõ est. Luc. 5. cap. Pharisæi sedentes. & 1. Cor. 14. Audiebant Pharisæi enim cum cæteris uerbum dei, in locis tamen paulo æditioribus. Sedere & ingredi cum malis. Psal. 1. positum pro conspirare cum eis, & scelerũ inire societatẽ. Sedes uersutorũ, eorũ societatẽ & conuictũ per metonymiam significare: sacræ linguæ magis peculiare est. Et Psal. 26. eiusdem metonymiæ usus est. Non sedi cũ hominibus uanis, & cum improbis non sedebo.

bo. Obseruauit R. Kimhi, omnis hominis uita, eundo, stando & sedendo peragi: nam iacere, sub sedere comprehenditur, quanquam etiam iacendo nihil ferè geramus. Eoq; cum Psaltes Psal. 1. requirit, ut nec eatur, nec stetur, nec sedeatur cum malis omnem peni tus illorum consuetudinem, omneq; commercium damnauit.

Sedere seu ambulare aut uersari, est, ut certo dei fauore, gaudere, ita uicissim flagran ti eius studio teneri. Psal. 56. & 61. Sedet in seculum coram deo, &c. Sic & illud dictum Abrahæ intelligendũ: Versare coram me, & esto integer, Gen. 17. Et hi soli, qui ita coram deo agunt, ueram uitę lucem obtinent.

Sedere, pro manere & requiescere. Nam sedendi uerbum, stabilitatẽ & mansionem declarat, ut in Actis: Et insedit singulis eorũ: hoc est mansit apud illos, & in illis requie uit. Num. 32. Mich. 4. ac innumeri huius generis alij.

Sedere ad dexteram, uel, à dextris dei, Mat. 28. Periphrasi hac se filium dei esse euiden ter probat. Quasi diceret, Posthac uidebitis me esse filiũ dei, & quiescere: id est, omnibus miseriis abdicatis beate & tranquille uiuere, & æterna gaudia hæreditare. Proinde cum scriptura dicit dominum Iesum consedisse ad dexteram patris, de assumpta præcipue loquitur natura, ac indicat ipsum terrenis defunctũ molestijs, nunc in cœlis lætari, & ui ti frui cœlesti. Vide Ruffinum in symbolo suo. Et quid sit dextera dei. Vide D. Augusti num De agone Christi cap. 26. Ideo ad dexteram dei sedere dicitur Christus filius nũc, allusione humana, siue anthropopathos. Nã deus aliàs incorporeus & pura spiritus substantia, manibus ut non indiget, sic etiam caret, nisi crassum placeat anthropomor phitarum placitum.

¶ *Seditiosi* hi dicũtur in scriptura, uidelicet indocti et temerarij, q mãdata dei loquũt. sic 3. Re. 18. dicit Helias ad Achab: Nõ ego cõturbã domũ Israel, sed tu et dom⁹ patris tui.

¶ *Sedulitas* dicitur in scripturis, qui strenuę suæ uocationi seruit. Nã in hoc laborãt pij, ut mandatum dei faciant, siue res adueniant, siue non adueniant, & his benedicit. Con trà fraudulenti, non faciunt officium uocationis suæ, sed aliud ex alio instituunt. Et si cut Prouerbiorum dicitur: Vanitates excogitant, quibus uitã tueãtur, adeoq; ocioſi sunt. Vide in Prouerb. Solomonem.

¶ *Segregare*, est à prophano usu ad dei cultum seligere, dedicare, ut suprà auditum est in uerbo sanctificare. Segregatus, ἀφορισμένος: id est, delectus. Nam ἀφορίζειν, est certo de signare, & cum iudicio deligere. Rom. 1 cap. Segregatus in euangelium dei: Allusit au tem celebrem illam electionem, seu uocationem, cum quis ex multis euocatur, Nemo enim uocatus id muneris sibi arrogabit. Hebræorum 5. cap.

¶ *Selah*, hęc dictio admodum uarie enarrãtur. Septuag. interpretes pro ea transtu lerũt Græce diapsalma, quod beatus Augustinus interruptionẽ, diuisionẽ, pausam et morã psalmodiæ interpretatur. Sicut è contrà sympsalma uocat cõpositionẽ seu continuatio nẽ psalmodiæ, quam selah Hebręis nõ significat, sed propriè insignem aliquẽ affectũ, quo Psaltes pro monente spiritu afficitur. Qui quoniam nõ est in nostra potestate, nõ in omni uersu à nobis haberi potest, sed prout spiritus sanctus dat moueri. Ideo Selah in Psalmis tam cõfuse, & citra ullã rationẽ ponitur, ut hoc ipso indicẽr, secretã & nobis in cognitã, prouideri possibilẽ motionẽ. Quæ, ubi uenerit omissis uerbis Psal. quiterẽ & pausantẽ animã poscit, quæ capax fuit, uel illuminationis, uel affectiõis quæ offertur. De hac uoce selah Kimhi scripsit in Psal. 3. nimirum notam fuisse uocis exaltandæ, eoq; monitoriũ, cogitationes animi intẽdendæ. Dauid posuisse 3. Psal. uidetur, quo penitius animis auditorũ infigeret, angustiæ & tribulationis pondus quo fuerat Dauid pressus.

Iudæi de selah quoq; uariant, dicentes uocis quandam elationẽ signare psallentiũ: id ut concedamus, tamen ut Christiani spiritum scripturæ ad agnitũ scopum certius a gnoscentes, dicamus. Breuiter in summa, mentis & cogitationis exercitiũ designari, si gnum esse anhelantis fidei ad assequendũ promissum bonum, uel euadendum malũ spiritus aut corporis: desiderij affectũ, ut quoties hæc uox occurrit, intelligamus memo rabile quippiã dictũ esse, & admirationi uel deuotæ meditationi locum & tempus po stulari, admoneri alicuius mysterij, minime cõtẽnendi, uel prætereũdi sine expensione. Selah, scahlom, amẽ, tres uoces, quibus Hebræi, precantur rebus suis felicitatẽ, de qui bus suprà in tropo Amen. Alij aliter, sit iudicium penes Christianum lectorem.

¶ *Semel* hoc aduerbium interdum, pro immutabiliter. Psalm. 88 accipitur: Semel in quit, iuraui in sancto meo. Ouidius: Nulla reparabilis arte læsa pudicitia deperit illa se-

mel. Et Exodi trigesimo secundo: Semel ascendam in medio tui. Vel momento uno: uel Vno impetu, siue breui tempore: id est, si minimum temporis ascendero tecum, consumam te. Psal. 62. Semel atq; iterum loquutus est deus. D. Augustinus, semel exponit pro firmiter, inconcusse. licet, inquit, pro uno uerbo etiam intelligi possit.

¶ *Seminis* dictionem, si quis diligenter scripturas inspexerit, nusquam plurali numero siue in bonam, siue in malam partem semina reperiet. Gal. 3. cap. Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius. Naturalē quoq; sobolē uocat scriptura suo more, ut Gen. 3. Ipsum semen conteret caput tuum. Semen quoq; ipsum Christum appellauit Paulus Galat. 3. cap. propter humanam naturam assumptā. Ideo seminis uocabulū ex prima illa promissione reperitur, quod Messias secundū carnem de semine fit Abrahæ. Ideo & pro hærede, Gen. accipit. Inter semen tuum & semen eius.

Semen, nomen pro prosapia. Rom. 1. cap. Qui genitus fuit ex semine Dauid. Item, pro filio & filijs more Hebrææ linguæ sumitur. Leuit. 22. Et semen non est eo. Et cap. 18. eiusdem libri Leuit. Et semen Iacob, semen Abraham, pro filijs eorum. Et Genes. 15. Mihi autem non dedisti semen: hoc est liberos, filios. Item, semen uocabulū, nepotes denotat. Gen. 17. cap. Et semen tuum post te in generationibus suis. Id est nepotes tui, tempore suo. Et Psal. 21. Per semen & fructum, filios, nepotes & posteros significat, quos de terra & filijs hominis: id est, hominibus perituros canit.

Semine præterea seminari, est concipere & parere liberos. Num. 5. habet Hebræus, sed munda absoluetur, & seminabitur semine. Absoluetur, inquit: id est, liberabitur ab omni noxa, concipietq; & pariet liberos. Id enim est seminare semine.

Semen quoq; uerbum & ueritatē prędicationis exprimit, teste domino, Mat. 13. Exiit qui seminat seminare semē suū. Esa. 22. Beati qui seminatis super omnes aquas. Nam semen, uirtutem uerbi dei & ingenium eius exprimit. Semen habet uim enim negatiuā unde motus oritur cupiēs sui simile progignere: & in hoc seritur, ut sui generis fructū proferat. Ita uerō & uerbum dei prædicatum operante spiritu sancto, uirtutē & cogitationē habet perpetuā prolificandi fructum, in homine, in quo seminatum est, sui ingenij & suæ naturæ: & ideo prædicat, ut suæ speciei naturæq; fructū in homine proferat. Seminare potest p̄dicator, semē uiuificare non potest, ut 1. Cor. 3. patet. Et 1. Pet. 3. cap. Renati, non ex semine mortali, per sermonem uiuentis & manēris in æternū. Item, semen bonum apud Matth. 13. cap. pro terra bona in qua semen bonum recipitur, boni homines sunt. Zizania praui homines, qui bonis semper sunt mixti.

¶ *Seminare*, apud Paulū 1. Cor. 15. ca. Seminatur in corruptione: Seminatur in infirmitate. Seminatur corpus animale, &c. Seminare, hic idem pollere, quod sepelire. Viuificari autem uel enasci, idem esse quod resurgere. Semen uiuificari non posse, ait, nisi seminetur: intelligamus ergo in sepultura concludi resurrectionem.

Seminare atqui in uentum, est ad nihilum deducere, sicut eos quos proijcit, & dispergit uentus à facie terræ. Ezech. 5. Et dispergam uel seminabo omnes reliquias tuas in omnem uentum.

Seminare in benedictionibus, est simpliciter generaliter & large benefacere, eleemosynas abundanter erogare, & bona nostra ubertim fratribus nostris communicare, ut & ipsi de benedictionibus metemus, opima præmia fidei nostræ reportantes. 2. Cor. 9. Qui seminat in benedictionibus.

Seminare in spinas, est frustraneum & alienum laborem habere. Hier. 4. Et ne seminetis super spinas.

Seminare denicq; ad iustitiam apud Hos. 1. est sanctis cogitationibus fidem confirmare in se & proximis, semina'q; ueritatis per uerba dei legendo & prædicando spargere.

¶ *Semitam*, non tantum uestigium uocant Latini, sed iter quod pedibus modò non etiam plaustris & carrucis teritur, hoc modo Hebræi nonnunquā usurpant. Prætoriam autem uiam ueteres appellarunt, quæ imperatori aut consuli cum exercitu proficiscenti & machinis satis pateret. Hodie imperatoriam uiam uocant, die Keiserliche strauß.

Semita seculi, apud Hebræos 12 cap. dicitur communis hominum consuetudo, communes mores, uulgi. Sunt autem hi uulgi mores, quod ferè unusquisque neglecto deo & uerbo suo, in negocio huius mundi, pro sua libidine uiuat, adeoq; sic uiuitur, quasi deus non caret mortalia. Semita seculorum ergo pro superbia, apud Iob 22. Nunquid semitam seculorum custodire cupis.

Semitæ

Semitæ dei sunt, ut ordine & recte coram deo ambulemus, seu ingrediamur, & ea se quamur quæ nobis deus præscripsit, ea à nobis tãtum requirit, quæ nobis saluti sunt, & beatos reddũt. Quare nihil sui in ijs, quæ nobis mandauit, sed tantum, ut nobiscum benigne & ex fide optima agat, quærit. Psalm. 25.

Semitas in corde habere, Psal. 84. est habere animum & studium iter ad domum domini suscipiendi, autore A. Ezra.

¶ *Sempiternum, seu semper,* Olam Hebraica uox istæc, non semper perpetuitatẽ, sed longũ tẽpus, indeterminatũ et indefinitũ: ut Exo. 21. ubi ꝑpetuo usq; ad annũ Iubileũ significat. Sic Exod. 12. Seruabitis hoc uerbũ mandatũ tibi & filijs tuis perpetuo. Gen. 13. Dabo eã tibi & semini tuo usq; in sempiternũ: id est, tã diu scilicet dabit hanc terrã semini Abrã, quãdiu pactũ cum patre initũ seruauerit. Neq; tamẽ hinc sequit Perpetuum nusquam ꝑpetuitatẽ significare. Nam Christus dicit: Ite in ignẽ æternũ: nihil aliud & æternitatẽ sine fine intelligit, quũ post extremũ iudiciũ, quo hanc sententiã feret, nullũ tempus erit ultra, uel seculũ, uel æternitas. Breuiter, In æternũ, semper, in sempiternũ, in seculũ seculi, &c. Hebræis significat tropo linguę proprie temp⁹ incertæ & definitæ durationis, non aũt ubiq; saltem æternitatẽ. Vnde in lege Mosaica sæpius dicitur, legitimum sempiternum in generationibus uestris: quum tamen aliquando finienda essent omnia illorum. Quod non inepte dici uidetur, perpetuo, perenniter.

¶ *Senum* nomine intelligit scriptura & principes, & sacerdotes, & omnes quibuscũq; administratio cõcreditur, quibuscũq; aliqd autoritatis est. Ioel. 1. Vos qui alijs sapientia præstis, audite. Hinc seniores denotant, patriarchas, ꝓphetas, apostolos & Euangelistas, doctores ac utriusq; populi ueteris & nouæ ecclesiæ pios iudices & reges. Apoc. 4. Num. 11. Act. 20. cap. Hinc senex seu seniores, pro consule. Exod. 3. Vade congrega seniores Israel & dic eis. Septuaginta, γερόντων: id est, senatum. Mat. 15. Et statim diluculo consilio inito summi sacerdotes, cum senioribus & scribis.

Senes uerò non eos scriptura sacra uocare cõsueuit, qui sola quãtitate temporum, sed morũ grandęuitate maturi sunt, unde Sapien. 4. dicitur: Quin aũt sensus hominis & ætas senectutis uita immaculata. Vnde recte quoq; dñs Mose præcipit: Congrega mihi septuaginta uiros de senioribꝰ Israel, quos nosti quod senes populi sunt. In quibꝰ qd aliud, q̃ senectus cordis requirit, cum tales iubentur eligi, qui senes esse sciunt, senectus mentis nõ corporis eligenda nũciatur. Nã Adã nongentis triginta annis uixit, & tamẽ senex nõ nominat. Et Mathusalem senex non dicit. Primus Abrahã senex dicit, & tamẽ multo minoris ætatis fuit, quàm Mathusalẽ, sed ꝓpterea senex, quoniã senectus ipsius diuina fulta fuit scientia. Et senior Iosue 23. Et Iesus senior proiectꝰ dieb⁹. Hoc de Abrahã dictũ notauimꝰ Seniorẽ scripturis nõ solũ illũ appellari, q̃ est infra ętatẽ senis, sed etiã ualde senẽ. Vnde nõ ois senior senex, omnis aũt senex senior dici potest. Hęc Aug.

¶ *Sententia,* pro interpretatione, Danielis 4. cap. Et sentẽtia altissimi est: hoc est, interpretatio, decretum dei omnipotentis.

¶ *Sentire,* pro cognoscere aliquando ponitur, sæpe enim quæ sunt sensuũ, ad diuinam transferimus, ut uidere pro intelligere. Est enim uidere oculorum. Sic Gen. 19. cap. Ille non sensit, pro quo Hebræi Iadasch, quod eruditorum sentẽtia, cognouit significat. Sic ad Abimelech Gene. 20. Quid uidisti uel spectauisti: id est, quid cogitasti. Sic sæpe dicere, pro cogitare habent Hebræi. Rursus quæ sunt animi, sensibus tribuimus.

Sentire charitatem, est autem erga deum bene affici affectibus laudis, fidei & gratiarum actionis. Atq; hi legem ex animo faciunt, Esa. 4. Qui sperarunt in domino, nouabunt fortitudinem. Sentire quoq;, idem est eundem sensum habere, ut quilibet id de suo opere sentiat quod de alterius, ita ut coniugale institutum æque bonum durat atq; institutum uirginum, ut coram deo planè omnia æqualia sunt, qui iudicat secundũ cor & fidem, non secundum personam. 1 Pet. 3. Sitis omnes animo eodem præditi. Phil. 2. Vt similiter affecti sitis, 1. eadem charitate unanimes idem sentiatis. 1. Cor. 1. & 12.

¶ *Separatio,* idem quod primitiæ. Exo. 25. Dic filijs Israel, ut accipiant mihi separationem, hoc est, primitias. Primitiæ ideo separationes appellantur, quia oblata à communi usu separabantur. Item germana quadam consuetudine scriptum, id commune esse dicitur quod immundum est, quemadmodum Petro uox de cœlo dicit, Act. 10. Quæ deus purificauit, tu communia dixeris? Apud Marcum etiam communicare, pro inquinare usurpatur: consequenter ergo, si id quod immundum est, commune appellatur: quod

ſanctum eſt, nominabitur ſeparatum.

Separatio dicitur quoq; dies aut tempus ſeparationis, periphraſis eſt menſium mu-
lierium: nam tum ſeparatæ habitabant. Leuit. 15. cap.

¶ *Sepire*, pro impedire, remorari. Hoſ. 2. Ecce ego ſepiam uiam tuam ſpinis. Sepes ue-
rò oppida, muros, munitiones denotant allegorice, ut Pſal. 88. Dirupiſti ſepes omnes.
Item ſepes pro gentibus. Luc. 14. Exi in uias & ſepes, compelle intrare. Et Eccleſiaſt. 33.
inquit, Vbi non eſt ſepes, diripitur poſſeſſio. Hoc eſt, ubi non ſunt ordinationes legiti-
mæ, & iudicia in re publica. Item ſepem, defenſionem eccleſiæ propheta Eſaias uocat
cap. 5. & Pſalm. 79. Item, Circa Sepem errare, eſt extorrem & exulem eſſe. Hierem. 49. Et
oberrent circa ſepes. Sepis interſtitium, Epheſ. 3. cap. intelligit Apoſtolus circumcitionē
uidelicet legalia & cæremonias. Quemadmodum ergo medium aliquem in ædibus pa
rietem aliquis diruens, ex diuerſis & duobus parietibus unam facit domum: ita Chri-
ſtus abrogans legē, quæ inter Iudæos & Gētes dirimebat, ex duobus populis unū fecit.

¶ *Sepes* denicq; ſignificat more Ebraico reliquias. Eſa. 58. Et uocaberis ædificator ſepiū.

¶ *Septem*, ſeu ſeptenarius numerus in ſacris literis accipitur pro perfecto. Nam is nu
merus ſacer, abſolutus & celeberrimus Ebræis habetur. Deinde in ſcriptura magna con
tinet myſteria. 1. Samuel. 1. Donec ſterilis peperit ſeptem. i. multos & plurimos. & quæ in
quit, plurimos habeat, infirmata eſt. Et Petrus ille Mat. 18. Remittam ei uſq; ſepties. Vſq
ſeptuageſies ſepties: perfectum & ingentem numerū poſuit pro infinito, quem tropum
prudenter indicauit Chryſoſtomus, quod probabile non ſit, quenquā toties offenſam
repetiturum. ita loquimur trecentos inſerere, pro innumeris, & milites audiui.

Septem, deinde & decem, numeri uniuerſitatis ſunt. Apocal. 12. Item, ſeptem dierum
numero omne tempus comprehenditur. Apocal. 11.

Septem & octo, locutio eſt apud Micheā cap. 5. intelligēdum, de ſeptem & octo: hoc
eſt, de potenti & ſufficienti. Hic enim numerus maxime ſi addas octo, ſignificat cōſum
marionem, ut Prouer. 11. Da partes ſeptem, necnon & octo id eſt, da quod ſatis eſt, da li-
beraliter, non parce. Hebraica phraſis eſt. Sic habet Micheas: Tum, inquit, ſuſcitabimus
contra eum ſeptem paſtores, & octo ex plebe conſtitutos: hoc eſt, magna copia doctō-
rum. Hac phraſi magna copia & magnus numerus ſignificatur.

¶ *Septenarius* ergo numerus perfectionis, multiplicitatis, uniuerſitatis ſymbolū eſt, &
quieti conſecratur. Nam Hebræi per hunc numerum indefinitum, & indefinitā multi-
tudinem intelligunt Pſal. 11. Eloquia domini, eloquia caſta, argentum igne examina-
tum, purgatum ſeptuplum: id eſt, multipliciter. Et apud Lucam 8. Septē dæmonia. Hic
capitur pro maximo numero, ut & in Ruth. Plus proderit quàm ſeptē filij. Sic ſeptem
dæmonia, magnam nequitiam ſignificant. Sic Matth. 22. Septem nequiores: id eſt, om-
nem uim ſuam admouet. Item in Prouerbijs, Sapientia excidit ſeptem columnas: hoc
eſt, ſapientia firma eſt.

Similiter Hebr. 4. pro plenario & infinito numero quoq; accipitur. Et communi lo
quendi Tropo, ſæpius totaliter ſignificat & prorſum, ut Leuit. 26. Percutiam uos ſepties
propter peccata ueſtra. Et Amos. 1. Super tribus ſceleribus Damaſci, & ſuper quatuor
non conuertam. Tria & quatuor ſeptem ſunt. Et Mat. 12. Et aſſumit alios ſpiritus ſeptē
nequiores ſe: id eſt, ſæpe multos.

Similiter & Denarius numerus uniuerſitatis ſymbolum eſt. Sic enim Chriſtus deci-
mam prouentuum partem offerre iuſſit.

Septenarius numerus, inquit D. Auguſt. ad unitatem eccleſiarū, refertur & ad quan-
dam perfectionem myſticus apparere. ſolet enim pro uniuerſo poni, ſicut in Euange-
lio dictum eſt, Accipiet in ſeculo hoc ſeptuplum: ac ſi diceret, Quaſi nihil habentes,
ſed omnia poſſidentes. Vnde etiam Ioannes ad ſeptem eccleſias, quæ utiq; uniuerſitatis
eccleſiam perſonam gerunt. Hæc ille.

Septies in die laudare deum: ut eſt Pſal. 119. idem eſt, atq; identidem ſe laudibus eius
uacare. Sic ſeptimus dies, ſeptimus annus: id eſt, quinquageſimus erāt deo ſacri, ut agno
ſcas quare perfectionis numer⁹, aut ſaltē multiplicitatis ſeptenari⁹ numer⁹ in ſcripturis.

Septuplum ad hæc puniri, pro grauiſſimas pœnas dare. Gen. 4. Septuplū puniet: id
eſt, grauiſſimas pœnas dabit. Accipitur eñ numerus cert⁹ pro incerto, Quaſi dicat. Se-
pties grauior pœna puniet, q̄ ſi interficeret aliquē alium. Et Leuit. 26. cap. Septuplum
ſeptem uicibus: id eſt, grauiſſimis pœnis adficiam uos. Et in eodem capite, Addam pla-
gas ue-

gas uestras usq; in septuplum. Id est, multiplicabo plagas uestras septuplo q; graviores pœnas immittam in uos.

¶ *Sepeliri*, est alicubi mundo renunciare, Rom. 5. cap. Consepulti ergo ipsi sumus per baptismũ in mortẽ. Quæ sane allegoricos per similitudinẽ dicũtur. Nemo enim illi corporaliter cõsepelitur, sed mente duntaxat, tum uidelicet cum mundo renunciat, Hinc

¶ *Sepulchri* nomine nihil aliud, nisi uita contemplatiua exprimit. Quæ quasi ab hoc mundo mortuos sepelit, dũ à terrenis desideriis suiceptos in initimis abscõdit. Ab exteriore quippe uita mortui etiã sepulti per contemplationẽ fuerant, quibus Apostolus dicebat, Col. 3. Mortui enim estis & uita uestra abscõdita est cum Christo in deo. Haud tamen inscius & actiuam sepulchrum uitam esse, eo quod à prauis operibus nos tegat.

Sepulchri præterea uocabulo intelligitur conditio mortuorũ Psal. 16. Nõ deseres animam meam, in sepulchro: id est, non ita destitues me, ut anima mea morti cõmedat. Nec permittes, ut sanctus tuus uideat foueam, id est, in foueam demittatur. Per Scheol enim quod sepulchrum significat, ut Psalmo 6. Statum & conditionem mortuorum, hoc est, inferos, scriptura trans nominare solet.

Sepulchri namq; nomẽ apud Hebræos uarium est. Nam Scheol. Bor. Scachath. Keba. His omnibus sepulchrum significatur, sed diuersa ratione. Schol quod sepulchrum uidetur semper patere, absumit enim omnia. Bor, quod effodiatur, sitq; fouea quædã. Scachath, à corrumpendo, Nihil enim non corrumpitur & dissoluitur, quod fuerit sepultum. Keber, item à fodiendo. Cum autem de statu spirituum nostrorum post hanc uitã, parum memoretur in ueteri instrumento, desunt et nomina eius. Satis nanq; habuit deus in eo præsentis uitæ rectam rationem præcepisse: quam si hic amplexi fuerimus, non poterimus non optime habere in seculo futuro. Vt igitur Latini, ab eo quod terra recõduntur mortui, ac ita infra nos ponuntur, Inferos dixerunt: ita & scriptura à sepulchro mutuato nomine, eorundem conditionem Scheol, id quod infernum reddunt, uocat, ut Iacob dicebat Descendam lugens Scheol, id est in infernum, ad filium meum, Gene. 37. cap. Et Numer. 16. ut supra de hoc nomine Infernus, auditum est. Sepulchrum ergo idẽ quod infernus, ut Psal. 139 clarissime apparet: Si conscendam cœlos, ibi tu: Sternã sepulchrum, ecce tu. Alludit ad id quod mortuis Scheol, id est sepulchrum, pro lecto est. Nam sepulchrum & infero, eodem nomine uocari, suprà expositum est. Scriptura his metaphoricis loquutionibus funes sepulchri, laquei mortis, torrentes Belial, funes mortis, non uulgaria et leuia pericula, sed talia in quibus pereundum sit homini, nisi diuina beneuolentia succurrat, exprimere uolunt. Psal. 17.

Sepulchrum patens, ut est Psalmo 5. explicat propheta his uerbis: Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant. Nam sicut sepulchra ideo aperiuntur, ut mortuos recipiant. Ita impij semper hiant, & nihil desiderant aliud, nisi interitum & perditionem aliorum. Hæc est charitas multorum Christianorum.

In Sepulchris habitare, est loco utiq; tetro ac fœtido à uate dicuntur habitare, Psal. 68. Quum rebelles, obstinati, increduli, penitusq; profligati in profundum malorũ deuenerint, contemnentes deum, propriamq; existimationẽ & salutem, hi in sepulchris habitant. Cuius sane rei, inde an dæmones illi qui apud Gadarenos in antris & sepulchris sua habebant domicilia, typus fuerint, sit iudicium penes Ecclesiam dei.

Sepultura in summa quietis ac sabbati symbolum habet. Non est autem aliunde nobis quies ueri sabbati, nisi in ea sepultura, quæ Christi sanguine parta est. De hac uide Rom. sexto capite.

¶ *Sequi*, interdum non solum pedibus sequi significat, ut Lucæ est 9. cap. sed adhærere & corde sequi ut Matthæus 8. cap. habet: Sequere me ut & Lucas scribit, est nimirum ire post Christum, & ipsum sequi, ut Apostolos uocauit, iussitq; se sequi. Et post se uenire: perinde esse, atq; comites eius esse, sectariq; perpetuo. Et cap. 4. Matth. Venite post me, Et ueni post me, idiotismus Ebræus est, pro eo est, quod est consectare me. sicut Heberis. 3. cap. Patrem uocabis me, & de post me non deflectes, quod perinde est, & me sectare. Ita Hoseæ 11. cap. Post deum ambulauit.

Sequi autem Christum, est conformẽ se Christo facere, Christo adhærere, eius dicta & facta diligenter obseruare, & obseruata quàm fieri potest proprijssime exprimere tã in dictis quàm factis. Præterea sequi Christũ, est Christo seruire apud Joan. 12. Sequi deum, est perficere mandata eius, Deut. 1. cap. Secutus est dominum. Perfecit ut iret post

dominum. Hebraismus, pro perfecit mandata mea sequendo me.

¶ *Serere*, est uerba prædicare, Esaiæ trigesimo secundo capite, Beati qui seminatis super omnes aquas.

¶ *Sermo*, λόγος Græcis est, quod Hebræis uerbū uel Dabar est. De quo Ioan. 1. In principio erat uerbum uel sermo. Certa ratione filium dei λόγον appellat, quoniam Dabar apud Hebræos rem, uerborum, rationem, causam comprehendit, augustioris & latioris est significati, quàm res uel uerbum Latinis. Significat den gantzen handel. Hoc idem λόγος Græcis est, uerbum, sermo, ratio, oratio, supputatio, ratiocinatio, consilium, &c. decretum æternum dei, consilium, sapientia dei, das ervvegen gottes, das furnemmen, der rhatt vnd anschlag die vveisheit gottes. Et hæc omnia competat in filium dei, erat inquit Ioannes, in illo, qui est principium omnium rerum.

Sermo pro re, Genesis 24 capite, Super sermone hoc, de hac re, id est, curauit se facturum quod petebat Abraham. Et, Leuitici octauo capite, Iste est sermo quē iussit, pro hæc res quam iussit, &c. Et 9. cap. Iste est sermo quem præcepit. Et Esaiæ 39. legimus, Nō erat Dabar, id est res ulla, quam Ezechias rex legatis Babylonicis non ostenderit. Et 1. Regum 21. Nam erat uerbum seu sermo regis urgēs, id est, negotium uel mandatū. Ité, pro iussu aut præcepto passim accipitur, cum custodire, aut transgredi sermonē seu uerbum domini, pro obseruare uel negligere iussa dei ponitur.

Sermo Domini ad Abrahā factus est, Genesis 15. hoc est, locutus est dominus Abrahæ.

Sermo egressus à domino est iste, pro hoc negotium à deo est, geriturq; diuino nutu, Genesis 24. capite.

Sermones complere, pro finire, Deuteron. 30. cap. Compleuitq; sermones, Id est, eandem Moses finem fecit recitandi populo canticum.

Sermo atqui eruditus apud Paulum loquutio est 1. Cor. 1. Nō erudito sermone, peregrinis reddatur crux Christi. Eruditum sermonē uocauit, quicquid nitet, quicquid ex sapientia humana enatum, multum habet probabilitatis, & elaboratæ eloquentiæ.

Sermo nequam seu uerbum iniquum, Psal. 64. appellat rem illam tristem et amaram, hoc est, factam, seu negocium uidelicet calumnias, doloso sq; captiones iampridem meditatas, demumq; turpissimo sanctas fœdere & confirmatas intelligit.

Sermo uerax apud Paulum, Col. 1. cap. De qua prius audieratis per sermonem ueracem euangelij. Quasi tu dicas ipsam ueritatem primam & indubitatam. Vnde consequens est eam fidem indubitatam, & uerā demum esse, quæ petita est ex uerissima prædicatione euangelij.

Sermo fidelis, pro certo indubitatoq;, superiori locutioni consonum. 1. Timoth. 1. Fidelis sermo, id est, certus. Hac præfatiuncula solet uti Paulus, rem certam & indubitatā dicturus, ut fidus ad rem quoq; referatur, pro indubitato.

Sermo dei non significat apices, literas, syllabas & uoces tantum, sed ipsam rem ijs significatam & annunciatam, fidem uidelicet & spiritum dei, Ioan. decimo septimo capite, Sermo tuus ueritas est.

Sermo crucis. 1. Cor. 1. cap. Id est, doctrina & prædicatio euangelij de Christo filio dei crucifixo, der handel, die predig des creutzes. Sermo ergo dei, pro sententia accipitur, Hebræi quarto capite, Sermo interdum pro habitu, Psalmo 90. Consumpsimus annos nostros ueluti sermonem.

Sermonem recedere, est obliuisci, Danielis 2. Sermo à me recessit, id est, oblitus sum. Eudoxius ait: Memoriam uisionis non habeo, neq; narrare possum.

Sermonis nomen nonnunquam in malam partem capitur. 1. Cor. 4. cap. Et cognoscam non sermonem istorum, qui inflati sunt. Id est, nihil moror eorum loquacitatem, Ir geschvvetz, sed uirtutem exigo.

Sermo dei apud Ioannem cap. 10 pro mandatis ac reprehensionibus ad iudices corruptos factis accipitur. Significat iudices ac magistratus, eosq; reprehensos à deo, uocatos esse deos. Si illos dixit deos, ad quos sermo dei factus, inquit, est. Subiectionem his uerbis iudicum & principum notat, & præcipientis dei maiestatem extollit.

Sermonem dei seruare, & manere in sermone suo, Ioannis 8. cap. Et mortem non uidere in æternum, nihil aliud est, quàm quod Ioannes capite 3. & 5. & 6. habere uitam æternam eum qui in se credat.

¶ *Serpentis* nomine, astutia uenit, sicut Columbæ uocabulo simplicitas, Matthæi 10. Serpens

Serpens prudentiæ ſymbolum eſt, ſicut Columba ſimplicitatis. Vult Chriſtus, ut ſimus ſapientes ad bonum, ſynceros ad malum. Item, Ne ſitis pueri ſenſibus, ſed malicia.

Serpens item, pro diabolo, Gene. 2. Serpens erat callidior cunctis animantibus. Itẽ, pro hæreticis & maledicis, Pſaltes, Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentes. Item, pro Impijs Matth. 3. Serpentes genimina uiperarum. Serpentis pectus, typus ſuperbiæ, uel tumidi cordis malitia, Geneſis, ſuper pectus tuum gradieris.

Serpentum adhæc luctus ſeu planctus, celebris eſt in ſcriptura in deſerto horribiliter eiulantium. Et ubicunq; in ſcriptura mentio eſt illorum, ibi uaſtatio, horror et luctuoſa miſeria ſignificatur, Micheæ 1. cap.

Serpens & Baſiliſcus in bonam partem interdum accipitur, non à proprietate malignitatis morum, ſed à uiolentia nocendi, & terrore quo hoſtes percutiunt Ozias & Ezechias, & apud Eſaiam 15 cap. Ozias uirga erat, hic flagellum erit. Ozias ſerpẽs Palçſtinis erat, Ezechias Baſiliſcus & præſter uolans. Ezechias futurus erat hoſtibus, tanquã Baſiliſcus uel Draco, cuius aſpectus letifer eſt. Aſpectu enim interficit Baſiliſcus. Draco autẽ uolans ardore ſuo fruges & uiridia adurit. Sic ait Eſa. 15. Quia de radice ſerpentis egredietur aſpis ſeu Baſiliſcus & fructus eius erit draco ſeu ſerpens uerus & uolans. Eadẽ figura Chriſtus ſe mortem & peſtem mortis in propheta Hoſea appellat. Eſt autẽ Gnome prouerbialis, qua ſignificatur res facile quidem mutari, ſed raro in melius.

¶ *Seruare* pro implere, Matth. 19. Si autem uis ingredi in uitam, ſerua mandata. Seruare enim dei mandata, ſi pro implere accipias, nemo illa ſeruabit: at ſi pro ſtudere illis ut impleas, ſeruant illa omnes pij. Neq; enim poterit uerbis dei ſe non addicere ſeruandis, qui ea dei uere eſſe, planè nouerit.

Seruandi uerbum, interdum pro fidere Chriſto ſumi uidemus, Ioan. 8. cap. Si quis ſermonem meum ſeruauerit, id eſt, ut certo mihi fiderit. Nam alioqui multi ſeruant uerbum etiam memoriter, ſed non fidunt.

Seruari hoc uerbum, Græcè σώζεσθαι apud Ioan. cap. 10. non eſt id quod integrum, & extra diſcrimen eſt, retinere & cuſtodire, ne in perditionem ueniat, ſicuti pecunia ſeruatur, ſed è perditione liberare & eripere: ſicut ex undis ſeruatus dicitur, qui ex undis ereptus eſt: quo ſenſu dictio hæc à Virgilio uſurpata eſt cum dicit, Seruatum ex undis Strophadum me littore primum Accipiunt. Sic dominus quum dicit (Per me ſi quis introierit, ſeruabitur. Et cap. 12. Ioannis, Pater ſeruato me ex hora hac) eos demum è perditione generis humani, quæ per Adamum introducta eſt, ſeruari ac liberari, qui per ſe in ouile dei ingrediuntur, reliquos uero in perditione permanſuros, dicit.

Seruare poſtremo ſermonem domini, Ioan. 14. nihil aliud eſt, quàm credere uerum & ſaluificum, eiq; toto corde ſtudere. Id certe & alias in ſcripturis ſeruare, & cuſtodire mandata dei ſignificat, quod uel ex illo Deut. 5. cap. intelligas, Audi Iſrael ſtatuta & iudicia ea, & ſeruetis & cuſtodiatis, ad faciendum ea.

¶ *Seruator* græcè σωτὴρ ſignificat ſeruare, liberare, cuſtodire, tueri, manu quaſi tenere, ut in uerbo ſeruandi oſtẽſum eſt. In unico uocabulo ſeruatoris cõtinetur fructus natiuitatis. Natus eſt Chriſtus, ut perditos quęrat, inuctos in peccatis mortiq; captiuos inquã ſatanæ, liberet ac reſtituat, liberatos in libertate filiorũ dei, in felicitate, integritate & beatitudine uera tueat, & cuſtodiat, Luc. 2. Quia natus eſt nobis hodie ſeruator, qui eſt Chriſtus dominus. Seruatores principes quoq; uocare Hebręis familiare eſt. Nã celebre hoc fuit illos primates, duces, beneficos ſeu ſeruatores uocare, ut in Euangeliſtis uidere licet, Luc. 22. Quales etiã Romani patres patriæ appellabant, dum id uirtute meruiſſent.

¶ *Seruire* pro ſacrificare, Exod. 10 cap. Quia ex illis accipiemus, ut ſeruiremus domino deo noſtro. Et Rom. 1. cap. Cui ſeruio in ſpiritu meo, id eſt colo: nam ſeruire pro colere & adorare frequens eſt ſcripturæ. Et Paulus ad Galatas 4 cap. Quibus iterum ab integro ſeruire uultis.

Seruiendi uerbo complectitur omnis generis cultus & religiones ſcriptura, ut exadducto loco Pauli apparet. Sic & hoc uerbo & Moſes in libris ſuis uſus eſt. Deos, inquit, non adorabitis, neq; coletis, non ſeruietis eis, ſed ſoli deo ueſtro. Hinc Seruitus, id eſt, cultus & religio, Exod. 12 cap. Et cuſtodietis ſeruitutem iſtam. Septuaginta τὴν λατρείαν, cultum. Item, pro opere, Pſalmo 103. Et herbam ſeruituti hominum.

Seruire deo autem, regnare eſt, Pſal. 2. Seruire deo quoq;, eſt ſe formare ad uoluntatem & nutum dei. Seruare diuitijs, eſt ſe formare ad diuitiarum imperium, Lucæ 16 cap.

Seruire

Seruire peccatis, est audire affectus carnis, & illis obsequi, hoc est, carne superari & indulgere genio, neq; à malo suo respiscunt, sed in uia peccatorum & impietatis infixi, do leredesierunt, ut est in Ephesiis Pauli Rom. 6. cap.

Seruire omnibus, est omnibus prodesse, seruire ad aliorum utilitatem, salutem ac necessitatem, Matthæi 20 capite.

¶ *Seruus et Seruitus* apud Paulum præsertim ad Galatas, est qui legẽ seruat, & non seruat. Seruat in operibus, uel timore pœnæ, uel amore commodi. Non seruat in uoluntate, qua mallet nõ esse legem, ac si iam intus odit iusticiam legis, quam fieri simulat corã hominibus. Seruare legalia non est malum, sed seruire legalibus.

Serui nomine quoq; Christus Iesus dominus noster est in forma humanitatis, iuxta propheram Esaiã: Ecce seruus meus, suscipiã eum. Seruus insuper doctor fidelis & prudens in ecclesia est, Matth. 24. Quisputas est fidelis seruus & prudẽs. Econtra doctor prauus & pseudopropheta, Matth. eod. capite, Quod si dixerit seruus malus in corde suo.

Seruus item est peccato obnoxius, iuxta Ioannẽ, Qui facit peccatum, seruus est peccati. Serui quoq; sunt pij & sancti, Ioel. 1. Super seruos meos & ancillas meas effundã de spiritu meo. Serui sunt itẽ & iusticiæ & peccati, iuxta Paulũ liberati, serui facti estis iusticiæ. Serui quoq; uocabulum in epistolis Paulinis ministrũ & cultorẽ denotat, adeoq; officium & publicã Pauli conditionẽ & personam, nec est uocabulũ cultus, quo quisq; priuatim sese appellare seruũ Christi posset, sed eius qui officio delegato à Christo fungitur. Sic ad Rom. 1. cap. Seruus Iesu Christi, uocatus ad munus apostolicum.

Seruus seruorum, modus quoq; est apud Hebræos loquendi. Quum enim famulum domesticum designare uolunt, hunc in modum loquuntur, Genesis 9. cap. Maledictus Chenaan seruus seruorum. Septuaginta παῖς δικέτης.

Seruum esse, est sub legis seruitute agere, Galat. quarto capite, Liberos ergo pronunciat & hæredes.

Seruus, nomen hoc quandoq; pro gentili sumitur, Hiere. in oratione: Serui dominati sunt nostri, id est, gentes seu gentiles.

Seruus differt à filio in scripturis, Paulus Rom. 8. in hunc modum. Filios esse, in quibus spiritus adoptionis est. Seruos esse, in quibus spiritus adoptionis non est. Sicut & Iulus Isaac hæreditatem patris consequutus, Ismael aliò ablegatus. Et Ioan 15 cap. ait: Iam non dicam uos seruos: nam serui nesciunt uoluntatẽ domini. Et quemadmodũ libertas Christiana proprie referenda est ad conscientiæ pacem & gaudium, ita & seruitus referenda est ad captiuam & intranquillam conscientiam, quæ est sine fide.

Serui postremo & Ancillæ pro sodalibus & domesticis ponuntur, Esaiæ 14. capite, Et possidebit domus Israel super terram domini in seruos & ancillas.

¶ *Sex alæ, Sex alæ*, Ezech. 1. Sex alæ sex alæ uni. Latinus ita dicit: unicuique sex alæ. In Hebræo non bis additur uni, uti apud Septuaginta, Sex alæ uni, sex alæ uni.

¶ *Si*, Hæc coniunctio hebraica אם non semper dubitationem aut conditionẽ significat, sed nonnunquam certitudinem siue affirmationem, imò iurantis coniunctio est interdum, ut Ezechielis secundo capite, At si illi audierint. Et sumitur apud Hebræos quando iurant, ut Genesis 14. cap. Si pro, non, & pro iurandi aduerbio utitur Moses. Et alibi in Psalmo: Si introibunt in requiem meam, id est, nõ. Et 3. Regum 18. Viuit dominus deus tuus, si gens sit aut regnũ: pro, non est, &c. Quod loquutionis genus & ipsum stomachum et apostopesin habet patheticam. Hoc est, cum indignatione negantis, et sub deuotione quadam pernegantis se illud quod petitur facturum. Si introibunt, &c. Si ita nunc est, Hebraismus est, pro, si ita fieri oportet, Genesis 43. & 28. Si fuerit dominus mecum, & custodierit me in uia per quam ego ambulabo, & dederit mihi, hoc est, quando quidem certus sum deum mihi adfore. Et quasi deprecatiuum est: nam prius dominum cognouerat si, pro: quia uel certe, Numer. 14. Si propitius fuerit dominus. Si complacitum fuerit domino in uobis. Vel si fauore suo prosequitur eos. Si amat uos. Aut, si, pro quia uertendum. aut, certe, hoc modo: Quia amat nos plurimum, uel: Certe bonam uoluntatem habet erga nos, propterea inducet.

Si non, etiam iurandi formula & uerbum est. Nam si, coniunctione pro nõ, seu aduerbio iurandi, ut suprà, utuntur Hebræi: ut dum dicimus: si non fecero, hæc & illa mihi obueniant. Sic Esaiæ 5. iurantis est: Si non domus multæ. Et cap. 14. eiusdem prophetæ, ꝓ eo aliqui Theologi Profecto posuerũt: Profecto sicut cogitaui, ita factũ est. Et Psal. 31. Si non

Si non posui & humiliaui animam meam. Hiere. 22. Si nõ ponam te in solitudinem. Et 1. Samuelis 14 cap. & 18. seu 19 cap. Et Ezech. 33 cap. Si non, pro certe & affirmat.

Si uult, id est, si eum fauore dignatur Matth. 27. Liberet eum, si uult eum, &c.

Si sic, ut quid ego? Hanc apoſiopesin sic absoluit noster Interpres.

Si sic futurum erat mihi, quid necesse fuit concipere? Genesis 25 cap.

Sic non facient, Genesis trigesimoquarto capite, Imò sæpius in Genesi, pro eo quod nos: Tale facere non licet.

¶ *Sibilus* uocabulum hoc aliquando stuporem, aliquando irrisionẽ habet, Ezech. 27. Negotiatores in populis sibilarunt super te. Et Hieremiæ 18. cap. Sibilos, inquit, seculi ponunt, id est, multo tempore illudendi gratia sibilum & ronchum uarium uiator expri mer. Sic 19 & 25 Micheæ 6. cap.

Sibilum & Sibilare, pro tuba sacra uerbi dei, & euangelica prædicatione Zachariæ 10 cap. Meum habebunt sibilum, ait dominus, & ex meo sibilo congregabo fideles & electos meos ex toto corde.

¶ *Sicli* nomine omne argentum (omnibus Rabbinis adstipulantibus) absolute, cuius in lege mentio fit, intelligitur. Siclus templi aut sanctuarij, Leuitici uigesimoseptimo capite, Ad Siclum seu mensuram sanctuarij. Id est, ad rationem sicli sancti. Siclus sanctuarij ualebat uiginti obolos: prophanus uerò decem tantum. Et Exodi trigesimo capite, Iuxta mensuram seu Siclum templi: uel, Iuxta Siclum sanctuarij. Hoc est, quo utebãtur in templo. Vide Iosephum.

Siclus interim in drachmam, interim in didrachmam, in sacris literis est translatus. Siclus autem aliud ponderis nomen frequenter omittitur ab Ebræis, quod & Latinis familiare est, Iudicum 8. & 17 cap.

¶ *Siccus* pro inhabitabili, Hoseæ 13. Ego cognoui te in deserto in terra sicca. Septuag. inhabitabili. Hinc Siccitas, inhabitatio.

¶ *Sicut*, hæc particula non semper similitudinem, sed & probationem & confirmationem in scripturis sanctis sonat. Sic de Christo dicitur: Sicut unigenitus à patre. 2. Cor. 1. cap. Quemadmodum & agnouistis nos ex parte. Scholia græca, καθὼς, id est, ἐπεὶ ὡς, hoc est, quemadmodum, id est, per quæ: non, sicut.

Sicut hoc tempore, locutio Hebraica, Numer. 23. Temporibus suis dicetur Iacob, & Israeli quid operatus sit deus. Vel: Sicut Hoc tempore dicetur. Id est, Simili tempore, siue posthac narrabitur quanta fecerit dominus pro Israele.

Sicut istud, Genesis 45. Tantundem pecuniæ & uestium mittens patri suo, addens ei asinos. Interpres recte adiectis pauculis uerbis declarauit quid uellent Hebræa, Sicut istud: id est, tot uestes, quinq; uestes, nummos triginta.

Sicut tu, sicut Pharao, Genesis 44. Tu es enim post Pharaonem dominus meus. Hebræus, Quia sicut tu, sicut Pharao. Id est, Pharao est similis tibi, & tu similis Pharaoni: hoc est, tu autoritate æquas Pharaonem.

Sicut particula, in hoc mandato: Dilige proximum sicut te ipsum, id est, sit æqualitas inter te & proximum, non augeas tua commoda cum illius incommodo, non premas eum ut tua existimatio crescat, &c.

Sicut in die quoq;, locutio est 1. Samuelis 2. cap. Incendetur sicut in die adeps. Septuaginta dicunt: Sicut consuetum est, iuxta præscriptum.

¶ *Signare* haud inuenustum uerbum interdum pro ungere sumitur, Ioan. 6. Hunc enim pater signauit deus. Signabatur enim qui ungebatur. Aut naturaliter ad formam patris sui (ut ita dicam) se esse formatum, Signationis nomine denotauit. Vide D. Augustinum Tract. in Ioan. 25. de obsignatione illa.

Signare itẽ pro cõfirmare, ut, 1. Cor. 9. Signaculũ apostolatus mei uos estis. ὁ γὰρ σφρα-γὶς, id est, sigillum in quo certa fides fiat apostolatus, quemadmodũ uulgatis etiã puerbijs, quod uehementer etiã certũ & indubitatũ, intelligi uolumus, id dicimus obsignatis literis testatũ. Et ad Rom. 4. Signaculũ σφραγῖδα, id est, signũ ac notã impressam. Nã fidei causa solemus obsignare, quod certum esse uolumus. Atq; ad hunc modũ obsignamus, quod ad tempus sepositum ac reconditum esse cupimus, suo loco depromendũ. Et 2. Cor. 1. Et signauit nos. Rursum pro confirmare fidem. Nam hoc uerbo significare solet rei certitudinem, uelut quum obsignamus instrumentum aut uas, atq; id mox explicat Paulus, indicans datam arram, quò certius esset promissum.

Signari

Signari & consummari peccata, idem est quod impleri mensuram peccatorum, Daniel. nono capite, Vt consummetur transgressio et signetur peccatum. Hæc D. Chrysostomus & Origenes.

¶ *Signa* sunt uel propria uel translata. Propria dicuntur, cum his rebus significandis adhibentur, propter quas sunt instituta: sicut quum dicimus bouem, intelligimus pecus, quod omnes nobiscum Latinæ linguæ homines hoc nomine notant. Translata sunt cum & ipsæ res quas propriis uerbis significamus ad aliud aliquid significandum usurpantur, sicut cum dicimus bouem, & per has duas syllabas intelligimus Euangelistam, quem significauit scriptura interpretante Apostolo dicens: Bouem triturantem non infrenabis. Signum autem quid sit, Vide D. Augustinum libro secundo de Christiana doctrina, capite primo.

Signorum adhæc aliqua sunt, quæ portenta dicimus, miracula scilicet supernaturalia & inusitata, quæ fidelium imbecillitatem nonnihil firmant, infideles excæcant, & in testimonium damnationis fiunt.

Signa sunt deinde usitata quidem, sed rara, ut Iris, cæteræq; impressiones non usquæ adeò uulgares. Sicut etiam usitatissima, ut Solis ortus, occasus'que, quæ ex Genesi signa esse patet.

Signa uerò pacti aut symbola, ut est in ueteri lege Circumcisio, & Agni paschalis manducatio solennis. In nouo Testamento: Baptismus & Eucharistia, siue memoria gratiarum actio, & commemoratio corporis Christi semel passi: admonent enim hominem officij. Et sunt testimonia damnationis his, qui non seruant, id quod sacratissimus ritus Sacramentorum, atq; institutio Christi saluberrima præscribit.

Signum externũ, pro re spirituali sumi uidemus. Nam sacræ scripturæ nõ infrequens est, quod Metonomyce, scilicet transferatur signationẽ ad signum. Illud iam cõfirmatum Gene. 17. Hoc est pactum meum quod obseruabitis inter me & uos, semen tuum post te. Circumcidetur ex uobis omne masculinum, & circumcidetis carnẽ præputij nostri, ut sit signũ fœderis, quod est inter me & uos. Infans octo dierũ circumciderur in uobis. Omnis mas in generationibus uestris, tam uernaculus, quàm emptitius circumcidetur. Primo uidemus hic pactum, siue testamentũ appellari, symbolũ testamenti, Circũcisionẽ metonymocos scilicet, Circumcisio testamentũ: transfertur enim signati nomen ad signũ. Secundo, uidemus idem signũ uocari signum fœderis, quod iam pactũ appellatũ erat. Tertio, est signũ eius fœderis, quod erat in deũ & Abrahã. Ergo infantes quoq; erant in fœdere: dabatur enim eis signũ, ut esset indicio eos perinde esse in fœdere atque Abrahã. Igitur & nostri non minus sunt in fœdere quàm isti. Nos enim sumus promissionis filij, ut ex Galatis patet. Quarto circũciduntur etiã uernaculi atq; emptitij: unde familiam quoq; uidemus adnumerari. Sic signum pro re signata Hebræi accipiunt.

Signa quoq; signatarum rerum nomina, ut dictum est, nomina accipiunt. Nam Circumcisio fœdus, sacrificia peccata, & peccatorum expiationes dicuntur: iuxta quam rationem & Baptismus appellatur purificatio. Baptismo enim attestatur deus quod ipse sua gratia cultores suos purificet et abluat ab omnibus peccatis. Sic uides lector, signa rerum quarum signa sunt recipere nomina.

Signa apud Matthæum capite uigesimoquarto, pro rebus insolentibus & miraculis accipiuntur, quæ non ipsum diem domini, sed iram potius in sceleratos non tam protendent quàm præsentem exhibebunt, sicut & signum Christi appariturum in cælo, de quo apud Matthæum.

Signũ intelligit scriptura & Apostolus ad Heb. 2. ni fallor, experientiã. Quemadmodũ eius quoq; usus est apud Dialecticos et Rhetores, qui pallorẽ, trepidationem, uestem sanguine cõspersas, signa cædis appellitãt. Ita usurparũt & angeli apud Lucã quũ dicit cap. 2. Et hoc uobis signum, inuenietis infantem, etc. Est autem Signũ cum aliud aliquid indicatur, per hoc quod uidetur, Lucæ 2 cap. Et in signum cui contradicetur.

Obsignaculũ uerò quod alicui rei seruandæ custodiæ traditur. Vel ubi aliquid claditur & non patet, Rom. 4 cap. Et signum accepit circumcisionis ob signaculum iustitiæ fides. Signaculum idem apud Apostolum est, (ut suprà expositum) quod confirmatio. 1. Cor. 9. Siquidem Signaculum Apostolatus mei uos estis in domino.

Signa atqui leuare interim dicũt Hebræi de quouis signo aut symbolo dando adaliquid designandũ aut annuendũ: interim uerò pro signum militare proferre aut proponere, ut

nere,ut milites nomina dent, Esaiæ capite quinto, Et signum dabit peregrinæ uel longinquæ genti.

In Signum, Deut.6. Quasi signum in signum. Id est,ut sint tibi uice signi & brachialis. Item, In signum esse. Id est,exemplo, Numer.26. Fuerunt in signũ, id est, exemplo aliqs filijs Israel non esse rixandum siue litigandum contra dominũ. Et Deut.28 cap.

Signum ponere in aliquo, Genesis 4.cap. Posuitq; dominus in Cain signum. Id est, dedit ei aliquod signum, quo indicaret ei, neminem eum impune interfecturum.

Signa sæpe pro miraculo ponuntur, genus pro specie, Ioannis 6 cap. Sic & Portentũ accipi pro miraculo & re quæ fit præter expectationem & rerũ penè naturam: quale illud est quod mortui ad uiuos redeũt, cæci uisum recipiunt, claudi saliunt & leprosi mũdantur. nõ herbis aut aliquo adiuti medicamine, sed solo uerbo curati. Signa per se nihil probant, maxime si scripturis contraria sint. Deuteron.13. Si surrexerit, &c.

Signum deniq; ponere in manum, est recordari, Exod.13. Signum in manu tua. Quũ quis enim alicuius rei uult recordari, pro signo ligat in manu sua filum.

Signa ponere, signa dare: pro, signa facere, passim occurrit in Exodo.

¶ *Silere*, Hebraice Damah, quale sit uerbũ uideamus. Dũ nãq; peccata omnia sunt, nemo queritur, nemo clamitat, nemo tumultuatur, omnia silent, Ita & dum metus omnia tenet, & uelut opprimit, æque silentiũ agitur. De hoc uerbo Psaltes mentionẽ Psalmo facit. Et silere, nihil aliud est, quàm agnoscentes contra quẽ sese efferat furor uester: nempe cõtra deũ ipsum, cœpto deterreamini, & quietem agite. Sic cum sancti Prophetæ tremendũ dei iudicium seu aduentũ prædicant: Sileat, inquiũt, à facie eius omnis terra: hoc est, metuens à maiestate eius, tota sese illi subdat, sesq; ab omni tumultu repugnandi iussis eius contineat. Ergo hoc primo significatu pro timere accipitur. Sic ait Dauid Psal.4. Loquimini in cordibus uestris super cubilia uestra, & silete. Septuaginta, Compungimini. Per Silere uel Tacere, permittere, negligere, quiescere significat & intelligit, Psalmo 28. Ne sileas à me, neue taceas à me. Recte enim, nihil facere, pro nihil loqui, dicit, quando loqui pro facere, scriptura passim usurpat.

Silere item pro quiescere & submisse agere, æquo esse animo, cessare, expectare. Nam Damah, hoc est, Silere, est quietum esse, tranquillũ, obedientem, non rebellare, nõ reluctari, non respõsare domino, Psalmo 65. Tibi silet laus deus in Zion. Et alibi: Dauid Sile domino, & præstolare eum. Et 2. Regum legimus dixisse populũ iudicibus, Nunc quare uos silentes estis, uel siletis, hoc est, cessatis, omittitis regem reducere, Exod.14. Dominus pugnabit pro uobis: uos autem tacebitis, id est, quieti eritis, Hic uerbũ Harasch ponitur, quod Ebræis tranquillum & quietum esse significat. Eodem significatu Marci 4. Sile, obmutesce: & conquieuit uentus. Et Matth.8 cap.

Tropo isto scripturæ significat id quod ponere impetũ, mitigare furorem, frenare animũ. Vnde et Hebrei sepulchrũ Dama, ab hoc uerbo silẽtio uocatur, quod ibi homo desinat, & totus in silentiũ eat. Hinc Silentes Latinis dicũtur, qui interierunt. Sic Esaiæ 30. In Silẽtio & spe erit fortitudo uestra, hoc est, si sileatis, quiescatis, impetum frenaueritis, tumultu abstinueritis, uindictam non quæsieritis, sed meam manũ expectaueritis, mihi causam tradideritis, Ecce tunc eritis fortes & uincetis, quia ego pugnabo pro uobis, uos silebitis. Hinc etiam & diuini prophetæ interdũ dominum Metalepsi describũt, quæ per silentium metus atq; metum incutiens potentia, ut suprà allegatum est, significatur. Zachariæ 2. cap. Et Hiere.8.48. Amos 8. Silere ad eundem modum accipitur.

Ex his locis satis liquet quid sit Silentium in sacris literis: nempe quod non tantũ ore seruatur, sed ipsa omnino patientia & quies contraria tumultui. Psal.62. Silentium pro patientia accipitur: Ad deum, inquit, silet anima mea, ab ipso salus mea. Id est, in silentio & patientia deum, eiusq; opem præstolatur.

Similitudinibus quomodo utantur Hebræi.

Christus Matth.23. taxat Pharisæos, quod id quod foris esset in poculis purificarent, intus ipsis immundis & impuris existentibus. Hisce uerbis in proposita similitudine perstat, et cũ hoc docet, quod proponit. Similitudo talis est. Sicut stulti sunt, qui pocula extrà mundant & lauant, intus uero non lauant, ubi tamen cibus & potus continetur: sic & uos stultissime facitis, qui omnia per hypocrisim & simulationem facitis, foris specioſi & sanctuali apparentes, sed intus estis pleni rapina, furto, cupiditate, &c. Videri uultis sanctissimi, iustissimi, deum timentes, sed nihil minus estis. At Christus non ita mani-

feste & expresse similitudinem proponit, sed artificioſe primam similitudinis partẽ ponens, in ſecunda parte doctrinam, & id cuius gratia parabolam aſſumpſerat, infert. Purgatis poculi patinæq; partem, cæterum intus plena ſunt rapina & intemperantia, &c. Statim antequam faciat ſimilitudinem, oſtendit, quid propoſita ſimilitudine, intendat, ſic Ioannis 6. cap. Qui edit me non eſuriet, & qui credit in me non ſitiet: Quia ſtatim in ſecunda parte indicare uoluit, quid per edere & potare uelit intelligi. Sic mos eſt Hebræis in ſimilitudinibus, ſic ſæpe apud Paulum inuenies adſumptas ſimilitudines, ſed ſimul docent etiam ſpiritualia.

Similitudinis nota ſæpe præmittitur, ut Geneſis 39. cap. ſcribitur: Iudas habitabit Leo, pro ſicut Leo. Et Eſaias: Accubabit aſinus, pro ſicut aſinus. Et Pſal. 11. Item, Et omittitur, Hiere. 46 cap. Et quemadmodum Carmelus, nota ſimilitudinis poſtrema eſt omiſſa, quod frequens eſt Ebræis.

Similitudo impropriȝ, dicitur prouerbium aptum ad alicui improperandum & exemplum maledicendi, Sapientiæ 5. Hi ſunt quos habuimus aliquando in deriſum, et in ſimilitudinem improperiȝ.

¶ *Similia.* Sed quoniam multis modis res ſimiles rebus apparent, non putemus eſſe præſcriptum, ut quod in aliquo loco res aliqua per ſimilitudinem ſignificauerit, hoc ei ſemper ſignificare credamus, Nam & in uituperatione fermentum poſuit dominus, quum diceret Matth. 16 cap. Cauete à fermento Phariſæorum. Et in laude, quum diceret Lucæ decimotertio capite, Simile eſt regnum cœlorum mulieri, quæ abſcondit fermentum in tribus menſuris farinæ, &c.

Duas igitur habet huius uarietatis obſeruatio formas. Sic enim alind atque aliud res quæq; ſignificat, ut aut contraria, aut tantummodo diuerſa ſignificent, Contraria ſignificet, quum aliàs in bono, aliàs in malo res eadem per ſimilitudinem ponitur. Sicut hoc eſt, quod de fermento ſuprà diximus. Tale etiam quod Leo Chriſtum ſignificat, ubi Apocalypſis capite quinto, dicitur: Vicit Leo de tribu Iuda. Significat & diabolum. 1. Petri quinto capite, Ita ſerpens in bono eſt. Aſtuti ut ſerpentes, Matthæi 10 capite. In malo autem: Serpens Euam ſeduxit aſtutia ſua. 2 Corinth. 11. cap. In bono, Panis: Ego ſum panis uiuus, &c. Ioan. ſexto capite, In malo autem panis, Salomon. panes occultos libenter editis, Prouerb. 9. Sic & alia plurima.

Cum uerò res eadem non in contraria, ſed tantum in diuerſa ſignificatione ponitur, illud eſt exemplo: quod aquã & populum ſignificat. Sicut Apocalypſis ſeptimo capite, legimus. Et ſpiritum ſanctum, &c. Vnde & illud: Flumina aquæ uiuæ fluent de uentre eius, Ioan. 7. cap. Etſi quid aliud atq; aliud pro locis in quibus ponitur, aquã ſignificare intelligitur. Sic & aliæ res non ſingulæ, ſed unaquæq; earũ non ſolum duo aliqua diuerſa, ſed etiã nonnunquam multa ſignificat pro loco ſententiæ ſicut poſita reperitur. Vbi autẽ apertius ponũtur, ibi diſcendum eſt, quomodo in locis intelligantur obſcuris. Neq; enim melius poteſt intelligi, quod dictũ eſt: Apprehende arma & ſcutum, & exurge in adiutorium mihi, Pſal. 34. quàm ex loco illo Pſal. 5. Domine, ut ſcuto bonæ uoluntatis tuæ coronaſti nos. Nec tamẽ ita, ut iam ubicunq; ſcutũ pro aliquo munimento geſtimus poſitũ, nõ accipiamus, niſi bonã uoluntatẽ dei. Dictũ eſt enim, Ephe. 6. Et ſcutũ fidei, in quo poſſitis, inquit, omnes ſagittas maligni ignitas extinguere. Nec rurſum in deo debemus in armis huiuſmodi ſpiritualibus, ſcuto tantũ modo fidẽ tribuere, cũ alio loco etiã lorica dicta ſit fidei. Induti, inquit, loricam fidei & charitatis. De quibus omnibus conſule D. Auguſtinum de doctrina Chriſt. lib. 3. cap. 25 & 26. Item, lib. 2. cap. 6.

Porrò ſatis eſt Tropo ſcripturæ in ſimilitudinibus in uno uel altero ſimilitudinem ſeruari. Sic Eſaiæ decimoquarto capite, Babylon non eſt cœleſti incendio exuſta ſicut Sodoma, ſed in hoc eſt ſimilis Sodomæ, quia ſicut Sodoma, diuina ira periit, ita & Babylon.

¶ *Simplex*, Hebraice Thom, ut Geneſis Et Iacob Thom, id eſt, ſimplex, innocuus, minime uafer & uerſutus. Hinc ſimplices: Pthom, qui omnem ſui curam prouidentiæ dei commiſerunt, poſita cuncta carnis uafricie. Hi ἀφελεῖς illi ſunt, quibus deus ſua arcana reuelat, Matth 11 cap. quorumq; ita curam gerit, ut grauiſsime ulturus ſit, ſi quis illos offenderit, Matthæi decimotertio capite, Pſalmo 116. Cuſtodit ſimplices dominus. Vnde ſimplicitas oritur, quæ uirtus pro innocentia, probitate, ſinceritate, integritate, & candore uitæ capitur, ubi nulla morum peruerſitas, nulla animi malitia & obliquitas, nulla

nulla hypocrisis: sed rectitudo & puritas uitæ est. 2 Corinth. octauo capite, Et Matthæ. decimo capite, Nam Columbæ non sunt uersipelles, subalæ, malæ, peruersæ, sed sine dolo, synceræ & innocentes.

Simplicitas 2 Corinth. 11. cap. ipsa fides est, non contaminata doctrinis aut uersutijs. De quibus & Apostolus ad Ephe. 4. Error enim uersutia se defendit, ueritas uero simplicitate gaudet. Ne corrumpatur, inquit Paulus, sensus uestri à simplicitate, quæ erat erga Christum. Quid sit simplex oculus. Vide suprà.

¶ *Simul* hæc uox in medio posita, ad utrunq; membrum seruit, hoc modo: Vacca & ursa pascentur simul, simul accubabũt catuli leonum, Esa. 11. iste locus patet simul pro subito, Esaiæ 1. cap. Et comburentur ambo illa simul, & non extinguens. Item, Simul hoc aduerbium multitudinem in unum collectam significat, ut Psalmo centesimo uigesimo secundo. Cuius participatio eius in idipsum, id est, Hierusalem associatur in simul cum omnibus, qui in ea sunt. Et Psalmo 34. Exaltemus nomen eius in idipsum, id est, omnes in unũ simul congregati. Et Psalmo 14. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, id est, omnes in unum sumpti.

¶ *Singularis* numerus pro Plurali frequens est apud Hebræos, ut Genesis cap. 1. Herbam uirentem, pro herbas uirentes. Sic pleraq; elata numero singulari re ipsa pluraliter exponunt & intelliguntur, ut Psal. 104. Dixit & uenit locusta, & brucus, cuius non erat numerus, Ioelis 1. cap. Residuum bruci comedit locusta. Psalmo 77. Attendite populeus. Exodi 13. Omne masculinum adaperiens uuluam, &c. Zacha. Oculus hominis, id est, hominum: Et cap. 7. Num flebo in mense? tanquam de uno loquens. Et perinde est, ac si multi orent & dicant: Exaudi deus orationem meam, id est, orationes nostræ multitudinis, id quod in Psalmis crebro occurrit.

Singulari numero sententiose loqui, uulgare est Hebræis: Hinc est quod Christus dicit: Qui amat animam suam, potius dixerit, quàm: Qui uitam suã plusquàm me amat. Econtra, quæ Pluraliter enunciantur, singulariter intelliguntur, Exod. 32 cap. de uitulo aureo: Fecerunt sibi deos aureos. Item, illi sunt dij tui, qui eduxerunt de terra Ægypti. Sic de latronibus dicitur, Matthæi uigesimoseptimo capite, quod domino insultauerint, quum tamen unus solus id fecerit.

¶ *Sinistræ* nomine aduersitas et infelicitas intelliguntur. Sic enim D. Augustinus lib. 1. Locutionis de Genesi disserit: Renunciate (Genesis 24. cap.) mihi ut redeam dextram uel sinistram. Per dextrã scilicet, inquit Augustinus, prosperitatem: per sinistram, aduersitatem significauit, id est, dexteram si concesserint, sinistram si non concesserint. Nam utiq; ea uia rediturus fuerat, quà uenerat. Quam locutionem scripturarum etiam cętera earum loca indicabunt: quia dextera nominatur in omnibus bonis, Sinistra in malis: siue felicitas siue infelicitas: siue iusticia, siue iniusticia: et aliquando dextera in æternis, sinistra in temporalibus. Hæc ille.

Sinistra ergo infelicitatis & miseriæ locus, quemadmodum Dextera, felicitatis & dignitatis est. Vnde ueteres pro dextra reposuere beatam uitam: pro sinistra perpetuam damnationem. Ita uerò & Dexteram dei dixerunt esse gloriam æternam. Sinistram, opprobriũ suppliciumq; perpetuũ. De quo uide suprà Sedere ad dexterã et sinistram. Certe Latinis perfrequentes sunt loquutiones petitæ à dextera et sinistra. Dicunt enim rem sinistrè cessisse: rursus rem dextre esse gestam, Matthæi 25 cap. Et statuet oues quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris.

Sinistra, pro ira ergo, Dextera pro misericordia sumi, clarum est, Psal. 7. A Sinistris & Dextris, hebraica locutio est pro undiq; ponitur semper, seu omni armorum genere. 2. Corinthiorum sexto capite, Sinistram ad gladium mittere, est latenter & maliciose per tutere. 2 Regum tertio capite.

¶ *Sinus*, Hebraico more, pro societate & fide & mente, Genesis 16. Ego dedi ancillã meam in sinum tuũ. Vnde Latini quoq; dicunt in sinum loqui, pro fidei alicuius credere. Item, pro inseparabili, Psalmo 78. Et redde uicinis nostris septuplum in sinum eorum. Ita duntaxat etiam Euangelista Ioan. 1. cap. hoc idiomate usus est, quum uoluit ostendere apud patrẽ unigenitũ, inseparabilẽ esse. Vnigenitus filius, qui est in sinu patris: ac si diceret: Inseparabilis & indiuisibilis ab eo est. Attamen deus non habet sinum, sicut nos habemus in uestibus: nec sic cogitandus est, sedere, quemadmodum nos, aut cinctũ esse, ut sinum habeat, sed sinus noster intus est.

Sinum ergo patris, secretum patris appellant. Vide D. Augustinum Tract. in Ioannē 3. cap. Quid est, inquit, In Sinu patris? In secreto patris, &c. Et insuper Cyrilliū lib. in Ioannem primo, capite uigesimosecundo.

In Sinu esse accipiamus, pro eo quod in arctissima coniunctione & amicitia esse, adeoq; esse à secretis & consilijs. Ita enim scriptura non uno loco utitur uocabulo Sinus. Quia ergo filius à consilijs & secretis est patris, potuit nobis explicare cœlestia mysteria, quæ alioqui nemo potuisset. Certe apud Latinos quoq; perinde dictū est: In Sinu, quasi dicas in pectore, nō in labijs aut fronte, quibus partibus uulgus cōsueuit prodere quod in animi penetralibus occultat. Etenim M. Cicero in epistola quadam ad Quintum fratrem, Mihi crede in sinu est, neq; ego discingor. Quibus uerbis promittit fidem silentij. Nam si quis discingatur, effluit quod sinui creditum est.

¶ *Sinus Abrahæ* autem sanctorum requies est, hoc est, fides in promissionem seminis, quo uniuersæ gentes benedicendæ inueniunt, ob illius uiri singularem fiduciam & probitatem, ita à Christo appellata, in qua fide, qui defuncti sunt, in Sinum Abrahæ translati scribuntur: sicut Helias, atq; quotquot coram deo innocenter per fidem ambulauerunt. Nam in fide Abrahæ, & benedictionis per semen Christum futuræ, quiescebant & quiescunt, nobiscum resurrecturi. Reliqui omnes in desperatione moriebantur, neq; reuertebantur ad patres & populum suum apponebantur aut colligebantur. Sicut & hodie omnes increduli moriuntur, horrenda morte detenti, quod ignis ille æternus per sententiam nouissimam ueniat super eos, Lucæ decimosexto capite, de diuite epulone ab angelis in sinum Abrahæ, nunc uerò appellatur Cœlum, domus patris æterni. 2 Corinth. quinto capite, Et 1. Ioan. 4 cap.

Sinus autem receptus est, & consortium. Nam qui fidem Abrahæ habēt, & operibus fide dignis sese declarant esse filios Abrahæ, illi excedentes ex hac uita, colliguntur in sinum in quo gaudet Abraham: & sicuti pueri in periculis confugiunt, & sese recondunt in Sinum tanquam in tutum & asylum parentum: ita nos quoq; fidem sanctorum patrum imitantes, ubi morimur in societatem ipsorum & in uitam quidē dei colligimur. Apparet hinc beatos societate coniungi cum omnibus sanctis in alia uita, & consortium hoc fore in deo iucundissimū. Hic enim uidebimus et audiemus Adamum, Noe, Abrahamum, Mosen, &c.

Theophylactus, sinum, inquit, Abrahæ uocat continentiam bonorum, quæ reposita sunt iustis, qui à tempestate huius maris ingrediuntur in portus cœlestes. Quoniam & in mari sinus appellamus loca portubus & quieti apta. Hęc ille. Ergo Sinus Abrahæ aliud non est quàm Portus salutis.

¶ *Sitire* uerbum pro concupiscere, Psalmo 62 Sitiuit te anima mea.

Sitire & Esurire iustitiam apud Matth. 5. cap. nihil aliud uoluit his uocabulis quàm ingens desiderium & modis omnibus exquisitissimum iustitiæ studium, id quod à iuste requirit. Hinc sitientes, qui egent, & egent iustitia.

¶ *Sitis* nomen pro omni genere egestatis uel penuria ponitur, Hiere. 48 cap. Et sedebis in siti, &c. Sitis quoq; pro quouis ingenti desiderio usurpatur, Apocalyp. 21. Et Psalmo 62 Quemadmodum desiderat ceruus, &c. Item, Sitis uocabulo interdum intelligimus defectum uerbi dei, & aridtatem quandam, et per aquam sitis illius extinctionem, ut in Esaia, Omnes sitientes uenite ad aquas. Sitis denig; aliquando pro luctu usurpatur, Esaiæ sexagesimotertio capite, Ecce qui seruiunt mihi, bibent. Vos autem sitietis, hoc est, lugetis, sicut Ebrietas pro gaudio animæ & lętitia mentis accipitur, Psal. 22. Et poculum tuum inebrians quàm præclarum est.

¶ *Sobrietatis* nomen. 1. Thess. 5 cap. referri debet ad animi puritatē & synceritatem: ita & Ebrietas ad omnes affectus & uitiorum furorem. Nam & Theophylactus, Ebrietatē uocat A postolus, inquit, non modo uinaticam illam, sed quæ ab quibusuis uitijs oritur temulentia, quæ ipsius naturæ limites excedit, mentemq; obtenebrat.

¶ *Societatis* appellatione pax, concordia, consensus, amicitia & fœdus, quo deo uniamur, ueniunt: ideo apud Ioannē in prima Canonica cap. 1. non substantia, sed amicitia & participatio intelligitur. Vt & uos, inquit, societatem habeatis nobiscū, & societas nostra sit cū patre & filio eius Iesu Christo. De qua in Corinthijs ita scripsit Apostolus: Fidelis deus per quē uocati estis in consortium filij ipsius Iesu Christi domini nostri. Itē, Societatis uocabulo eleemosyna designatur. 2 Cor. 8. Rogantes uos, ut beneficium & societatem

& societatem ministerij susciperemus in sanctos. Sic & eodem cap. χάριν gratiam, & beneficentiam, communionem siue participationem eleemosynam nominant.

¶ *Sordes* peccata in scripturis & inquinamenta passim per translationem dicuntur, Psal. 51. ardentibus precatur affectibus, scelera sua abstergi, seq; iniquitate probe ablui, plurimum enim fœdatum & deturbatum se sentiebat.

¶ *Sol* more scripturæ usurpat pro tempore prosperitatis & cõsolationis animæ, quẽadmodum uernacula lingua dicimus: Huic sol adfulget, splendet, hoc est, suũ gaudium uidit, gaudio perfusus est, compos factus uoti sui & feliciter huic omnia successerũt hodie. Adeò quod Sol significet lęticiã, gaudiũ, prosperitatẽ. Sic Psal. Per diem sol non uret te, neq; luna per noctem, id est, affulgente luce consolationis dei, non extolletis, nõ eris securus & negligens dei. Rursumq; aduenientẽ tentationis nocte, non deijcieris, nõ cades à tua fiducia in deum. Id est, neq; in prosperis neq; in aduersis turbari. Sic Iob dicit 31. Si uidi Solem quum fulgeret, & lunam incedentem clare, non est lætatum cor meum in abscondito. Est cupide intueri & præsentis lucis speciem appetere.

Solis nomen interdum pro tribulatione seu persecutione, Marci 4. Et orto sole aruerunt, id est, orta tribulatione, Et Cant. 1. cap. Quia decolorauit me Sol. Et Psal. 131. ut supra. Sic uidemus in scripturis & Solis ardorem & frigidam aeris plagam, ut ferme illa est quæ Boreæ subiacet, pro aduersis accipi legimus, ut Psalmo 45. A' noxio Aquilonis flatu. & ut in Canticis ostensum est.

Solis atqui uocabulum per allegoriam, saluator noster Christus est. Orietur nobis timentibus dominum Sol iustitiæ. Aliquando sanctorum à resurrectione ultima claritas. Fulgebunt iusti sicut Sol in regno patris eorum. Aliquando decor uirtutum & piorum operum. Sic luceat (Matth. 5. cap.) lux uestra coram hominibus, ut uideant opera uestra bona. Item, Sol sapientiam significat, & eius acumen.

In Solis conspectu. Locutio quæ. 2 Regum 12 cap. habetur, pro eo, quod dicimus: in publico, & est ἀπόφασις. Et in conspectu (inquit Nathan ad Dauidem) Solis, hoc est, in publicum protraham, & non patiar ab aliquo ignorari.

¶ *Solis obscuratio*, locutio est in propheris familiaris qua conscientiæ calamitates & adflictiones per Solis obscurationẽ & tenebras exprimere solẽt. Ioel. 1. 2. Hiere. 15. Ezech. 32. Amos 8. Mich. 3. Sic enim adflicta cõscientia, quæ supplicio diuino obruit. Etiã illumination per uerbũ domini omnia sunt lucida & illuminata, etiã ipsa mors et infernus: ita huiusmodi adflictionũ tenebris orbuto, omnia sunt obscura & tenebrosa, etiã ipsa meridies & clarus solis splẽdor. Iam & uulgare dictũ ferẽ: Nulla mihi stella lucet. Quo utimur, quoties significamus fortunã esse aduersam, nec uspiã nobis affulgere uel scintillam felicitatis. Sic Lunam obnubilari, mœroris indicium, ut apud Ezechielem. Et lunam non splendere, more prophetico, prędici horrendum iudicium dei super populos. Mat. 24. similiter per obseruationem solis, lunæ stellarumq; & similia: quæ eo capite prædicuntur, summas ultionis diuinæ tempestates significare, ut & Esaiæ 13. & 24. & locis alijs suprà allegatis legimus dei ultionem, nunc Iudæis, nunc alijs gentibus prædictam.

¶ *Solium & Sedes* in scripturis accipiuntur pro imperio & iudicandi potestate, quem admodum annotatur cap. 19. Geneseos. Lot sedit in porta Sodomæ.

Solium nullum esse, pro eo quod est, nullam misericordiam, seu nullã iustitiam esse Esa. 47. Non solium filiæ Chaldæorum.

¶ *Solennitas*, pro sacrificio interdum reperitur Malachiæ secundo capite, Sternis solẽnitatum uestrarum.

¶ *Soluere* in scriptura euangelistarum nonnunquam idem est quod explicare, ut Ioannis cap. 10. Et non solui potuit scriptura.

Soluere quoq; est prædicare euangelium, cui qui credit, solutus est à peccatis suis. Ligare contrã, est prædicare euangelium, cui qui non credit, ligatus est, Matth. 16. & Marci 16. Metaphora est, forsan ex eo mutuata, quod prophetæ Christi munus, per soluere uinctos peculiariter prædicant, Esa. 42. 49. 71. Et alibi: Vinctus ad pœnã iam tenetur, si solutur à pœna, iam liber est. Sic cum dominus dare uellent potestatem æterno iudicio obstringendi, uel eo liberandi, ligandi, soluendiq; uerbo, uti per translationem uoluit. Breuiter, soluere, est in ecclesiam recipere, & peccata remittere.

Soluere calciamentum, ut Exod. 3. habetur & Acto. 7. Iubetur Moses ut calciamenta de pedibus soluat, hoc est, carnalibus exutis affectibus in fide et animi integritate consi-

stit. Vide suprà fusius Calciamentorum nomen tractatum. Item Soluere deniq; calcia mentum, indicium est humilitatis, ut Matth. 3. Suprà quoq; tractatum est.

¶ *Solertes* uafri & cati homines dicuntur, qui suis tantum commodis student, nunquam sese totos exhibent, sed diuidunt, facie & uerbis beneuolos se profitentur, corde autem & re ipsa, sua tantum quærunt et curant. Ita ergo deum cerimonijs religiosi sunt huiusmodi, animo autem & omni reliqua uita impij. Ante omnia itaq; poscit deus, ut absit omnis fucus, ut totos & integros, nos tum ipsi, tum proximis addicamus. Talis erat Esau callidior & in suis negocijs magis catus & solers extitit quàm Iacob, qui uir innocuus, simplex, minime uafer & uersutus & à cura et prospectione dei in omnibus pendens, ut habet Gene. 25 capite.

¶ *Somni & Dormitionis* nomine rerum optata pax, tranquillitas bonis omnibus abundans quies designatur. Inter bona, quæ populo Israeli, si legem seruasset, dominus promiserat & hoc legimus: Dabo pacem, inquit Moses, dominus, & ad quietem iacebitis, nec erit qui exterreat. Ezech. 34. Habitabunt in deserto securæ, & dormient in saltibus. Et Hoseæ 2. Arcum & gladium & bellum conteram de terra, & dormire eos faciam fiducialiter. Sic Psal. 3. Ego me in lectum reponam, dormiam, excitabo me, &c. Synecdoche est, & summã significat securitatem. Nam qui ad quietem se ipsum componit, dormit: et cũ liber, nullo alio excitante euigilat: is nullis distentus curis, nulla est cõstrictus anxietate. Et in Psal. 41. In pace unà cum illis cubabo, & dormiã et requiescã. Summã tranquillitatem atq; securitatem denotat. Et Psal. 127. Sic dabit dilectis suis somnum seu bonorũ societatẽ cum quiete. Hic per somnũ, bonis omnibus abundantẽ quietẽ significauit. Hic Tropus & apud Gentes in usu fuit. Vnde illud iactat Prouerbiũ, Dormiẽtis rete trahit.

Somnum hinc receptissimũ est scripturæ appellare mortẽ, non tam ob id quod Somnus mortis imago est, quàm quod resurrectionis spes ita nobis adumbratur, & uelut spectanda proponitur. Sic Apostolus, 1. Thessal. 4. Nolo uos ignorare fratres de dormientibus. Et mox: Ita & deus eos qui dormierũt per Iesum adducet cũ eo. Hic & Dormitationis nomine, carnis mors ostenditur. Et Lucæ 8. Sed dormit. Mortẽ somnũ appellat, non propter corpus, nõ propter animã. Anima enim dormire non potest. Quod lux in sensibilibus, hoc mens est intellectualibus entelechia perpetua, hoc est, perpetua quædã & iugis operatio ac motus. Ne somno quidem dormit anima in corpore, quanto minus quum liberatur hoc terreno carcere. Dormire corpori, non animæ competit.

Somni uocabulum interdũ pro corpore negligentiæ, Rom. 13 cap. Hora est iam nos de somno surgere. Simili phrasi utitur, Rom. 12. cap. Abijciamus opera tenebrarum, hoc est, mala. Et contra Euigilare atque surgere significant opera bona, & quæ ex fide proueniunt. Dormiunt qui impure & in cæcitate cordis uiuũt. Similiter Ephe. 4. & 1. Thessal. quinto capite, ignauiam & infidelitatem spiritus denotat: Non dormiamus sicuralij inquit, non quod uetat somnum naturalem, sed spiritualem, qui infidelitas est, ex quo opera carnis proficiscuntur, quanquam & naturalis somnus, opus tenebrarum sit, si fiat ad uoluptatem atque eximia uentris implerione, ita ut luci, hoc est, fidei atque armis eius sit impedimento.

Somnum suum dormitarunt, locutio hebraica est, Psal. 76. hoc est, se in somnum mortis sensim inclinarunt, nec inuenerunt manus suas, hoc est, dum opus esset, non sunt eis præsto, nihil ualent illis efficere, quamlibet uiri fuerint bellicosi, & nemini non uim intentarint.

Somnum præterea frangi super eum, est perire seu perdere somnum, Danielis 2 cap. Et somnus eius factus seu fractus super eum. Hieronymus, Fugit ab eo.

¶ *Soporis* dictio similiter pro morte accipitur Psal. 3. Ego dormiam et soporatus sum. Christi mortem significari: Dormiui, inquit, mortis somno in cruce & in sepulchri gremio soporatus sum. Nam quemadmodum Christi mors, ita & iustorum sopor uerius, propter futuram resurrectionem dici potest, quàm mors.

¶ *Sororis* appellatione prosapia, familia, genus & cognatio etiamsi gradum sanguinis differant, uenit: ut, Genesis uigesimo capite, Vere, inquit, soror mea est, ex patre scilicet, hoc est, ex sanguine paterno, uerum interceſsit ex alieno sanguine mater. Item, pro nepte sumitur, Nam apud Hebræos, nepos uocatur frater, & neptis filia. Soror igitur mea est, id est, neptis ex fratre, neptis patris mei ex filio: non autem neptis matris meæ. Thare pater Abraham genuit Aran: Aran autem genuit

Saraq

Sarai. Ita Sarai erat filia: id est, neptis Thare patris Abrahæ. Soror Abrahæ fuit, sicut Lot frater eius. Dixit enim 13. Gen. Fratres enim sumus, quum Lot fratris filius esset. uide tropum Frater. Sororis nomen pro uxore reperitur, ut 1. Cor. 9. Sororem mulierem circumducendi. γυνὴ, Græcis non solum mulierem significat, sed etiam uxorem.

¶ *Sortis* nomine gratia dei dicitur. Psaltes, In manibus tuis sortes meæ. Sortes dixit, quantum ego, inquit Augustinus existimo, gratiam, qua saluati sumus. Quare sortis nomine appellat gratiam dei? quia in sorte non est electio, sed uoluntas dei. Hæc ille.

Sors item, pro hæreditate. Ephes. 1. Per quem in & sorte assciti sumus. Alludens ad partitionem terræ Chanaan typum hæreditatis æternæ. Præterea sortem nominauit, quod hæreditas sorte plerunq; diuiditur. Et Psal. 10. Impiorum sors, pars seu hæreditas, ignis & sulphur. Piorum uero uita beata, pars seu sors: hoc est, hæreditas eorum. Item, Sors exiuit: hoc est, cecidit. 1. Paralip. 26. Luc. 1. Funiculus distributionis.

Sortis uocabulo Hebræi utuntur quoq; pro qualibet regione & prouincia: nam Iudæi Chanaan sorte diuiserunt, ut patet Iosue. Sic enim dicunt Hebræi: Sors Iuda, sors Ephraim: hoc est, regionem, prouinciam sorte diuisam & Iudæ attributam, & eius terminos adiudicatos Iudæ & Ephraim. Sic Psal. 124. Quia non dimittet dominus uirgam peccatorum super sortem iustorum: hoc est super regionem seu terram.

¶ *Spacioſum* manib⁹ ,, p loco spacioso, Gen. 34. Et terra ipsa quidem spacioſa manib⁹. Septuag. Spacioſa aũt ecce est terra. Spacioſum mare dicim⁹: hoc est, littoribus ac ripis.

¶ *Spargere* in aera puluerem, hoc gestu rei indignitatem testantes Iudæi, quod scilicet dixisset Paulus se ad gentes esse missum. Act. 22. cap. Et puluerem iactare in aera, idem est. Vide Tropum Puluis.

Spargere quoq; cinerem super caput, est pœnitentiam agere, & signum luctus & pœnitentiæ. uide suprà in Saccus & puluis.

¶ *Speculator, Speculatio*, pro pastore & præsidente. Esaiæ 6. cap. Speculatores eius cæci omnes. Hoseæ 5. capite, Quia laqueus facti estis speculationi. Speculationem nanq; in his appellat, subditam multitudinem, cuius curam principes habere debent.

¶ *Sperare* pro confidere. Psalm. 2. Beati omnes sperantes in eum. Septuag. πεποιθότες. Nonnunquam pro timere uiurpant, quemadmodum Latini. Nahum. 1. cap. Et sciens sperantes in se. Septuaginta, timentes.

¶ *Spes*, pro perseuerantia interdum ponitur, & pro fide nonnunquam accipitur, ut fides pro spe. Siquidem ad Hebræos 11. finiuit. Fidem esse rerũ sperandarum. Et Ephes. Gratia facti estis, inquit, idq; per fidem. Ad Rom. uero 8. Si quidem, inquit, spe saluati sumus, & salui facti. Proinde si uerũ fateri uolumus de fide & spe, imò & charitate, eadem prorsus sunt, nisi quod incrementa unirei alia atq; alia indunt nomina. Hinc ad Corinthios. Nunc autem, ait, manet fides, spes & charitas: tria hæc, sed maxima in his charitas. Nam tria hæc complectitur una pietas & religio uera: neq; aliud sunt quàm ardens in domino cor. Verum natura præcedit fides, per quam cognoscimus cui inuitamur.

Sequitur autem spes, qua iam in cognita re duramus. At charitas: id est, amor dei, cognitionis & extendit se ad proximum quoq;, unde omnium latissime patet. Itaq; uides unã atq; eandẽ rem esse, quæ ex affectu & incremento uaria indipiscitur nomina. Eadẽ enim fides, iam spes, mox uerò charitas appellatur, quæ tamen una est pietas. Hæc copiosius, ppter eos tractauimus, qui rerũ diuinarũ ignari clamitãt, Spe seruati sumus, ergo non fide. Item charitati debetur iustitia, ergo non fide tantũ. Quasi uerò Paulus secum pugnarit cũ scripsit. Consumatio legis charitas. Et alibi: Perfectio legis Christus ad iustificationem omni credenti. Sic nodus fidei, spei & charitatis dissolutus est.

Spe deinde secundo loco per metonymiã uel metalepsim posuit pro re sperata. Nam spem Hebræi pro re quę speratur aut expectatur sępe accipiunt. Prouer. 13. Spes quæ differtur, cruciat animum. Porrò, inquit Paulus Ro 8. si uideat non est spes. Sic ad Ephes. 1. cap. Vt sciatis, inquit, quæ sit spes ad quam ille uocauit. Vsurpat enim spem, ut aliàs sępe pro re sperata. Heb. 6. Ad plenam spei certitudinem, accipitur pro eo quod speratur, pro Christo inquam, uitaq; æterna, per synecdochen. Et ilico: Vt proposita spe potiamur, pro fine, & pro eo quod speratur: hoc est, uita æterna.

Spe gaudere, est non præsentibus, aut temporalibus successu extolli, Rom. 12. cap. Spe gaudentes tribulatione, &c.

Sperare contra spem in spem, est sperare in misericordiam, quantumuis sentias peccatum, & fidere seu sperare in promissiones eius, ut Abraham sperauit in spem contra spem. Spes uitæ. Hebraismus est, nos spem uiuam dicimus: hoc est, in qua certo speramus, atq; securi sumus æternæ uitæ, quæ modo abscondita est, uel obducta, ut non uidentur, nec in præsenti, nisi corde per fidem perficitur. Sicuti Ioannes, scribit. 1. Ioan. 3. Nunc filij dei sumus, &c. Rom. 12. 1. Pet. 1 Spei dictio postremo pro fiducia. Psal. 77. ut ponāt in deo spem suā. Quid hic aliud sonat spes, quàm fiduciā. Psal. 146. Spei obiectum dei misericordiam facit, inquiens, Beneplacitū est domino super timentes eum & in eis, qui sperāt super misericordia eius. In summa, illa duo nomina, uidelicet, spes & fides adeò coadunata & cōiuncta sunt, quod ferè ambæ uoces pro eadem re accipiant, ut Psalmo adducto 77. clarum est.

¶ *Spina*, est conscientia. Psal. 31. Cōuersus sum in ærumna dum configitur spina. Et etiam Pharisæus. Matth. 7. Nunquid colligunt de spinis uuas. Item, uitæ curas, tum opum fallacias & quoduis genus peccati designat, Psal. 31.

Spinæ ad hæc & uepres sunt diuites, ambitiosi & principes, qui procliues sunt ad peccandum. Esa. 9. cap. Quoniam accensa est, quasi ignis impietas. Vepres & sentes deuorabit, & succendet in condensis syluam & conuoluentur, sicut superbia sumi. Et Lucæ 8. cap. magnas opes, honores & iucundas uoluptates spinas uocat Christus.

Spinarum porrò atq; tribulorum similitudine, malorum studium & malicia nocēdi sæpenumero exprimit, ut in Psalmis & alibi uidere est, &c.

Spinam postremo in manu temulenti esse, est seipsum lædere, suo se gladio iugulare. Prouerb. 26. Quomodo si spina nascatur in manu temulenti.

¶ *Spiritus*, Hebraice Ruah, uox est anceps & æquiuoca Hebræis, quæ non tam ad spiritum sanctum dei, quàm adflatum seu uentum refertur, nec spiritus & uentus in Hebræo non discernuntur, sed promiscue hoc uocabulo Ruah utitur scriptura, pro uento, spiritu, flatu, siue halitu. Esaiæ trigesimo capite: Spiritus uel flatus, pluuia inundans, &c. Nam aduentum irati dei ad iudicandum describit. Et Zachariæ sexto & decimo cernere licet. Et Gen. 1. cap. Spiritus ferebatur super aquas, Et Psaltes, Spiritu uiolento conterat eos. Et Ioan. cap. Spiritus ubi uult spirat. Psalm. 103. Emittes spiritum & creabuntur, &c. Nam Hebræi hoc uno uocabulo Ruah uentum, seu adflatum & spiritum exprimunt. Qua de causa ubi in scriptura ponitur Ruah, uentum & spiritum possumus intelligere, & è contrà. Veluti angeli coram dño stantes, eiq; ministrantes. Venti, siue spiritus appellantur, ut Psalm. 103. Qui facis angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem urentem. Et Hebr. 1. cap. Ministros tuos flammam urentem. Sic nomen spiritus in genere significat agitationem, aut naturam, seu uim agitantem, & obseruanda est uarietas in ipsis scripturis propheticis & Apostolicis, nec temere omnia dicta miscenda sunt, in quibus repetritur uocabulum spiritus. Sæpe significat, ut dictum, uentos, sæpe uitam hominis, sæpe motus, seu impetus hominum creatos, tum bonos, tum malos. Deus est spiritus: estq; hoc loco nomen commune Patri & alijs personis. Hic significat essentiam spiritualē: id est, uiuā, intelligentem, incorporeā, efficacem. Delectus igitur adhibēdus est in testimonijs colligēdis, ac prudēter iudicandū, ubi proprie loquatur scriptura de spiritu sancto, quē prædicat Euangeliū dari per Christū, ut sanctificet ac uiuificet corda nostra et quē ecclesia agnoscit psonā esse diuinā, uiuificātē et sanctificantē.

Spiritus quoque hac uoce utuntur Hebræi, uarie & in bonam & in malam partem, quemadmodum Germani uocabulo Beſs uel vbel. His enim nominibus seu uocibus omne infortunium, omnem calamitatē significamus. Et ferè Germani omnia incōmoda diaboli tribuunt. Sic Hebræi spiritus infirmitatis, ut est Lucæ 13. id est, ipsa infirmitas, hoc diutinum malum, hic grauis morbus.

Spiritus nomen præterea pro re nihili & uana, ut Esa. 26. Cōcepimus & peperimus spiritum. Spiritus seu uentus, pro indignatione sumitur. Iob 8. cap.

Spiritum contristari, est confirmare & testimoniū præbere spiritui nostro: id est, mēti siue conscientię nostrę. Rom. 8. cap. (Nam spiritus pro ipsa hominis mente sæpe in scripturis ponitur, &c. 2. Corinth. 6) quod & nos filij dei sumus, docet nos intus, persuadet nobis & certos facit nos filios dei esse. Et spiritum primo loco usurpari pro sancti spiritus dono & confirmatione. secundo autem loco, pro anima, siue mente humana, quum ille suis donis ditat, ducit & afficit. Et ilicò eodem capite ad Romanos: Et spiritus, inquit

quit auxiliatur infirmitatibus noſtris. Spiritum hoc loco uſurpari à Paulo pro fideli homine, ſeu fideli hominis mente, pro ipſa inquam fide, uel ſi ita libet, pro homine interiore, qui à ſpiritu dei bono inſtitutus carni repugnat, ut 7. ad Rom. Spiritus tamẽ: id eſt, fides animi fidelis auxiliatur infirmitatibus noſtris. Per ſpiritũ ſanctum fideles reddimur, ergo fidelem hominem ſpiritum appellat per allæoſim. Similiter Ioan. 11. cap. Et infremuit ſpiritu & turbauit ſemetipſum. Vſurpauit ſpiritum hoc loco quoque pro mente ſeu animo aut affectione animæ, adeoq; ipſo corde.

Spiritus namq; ſuprema pars intellectualis ſubſtantiæ: hoc eſt, ſuperior portio mentis, dei capax. Luc. 1. cap. Et ſpiritus exultauit, &c.

Spiritus item uocabulũ pro uano uerborum flatu. 1. Corinth. 14. quũ nemo aſſidentium audiat: id eſt, intelligat. Et eod. cap. Spiritum pro halitu. Spiritus, inquit, meus orat. Annotauit enim Eraſmus, Paulum hoc loco ſpiritum uocare uocem linguæ, mentem affectũ animi, Græce eñ legi πνεῦμα & νοῦς. Nec aliud eſſe ſpiritus meus orat, q̃ lingua mea ſonat pia uerba, ut intelligam⁹ id nec alijs ꝓdeſſe, nec ei magnopere q̃d ſonat.

Per ſpiritum Ioan. 3. afflatum ſpiritu ſſancti & cœleſtem operationem ſpiritus dei intelligit. Per aquam uerò cognitionem, charitatem, lucem cœleſtem, Erfriſſung, erlabung, erq uickung, erclerung der ſeelen.

Spiritus oris, periphraſis uerbi dei & uirturis eius: nam uerbum breue & conſummatum faciet dominus ſuper terram. Eſa. 11. & 1. Theſ. 5. cap.

Spiritus appellatione interdum intima & ſubtiliſſima quæq; in homine, qui comprehendit incomprehenſibila per naturam, ſi deus illuminauerit: aliud enim illic lumen non eſt, ſine quo in meris eſt tenebris & ignorãtia. Sunt aũt hæc in cõprehenſibilia quę inuiſibilia & æterna ſunt. atq; hic eſt domiciliũ fidei & habitaculũ uerbi dei, ut Heb. 4. Et ſpiritus cõpagum q̃. Et 1. Theſ. 5. cap. Deus pacis ſanctificet uos totos & integer ueſter ſpirit⁹ & anima & corpus, uide ſuprà in nomine Corpus & Anima. Ideo

Spiritus more Hebræo, nonnunquã ſumitur pro ſenſu cordis, & motu animorũ. Spiritu pauperes hi intelliguntur hoc loco, qui ſunt afflicti cordis, & turbatæ conſcientiæ, tum propter multas alias calamitates, tum præcipue propter iudicium peccatorũ, quod ſibi imminere ſentiunt. Luc. 6. cap.

Spiritus ad hæc pro ui & potentia Chriſti diuina atq; uitali. 1. Pet. 3. Mortificatus quidem carne, ſed uiuificatus ſpiritu. Pulchre aſſerens in morte Chriſti ſpiritum, id eſt, uitam conſiſtere mortalium Spiritus. 2. Cor. 3. ipſa euangelij & gratiæ dei prædicatio, quę uni Chriſto tribuit omnia, cæremonijs, legalibus, operibusq; atq; uiribus noſtris, nihil intelligitur. Sic apoſtolus non totam legem, neq; ſenſum legis Literã uocat, ſed ipſum doctrinæ genus totum quod ab illis tradebatur.

Spiritus interim nomen per antonomaſiam pro diuino ſpiritu ponitur. Mat. 12. cap. Propterea omne conuitium in ſpiritum non remittetur hominibus: Id eſt, pro uirtute & potentia, ſicut quum dicimus Apoſtolũ pro Paulo. Spiritus, Id eſt, ipſa deitas aut deus ipſe. nam hic pro diuino ſpiritu ponitur. Spiritus pro donis ſpiritus. 1. Theſ. ſpiritum ne extinguatis. Et 1. Corinth. 14. cap.

Spiritus immundus ſatan dicitur, quia ſua culpa datam diuinitus puritatem amiſit, & quoniam immunditia delectatur, immunditiã in mundo fouet & plantat, omnemq; perſequitur ſanctimoniam.

Pro dæmonibus accipere ſolet ſcriptura, ut Epheſ. 2. Iuxta principem cui poteſtatis eſt aeris, qui eſt ſpiritus agens in filijs contumacibus. Et inuaſit Saul ſpiritum nequam. Et in euangelio: Dum immũdus ſpiritus exierit ab homine, &c.

Spiritus pro anima hominis. Ioan. 10. cap. Poteſtatem habeo ponendi ſpiritum uel animam. Et ſpiritus reuertetur ad deum: id eſt, anima. Spiritus hominis eſt, ut illud: Auferes ſpiritum eorum, & deficient. Item, Animæ iumentorum. Sic Salomon: Spiritus iumentorum deſcendat deorſum. Spiritus, pro increpatione cœleſti. Vnde Dauid, Ab increpatione ſpiritus iræ tuæ. Aliquando ratio, quæ præſtat animæ: ut in Dauide, Spiritus & animæ iuſtorum benedicite dominum. Item, pro ipſo deo: ut, Deus eſt ſpiritus. Iñ ſpirituſſanctus hoc uocabulo denotatur: Spiritus aũt ſcrutatur etiam ꝓfunda dei.

Spiritus dei, interim pro ira, indignatione & excandeſcentia dei accipitur, Zachariæ 6. Et requieſcere fecerunt ſpiritum in terra aquilonis. & 4. cap. Spiritum iudicij. Et alibi, Non tu es qui meditaris ſpiritu duro interimere eos. Spiritus dei, nõ quo ipſe uiuit, ſed quem

ſed quem ſingulis diebus effundit in corpora, atq; idcirco ſuum appellat. Gen. 6. Et cap. 1. uentus appellatus eſt ſpiritus domini & ſpiritus dei: Id eſt, uentus magnus. Item

Spirituum deus. Num. 27. Deus ſpirituum omnis carnis: id eſt, qui nouit corda omnium hominum. Item ſpiritus furoris tui. Vel per flatum naris tuæ: Id eſt, quem emiſiſti, quia deus eſt autor flatuum & uentorum. Ideo dicitur naris eius: hoc eſt ab eo emiſſus.

Præſidium quoq; & auxilium dei uocari ſpiritum. Spiritus enim ante faciem noſtram Chriſtus dominus. Spiritus pro cura dei.

Spiritus pro ſententia dei, ut Eſaiæ 4. cap. Sufflante in eum ſpiritu dei: hoc eſt, ferente deo ſententiam.

Spiritus pro apparitione, ut ex Daniele 2. cap. conſtat. Et contritus eſt ſpiritus illius Græcus inquit, καὶ ἐξέστη τὸ πνεῦμα αὐτοῦ. Et exceſſit ſpiritus illius. ubi exponunt per ſpiritum phantaſian: hoc eſt, apparitionẽ, quod tenuior uiſio, quaſi uentus diſſolutus ſit. Interdum ſignificat reuelationem, ſeu dogma (metonymice) non ipſum tantum dei ſpiritum. 1. Ioannis 4. Et Paulus: Spiritus, inquit, prophetarum prophetis ſubiiciuntur. Poſuit enim ſpiritũ pro doctrina, ſenſu, & mẽte enarratoris. Ea mens & is ſenſus prophetis ſubiicitur. Si cui uel melius uel appoſitius ſit reuelatum, ille protinus mentem in melius mutet. 1. Ioan. 4. cap.

Spiritus ſapientiæ, Epheſ. 1. & reuelationis poſuit Paulus pro ſpiritu ſapientiam conferente & arcana dei nobis reuelante. 1. Cor. 2. cap.

Spiritũ malum miſit, locutio eſt Hebraica, Iudi. cap. 9. id eſt, ſimultatem & odiũ iniuit eis cacodæmon, domino iuſto iudicio permittente.

Spiritus conturbatus Saulis & operationes impediens liberas. primi Samuelis decimoſexto capite: Spiritus dei dicitur, quo aliquando dominus illum exercebat iuſto iudicio ſuo, ſed occulto.

Spiritum Paulus Gal. 3. accipit pro gratia ipſa euangelica in cordibus credentium arrabone ſpiritus obſignata. Carnem uerò pro ipſa lege & meritis humanis. Adeò inquit, ſtulti eſtis cum ſpiritu cœperitis, nunc carne cõſumamini. Secundum ſpiritum ambulare, uide ſuprà in uerbo Ambulandi.

Spiritu orare, eſt ſpiritu ſine halitu ac uerbis ſolũ orare: at orare mẽte, eſt ipſo animo precari & orationis mentem aperire. Spiritus ille uitalis, de quo Paulus Ro. 8. loquitur. Nã lex ſpiritꝰ, inquit, uitę, ipſa uiuificans, illa fidei uis, imò ipſe dei ſpiritus, quo donati, ſcimus, quæ per Chriſtum nobis donata ſunt, uita, redemptio, & ſanctificatio.

Spiritus uerò compunctionis durus eſt, inflexibilis, inobediens, repugnans uerbo dei, & quaſi ſpina compungens, de quo ſpiritu legat Lector locum Act. 7. cap. circa finem. Et uidebit eo ſpiritu ſignificari mentem, quæ ueritati non modo obſtrepit, ſed & miſere mordetur & pungitur, Rom. 11. cap. ſicut ſcriptum eſt, Dedit eis deus ſpiritum compũctionis, Ein heſſiger, vnruvviger, pynlicher, verbeerter, beuuerglicher halsſtarriger geiſt, der vvirt ab dem euangelio.

Spiritus rurſum fidei dulcis eſt & cõmodus, replet corda credentiũ gaudio & cõſolatione ineffabili. Spiritꝰ uerò cõpungens, qui mordet & exaſperat corda odio euãgeliũ, ut cordibus, auribus & oculis doleat audire aut cognoſcere euãgeliũ. Quo adfectu pro prie Phariſæi laborabant, ſicut deſcribitur in Act. 7. Sic corde uelut ringi ac rumpere ac fremere facit ſpiritus cõpunctionis. Nam increduli audiẽtes euangelium, compungun tur: id eſt, ringuntur & rumpuntur corde. Credentes uerò effundunt gaudio cor, & mi rificam dulcedinem ex euangelica conſolatione deguſtatam ſentiunt.

Spiritus uertiginis, peruerſitatum, mendacij, ſoporis, ſtuporis & huiuſmodi: eſt mirum deſtitutio à ſpiritu: hoc eſt, dono conſilij. Ezech. 16. Et Eſa. 28. Quoniam miſcuit dominus ſpiritum ſoporis, claudet oculos ueſtros. 3. Reg. ult. cap. Dedit ſpiritum mendacij. Qui ſpiritum uertiginis habent, non ſpiritum Chriſti poſſident. Sic Eſa. 19. Dominus miſcuit in medio eius ſpiritum uertiginis, & errare fecit Ægyptũ, ſicut errat ebrius & uomens. ſicut Rom. 1. cap. dicit Paulus: excæcatũ eſſe inſipiens cor eorum. Item, Tradidit in deſideria cordis eorum. Hanc pœnam minatur Moſes. Deut. 28. Percutiat te dominus amẽtia et cęcitate ac furore mẽtis, et palpes in meridie ſicut palpare ſolet cęcus, &c.

Spiritum mundi accipere, eſt humanam ſapientiam, ac diſciplinam accipere. 1. Cor. 2. cap. Nos uerò non ſpiritum mundi accepimus.

Spiritum

Spiritū sanctum accipere, nihil aliud est, quàm externo manifestari signo, quod dei fis, qui donum dei accipis. Act. 10. cap. Nam ipse Petrus postea cap. 15. Spiritum sanctum testimonium appellat.

Spiritus seruilis, est mens mala, dura, & intractabilis, quæ non pudore, uel monitis, uel amore recti bonique, sed minis & terrore coercetur. Est enim seruorum genus illiberale & improbum prouerbijs quoq; notatum, seruorū ciuitas. Ideo spiritus seruitutis, est affectus serui captiui erga dominum, non filij erga patrem, qui habent spiritum adoptionis: id est, adfectum filiorum. Faciunt enim serui metu pœnæ quod faciunt, qui metus odij causa est. Qui hunc spiritū seruitutis accipiūt, illi dicunt iterum esse sub lege, quia lex data fuit cum terrore. Exod. 19. De hoc spiritu Paulus loquitur Rom. 8. Itē,

Spiritus quoq; timoris dicitur, quia timorem incutit.

Spiritū atqui adoptionis accipere, Rom. 8. est libero ac hilari animo opera legis facere. Et quia hi aceperunt spiritum Christi, suauiter inclamant deum patris nomine. Id uerò inclamare, est securum & hilarē confidere de eo. Dicitur & spiritus libertatis, ingenui enim sunt, liberi & alacres, ultroq; faciunt quod parenti gratum esse sentiunt. Ita & generosa ingenia ultro ad uirtutes contendunt, à uitijs uerò abhorrent.

Summa, Omnis incorporea natura spiritus in scriptura appellatur. Vnde non Patri & filio, &c. sed omni rationali creaturæ & animæ congruit.

¶ *Spiritus sanctus*, est uirtus dei omniū uiuificatrix, ultrix, fotrix & consummatrix, cuius solius adflatu fit, ut deum & cognoscamus & amemus, similesq; tādem illi euadamus. Qui spiritus est arrabo & pignus gratiæ, & fert testimoniū cordi nostro dum clamamus Abba pater, Rom. 8. & 2. Corint. 6. Spiritus dei, & spiritus Christi, & spiritus eius, qui Iesum suscitauit à mortuis, idem est dicere.

Appellatur autem nonnunquā à donis suis: nam spiritus interdum naturā significat. Interdum uerò donum & operationem eius. Cum dicitur: Spiritus domini requiescet, significatur natura spiritus. Ita & spiritus dei dicitur spiritus patris, spiritus filij, spiritus uitæ, spiritus ueritatis, spiritus sanctificationis, segregationis, promissionis, consolij, fortitudinis: id est, spiritus qui adoptat, sanctificat, segregat.

Quid quod apud prophetas eodem nomine exprimitur timor & pietas? ut non sit aliud donum timoris, quàm id quod possit simul pietas ac religio dici. Et quoniā Christus non ad mensuram accepit spiritum, sed plenitudinem. de qua & nos, Vocat spiritum suum dicens: Quum uenerit paracletus, spiritus sanctus, de meo accipiet. Vbi uerò subditur spiritus sapientiæ & intellectus, & quod sequitur per spiritum dona & operationes intelligere oportet.

¶ *Spiritum sanctum* porrò dei & optimi patris adflatū atq; uiuificā aurā scriptura, nūc aquæ nomine, nunc ignis per metaphoram uocat, ut diuina omnia non nisi translatiue significamus. Nam quo & spiritus dicitur, sane trāslatio. Spiritus enim sancti in cordibus efficaciter operatis, totumq; hominem interna & inuisibili ui innouantis symbola sunt, Aqua & aer, siue flatus aut uentus.

Aqua enim abluit, purgat, innouat, refrigerat, rigat, & steriles aliàs mentes ad fructificandum pietate fœcundat. Esa. 44. Effundam super sitientē aquam, & flumina super aridam, &c. Hunc eundem spiritum & dominus noster Ioan. 7. cap. aquas uocauit. Esa. 12. Ezech. 29. Flatus res est inuisibilis, attamen efficax, immutans & quasi uiuificans, & in uita conseruans corpora nostra.

Ignis porrò propter uim & uehementiam. Totū namq; hominē purgat, immutat, accendit, & uigorem suppeditat, sordes peccatorū exurit, & in promouenda gloria domini prorsus ardentē reddit, accēdit atq; inuictū facit. Id quod in Apostolis plane apparet, qui spiritu donato ignita uerba loquebantur & inuicta, ut uix in alijs æque declarata sit illud Hier. 23. Nunquid non uerba mea quasi ignis, &c.

Cæterum & spiritus nomen, qua crebrius uocatur, eadem ratione, uis hæc dei habet, quod uentus & aura, quibus hoc nomen spiritus primo inditum fuit, res sint uisibiles quidem, & à crassitie reliquorum temporum remotiores, at miræ simul potentiæ & uirtutis. Quod & ipsum in die sancto Pentecostes clare significatum fuit, dum repente de cœlo sonus, tanquam impetu uenientis flatus uehementis &c.

Nunc σφραγίδα & obsignationem, quia eo discernuntur filij dei, à filijs diaboli, quique eum habuerint in æternum domini sunt, & eos certificat, confirmatque.

Nunc

Nunc Arram, quia de plena iustitia ac fœlicitate olim consequenda certificat.

Vnctio aliquando uocatur, quod sicut per unctionem olim sacerdotes & reges ad officia sua deputabantur, & toti idonei declarabuntur, ita ad uiuendũ & glorificandum deum, electi per spiritum dei instituuntur, & idonei non tam declarabuntur quàm efficiuntur. Vnde est illud. 1. Ioan. 1. cap. Et non necesse habetis, ut quisquam doceat uos, sed sicut ipsa unctio docet uos.

Oleum lætitiæ & exultationis uocatur, de quo Psalmo 44. Vnxit te deus, deus tuus oleo lætitiæ & exultationis. Vnde Christus ex Esaia. 4. Spiritus domini super me, eo quod unxerit me. Et discipuli Actorum. 4. cap. Iesum quem unxisti.

Paracletũ porrò dominꝰ cognominauit, id est, non tam consolatorẽ, q̃ exhortatorẽ & impulsorem. Nam missurum se illum pollicebatur, ut Apostolos omnia doceret, & à se dicta suggereret, ut testaretur de se, deniq; ut mũdũ argueret, utrũq; sanè in apostolis.

Digitus dei nuncupatur, hoc est, uis & potentia dei, ut alibi in tropo Digitus, ostensum est. Illo afflatu sanctissimo eiecerunt dæmonia apostoli, id est digito dei. Et Exo. 8. Digitus dei hic est.

Donum dei, deniq; uocatur ipse spiritus sanctus, quem effundit deus in corda suorum. Io. 20. & Rom. 8. Porrò spiritus sancti opera sunt in sanctorũ cordibus, fides, pax, gaudium. Sic dona spiritus sancti dicuntur, ut spiritus sapientiæ, spiritus consilij, ut dictum est. Vide D. Chrysostomũ de Spiritu sancto, de eius nominibus, & quomodo spiritus sit multiplex, ad Annomium.

Spiritus sancti officium & uirtus, est certificare corda de certa salute. Qui est arrabo ait Paulus Ephes. 1. hæreditatis nostræ. hoc est, uitæ futuræ hæredes. Obsignati estis, ait Paulus, quemadmodum tabulas obsignamus in pactis, &c. Hanc obsignationem quàlis sit, clarius explicans, Spiritus promissionis sanctus, inquit, illud est obsignatum, quo obsignati estis.

Promissionis autem spiritum, hoc est, promissum spiritum uocauit propter frequentia prophetarum testimonia: item propter amplissimas Christi de spiritu sancto promissiones. Notissimi sunt loci, Esa. 44. Ioel. 2. Ezech. 36. Ioan. 7. 15. & 16.

¶ *Spiritum suscitare*, apud Hagg. est confortare & animare. Et spiritum, inquit, Zorobabel suscitauit. hoc est, suo spiritu confortauit & animauit eos, qui segniores erant ac pusillanimes, deditq; eis intrepidos animos audendi & aggrediendi opus magna alacritate: hoc est, ut apud Paul. Spiritum non timoris, sed fortitudinis ac sobrietatis dedit.

Spiritus, primitias Christi tantum Christiani habent: nam quemadmodũ primitiæ frugum ac cæterarũ domino consecrabantur, quæ respectu totius seminis parum quid erant. ita & nos respectu gloriæ quæ nobis manet, primitias tantum spiritus Christi habemus, non decimas. Quia in hac uita non cõfertur perfectio & plenitudo spiritus. Ille interim mentes nostras tantum occupat, & cœpta est in nobis iustificatio non consummata. Habitamus etenim adhuc in carne impura, usq; dum corruptibile hoc induat incorruptionem, & efficiamur toti noua creatura, &c.

Spiritum quiescere super Christum, est in eo plene esse, non sicut super apostolos & propheras particulatim. Esa. 11.

Spiritus ueritatis dicitur, quia ueraces facit. Spiritu baptizari, est spiritu sancto ampliter donari, quo Christi iam simus, deum patrem inuocemus, & ad gratiã eius uitam comparare satagamus. Est enim in translatione baptismatis significata amplitudo & uis effusior spiritus sancti, qua quasi iunguntur atq; immerguntur, qui Christo credit.

Spiritum sanctum accipere, uariè in scripturis dicitur. uide suprà in tropo Accipere.

Spiritus pro anima. Zach. 12. cap. Et fingens spiritus hominis in eo. Spiritus feruor, quid sit in tropo Feruor, ostensum est.

Spiritus, summà significat uim arcanã & energiã, qua aguntur mentes si ad sancta.

Spiritus sanctus, spũs Christi & dei: si ad impia, spũs malus, Atis, diabolus & satan.

¶ *Sponsos*, maritos appellare: sponsas, uxores, loquendi scripturæ modus est. Sicq; ut etiam sponsum, uirum scriptura uocet, ac è regione uirum sponsum. Mat. 1. Iacob autem Ioseph uirum Mariæ genuit.

¶ *Spurcus*, pro ocioso & inutili. Eph. 4. Omnis sermo spurcus ex ore uestro ne procedat. i. superfluum & intempestiuũ, qualis scurrilitas est & fœde dictum. Vide Theoph. Stabi-

¶ *Stabilire* aliquem frumento & uino, pro donare aliquem abundantia omnium rerum, Gen. 27. Frumento & uino & oleo ſtabiliui eum: hoc eſt, donaui illum abundantia omnium rerum, eamq; illi imprecatus ſum à deo.

¶ *Stare* familiare tropo ſcripturæ, eſt permanere, perſeuerare, & in re aliqua multum eſſe, ut ſtare in uia peccatorum. Pſalm. 1. Et in uia peccatorum non ſtetit: id eſt, permanſit, perſeuerauit, ſed agnita peccati turpitudine, de uia peccatorum ad uiam iuſtitiæ ſtatim regrediuntur. Sic enim ſtare, pro diligenter obſeruare, nuſquam diſcedere. Apoc. 12. Et draco ſtetit ante mulierem. Stetit uerbum, emphatice accipiendum.

Stare enim plus eſſe dicunt Hebræi, quàm ire, & ſedere plus quàm ſtare. Sic leuius eſſe, obiter accedere placitis malorum, quàm animum in more inſtituto q; eorum ue lut ſtatuere & figere, & hoc minus, quàm ita illis ſe addicere, ut tanquam unus ex eis maliciam palam profitearis, &c.

Stare & pedem figere, eſt maius quàm ambulare, qui ambulat facile poteſt reuocari ab inſtituto. Verũ qui ſtat adeoq; pedẽ figit, illi iam placet peccatũ radices q; agit, & diffi culter ab eo euellatur, den hals ſtrecken. Et hoc Heliæ: Viuit dñs in cuius conſpectu ſto. Hoſ. 10. A diebus Gabaa ò Iſrael peccaſti. Ibi ſteterunt: hoc eſt, in eadẽ perfidia & malicia ſubſtiterunt, actis in altum impietatis radicibus quo minus dimoueri ſuſtinemus.

Stare, ire, uitę coniunctionem & morum cõſpirationẽ ſignificat, ut in allegato. Pſal. 1. Qui non ſedit, omnem penitus uerſutorum conſuetudinem, ſocietatem, conuictum, eõmertium q; denotat, & condemnat per metonymiam ſacræ linguæ peculiare. Et alibi Pſalm. 26. Non ſedi cum hominibus uanis, &c. Hic quiuis uidet, ſedere, ingredi cum malis poſitum pro conſpirare cum eis & ſcelerum inire ſocietatem. Obſeruauit Kimhi omnem hominis uitam eundo, ſtando & ſedendo peragi. Nam iacere ſub ſedere comprehenditur, quanquam etiam iacendo nihil ferè geramus.

Stare nonnũquam uerbum eſt caſtrenſe, aut forenſe. Qui enim bello capti ſunt hac conditione domum remittuntur, ut ſe ad certum aliquem diem ac locum pretio redemptionis ſtatuant, Das ſie ſich ſtellend. Gen. 30. Statueruntq; ſe coram Ioſeph. Item, Stare pro ceſſare. Gen. 29. cap. Et ſtetit parere. Item, pro tardare, differre, moram nectere capitur. Gen. 45. Deſcende, ad me ne ſtes. Item, pro manere. Exod. 9. Et nõ addidit ſtare.

Stare in fœdere, eſt acquieſcere fœderi. 4. Reg. 23. Populus oĩs ſtabat in fœdere. Noſter Interpres, Acquieuit fœderi. Idioma Latinis, ptritũ, quoties dicunt: Stare pacto, Stare ſub manu aliorum, ſeu conſtitutũ eſſe, eſt ad nutũ alienum regi ac duci. 1. Paralip. 23.

Stare ſuper anima: id eſt, pro ſe tuẽdo, dimicare aduerſus hoſtes. Eſter 9. Et non roborad ſtandũ: hoc eſt, ſtare nequiit. Quo tropo uix quiſquam alius u[illegible]lgatior. Stare cõtra ſanguinem proximi tui. Leuitici 19. cuius tropi is eſt ſenſus: Partes adeſſe occidentibus innocentem. Moſes autem prohibet: Non inquit ſtabis contra ſanguinem proximi tui: Id eſt non eris in cauſa quod occidatur proximus tuus. Hebraiſmus. Quaſi dicat, Non ſolũ non occides proximũ tuum, ſed etiam cædis illius cauſa non eris.

Stare à dextris, eſt potenter accuſare. Zach. 3. Et aduerſarius ſtabat ad dexterã eius: hoc eſt, iudicare humanitatem Chriſti, utpote innoxiũ, tametſi accuſet Satan. Pſal. 108.

Stare ad hæc à dextris cuipiam, eſt cauſam illius in iudicio ſuſcipere, illiq; patrocinari uel in conflictu contra hoſtem ſuppetias ferre.

Hinc ſumpta metaphora. Stare à dextris, idem eſt quod defendere, aſſerere, & eripere. Pſal. 16. Quoniam à dextris eſt mihi, ne mouear.

Stare Chriſtum ad dexteram dei in cœlo, & ſedere. Act. 8. Sedendi enim habitus regnantium eſt: at ſtandi ad occurrendum & auxilia ferenda accinctorum.

Stare coram filio hominis. Luc. 21. cap. eſt uincere affectus, & non ſuccumbere malis. Vel, eſt ſeruire filio hominis, & ſuccinctis lumbis operiri aduentum eius ut cum ipſo ingrediamur ad nuptias. Stare regnum, ſignificat florere, retinere potentiam non inclinatam. Danielis 11. capite. Stare inſuper interdum idem eſt quod in fide conſiſtere & firmum eſſe. Rom. 15. cap. Domino ſuo ſtat aut cadit. Inde calumnia Hebræis à ſtando dicitur, ſicut Latinis ſtatua. Et Rom. 5. cap. In qua ſtamus: Id eſt, firmi ſumus, & gloriamur nos cœleſtis gloriæ & uitæ æternæ eſſe participes.

Standi porrò uerbum pro accedendi, perinde capiunt, quomodo Græci παρεστῶτα Eſaiæ 47. Sta cum incantatoribus tuis, uel tum quæſo adeas auxiliares, & incantatores tuos. Sicq; per ſtandi uerbum, efferunt adire iudicem aut iudicio ſiſti.

Stare in iudicio, per metaphoram pro uincere iudicium, causamq; approbare accipiuntur. Latini uerò contrario huius utuntur, cadere causa, quanquam & Terentius dixit: uix steti, pro uix fabulam approbaui, id est uix approbatus sum à populo. Psalmo 1. Qui non stetit in iudicio. Standi seu Astandi quoq; uerbū Hebræis pro ministrandi uerbo usurpatur, Lucæ 4. Et astans super illam. Hinc Stare coram domino, schema est Hebraicum, pro ministrare, Lucæ 1. cap. Stans coram domino. Quasi dicat: Minister sum dei, astans ad iussum eius. Similiter Stare in conspectu dei. Vel. Stare ante dominum eiusdem speciei. Nam quoq; significat seruire deo: metaphora sumpta à ministris regum qui in conspectu principum consistunt expectantes mandata, quę simul atq; dicta sunt exequantur è uestigio: Vnde stare coram rege, Vel, In conspectu regum stare, est in aula uel regia regis aut principis esse: hoc est, regi ministrare & honestis fungi, puincijs. Prouerb. 22. Et Daniel. 1. cap. Et dimensum constituit illis rex, &c. ut quidam illorum stent coram rege. Gen 41. cap. Triginta annorū erat Ioseph, quando stetit coram Pharaone.

Stare enim est ministrorum. Angeli enim dicuntur stare. Hebr. cap. 1. hoc est, ministrare. Deut. 1. cap. Qui stat cōram te, uel minister tuus.

Stare contra aliquem, est resistere. Deut. 11. Nullus stabit contra uos, id est, nemo resistet uobis. Item, Stare pro habitare Hebræis. sic Exod. 8. Hebræus habet. In qua populus meus stans super eam. Sic Germanice dicimus, der stat zu Fryburg, zu Paryss.

Stare autem super speculam & custodiam mentis. Esa. 21. cap. est uigilare & custodire se ab omni inquinamento. Nam qui super custodiam stat, is mentem suam ab omnibus eam demigrare facit, custodit, maxime à uoluptatibus, à crapula, à diuitiarum congregatione, à fastu & ambitione, & à cæteris huius mundi curis. Cōmendatur hoc Tropo uigilantia, qua uirtute & concionatore opus est, ut semper sit sobrius mensq; sensum habitet, spectans quæ sit uoluntas domini, & quid reuelari uelit.

Stare super custodiam die ac nocte. Est perseuerare in prosperitate & aduersitate. Tim. 1. Vigila in omnibus obdura in persecutionibus. Sic & Hier. 13. cap. Stabis ante me. id est, imbueris prophetico spiritu. Sic Moses & Samuel steterunt ante me.

Stare super pedes. Ezech. 2. Est firmiter & imperio dei, & in quadam diuina stare super speculam, custodiā, ut suprà Stare in medio, est conuersari & surgere more scripturæ, id quod legis subinde, Surrexit propheta, &c. Mat. 24. Surgēt pseudo, ppheтę: id est, stabunt, in populo erigentur. Quem eīn surgere dicis, eundē significat & stare. Ira Deu. 18. dicit dominus, Excitabo uobis prophetam de medio fratrū uestrorum. Huc uiderur Ioan. respexisse, quum dicit: Stetit in medio uestri: id est, conuersatus est inter uos, non minus triginta annis, quem ob eius humilitatem non agnouistis. Stare super negotio, est, præfectum esse negotio, atq; hoc frequens est, quod standi uerbum pro accinctum esse, ad aliquod negotium ponitur & ministrandi, primi Esdræ ultimo capite. Stabit omne uerbum. Locutio est, Deut. 19. hoc est, accusatio ipsa erit stabilis & rata, si duo aut tres testimonium dixerint.

¶ *Statuere* uerba seu sermones, pro implere. Dan. 9. Et statuit sermones suos, quos locutus est super nos: id est, uerba sua compleuit, & ut minatus est, perfecit, nec iacere permisit. 1. Samuelis 15. capite, Statui uerbum domini hoc est, impleui iniuncta, delere Amalec super terram. Statuere atqui faciem, est auertere faciem. 4. Reg. 8. capite, Statuit q; faciem suam & posuit in confusionem. Statuere cultrum in gutture, est nihil decernere sine fide. Prouerb. 23. Et statue cultrum gutture tuo.

Statuere uota, pro rata habere, Num. 30. cap. Item, statuere legem, pro stabilire, pro implere & fulcire. Rom. 3. Mat. 5. cap. Legem domini statuere pro implere. Item, pro facere. Psalm. 37. Tu statuisti omnes terminos terræ. Septuaginta, fecisti.

¶ Hinc Cock, *Statutum* & legem Hebræis significat, sæpe tamen pro rei cuiusq; proprietate & natura accipi solet. Sic lunæ certæ uicissitudines. Hier. 31. Chock dicuntur. Et 31. Cœlorū & terræ certū ordinē eodē noīe uocat. Itaq; partē legis, quam Sophonias 3. instare iudicat, statutā ac decretā ultionē de populo Iudaico sumendā, intelligent Theologi. Quum uelut quisquiliæ dispellendi erant. Antequā ergo hæc lex, hoc decretū executur, & ultio iam de populo ista exitialis sumatur. Propheta hortatur ut resipiscāt, & seleuelut dispersas uentisq; expositas paleas colligant: hoc est, ab impietatis dispersione, & toto pectore diuino uerbo addicant. Statutū ppetuū in generationibus uestris. Leuit. 23. ritus iste erit uobis perpetuo obseruandus quocunq; tempore dixeritis. Statuo

Statuto mundi, pro statuto sempiterno celebrabitis, Exodi. 12. In Statutum iudicij, id est, in statutum sanctum, lege & statuto perpetuo, Num. 27. cap.

¶ *Stathera*, pro iustitia. Hos. 12. Chanaan in manu eius stathera. Stathera Christus est qui ad pensandum uitæ nostræ meritum uenit, ut secum iustitiam simul & misericordiam derulit. Hiob 6. cap. Vtinam adpenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas quam patior, in stathera.

¶ *Stellarum* nomine præfectos ecclesiarũ significari intelligimus, ut Apocalyp. cap. 1. & 12. apparet. Et habebat in dextera sua stellas septem. Et Danielis 12. capite. Stellarum quoq; nomine filios Israel significari, ex pollicitatione Abrahæ facta, Genesis 15. capite adparet. Item ex Ioseph somnij interpretatione, eiusdem 37. Insuper ex Mosi dicto, Deuteron. 1. Estis hodie sicut stellæ cœli plurimi. Apocalyp. 12. cap. Stellarum significatione Apostoli denotantur, Apocalypsis, Et in capite eius corona stellarũ duodecim.

Stellarum appellatione filij deorum uocantur, Iob 28. quòd hæ inuitentur ad laudandum deum. Filij deorum, pro filijs potentum & magnatum, Psal. 29.

Stellarum autem casus, clarorum uirorum ruinam scriptura stellarum casum appellat. Tale quædam & Ezechiel uigesimo sexto contra principem Tyri dicit. Et Esaiæ decimo quarto capite, Quomodo cecidisti è cœlis Lucifer, &c. Loquitur autem de casu Nabuchdonosor, cuius mortem comparat ruinæ Luciferi, stellæ matutinæ & excisioni proceræ arboris. Quasi dicat. Nihil talium tibi euenisse oportebat, qui in terris similis eras Lucifero, quam stellam nemo è cœlo detrahere posset.

Stellæ postremo dicuntur libro Iudicum cap. 5. pugnasse aduersus Sisseram, faciem prouerbialem habet, significans uullam prosperam fortunam à parte Sisaræ stetisse. Nam quoties etiam nobis nulla fortuna arridet, dicere solemus, nulla stella mihi lucet, aut stellæ etiam mihi resistunt, quo significamus, omnes creaturas, tam terrestres, quàm cœlestes nobis exitium minari.

¶ *Stillare* usurpat Hebraismus non raro pro docere, eloqui, prophetare, concionari & prædicare, Sicut ferè eadem figura pluuiam scriptura uocat doctrinam. Psalmo sexagesimo sexto, Pluuiam fœcundam segregabis deus hæreditati tuæ, Vbi loquitur de doctrina Euangelij, per Apostolos in mundum uulganda, Amos capite septimo, Tu dicis: Non stillabis super domum idoli. Nam uerbum dei stillis comparatur, Deuteron. 2. Et Micheæ capite 2. Ne stilletis, imò stillabunt. Est enim usitatum quod uerbo Nataph stillauit, utuntur pro docere. Esaiæ 2. Ezechiel. 21. usus est. Ebræis est, dura & acerba increpatione profundere, ut Græcis & Germanis, Mit besen vvorten beschutten: uel, Stillare prophetas dicitur, quod non totam dei iram inferant, sed paruas stellas commina tione denuncient.

Hinc stillicidium Hebraico quodam idiomate eloquium prædicandi dicebatur, ab eo q; fluat, & ad aures perueniat audientium, ut in Michea clarum est: Ne stillando, inquit, stillent: hoc est, prædicando prædicent, uel loquendo loquantur.

¶ *Stigma* Græca uox, significat aũt notam impressam, seu punctum. Ad Philip. agapen uocat, solent enim serui notari à dominis, ne quis alienus illos pro suis posset asserere. Stigmata Apostolus plagas & uulnera tum ad prædicationem, tum ob Christum appellat: Gal. 6. cap. Ego enim stigmata domini Iesu in corpore meo porto, hoc est, stigmata & uibices acceptas è uinculis, lapidatione & uirgis ueluti certissima argumenta profero, quod fidelis sim seruus Christi, cur ergo non creditis, & mihi non minoribus aut ignobilioribus notis illustri?

¶ *Stilus* hominis. Esaiæ 8. cap. Et scribe illorum stilo hominis: id est, manifeste quo omnis homo possit illud legere.

¶ *Stimulus carnis*, carnalis tentatio est, apud Paulum 2. Corinth. 12. cap. Nam solet Apostolus uexationem carnis stimulum uocare: siquidem stimulus sit quod pungat & adfligat. Neque est hic stimulus carnis, quo ipsa pungit, sed quo pungitur. Ad hæc Græcum exemplar habet, σκόλοψ τῇ σαρκὶ. Stimulus carni: id est, stimulus carni paratus, uel carni appositus: quod significamus adiunctum esse, quo adfligat, uel contineat. Quasi uoluisset Paulus dicere, quemadmodum solet indomito cani, palus ligari à collo, urso circulus includi naso, equo frenũ immitti in os, porco destinari palo fauces, ne scilicet uel nimium currant, mordeant, ferociant, aut lasciuiant: ita & mihi usu uenit, qui habeo in meo corpore stimulum: id est, alligatum grauem & molestum palum, ne fero-

ciam ſcilicet,aut ſupra quàm par eſt me attollam.

Theophylactus per ſtimulum carnis intellexit ueneris incitamenta, qui bus maxime fuerit obnoxius,ſed pericula,uigiliæ,carceres, uincula, itinera, labores in ſacratiſſimo corpuſculo non ſinebant impuros laſciuire affectus.

D.Hieronymus epiſtolam Pauli ad Galatas exponens refert quoſdam ſenſiſſe ſtimulum hunc fuiſſe corporis aduerſam ualitudinem,eſt quod Paulus crebro capitis dolore ſolitus ſit adflictari. Alij fuerunt,de quorum numero Aquinas eſt, annotante Erasmo,qui exiſtimarunt Paulū morbo laboraſſe iliaco.Reuera σκόλοψ palus præacutus eſt, hic metaphorice accipitur pro aduerſitate ſubinde excruciante carnem totumq; Apoſtoli corpus.

¶ *Struthionum* & Draconum nomine malicioſorum hominū uita exprimitur, Hier. 14.Traxerunt uentum quaſi dracones,Iob 30.cap.Frater fui draconum & ſocius Struthionum.Struthio pro ſimulatore ſolet poni. Struthionum & Draconum luctus celebris in ſacris literis in deſerto horribiliter eiulantium.Et ubicunq; in ſcriptura mentio eſt illorum,ibi uaſtatio,horror & luctuoſa miſeria ſignificatur. Micheæ capite 1.Sic Eſa. 13.uſus eſt ſimilitudine Draconum & Struthionum in deſertis ululantibus. De uaſtatione Babylonis capite trigeſimoquarto, De uaſtatione regni Edom Hier. Thren.4. De uaſtatione Hieroſolymorum,&c.Sic & Micheas oſtēdit uaſtationē regni Iſrael & Iudæ per Aſſyrium futuram.Ideo plangam & ululabo, incedam ſpoliatus & nudus, planctum edam,qualis eſt draconum , & ſicut Struthionum pulli eiulabo . unde ſuprà in nomine Dracouis.

¶ *Studia* accipiunt etiam Latini in malam partem ſæpenumero, pro factione,ſurrijs & conuerſationibus, pro audacibus & peruerſis conſilijs, adfectu & negotio cui quis deditus eſt.Eadem forma & Hebræi,Pſalm.13. Hierem.7.& 18. & 21.& 44.Similiter ſtudiū & ſtudia Dauid Pſalmo nono, quod crebro & ſine intermiſſione ſumma cum diligētia exercetur : & ſtudioſum uocant,qui rei cuipiam irremiſſa diligētia incumbit.Pſaltes,Et ſtudia eius.Item,ſtudia pro uoluntate,ut Eſa.58.cap.Ecce quum ieiunatis,manent ſtudia ueſtra,&c.

¶ *Stultus*, ſeu Stultitia Hebraice Nabal. Verum non quamlibet ſtultitiam, ſed quæ ſit cum ſcelere coniuncta,hoc nomine ſignificat. Nam dicitur Nabali uitium oblatum Dinæ filiæ Iacob,Gen.34.Stuprum uirginis.Deut.22. Sacrilegium ex anathemate Hiericho,Ioſue 7.capite,Scelus admiſſum in uxorem Leuitæ,Iudicum decimonono capite,Vis illa pudicitiæ,quam perditæ nequitiæ & peruerſitatis facinora fuere. Hinc Abigail de uiro ſuo,qui durus & malitioſus erat,dicebat:Iuxta nomen ſuum ſe habet,Nabal uocatur & nequitia & peruerſitas cum eo. Sic & Hoſeæ 2. capite, Et nunc reuelabo perditam ſuperſtitionib⁹ & alijs uitijs uitam eius,coram oculis amatorum eius. Vrigitur folium,cui ſuccus ei defecit : item cadauer, eo quo exceſſerit uita, Nabal dicitur,ſic puto & nihili hominem,cui deſint recta ratio,ueræ uitæ ſuccus,Nabal nominare. Ideo ſtultos ſcriptura appellat,qui plane impij ſunt:hoc eſt, quibus deus curæ non eſt, quem admodum Nabal erat ſtultus & lapis & planè impius.Et Hiob quinto, Ego uidi ſtultum radicem mittentem. Hic impios intelligit, quemadmodum è regione ſapiētes pro pijs accipit.Et Moſes Deuteronomij trigeſimoſecundo, Sapienti opponitur populus Nabal.id eſt,ſtultus & non ſapiens,Pſalm. decimoquarto.Hinc Stultus etiam pro ſignauo & ignobili quolibet,2.Samuelis 3.Num Abner morte ſtultorum morietur.Alij pro impio & nequam exponunt.Et Hieremiæ quinto capite, pro ignobili. Forſitan pauperes & ſtulti ipſi,unde Apoſtolus 1.Cor.1.cap.dicit ſtulta elegiſſe dominum non claro genere natos.Similiter Rom.1.cap.pro imperito:Sapientibus & ſtultis:hoc eſt, imperitis.Sic & pro ſimplicibus & incautis capitur Eſaiæ 35 cap.

Stulti dictio pro diuite:nēpe,qui ſuis fidit diuitijs,Prouerbiorum decimono, Melior eſt pauper,ambulans in perfectione ſua,quàm peruerſus labijs ſuis & ſtultus.

¶ *Stultitia* hinc ſummum ſcelus Hebræis ſignificat. Hieremiæ uigeſimonono cap. Quo ſtulte peccauiſſent Iſrael,Ioſue 6. Et quia fecit ſtultitiam cum Iſrael. Septuaginta ἀνόσιμα, flagitium.1.Corinth.3.cap.Etenim ſapiētia mundi huius,ſtultitia eſt apud deū hoc eſt,impietas.Stultitiam ſupremum eſſe malorum omnium,in Paradoxis Tullius diſputat.Item ſtultitiæ nomen pro immundicia & idololatria Hoſeæ 2. Et nunc reuelabo ſtultitiam eius in oculis amatorum eius.

Stulti-

¶ *Stultiloquium*, μωρολογία, est non eorum modo, qui aliqua narrant turpia, ut risum moueant, & fatuitate simulata magis illudãt, sed etiam eis quibus placere desiderant, sed etiã eorum (ut ait Hieron.) qui sapientes seculi putantur, & de rebus physicis disputantes dicunt se arenas littorum, guttas Oceani & cœlorum spacium terræq; punctum liquidò comprehendisse. Germani uocabulo nostro prope assequimur Græcanicæ uocis uim locos appellantes, Narrente ding vnd narren vverck.

¶ *Subitum*, impudicum scriptura uocat ꝗd caro nõ pudet. unde Prou. 36. Vidi impiũ exaltatũ et eleuatũ, sicut Cedros Libani. Et 20. Extinguet lumẽ eius in medijs tenebris.

¶ *Subijci*, pro audire & morem gerere intelligit Paulus 1. Cor. 13. Subditi estote talib⁹.

¶ *Subinctiuis* & Coniunctiuis carent Hebræi. Item, Optatiuis, & Præsentis temporis Indicatiuis uerbi. Coguntur ergo ea præteritis, futuris, participijs, & imperatiuo sarcire. dicant itaq; Quur sperauí: pro, Quur quum sperarẽ, Esaiæ 3. Quur igitur me sperante. Ezech. 16. Agerem: hoc est, agere possem. Quia ergo carent Subiunctiuis ideo futuris loco eius utuntur.

¶ *Stuprum* uocant idololatriam Hebræi, seu Iudæi, more scripturæ, qua homo coniungitur illegitimo, dum non deo uero, sed dijs falsis subijcitur. Qui in hoc falsorum deorum cultu nascuntur, è stupro nati dicuntur, Ioannis octauo: Nos è stupro non sumus nati. Negant itaque se filij esse scortatoris ac stupratoris, eo quod deos gentium non colunt.

¶ *Subsannatores* in scripturis sunt, quibus uoluptas est contemnere uerbum dei & uidere, mentiunturq; omnia sub iudicio, & sunt uel Pharisæi uel gentes. De quibus Psal. 139. Vel qui deriderent, & quibus uerbum stultitia est, & qui iustitiam & sapiẽtiam dei contemnunt. Prouerbiorum 14. Et Psal. 1.

¶ *Sub*, præpositio pro In, ut Psalm. 66. Et exultaui sub lingua mea, pro in lingua. Et: Sub lingua labor & dolor.

¶ *Super & Supra*, Mem, super pro plus, Iudicum 2. capite, Et corrumpebant super patres suos. Mos est Hebræis, ut præpositionem Al, quæ supra aut propter significat, addant uoci Diber: hoc est, uerbo aut rei, & loco aduerbij totum proferri, neq; resolui debet apud nos & Græcos, in id quod est, propter uerbum tuũ: sed propter te. Sic & Deut. 21. cap. Propter sermones tuos.

Super tecta: hoc est, manifeste, & in propatulo. Esaiæ decimoquinto capite, In triuijs suis accinxerũt saccum, Super tecta sua, & in plateis suis omnibus, ipsa ululabit, descendens in fletu.

Super te, super illum, super me, idem ualet. hoc mihi uel tibi uel illi competit, decet, meæ, tuæ, aut illius partes sunt. Psal. 16. Sub se, pro apud se, uel semetipsum. Exod. 16. Habitet uir sub se, Septuaginta, apud semetipsum.

¶ *Sudor* pro labore. Gen. cap. 3. In sudore uultus tui uescêris pane.

¶ *Sulci* appellatione labor uenit, ut trituræ fructus laboris, Zach. 10. cap. Per cupiditatem meam, & castigaui eos, & congregati sunt contra eos populi, dum alligarũt se duobus sulcis suis. Et Prouerb. 13. Multi cibi in sulcis pauperum,

¶ *Substantia*, pro fide. Hebræorum 3. cap. Si sanè principium substantiæ usque ad finem, firmum tenuerimus.

¶ *Substantiua* uerba omittunt nonnunquã Hebræi, ut Esa. ait, Super omnem aũt gloriam protectio, supplebit. Item, Hebræis nullum est uerbum compositũ, præter unum aut alterum, cogit eos necessitas, ut simplicibus pro compositis utantur, per antithesin Esaiæ 8. Non dicetis, pro non condiceris. Item, Substantiua duo sæpius coniunctione. Et, coniungunt Hebræi, quorum alterũ esset genitiui casus apud Latinos, ut Gen. 3. dolorem tuum & conceptum tuum, pro, dolorem conceptus tui.

¶ *Sulphur* propter grauem fœtorem, non male sacri patres, malam famam esse arbitrati sunt. Impiorum doctores & discipuli non sunt bonus odor Christi, sed fœtor sanæ & sulphur graueolentissimũ, quod pluente in ira sua domino, in eis abundat. De quibus Psalmus 10. loquitur.

¶ *Sues* in scriptura sunt, qui toti immersi uoluptatibus obscœnis, execrantur puram castamq; euangelij doctrinam, de quibus Mat. 7. cap. differit. Et Prouer. 9. cap. Et 2. Petri 2. Et sus lota reuersa ad uolutabrum cœni. Ex Salomone Prouer. 28. cap. citauit. Ita il

li solent, qui post sanctam euangelij doctrinam redeunt ad porcinam uitam. Plura de hoc prouerbio Erasmus Chiliad. 3. Cent. 5. Adag. 15.

¶ *Superindui*, est 2. Cor. 5. cap. quicquid mortale & corruptibile in homine est à uita absorberi, ut iam immortale sit corpus, incorruptibile, & nullis obnoxium affectibus. Posteaquam non uolumus exui, inquit Paulus, sed superindui, ut absorbeatur quod mortale est à uita.

¶ *Super quò*, Hebraico schemate idem ualet, quod cuius causa, uel quur, ut Esaias Sit per quo: uel, In quo, percutiam uos?

¶ *Superbia* non solum pro elatione animi usurpare solet, uerum etiam pro contumelia. Quandoquidem superbi nihil non faciunt cum contumelia, Esaiæ 9. In superbia & in magnitudine cordis. Septuaginta, ἐφ' ὕβρει in contumelia Prouerb. 13. Hier. 43.

Superbiæ uocabulum quoque pro erectionis autoritate ponitur. Esa. 60. Ponam te in superbiam seculorum.

¶ *Superbus* pro alieno. Psal. 18. A superbis libera seruũ tuum. Septuaginta, ἀλλοτρίων alienis. Item, pro præfracto, ad Titum cap. 1. Superbi & impij, superbis ac infidiantibus bestijs conferuntur, uidelicet tigribus, leopardis, leonibus, lupis. Iob 40. Rugitus leonis, &c. In Hebræo habes quinq; nomina, quibus leo significatur. Sic Esau leoni rapaci confertur. Et Edom superbis, & de Israelitis ac filijs Loth latrocinantibus. Et Madianitæ sunt quadrinomines in scriptura, Madianitæ, Agareni & Cedareni uocantur. Hieremiæ 10. cap.

¶ *Superuenire* uerbum comprehendit expeditionem operosam, ualidam impressionẽ & feruidum certamen, ut Lucæ 1. cap. Spiritus superueniet in te. Non tantum cœlitus in te descendet, sed molimine magno, & ut in te efficaciter operetur & agat, superueniet. Habet enim emphasim uerbum Superueniendi, quemadmodum & Lucæ undecimo capite, Cum robustus armatus custodit atriũ suum, salua sunt quæ possidet, cum autem robustior eo superueniens uicerit eum, distribuit spolia eius.

Simile est propemodum & illud in Iob cap. 19. Scio quod uindex meus uiuit, & in nouissimo tempore super puluere stabit. Quid est eñ super puluerẽ stare aliud, quàm singularem uim adhibere puluerí? Sic Germanismi quoq; suam emphasim habẽt, vber ein ding ston, vnd vber ein ding kommen. Notatur enim diligentia & cura magna, & singularis uirium intentio. Dicitur præterea spiritus dei descendisse super Samsonẽ & in prophetas: id quod perinde est, acsi dixisset scriptura, Spiritus dei commouit Samsonem & prophetas, efficax in eis fuit, & potenter operatus est ea quæ uoluit. Superuenit ergo spiritus sanctus in uirginem: id est, diuinam in ipsa uirtutem exercuit, ac fine uirili semine fœcundauit.

¶ *Superstitio* Græce δεισιδαιμονία, quam interpres superstitionem uertit. Coloss. 2. cap. Quæ inquit, uerbotenus quidẽ habent speciem sapiẽtiæ ac per superstitionẽ, &c. Superstitio ergo uoluntaria religio & spontanea, quũ uidelicet quisq; ultro sibi religionẽ fingit, quam sequatur. Nam θρησκία religio dicitur, & θέλω uolo. At mirum est quàm placeant, quæ à nobis ipsis confinguntur deo seruiendi formulæ. Sordent præ his quæcunque præscripsit dominus, qui in euãgelio dixit: Si de mundo fuissetis, mundus, &c. Plus ergo probatur nobis religio, quàm ipsi ultro nobis confinximus, quàm quæ à deo uiuente & autore profecta est: unde uerò est quod multã apud nos autoritatẽ speciemq; tam boni, quàm ueri habeant traditiones humanæ.

¶ *Supplantare* significat dolo & iniquitate quempiam opprimere, & fere utitur scriptura hoc uerbo, quum de pauperibus, pupillis & opprimendis loquitur. Sic Moses aduenam Ionathaph: id est, non supplantes, ne circumuenias, ne'ue adfligas. Item & Leuit. 19. & uigesimonono cap. pro circũuenire accipitur, ubi de emptionibus cauetur, ne quis in eis alium fraudet aut circumueniat. Ex his & alijs locis satis liquet Iona idem significare, quod adfligere & opprimere, adhibito dolo & fraude, uti pauperes, peregrinos, fugitiuos, pupillos & uiduas, impij, diuites & potentes obterere solent, Hieremiæ uigesimotertio, Ezechielis decimo octauo, & uigesimo secundo cap. Vide & suprà Leuare uel Magnificare plantam.

Supplantatrix ciuitas, ut apud Sophoniam cap. 3. dicitur, quæ scilicet pauperes & adflictos supplantat, fraudeq; circumuentos oppressit.

¶ *Surgere* pro confirmare, aut arguere, aut ratum facere. Genes. 23. Et surrexit ager Ephro-

Ephronis, pro quo Latinus transtulit: Confirmatus est ager. Ager surrexit ipsi Abrahæ in spelunca & omnibus quæ ad agrum pertinent.

Surgere quoq; pro disponere, Iosue 1. cap. Surge transi Iordanē: hoc est, para te.

Surgere interdū, est iudicium exercere: manum extollere & idem est quod proferre, declarare contra hostem potentiam, & plerunq; deo attribuitur. Psalm. Surge domine: id est, profer, declara contra hostem in meam salutē, tuam potentiam. Ideo surge domine, metaphorica loquutio frequens in Psalmis & scripturis, qua deus uelut dormiens, quispiam, athleta piorum & adflictorum inclamationibus excitatur, cum scriptum sit, Non dormitat, qui custodit Israelem. Sic iacere enim, seu quiescere deus dicitur, dum finit malos pro eorum libidine ferri. similiter Numeri 10. cap. Surge domine, more militis, dicit Exurge domine, ut audita tuba ad arma exurgere solet miles strenuus & impiger. Surgere, euigilantium & restitutorum est.

Hominis actiones, seu uitæ partes enumerat quatuor Dauid Psal. 139. sub allegoria præcipuarum hominis motionū: ut sunt, sedere, surgere, ire, cubare. Cogitationes, inquit, meas nosti à longinquo: Ergo per sedere, surgere, &c. intellexit cogitationes & consilia sedendi, surgendi, &c. hoc est, agendi, uel cessandi, &c.

Surgere porrò Hebraice kom, stare, persistere, manere, siue superstites esse, Iosue 7. dicitur. Non poterunt filij Israel surgere siue manere, seu stare coram hostibus suis: id est, subsistere. Genesis septimo, Et deletum est omne quod surgebat, siue subsistebat (alles vvas da vvas vnd vffrecht stund, quod erat in superficie humi ab homine usque ad pecus. Hic Kom uerò & Kama Hebræis non solum surgere, sed & stare & manere significat, ut in Esaia quum dicitur: Verbum domini stabit in æternum: hoc est, firmum manet. Hinc Resurrectio mortuorum, pro uita & duratione animarum etiam à Paulo capitur, quum ait: Cur, inquam, baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgunt: hoc est, non uiuunt post hanc uitam. Quāquam Resurrectio æque pro carnis resurrectione accipiatur in loco. Et Matthæi 12. capite, Surgent Niniuitæ in iudicio. Ston, pro darstellen. Similiter Marci decimo capite, Non intellexerant discipuli quòd de resurrectione Christus dixerat, sed more Hebraico, surgere pro incolumem aut firmum manere. Sic surgendi uerbum Hebræis pro persistendi manendiq; uerbi accipi sæpenumero ūidemus.

Surgere enim potest dici, & quod omnino non cecidit, quod semper retro iacuit. Resurgere autem non est, nisi eius quod cecidit. Iterum enim surgendo quia cecidit, resurgere dicitur. Re enim syllaba, iterationi semper adhibetur, sed & angeli. Quid quæritis aiunt, uiuentem cum mortuis? Surrexit. Quid autem surgit? nonne id quod cecidit? Anima autem non cadit. Diuinitas non cadit. Corpus cecidit. Corpus itaq; resurrexit, &c. Vide suprà in uerbo Resurgere.

Sugere ad hæc uerbum forense est apud Hebræos, significat dominium alterius uenire. Leuitici 25. capite, Ad depulsionem cedet: id est, sic eius possessione depellat. Ebræus dicit: suget.

Surgere pro patribus, est succedere. Numerorum 32. capite, Surrexistis pro patribus uestris: id est, successistis patribus uestris.

Non surrexit, locutio est, pro non natus est. Deut. 34. Et non surrexit ultra prophetain Israel, sicut Moses: hoc est, non natus est.

¶ *Suscipere* nonnunquam ponitur pro partes agendi, ut apud Tullium defendendi, fouendi ac patrocinandi. Hoc modo interdum in Esaia uidere licet, pro interpellare & defendere. Viduarum, inquit, ac pupillorum causam non suscipiunt. Et Psalmo tertio, Tu autem domine susceptor meus es. Id est, protector. Licet uerbum Suscipere, plus significet quàm protegere, quoties scriptura utitur, ut, Suscipiens mansuetos dominus.

Suscipere quoque pro approbare & amplecti ἀποδέχεσθαι. Actorum uigesimo quarto: Suscipimus optime felix. Sic Paulus Romanorum decimoquinto iubet, ut firmiores imbecilles suscipiant: id est, foueant, patrocinentur, consolentur. Quemadmodum aduocatus clientis causam suscipit, ubi errare uidet, corrigit prædicatione, sciens hoc esse infirmarum conscientiarum consolationem. Suscipite, inquit, Paulus inuicem: hoc est, adsumite, alius alium adiungat & opituletur, ut respondeat illi: Infirmum in fide suscipite: id est, adsumite.

Suscipere semen, est procreare liberos & posteritati consulere, prosteritatiq; prælle gignendis liberis, Gene. 38. & alibi.

Suscipere porrò pro docere, Philip. 4. Nam Latinis accipere aut suscipere pro docere aliquando capitur, & pro molliter tractare, fouere, &c.

Suscipere personam, est eis deferre & in gratiam eorum peruertere iudicium, Psalmo octuagesimosecundo, Simili modo faciem suscipere dicimus pauperis, Genesis decimonono capite, Ne susceperis faciem pauperis, neue honores faciem præpotentis. Hoc est, ne habueris rationem pauperis uel diuitis, quando iudicabis. Et Faciem adsumere idem est. Vide Facies nomen. Item sumere uultum, Genesis trigesimosecundo capite, est idem quod suscipere faciem alicuius, id est, respectum habere unius præ alio, facere aliquid ob huius præsentem petitionem, quod non facias petente alio, &c. Accipere uultum dicimus, primo Regum uigesimoquinto capite. Vbi nos Honorandi uerbo utimur.

Suscipere interdum faciem alicuius in re aliqua, est exaudire, Genesis 19 cap. In hoc suscepi faciem tuam, pro exaudiui te in hac re. Septuaginta, admiratus sum. Et Genesis 32. Forsitan propitiabitur mihi, fortasse susciet faciem meam. Hebraismus est pro, Fortasse susciet me fronte hilari. Vel honorifice excipiet. Suscipere faciem denique pro honorare, Psalmo 132.

¶ *Suspensus* pro ambiguo & dubio, Deut. 28. Et erit uita tua suspensa ante te, hoc est in dubio erit. 1. Regum 2. Delictum suspensum.

¶ *Susurrones* sunt, qui alienant principem, & qui calumniantur uerbum dei, aut detractores uerbi, illi sunt qui te iugulant, & istud est negocium Satanæ, Prouerbiorum decimooctauo capite, Verba susurronum uerbera sunt. Ad Romanos primo capite, Paulus usus hac uoce.

Susurrones sunt qui in aurem obstrepunt, & occulta maledicentia aut dissensionem moliuntur, aut odium alicuius rei inducere uolunt, Germanice, Ohren tragen. Turpissimum genus hominum, quod omnibus seculis, & apud omnes Gentes pessime semper audiit.

¶ *Suscitare semen*, est instaurare posteritatem, ut Genesis trigesimooctauo capite, Vt suscites semen fratri tuo. Id est, instaures posteritatem fratri tuo. Hoc est, procrees liberos qui censebuntur filij fratris tui, & de nomine eius uocabuntur. 1. Paralipo. decimoseptimo capite, Suscitabo uel suscipiam semen tuum, hoc est, faciam te prole parentem. Erunt tibi filij & liberi.

Suscitare autem uerbum, est se accingi & præstare quod pollicitus est. 2. Regum 7. capite, Suscita uerbum tuum, hoc est, accingere, & fac nunc quod ante hac pollicitus es. Sic Nehemiæ 5. Qui non suscitat uerbum hoc. Verum secundum uirtutem uocabuli hebraici Kum seu Kom, æquipollet hic statuendi & suscitandi uerbum. Non statuit uerbum meum, quod reddit Interpres latinus. Non implebit opere. 1. Regum decimoquinto capite, Verbum dei erigi dicitur, quum factis exprimitur. Crebro obuiam fit idiotismus ille, Dominus suscitat uerbum suum, pro eo quod est, quicquid se facturum recipit, id facit reuera, siue in bonum, siue in malũ. 1. Regum 3. & 12. &c. Et resuscitare mortuos Hebraico more, pro in uita superstitem manere, Ioan. 6. Ego resuscitabo eum, Resuscitatio, est conuersatio in uita.

Suscitabit te sibi deus in populum, modus & Hebraismus loquendi, Deut. 28. Suscitabit, Eriget. Id est, Faciet ut sis ei populus sanctus.

¶ *Sursum sursum*, Deorsum deorsum, modi loquendi sunt. Deut. 28 Ascendet super te sursum sursum: tu autem descendes deorsum deorsum. etc. Hebraismus, pro multis modis, aut longe erit superior te: tu autem eris eo longe inferior.

¶ *Sustentare* pro adiuuare, fulcire, firmare, Psalmo nonagesimotertio, Misericordia tua domine sustentabat me, Septuaginta ἐβοήθει, adiuuabat. Et Psalmo tertio, Quia dominus sustentat me, hoc est, stabiliuit me. Quem enim dominus fulcit ac gestat, is in summa rerum perturbatione summa pace & tranquillitate fruitur, sciens sibi omnia cooperari in bonum, semper in prouidentia clementis dei suscipi à domino, & exemia quacunq; calamitate.

¶ *Sustinere* deũ, est sperare in deũ, & nõ frangi aduersitatibus, ut Esa. 33. Domine mihi ferere nostri: te enim sustinuimus, uel expectauimus. Nã sustinere & expectare dominũ idem

idem sonant, est fidere certa uidelicet & indefecta fide, &c. Quid autem sit Expectare uide in litera E.

¶ *Synagoga* Græca dictio est. Græcis autem significat συνάγω, congrego, & συνάγωμι cogere in unum, & συναγωγὴ, congregatio. Reuera ergo Synagoga est congregatio, conuentus, cœtus populi qua significatione nos Christiani dictione ecclesiæ utimur. Sed ponitur interim & pro loco in quo solet conuenire congregaríq; populus: quemadmodũ & ecclesiæ uocabulum, quod & ipsum à Græcis transumptum est, proprie quidem cõcionem significat, hoc est, populum euocatum ad audiendum de reipublicæ negotijs: Interim tamen & pro loco, id est, templo usurpatur, in quo solet conuenire concio. Veteres scriptores ecclesiastici plerunq; ponunt Synagogam pro cœtu populi Iudaici, Ecclesiam autem pro communione Christianorum. Equidem arbitror idem significare Synagogam & Ecclesiam, sed ideo nunc rarius nobis tribui uocabulum Synagoga, quod per illam plerique intelligunt Iudæorum cœtum, quo nomine ingratum & inauspicatum cœpit haberi. Ergo ut doctrinæ apostolicæ nouum datum est nomen, & iam non dicatur Lex, sed Euangelium, ita apparet Ecclesiam & non Synagogam appellare nunc, tam ipsam concionem fidelium, quàm locum in quo religionis gratia conueniunt fideles.

ASynagogis alienum facere. Aut è Synagoga eijcere, est excommunicare, è conuentu, congregatione ac societate populi dei eijcere, condemnare aliquem impietatis & hæreseos, habere pro exortibus fœderis ac populi dei, de quo Ioannes capite nono & decimosexto loquitur.

T

Abernaculi nomen non uacat mysterio, quod scriptura sancta similitudine eorum utitur, qui in tabernaculis habitant. Nam peregrini in hoc seculo sumus, nec habemus hic manentem ciuitatem. Vide Basilium Magnum in Psalmum decimũquartũ, annotauit terrenam hanc habitationem, quàm ceu hospites in procinctu colimus Tabernaculi nomine siue Tentorij significari. Olim autem Hierusalem & Iudæa erant tabernaculum, nunc uerò totus mundus uaticinio Esaiæ quinquagesimoquarto capite. Dilata loca tabernaculorum tuorum, & cætera. Et Paulus usus est hoc uocabulo secundæ Corinthiorum quinto capite, Scimus enim quod si terrenum nostrum domicilium huius tabernaculi destructum fuerit, ædificationem ex deo habemus, domicilium non manufactum æternum in cœlis. Ducta est metaphora à tabernaculis, quæ quod homini sunt oberranti & nullas sedes certas habenti, id est, corpus homini, scena quædam quæ marcescit tempore & uetustate confecta ruit tandem. Non potuisset miseriam & fragilitatem humani corpusculi commodiore pinxisse typo quàm hoc. Per Tabernaculorum seu Tentorij inhabitationem, aliud quàm incertas sedes & exilium intellexit.

Hinc & D. Petrus humanum corpus scenam siue tabernaculum uocauit 2 Petri. 1. cap. Videlicet corpus ipsum & uas fragile uniuscuiusq; animæ fidelis, siue anima pij in hac mundi peregrinatione degens, subinde absolui & esse cum Christo cupiens D. Petrus admodum extenuans dum non domum (corpus suum) sed tabernaculum, turiurium appellat, ubi pastores habitare solent. Hac forma loquendi (ut supra patuit) Paulus corpus domicilium, uas testaceum seu fictile nuncupat, duasq; facit habitationes, & duas peregrinationes.

Tabernaculum deinde quoque pro domo. 2. Samuelis decimo capite, Fugerũt unusquisque in tabernacula sua. Hiob decimooctauo capite, Habitabis in tabernaculo eius. Et capite quinto, Et tabernacula impiorum non compareant. More Orientalium: habitant enim magna ex parte in tabernaculis, unde tabernacula pro domibus solent accipi. Hoseæ duodecimo capite, Sic & Psalmo nonagesimoprimo, uersu decimo, uxorẽ intelligit & liberos, qui domi agere solent. Hinc quum scriptura uellet Iacob patriarcham à studio uitæ tranquillioris & umbratilis commendare, testatur eum uersatum in tabernaculis.

Tabernaculum adhæc pro æternitate accipimus, ut Psalmo 14. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? Quamuis in alijs locis nonnunquam opera exprimat.

Taber-

Tabernaculum & habitaculum cordis, & habitaculum mentis est. Nam sicut anima habitamus in corpore, ita per cogitationes habitamus in mente, Hiob 21. Et longe facies iniquitatem à tabernaculo tuo.

Tabernaculum uocat protectionem glorioſarum domuum, cuius uſus erit, ut cuſtodiant ab æſtu in perſequutione, ita ut per diem ſol non urat nos. Hoc æſtu ſolis ſponſa denigratam ſe fatetur. At ſpiritus ſanctus uenit ſuper pios, & uirtus altiſſimi obumbrabit ipſis. Vnde & dicunt: Dominus protexit me in abſcondito tabernaculi ſui. Similiter defenduntur in die iræ, ſicut tempeſtas erumpet ſuper caput impiorum. Item, Tabernaculum ciuitatem munitam, ut Pſalmo trigeſimo, Proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum.

Tabernaculum Moſaicum repreſentauit Chriſtum & eius eccleſiam, Exod. uigeſimo nono capite, Hinc tabernaculum eccleſia militans quoq; dicitur, Pſal. 14. Tabernaculum dei Dauid uocat regnum dei, regnũ cœlorum, beatã ſanctorum concionẽ, hoc per Tabernaculum & montem ſanctum allegoricos ſignificari uult, ſicut Pſal. 11. Cœlos per templum. In Tabernaculo fœderis, quod regnante Dauide in monte Zion erat, deus ſe peculiariter preſentem populo Iſraeli exhibebat. Interiorẽ igitur illã & beatiorem dei in ſanctis præſentiam adumbrauit, atq; ideo pro illa, per allegoriam non abs re poſitum eſt.

Tabernacula Cham Dauid Pſalmo 78 dixit pro Ægypto, quia Mizraim, unde Ægyptij nomen Ebræis & originem duxerunt, filius Cham fuit, Geneſis 10 cap. Sic ait Dauid, Primitias uirtutis illorum in tabernaculis Cham.

Tabernaculum ſuum ponere in medio populi ſui, Leuit. 2. Id eſt, Semper fauebo uobis, ſemper ero uobis.

Tabernaculum teſtimonij, Leuitici primo capite, Ad oſtium Tabernaculi teſtimonij. Vel ad oſtium Tabernaculi conuentus. Vel fœderis, id eſt, ad oſtium atrij. Tabernaculum conuentus uel fœderis, proprie domicilium arcæ & altaris thymiamatis, id eſt, Sanctum & ſanctum ſanctorum ſignificat: accipitur tamen aliquando pro toto ædificio illo.

Tabernaculum teſtimonij ideo uocatum eſt, quod illic conueniret cœtus Iſrael ad adorandum & ſacrificandum.

Tabernacula dei ſunt conuentus & congregationes populi, quæ eſt pulchra & ſancta eccleſia, Numer. 24 cap. Quàm pulchra tabernacula tua. Et Prouerb. 14. cap. Tabernacula iuſtorum.

Tabernaculi oſtium, pro oſtio atrij, Leuitici quarto capite, Hic oſtium tabernaculi accipitur pro oſtio atrij. Tabernaculum ſanctum, Exod. decimoquinto capite, Tabernaculum ſanctitatis tuę, id eſt, ad tabernaculum ſanctum, in quo tu qui ſanctus es habitabas, intelligit montem.

¶ *Tacere*, in ſcripturis nonnunquam nihil aliud eſt, quàm quietam patientiam habere: qui tropus frequens eſt in ſacris literis: Sic Exod. 14 cap. Dominus pugnabit pro nobis, & uos tacebitis: id eſt, quieti eritis, nihil ad rem facietis, ſed agetis quaſi negotij nihil ad uos pertineat, Eſaiæ quadrageſimoprimo capite, Taceant ad me inſulæ, & gentes metuent fortitudinem. Sed ex capite trigeſimo, eiuſdem prophetæ patet, quid ſit Tacere & Tumultuari: nempe alterum pati & quieſcere: alterum moneri & monere omnia, & ut dicitur: Cœlum & terram miſcere. Hoc Tacere & quieſcere, Pſalmo quarto reperitur, & Pſalmo 28. Huiuſmodi uerbis ocium & ſecuritatem quam habent, qui deo ſidunt, ſignificant.

Tacendi deinde uerbum pro obedire interdum poſitum reperimus, Pſal. 36. Tace domino. Septuaginta ὑποτάγηθι, Subditus eſto. Item pro auſcultare, per metalepſim. Quinim ſilentium poſtulant, auſcultationem quærunt, Eſaiæ 41. Taceant ad me Inſulæ. Item, obliuiſci, Eſa. 65. Ecce ſcriptum eſt coram me: non tacebo, ſed reddam in ſinu eorum, iniquitates ueſtras, et iniquitates patrum ueſtrorum. Fuſius explicarum hunc Tropum reperies in uerbo Silere.

Tacere oculus dicitur apud Hieremiã Thren. 2. à fletu ceſſare, qui eſt oculorũ clamor & affectionum expreſsio. Neq; taceat pupilla oculi tui, inquit, propheta.

¶ *Tangere* pro uexare, Zachariæ: Qui tetigerit uos, tangit pupillã oculi mei, Pſal. 104. Ne tangetis Chriſtos meos. Item, pro miſcere, Hoſeæ 4. Et Sanguinem cum ſanguine tetigerunt, Septuaginta, miſcuerunt.

Tantumodo,

¶ *Tantummodo*, hortantis uox est, Iosue 1. cap. Tantummodo confortare, & esto robustus. Septuaginta ἀλλὰ, id est, sed.

¶ *Tegumentum* tectum pro peccato, Esaiæ uigesimo quinto capite, Et tegumenti tecti super omnes gentes.

¶ *Telas araneæ texere*, est huius mundi concupiscentia temporalia quælibet operari, quæ dum nulla stabilitate solidata sunt, ea dubio procul uentus uitæ mortalis capitur. Esaiæ quinquagesimonono capite, Telas araneæ texuerunt: hoc est, opera eorum splẽdent, & habent magnam speciem sanctitatis. Reuera sunt telæ aranearum, hoc est, uenenata & inutilia opera.

¶ *Tempestas* dictio Hebræis est, repentinus, summeq; uiolentus uentorum flatus. Vnde quæritur Hieremias, improborum iniurias, uentum esse urentem in uijs, quæ sunt in deserto. Dauid Psal. 55. hostium insidias atq; impetus tempestatem uocat: Expectabo eũ qui saluum me fecit à pusillanimitate spiritus tempestate. Tempestatis uocabulũ pro diuina & ualida potẽtia usurpat, Psal. 50. Ignis, inquit, ante ipsum præcedet, & in circuitu eius tempestas ualida. Ignẽ hic uocat spiritus, uirtutẽ illã efficacẽ, quam sub ab æterno processuit uerbo et legis deus, cuius q; ardor in ipso statim gratiq; limine, mortaliũ eũ omnium, tũ Iudæorũ maxime corda uiolẽtius, quàm antea, & mouit, et partim ad uitã, partim ad interitũ excussit. Cæterũ tẽpestas ualida, seu turbo, ut uertũt Hebræi, eo sanè tropo, q; ignis, dei potentiam omnia in Christi aduentu proterentem deuastantemq; significat.

¶ *Templum* apud Hiere. 7. cultum dei significat. Templũ domini, inquit propheta. Cõplectitur nomine Templi, totum externum cultum diuinum. Item, Templum pro ijs qui in templo uersantur, Leuit. 19. cap. Significat quemuis locum, in quo populus dei conuenit ad uerbum, qui quum sit uere templum dei à se nõ inepte denominatũ. Quod autem Templum populum fidem significet, testatur Apostolus 1. Cor. 3. Templũ enim dei sanctum, inquit, quod estis uos. Sic quoq; ecclesia & populum et domum significat. Hinc Paulus uocat Christianos homines templa uiua, templa dei spiritui sancto consecrata, Psalmo 10. Dominus in templo sancto suo. Dominus in cœlo sedes eius. Sedes dei est anima pia, ac sancta & cœlestis. Atq; sic in spiritu cœlum & terra conueniunt in unum, & nihil differunt, nisi fide & spe.

Templum dei hic mundus est, ecclesia catholica, & cuiusq; hominis cor fidele. Templũ domini, iuxta D. Hieron. est in quo habitat ueta fides, sancta conuersatio, omniũq; uirtutum chorus, Actorum 7. cap.

Templum dei prophanare & perdere, sunt hi qui pro euangelio humana docent. Et illi uocantur prophanatores. Econtrario Templum sanctificare, uera docent, & benefijs inopes iuuant. Illi enim sunt uerum dei templum. Est autem unice delectatus Apostolus figura templi dei, de qua secundæ Corinthiorum sexto capite, Et Ephesiorum quarto capite.

Templum porrò dei, tabernaculum, sanctum dei, mons Zion, & huiusmodi uoces nunquàm sine magna emphasi ponuntur, & significant omnia illa fieri in spiritu, quæ fiebant in templo corporaliter, Ezechielis capite trigesimoseptimo, Et erit tabernaculum meum cum eis, & ero eis deus, & ipsi erunt mihi populus. Et Psalmo centesimo trigesimoseptimo, Adorabo ad templum sanctum tuum. Hic cœlestis & sancta Hierusalem denotatur.

Templum Malachię 3 cap. humanam naturam quam deus uerbum susceperit, adpellauit. Ita etiam ipse dominus Iudæis Ioann. secundo capite. dixit: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Hoc explanans Euangelista adiunxit. Ille autem dicebat de templo corporis sui. Verba Prophetæ sunt hæc: Et confestim ueniet ad templum suum.

¶ *Tempus* hoc uocabulum non Hebræo & Philosopho idem est, sed nomen Temporis Hebrais significat theologice, statuta festa, item interualla dierum, quæ in annum concurrunt, ut Genesis primo capite, Quare ferè ubique redditur per nomen festum seu festiuitas, nisi cum de tabernaculo dicitur. Et erunt signa & tempora, inquit Moses, hoc est, non quod à philosophis mensura motus uocatur, & de quo Plato. De hoc tempore intellexit: I nt in dies & annos. Sed hic tempora uocantur, ut dixi, dies stati ac solennes, quos Hebræi à contestatione atque admonitione Moadim appellant, à uerbo Adi, id est testatus est, quarum dierum frequentissima est

mentio

mẽtio in ſacris literis earum itaq; Sol & luna indices ſunt: ad ſolis enim ac lunę curſum, huiuſmodi dies celebrantur & repetuntur.

Moed ſignificat ſtatum, fixum & certum tempus. Hinc commune nomen in Bibliis eſt tabernaculo fœderis quod iſtic certæ feſtiuitates, in certo loco, certo tempore, & certis ritibus fierent. Quod Græcis καιρὸς dicitur, hoc Hebræis Moed.

καιρὸς non tempus quoduis, ſed certum & oportunum temporis articulum ſignificat. Gal. 4. cap. Et Eraſmus in Annotat. in nouum Teſtamentum in primum cap. Actorũ. Domine num in tempore hoc reſtitues regnum Iſraeli? καιρὸς hoc loco, inquit, plus quid dam eſſe, quàm χρόνος. Hoc enim proprie eſſe quoties de genere ſeu modo ſpatio'ue temporis agitur, ueluti ſeculum, annus, dies, menſis, hora. Illud autem articulum ipſum momentum ac punctum (ut aiunt) in quo ſit agenda, quod καιρὸς ſit cum ſentimus opportunitatem rei gerendæ. Quanquam apud Græcos καιρὸς nonnunquam pro χρόνος uſurpetur, at non contra.

Tempus ſeu καιρὸς hinc ſcriptura pro oportunitate & occaſione uſurpat, Romanorũ decimotertio capite, Et hoc quum ſciatis tempus, quia iam hora eſt nos à ſomno ſurgere. Et Coloſs. quarto capite, Sapienter ambulate redimentes tempus. καιρὸς hic non tempus modo ſignificat, ſed & occaſionem & opportunitatem temporis. Et Epheſiorum quinto capite, Redimentes occaſionem aut tempus. Hortatur Apoſtolus ut prudentiſſimus omniumq; rerum diſpendio redimamus ueram parandæ ſalutis opportunitatem, ne uſpiam excutiamur à parte ſalutis per corruptiſſimum illud ſeculum, in quo agimus, ſed probemus potius quæ ſit uoluntas domini. 1. Theſſal. 4. cap.

Antiqui pingebant Occaſionem deum, quæ fronte eſſet capillata, qua parte comprehendi poſſet. Hoc figmento uoluerunt opportunitatem & occaſionem temporis ſignificare, qua quæque res ſit agenda, quæ ſi negligitur, à poſteriori parte calua amittetur. Significat etiam καιρὸς aliquando periculum. Senſus ergo Pauli eſt, Obſeruate occaſionem & opportunitatem temporis, ut euitetis periculum. Nam tempora periculoſa ſunt, ſi non opportune & iuxta occaſionem ambulauerimus.

Tempus inſuper pro anno accipi conſtat Danielis ſeptimo capite, Vſque ad tempus & tempora & dimidium temporis. Tempora iuxta Hebraici ſermonis proprietatem qui & ipſi dualem numerum habent duos annos aut tres præfigurant. Vt ſenſus ſit prophetæ: Vſque ad tempus & tempora, & dimidium temporis, hoc eſt, annos tres cum dimidio. Sic etiam metaphraſtes Ioannis: Et data eſt ei poteſtas, ut faceret bellum menſes quadraginta duos. Ecce totidem menſes faciunt annos tres cum dimidio. Et tanto quidem tempore prophanatum erat ſub Antiocho templum, qui & ipſe Antichriſti figura. Et capite duodecimo, Ad tempus & tempora & dimidium. Ioannes claram paraphraſim poſuit, dicens: Ad modicum tempus: quo modo loquendi frequenter utitur, quoties breuitatem huius uitæ iudicare uult. Nam quia hebdomada abbreuiati temporis ſymbolum eſt. Sic Ioannes Apocalypſis capite undecimo, dicit corpora prophetarum per tres dies & dimidium, non poni in monumentis. Item capite decimotertio, deſcribit per menſes quadraginta duos, qui & ipſi tres annos cum dimidio reddunt. Et infra dies mille ducentos nonaginta, & iterum dies mille ducentos triginta quinque, citer tres annos cum dimidio conſtituunt.

Tempora porrò modus loquendi eſt cum annorum multitudinem et longa tempora ſignificant. Dimidium uero temporis, ſignat ablationem & euerſionem. Tempus, Tempora igitur, & dimidium temporis Apocalyp. 10. cap. ſignificari putant, diem pro anno accipiendo.

Tempora & leges mutare, eſt doctrinam apoſtolicam peruertere, ad ſuum beneplacitum accommodare, iuxta humanas traditiones & contra dei legem et euangelicam libertatem, Danielis 7. cap.

Tempus nouiſsimum in ſcriptura, omne illud ſpacium à natiuitate & aſcenſione Ieſu Chriſti, uſq; ad conſummationem ſeculi, quicquid interim geſtum eſt, aut fiet adhuc, dicitur fieri in nouiſsimis diebus. Tempora extrema Apoſtoli uocant, quibus deus miſit filium ſuum, Gal. 4. Quibus Chriſtus ipſe docuit, quibus nihil præter Chriſtum doceri uult. Sicut in Epiſtola ad Hebræos inquit: Loquutus eſt patribus per prophetas, extremus autem diebus loquutus eſt per filium. Item, Termini ætatum. 1 Cor. 10. capite ultimo

ultima ætas est à Christo ad consummationem seculi. Nouissima hora à Ioanne appellatur.

Tempus exactum ac finitum, dicere impletum, mos quoq; scripturæ est, Actorum. 2 cap. Quum impleti essent dies Pentecostes, id est, euoluti tam ac transacti. Ita Lucæ capite 1. Quum iam impletum esset tempus Elizabeth pariendum. Et Exodi. 24. cap. Implebo dies tuos, pro eo quod est, non abbreuiabo eos, sed faciam diuturnos. Sic ad Galatas 3. capite. Vbi autem tempus fuit completum. Et ad Ephesios, Plenitudinẽ temporis uocans, quod Hebræi Statutum: nam Hebræi zoah quod militiam significat, & tempus statutum ac exercitum. Nouissimi dies in quibusdam scripturæ locis uocantur, in quibus nasci & debebat Christus, per quem dimissa sunt peccata nostra.

Tempus salutis dicitur. 2 Cor. 6. dum adflictus salus opus est, & à deo succurritur: Ecce nunc tempus acceptum (inquit Esaias quadragesimonono capite) Nemo differat, ne mo procrastinet pœnitentiam.

Tempus matutinum, pro, prosperitate & secundo & prospero tempore ponitur, sicut uespera & uox, sæpe pro aduerso & infelici accipitur, autore Kimhi Psalmo centesimoquadragesimotertio.

Temporibus confortari, apud Danielem undecimo, est gesta temporum feliciter, & infelici æuo perfrui, uotisq; prosperari.

A Tempore usque ad tempus, Locutio est apud Ezechielem quarto, ueluti si dicatur, à uespere usque ad uesperam. Licet quidam perperam ab Anno usque ad annum intelligi putent. A tempore, inquit Propheta usque ad tempus comedes illud. Non ab anno in annum.

¶ *Tenebræ* tribulationem, adflictionem, miseriam, calamitates, aduersitatemq; denotant, sicut econtrario per lucem felicitatem, prosperitatem & iustitiam, ut: Post tenebras spero lucem. Et Psalmo centesimotrigesimooctauo. Sicut Tenebræ eius, ita & lumen eius. Esaiæ quinto capite. Adspiciemus ad terram, & ecce Tenebræ, id est, quærent ubiq; auxilium, & nihil præter tenebras occurret. Hæ nimirum Tenebræ illæ exteriores, quas interminatus est Iudæis dominus, Esaiæ decimotertio. Quia stellæ cœli & sucullæ eius, non facient fulgere lumen ipsorum, hoc est, nulla refocillabitur consolatione, sed aduersa sunt omnia.

Tenebræ sunt, concupiscentia carnis, dei ignorantia, impietas, cæcitas mentis, superstitio, idololatria, scelerata & propudiosa uita, turpitudo, obscœnitas, immundicia, crapula, ebrietas, incredulitas, & quæ alia sunt huius notæ flagitia, Ioannis tertio capite Et dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. Ephesiorum quinto. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino, hoc est, iusti. Tenebræ pro impijs & peccatoribus certum est. Et Ioannis primo capite, pro omnibus facinoribus, Et tenebræ eum non comprehenderunt. Tenebræ sunt ignorantiæ. iuxta illud: Tenebris obscuratum habentes cor.

Tenebræ nonnunquam supplicia & damnatorum desperationem denotant, ut est in Euangelio Matthæi uigesimosecundo, Mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dẽtium. Vtitur uerbis temporarijs, sed his adumbrat pœnam ineffabilem, & nunquam terminandam. Et Matthæi octauo, Filij uero regni ejcientur in tenebras extremas, illic erit ploratus & stridor dentium. Significat autem scriptura his & similibus parabolis tormenta impiorum fore maxima.

In Tenebris dicere, secreto colloquio aliquid committere, Matth. 10. cap. Quod dico uobis in tenebris, dicite in luce: & quod in aurem auditis, prædicate in tectis. Ergo in luce dicunt, qui palam & diserte efferunt quod acceperunt. Ita In aurem dicere uel audire, est priuato congressu aliquid excipere uel silentio committere. Translatum id uiderur ab ijs, qui proximis admoti ad aurem insusurrant quæ uoluit ab alijs exaudiri. Ergo In Tectis prædicare, paraphrastica quadam notatione ponitur pro eo quod est, palam in uulgus spargere commissum, & quàm significantissime latissime'que euulgare, quod tibi est concreditum. Prouerbialiter enim omnia ista dicuntur, ut non oporteat inhærere literæ, & è tecto concionari. Vulgares sunt nobis etiam hodie istiusmodi sermones.

Per Tenebras & umbram mortis, extrema intelligit Matthæi quarto capite, pericula

adeoq; ipsam mortem nunc irruentem. Sicuti Tenebræ extremæ figurant inferni pœnas, ita & ploratus & stridor dentium denotant damnatorum supplicia & maximos cruciatus. Tenebræ exteriores: id est, extimæ, fletus & stridor dentium, frigus & ignis inextinguibilis, uermis quoque perpetuo arrodens. Hæc omnia cognitissima sunt ex Euangelio. Ezechiel in trigesimo secundo capite dicit apud inferos maximam esse sepulchrorum copiam, ita & per metalepsim quandam horrorem significans tristitiam & luctum damnatorum.

Tenebras Dauid Psalmo centesimonono, & aliàs docet aduersa: nempe paupertatem, morbos, persecutiones atque id genus alia crucis præludia. Lumen uerò consolationem, quæ ex dei cognitione oriri solet, sic ait: exortum est in tenebris lumẽ rectis. Rectos appellat, quibus tandem cœlestis cognitionis lumen, ex quo maxima animæ exoritur consolatio, in tenebris interlucere asserit.

Tenebrosum diem uocat Ioel capite secundo, infaustum infelicem usitata scripturæ phrasis, quæ lucem appellat pacem, & felicem rerum successum. E contra Tenebras & Caliginem, calamitates & pericula, ut apud Esaiam: Qui non dixerit secundum uerbum hoc, non erit ei matutina lux. Et Psalm. 23. Si ambulauero in ualle mortis umbræ, non timebo malum. Significat certum periculum mortis.

Tenebrarum potestas, satanæ potestas est, cui nos seruiebamus quondam in peccatis: nempe in densissimis ignorantiæ tenebris, in idololatria, &c. Ideo Tenebrarum nomine comprehendit Paulus commessationes, lasciuias, simulachrorum cultum, & similia. Romanorum duodecimo capite, Esaiæ nono. De hac potestate & liberatione disserit quoq; Coloss. cap. 1.

¶ τέλος, finem nonnunquam Latini exponunt, nonnunquam consummationem ac perfectionem sonat, non interitum, ut Romanorum decimo capite: Finis enim legis Christus. Nam Græci quod absolutum & omnibus quæ solent requiri perfectum est, τέλειον appellant. Quod & Diuus Augustinus explanans Psalmum quintum indicauit, Christus summa est legis. τέλος ergo non modo finis, sed & salarium, uectigal & emolumentum est. Romanorum sexto capite, quod pro tributo & uectigali sumi potest, quod ex seruitute peccati colligitur. Nam finis illorum mors, Romanorum septimo capite.

¶ *Tentare* Latinis significat exasperare, irritare. Sic Exo. 17. cap. patientiam & longanimitatem dei irritant ac contemnunt. Et in Actis: Quur tentatis dominum, ut imponatis iugum super ceruices discipulorum.

Tentare hinc experiri, periculum facere atque explorare rem, probare, argumentum seu experimentũ sumere, quo quid ualeat cognoscatur, ut tentare uires. Ita legitur deus tentasse Abraham: id est experimento aliquo elicuisse, quali studio & amore in deum fuerit Abraham: adeoq; omnibus hominibus documẽtum præbere, quàm fuerit Abraham obsequens & timens dei, non quod quicquam deum lateat, sed quod sic deceat iustum deum facere, conducatq; id exemplum pluribus mortalibus. Pari modo legis Deut. 13. cap. Quia tentauit nos dominus deus ueiter: id est, argumentum sumit & explicat uos, quemadmodum deus de fide Abrahæ.

Tentare rursus significat impellere, & occasionem aliquam oblata in præcipitium atq; grauem ruinam trahere. Ita uerò tentat diabolus Christum & probat eum. Mat. 4. hoc est, eũ deũ esse, pbasse atque inuestigasse an deus esset. Et ita tentare negat sanctus Iacobus deum, cap. 1.

Tentare dominum, est deo obstrepere, murmurare, indignari, & cum uel contemptu dei, adeoq; ex infidelitate audere, & omnino experimentum de aliquo sumere. Exodi decimoquarto & decimoseptimo, Esaiæ octauo, Numeri decimoquarto & uigesimo primo & uigesimosecundo. Hebræorum secundo, Matthæi quarto, clarissime patet. Nam id scriptura uocat murmurare aduersus deum. Hinc ergo uidemus Tentare dominum, est præceptis ac mediis à deo institutis, dei absolutam potentiam, extra ordinem ullamq; necessitatem, pro adfectu & libidine nostra, ex nimia confidentia appellare atq; deposcere. &c.

Tentationis uocabulum Hebræis non modo probationem quandam significare, uerum etiam adflictionem, uexationem. Deuter. 7. Tentationes magnas. Hinc tentatio est à dextris & à sinistris. A dextris tentamur, quum abundant carnis felicitates, sanitas

lanitas, diuitiæ, maiestas, gloria. Tentamur & á finistris, cruce, adflictione, & id genus malis.

¶ *Tener* pro infirmo & imbecilli, Genesis 29. Et oculi Leæ teneri. Septuaginta ἀσθενεῖς infirmi. Iuuenalis: Cum tener uxorem ducat Spado.

¶ *Tentorium* pro omnibus castris, genus pro numero, Iudicum 7. cap. Venitq; ad tentorium Synagoga tentorium uocatur, eo quod cessasse á prædicatione sacerdotes dominus per Hieremiam quæritur. Non est qui extendat ultra tentorium meum & erigat pelles meas. Ecclesia ergo militans Tentorio & Tabernaculo comparatur, ut suprà audiuimus.

¶ *Tergum uertere*, pro contradicere, Esaiæ 50. Et ego non rebellaui retrò, non tergum uerti. Septuaginta, contradico.

¶ *Terræ* uocabulum late patet, Genesis cap. 1. Terra uniuersaliter appellata simul cum ipsis aquis, terræ adhærentibus, sicut appellata est in illo Psalmo, ubi cœlestium laudibus terminatis, ad terram facta est conuersio sermonis dictum. Laudate dominum de terra, dracones, &c. Nec postea dictum est: Laudate Dominum de aquis. Ibi enim sunt omnes abyssi quæ tamen de terra laudant Dominum. Ibi etiam reptilia & uolatilia pennata, quæ nihilominus de terra laudant Dominum secundum istam uniuersalem appellationem terræ, secundum quam etiam de toto mundo dicitur: Deus qui fecit cœlum & terram, siue de arida siue de aquis, quæcunq; creata sunt, de terra creata, ueraciter intelliguntur. Hæc D. Augustinus de Genesi ad literam lib. 9. cap. 1.

Terra pro homine, Malach. 3. Quia eritis uos terra desiderabilis. Sic fæpius dicuntur terreni homines, ut sit terra synecdochicos, pro agentibus in terra, Genesis. 6. cap. Corrupta est autem terra coram deo, id est, adeò peruersè uiuebant homines, ut nec deum quidem reuerebant. Nam corruptum esse coram deo, est illius mandatis repugnare. Vides in cap. 6. Mosen his uocibus, Terra, Caro, indiscriminatim usum esse: nam quod modo terram, mox carnem uocat. Capit enim terram pro homine terram incolente, & Carnem pro homine synecdochicos.

Terræ nomine accipiuntur interdum, qui terram sapiunt, ac terrenis rebus toti incumbunt, Apocalypsis duodecimo, Væ terræ in mari: Sic Esaiæ secundo, Quum surrexerit ipse ad concutiendam terram, hoc est, terrenos homines: sed uti terra sunt, ita terrena sola sapiunt. Et capite undecimo, terrenos homines, qui præter terram sapiunt nihil, & nõ cœlestis uocationis participes: Terram uocat nimirum illos ipsos, quos & impios uocat. Sic primi Samuelis decimoquarto capite, Omnis terræ uulgus uenit in saltum: uel, ut Hebræus legit, Omnis terra ueniebat in saltum. hoc est, omnes homines. Et infrà: Pater meus turbauit terram. hoc est, exercitum, qui secum erat, homines uidelicet illius terræ.

Terra, pro regione. Quemadmodum Itali quoq; & Galli, terram pro regione accipiunt, ita usurpant. Deuter. 4. In hac humo. uel iuxta Septuaginta, Ego enim morior in terra hac. id est, hac regione. Esaiæ cap. 9. Habitantes in terra umbræ mortis. Septuaginta legunt euchora, id est, regione. Exodi 9, Vt darem eos in terram Chenaan. Ionæ 1 capite, Quæ terra tua & ex quo populo es tu. Septuaginta, Ex qua regione.

Terra, pro porta & littore. Lucæ cap. 5. Et subducentes naues ad terram.

Terra, pro loco infimo & humili, teste Dauid Kimhi. Ezech. 1. cap. Et ecce rota una in terra, id est, in loco infimo, respectu rotarum quæ erant superne. Psal. 139. In inferioribus terræ. id est, uuluæ.

Terra, porrò animam quæ carnaliter uiuit, significat. Esaiæ cap. 26. Ecce enim exibit de loco suo, ut uisitet iniquitatem habitantis super ipsam & reuelabit terra sanguinem suum. Item pro ecclesia, Deuter. cap. 32. Audiat terra uerba ex ore meo.

Terra, nihil aliud est quàm homo peccator. Primo homini dictum. Gen. cap. 3. Terra es, & in terram ibis.

Per Terræ extremum, quemlibet terræ locum intelligit Aben Ezra.

Item, Terra interdum usurpatur pro potentibus, sapientibus, in terra & mundo uiuentibus, quorum corda, mentes & sensus & animi, nihil nisi quæ terrena sunt, sapiunt: quæ quidem terra nunquam non mouetur, ubi Dei uerbum uigere sentit: propterea quod illud cœleste & omnino spirituale sit, Psal. 17. & Paulum ad Galat. cap. 3. lege de hac allegoria. Nam semper aduersatur spiritui.

Terram atqui commotam in resurrectione Christi legimus in Euangeliistis fuisse, quo significatur, ubi Euangelium prædicatum fuerit, ibi reperiuntur prudentes huius mundi resistentes uerbo Dei, præcipue honorati episcopi, &c.

Terræ fundamenta commoueri, eadem significatione accipitur. hoc est, pro potentibus, prædiuitibus, tyrannis & principibus Euangelio magni dei resistentibus: nam hi, ceu terræ columnæ & fundamenta uidentur & existimantur, hi irritantur.

Terra, insuper pro domicilio, habitaculo, uel conuersatione, ut Esa. 26. negat, quod habitationem iucundam scilicet, habituri sunt impij tyranni.

Terra, siue Caro, in scriptura, silere coram facie Domini: non in uno loco dicitur: quod idem est dicere, Domini est omne regnum: hoc est, nomini eius honorem det omnis mundus, tanta reuerentia, ut coram ipso sileat, & planè Dominum fateatur. Zachar. Sileat omnis caro.

Terra Domini porrò, terra Israel & montes eius, sicut montes Hierusalem. Esaiæ decimoquarto capite, Vt conteratur Assur in terra mea, & super montes meos conculcem eum. Sic etiam eodem cap. populus per terram exprimitur: reges uerò & principes per abietes & cedros Libani. Conticuit omnis terra, etiam abietes lætati sunt tibi cedri Libani.

Terra desiderabilis, Iudæa dicitur apud Dan. 8. elegans, inclyta, pulchra & desiderabilis sicut hinnulus, propter ubertatem.

Terra Hermonim quoq; Iudæa dicitur, ut alibi in Psal. Terram Hermonim uocat Iudæam, quæ montibus istis cingitur. Item, Terra Israel decor Iacob dicta. Psal. 47. Et terram, absolute pro Iudæa sæpe accipi uidemus.

Terra colere, Latinis non solum terram aratro proscindere significat, sed inhabitare. Sic Gen. 2. cap. præcepit deus Adam, ut coleret paradisum: hoc est, inhabitaret. Das ertrich eren hielt.

Terra lugere dicitur, quando habitatoribus, cultura & cultoribus suis destituta, in solitudinem redigitur. Et non solum homines eliminabuntur, sed & iumenta, quæ inseruiunt homini, ut sunt boues, oues, asini, &c. atq; aues cœli, quæ cum hominibus morari consueuerunt in eius commodum, his omnibus denudabitur terra. Hoseæ capite quarto, Propterea lugebit terra, & cætera. Et Hieremiæ primo & 12 cap. Ioelis 1. Esa. 3. ca. Lugebunt portæ.

Terra præterea fatigata dicitur, quando perpetuo radijs solaribus aduritur, ideo & nullum fructum adfert & deserta est. Esa. 52. cap.

Terra uiuentium simplicissimo tropo scripturæ, nihil aliud est, quàm hoc præsens seculum & uita, in qua nos uiuimus & habitamus. Esaiæ quinquagesimotertio, describens mortem & passionem Christi, ait: Abscisus est de terra uiuentium. Et adhuc clarius Ezechias explicat, ut illud ex sua cantione uidere licet, quum ait, Ego uadam ad portas inferi: Non uidebo dominum in terra uiuentium: pro humanis, uel pro hac uita. Aliàs etiam accipitur pro cœlesti. Fatetur se huc fuisse redactum, ut crederet se ex hominum uita sublatum iri. Sic Hieremiæ undecimo cap. Et excindamus eum de terra uiuentium. Sic Dauid Psalm. 114. Placebo domino in regione uiuorum. Et Psalm. 26. 116. 27. & 141. Credo uidere bona domini in terra uiuentium, satis indicat de fide dici, quæ est in hac uita sanctis. Eodem tropo usus est Christus Matthæi 5. Beati mites quoniam possidebunt terram.

In terram longinquam manibus proijcere id est, in terram distantem longo interuallo. Item, Terra spaciosa, ut quæ uelut manibus late protrectet. Geneſis trigesimo quarto capite.

Terræ & cœli nomine, mundus uniuersus intelligitur. Et qui fecit cœlum & terram, hoc est, mundum. Augustinus de moribus ecclesiæ. Terra & cœlum aliquando synecdochicos pro cœlestibus & terrenis usurpantur, ut ibi: Qui fecit cœlum & terram.

Terræ columnæ. Metaphora sumpta ab ædificijs nostris, quemadmodum & Iob 9. Qui commouet terram de loco suo, & columnæ eius concutiuntur. Et cap. 26. Columnæ quoq; cœli dicuntur. Terra nulla re sustentatur, nisi manu dei, quemadmodum Iob dicitur: Qui appendit terram suam super nihili. Tamen Psalmo 74. Ego confirmaui columnas eius.

Terræ nomen insuper pro hominibus terræ incolis accipitur per metonymiam, Gene-

Geneſis cap.6.qui non ſapiebant quæ cœleſtia erant,ſed quod terrena.id eſt,Ante hæc tempora iam cœperunt homines flagitioſiſſime uiuere,uidente ac ſciente Deo.quaſi dicat,Iam erat maximus contemptus Dei. Corrupta eſt autem terra coram Deo,& repleta eſt iniquitate.

Terram comedere,& ſuper uentrem gradi.Geneſ.5.Eſt uerſari in imis & obſcuriſſimis terræ cauernis,anguſtis admodum,& non altis.Sunt enim cauernæ multæ ita anguſtæ & depreſſæ,ut in illis nemo erigere ſe poſſit,niſi manibus exporrectis innitatur.

Terram clamare,eſt contra regentis iniuſtitiam iuſte ſubiectos dolere. Hiob 31.

Terram manducare,nihil aliud eſt,D. Auguſtino teſte,quàm terrenis paſci,delectari & inhiare,ſurſumq; corda non habere.

Terra ænea,cœlum ferreum. Leuitici capite 26.id eſt,aer ipſe non uertetur poſthac in pluuiam,& terra ueſtra non dabit fructum ſolitum.

Terra ferrea,quæ arari non poteſt.Deute.21.Vocat cœlum æneum,quod non pluit: & terram ferream,hoc eſt,inarabilem.quaſi dicat,nulla aqua molliet, & macerabit terram ut aretur,erit inarabilis.

Terra torrentium aquarum.Deuteronomij octauo capite,Terram riuorum aquarumq; & fontium,&c.torrentium aquarum.id eſt,in qua ſint multi amnes,ſiue flumina.Et Deuteron.cap.10.In terra aquarum atque torrentium.id eſt,patria in qua multi ſunt amnes.Per appoſitionem dictum.

Terra obliuionis,Pſalmo octogeſimooctauo,Et iuſtitia tua in terra obliuionis.Vocat inferos uel ſepulchrum,terram obliuionis,quod mortuorum memoria apud inferos breui intereat.

Terra recta,pro uia recta. Pſal.143. Spiritus tuus bonus deducat me in terra recta. Hoc eſt,neceſſe eſt ei omnia optime credere,qui Deo gratificari ſtuduerit,ad hoc ſe inſtitui & deduci diuino ſpiritu in terram rectam,inſtitutum rectum.

Terra omnis,Pſal.138.Celebrabunt te,ô Iehouah,cuncti reges terræ.hoc eſt,uicinæ ſcilicet (ſic enim ſcriptura,Omnis terræ appellatione uti ſolet) Deum celebrare.Hij reges fuere,Hiram rex Tyri,Toi rex Hamath,ac alij nonnulli.

Terræ plenitudinem,Micheas capite 1.uocat habitatores utriuſque regni Iſraelis & Iudæ.

Terræmotus,potentiæ Dei ſignum præclarum.Pſal.104.Qui reſpicit terram,& tremit,tangit montes & fumant.Hoc eſt,reſpicere terram,nutu ſuo diuino exagitare,&c.

Per Terræ autem tremorem & montium fumigationem, ſignificat nihil tantis nitiuribus,quod non concidat,ipſo irato.Perelegans autem eſt potentiæ diuinæ ſignificatio,in eo quod canit à ſolo Dei intuitu terram tremere,& à ſolo eius contactu montes iam incenſos fumare.Solenne quoq; eſt in ſcripturis,per ignem,diuinam ultionem ſignificare. Terrenum domicilium,pro tempore.2.Corin.5.Scimus enim quod ſi terrenum noſtrum domicilium huius tabernaculi.Corpus uocat terrenum domicilium. Facit ad amplificãdam corporis humani fragilitatem.Quod domicilium appellitet terrenum,quaſi tu dicas ſcenum & domum luteam.Ex luto conditum eſt corpus.

Terribilis,pro illuſtri.Malach.1.Et nomen meum Terribile in gentibus.Septuaginta,epiphanes legunt:id eſt,illuſtre.Ioel.2.

¶ *Terrere*, uerbum elegans in ſcriptura frequens eſt,ut quas ſumit Dei de improbis pœnas,per terrorem ſignificet.Pſal.2.Tunc loquetur ad illos in ira ſua,& in indignatione ſua terrebit eos.Iraſcitur Deus & commotus perterrefacit eos,dum conſcientiæ ipſorum pauorem immittit,dum oſtendit uerbum ſuum inuictum & æternum aduerſus machinas eorum.

¶ *Terroris* appellatione religio uenit,2 Corin.3.Scientes igitur terrorem illum Domini,ſuademus hominibus.Gen.31.cap.Vbi Iacob dicit,Niſi timor ſeu metus Iſaac adfuiſſet mihi.hoc eſt,metus ille & amor quo coluit pater meus Deum,&c,effecit.

Item,Terror appellatur quoq; qui nimis peccat.Ezech.28.ca.Terror fuiſti & non tu uſque in æternum.Septuaginta,perditio.

In Terrorem eſſe, eſt contremiſcere. Deuteronom.21.cap.Et eris in terrorem (uel commotionem) omnibus regnis terræ.Id eſt,audita calamitate tua,contremiſcent regna terræ.

¶ *Ternarius* & Denarius numerus multitudinem deſignat,ut apud Daniel.7.cap.

Cornu illud paruulum quod inter decem cornua erat tria alia euulsit. Per Ternarii enim numerum multiplicem intellexit.

¶ *Tertio*, pro sæpe & haud uulgariter. 2. Cor. 12. Super tertio rogaui dominum, hoc est, multoties enim rogauit dominum. Nam hæterosi usus est, certum pro incerto numero posuit Apostolus.

¶ *Testari* pro exponere, Exodi 19. Descende, testare populo. Et Exodi 21. Non testificata, hoc est, non desponsata.

Testari seu testificari & iudicare Psalm. 122. significant docere uerbum: Illuc enim ascendent tribus domini ad testificandum Israeli: hoc est, ad docēdum & audiendum uerbum dei, seu prædicandum populo Israel. Quia illic constitutæ sunt sedes ad iudicandum sedes domus Dauid. Habent enim Ebræi multa uerba, quibus significatur ministerium docendi, seu doctrina. Sicut enim multa uerba habent, quæ Irasci & gaudere significant. Eloqui, promittere, confiteri, sedere, iudicare, testificari, docere, hæc omnia sērè significant idem, quod nobis uerbum prædicare seu concionari. Hinc

Testandi uerbum Hebræis, pro intrepide & constāter prædicandi uerbo accipitur.

¶ *Testamenti* uerò uocabulum usurpatur pro ordinatione & legatione certæ hæreditatis adeoq; pro promissione & decreto, quo aliquis quid post mortem fieri uelit decernit. Vlpianus enim Testamentum ait, est uoluntatis nostræ iusta sententia, de eo quod post mortem fieri uoluerimus. Galat. 3. cap. Hominis licet testamentum si modo comprobatum sit, nemo reijcit aut addit aliquid. Testamentum & promissionem pro eodem usurpat Apostolus. Et Hebr. 7. Tanto potioris testamenti sponsor factus est Iesus. Et capite 8. ad Hebræos, & Hierem. 31. capite, pro ordinatione aliqua: Metaphora sumpta à morientibus, qui testamenta condunt: id est ita res suas disponunt ordinantq; ut uolunt. Aliquando pro certa ponitur promissione, & per metalepsin, nonnunquam pro ipsa etiam re promissa. Sic enim solemus ipsam peccatorum remissionem, testamentum uocare.

Testamentum dei, reuera legatum illud est, quod nobis legauit, promisit & ordinauit deus per filium, peccatorum uidelicet remissio. Mat. 26. Sic Paulus ut suprà ad Hebræos audiuimus, ex autoritate Hieremiæ 31. Testamentum hoc fœdus, & illud dei pactum est, quo deus uoluntatē suam erga nos testatus est, prorsusq; nobiscum certis conuenit conditionibus: Ero deus tuus & seminis tui, &c.

Testamentum usurpat Zacharias apud Lucam cap. 1. quoq; pro fœdere & promissione, qua se obstruxit ex gratia hominibus. Imitatur enim morem hominum, quibus in usu est condere testamenta & inire fœdera, idq; conceptis uerbis & solenniter.

Cæterum ברית Græci interpretes Bibliorum διαθήκην. D. Hieron. fœdus, alij testamentum reddiderunt. Id cum scriptura memorat, Deum iciſſe cum populo uel nouo fœdus, significat pactum illud, quo deus pollicitus est, se fore populi sui deum, illumq; suscepit in fidem suam, ut se deo frueretur: id est, seruatore & patrē, seq; inuicem uoluntati dei in omnibus addiceret. Vetus itaq; fœdus & testamentum est, quo deus suscepit Abrahā & semen eius. Gen. 17. Deinde renouauit cum toto populo per Mosen in monte Sina, de quo Exodi 19. & 24. Et Iosuæ 24. cap. Nouum fœdus & testamentum est, quo deus omnes gentes suscepit in populum suum per euangelium, de quo fœdere prophetæ multa prædixerunt, ut Esaiæ 54. 55. 59. 61. Hierem. 31. describitur fœdus hoc per remissionem peccatorum, & amplitudinē spiritus omnibus electis impertiendi, ut cognoscant dominum à minimo usque ad maximum, inscripta lege dei in cordibus eorum.

Si quis diligenter Hebraica uolumina, cum Septuaginta interpretum translatione contulerit, inueniet ubi testamentum scriptum est, non testamentum sonare, sed pactum, quod Hebræo sermone dicitur ברית, quod Aquila (teste Hieron.) συνθήκην, id est, pactum interpretatur. Septuaginta autem semper διαθήκην: id est, testamentum. Plerisq; autem in locis scripturarum, testamentū in uoluntatem defunctorum sonare sciat pius Lector, sed pactum uiuentium.

Testamenta porrò sunt, quæ aliquid testantur, siue alicuius rei memoriam faciunt, ut est Sabbatum, Pascha, &c. Ideo Testamentum abusiue interdum accipitur pro signo aut symbolo testamenti, quemadmodum instrumentum dicuntur testimonia qui tamen nec spirent, nec loquantur, sed signa sunt dictorum & factorum eorum qui ali-

qui aliquando ſpirabant. Aliud exemplum & clarius. Accipiuntur interdum inſtrumenta pro teſtamentis, ut apud Marcum illum T. Ciceronem ſæpenumero, apertum eſt teſtamentum, &c. At literæ non erant teſtimonium, ſed bona legata. Quid enim profuit ſet literas legatas eſſe: ſed in literis continebatur, quod cuiq; legatum diſtribui oporteret. Sic & in Euangeliſtis, Teſtamentum eſt mors & Sanguis Chriſti. Teſtamentum proprie eſt ultima & irreuocabilis morientis uoluntas. Qua ille ſuorum bonorum hæredes inſtituit. Sic Teſtamentum, ſiue fœdus Chriſti, uerba dei ſunt, quibus dicit: Hoc eſt corpus meum, hoc facite in meam commemorationem, &c. & quod nos per Chriſtum in filios dei coaptati ſumus.

Teſtamentum pro pacto (ut ſupra attigimus) & promiſſione, autore etiam Chryſoſtomo, in caput ad Hebræos decimum Homil. 19. Et Diuus Auguſtinus. Amat enim ſcriptura Teſtamenti nomine pactum appellare, Geneſis 21. Et diſpoſuerunt ambo Teſtamentum, uel teſtati ſunt ambo. Et alibi Deuteron. 5 cap. Non diſpones ad eos teſtamentum, cum de gentibus diceret: Teſtamentum ergo pro pacto poſuit. Et Ioſuæ. 9 cap. Vide ne in me habites, ſed quomodo diſponam tibi teſtamentum. Pactum pacis teſtamentum uocat ſcriptura quidem ſuo more: nam ſæpe ita loquitur.

Teſtamentum quoq; pro præcepto. Ioſ. 7. cap. peccauit populus, & trãſgreſſus eſt teſtamentum meum, quod diſpoſui ad eos. Notandum quemadmodũ teſtamentũ appellet hoc, quod præceperat, ut anathema eſſet Hiericho, & nemo ſibi inde uſurparet.

In Teſtamentũ manum ad femur ponunt Hebræi, quod femur principiũ eſt pro ſeminãdi & gignẽdi. Quemadmodũ igitur ſaluator omniũ hominũ Chriſtus ſemen illud benedictũ ex illis naſciturus erat corporaliter, & omnes homines in fide Abrahę colecturus, ponunt manum ad femur, quoties huic rei admonere uolebant. Ideo tum anxie & Iacob adiurabat Ioſeph filium ſuum chariſſimũ, & cui maxime fidebat, à iuramento & extremo ſigno liberum eſſe non uoluit. Ardua enim res erat, & maximum myſterium.

¶ *Teſtificari*, eſt ueritatẽ non ſolũ dicere, ſed aliás incognitam, tanquam certam aſſerere & affirmare. Quapropter in teſte requiritur non modo ut uerax ſit, ueritatemq; de qua teſtificatur, compertam habeat, ſed etiam ut fide dignus habeatur. Ioannis 8. Tu de teipſo teſtificaris.

Teſtificari quoq; pro apparere, loqui, exhortari, aut conuenire eum, cum quo loquaris. Exod. 24. Teſtificabor quoq; ibi filijs Iſrael. Hinc apud Dauidem Pſalm. 118. Inclina cor meum in teſtimonia tua: nihil aliud eſt, quàm uoluntatem meã, cogitationes meas, deſiderium meum, inflecte ad ea quæ locutus es, ad tua oracula, præcepta tua, in quibus uita & animi & corporis poſita eſt.

Apparet in hoc loco Teſtari nonnunquam ſumi pro eo quod eſt loqui deum cum homine, & Teſtimonia dei eſſe eius oracula, eius uoces, eius eloquia. Numeri ſeptimo cap. Vbi teſtificabor uobis, aut teſtimonium mei uobis exhibebitur, ubi mei conteſtatio uobis fiet.

Teſtificatio & Teſtimonium, pro libro fœderis. Exod. 25. cap. Teſtificationem quam dabo tibi, uel teſtimonium quod daturus ſum tibi: id eſt, librũ fœderis, tabulas lapideas continentes Decalogum, quæ uobis teſtantur meam uoluntatem.

Teſtificari ſermonem dei, eſt magna libertate & grauitate annunciare ueritatem, quam niſi ſuſceperis, audieris tamen, tibi ipſi in teſtimonium iuſtæ damnationis audieris, ſumpta eſt metaphora à teſtibus & ratione teſtificandi.

¶ *Teſtis* ſignificationem Hebræi pro prædicatore nonnunquam accipiunt. Eſa. 55. Ecce dabo populis. Quomodo & in Actis: Eritis mihi teſtes in omni Iudæa, &c. hoc eſt, prædicabitis & teſtificabimini de me Iudæis, Samaritanis, & cunctis gentibus: nam teſtari (ut & ſuprà annotatum eſt) uſu ſcripturæ, idem quod uerbũ dei annunciare, ut Pſal. 80. Et Pſal. 121. Hinc

¶ *Teſtimonium* uerbum domini, & prædicatio eius in ſcriptura appellatur. 1. Cor. 1. & alibi. Et ob hanc cauſam, quod deus ſolet uerbum ſuũ per homines eloqui, qui teſtes ſunt ad populũ, ut ex ſuperioribus patuit. Nam id quod teſtatur, non uidetur, ſed auditur, & tantum creditur. Hinc q; Teſtimonium nihil aliud eſt, quàm uerbum domini per angelos, uel homines eloquutũ, quod fidem requirit. Et promiſſa dei ſimul & iuſſa, Teſtimonia dei dicũtur, quæ nobis ſcilicet, de eius uolũtate teſtant. His itaq; dũ ſtudemus,

dum incumbimus,& teſtimonia & fœdus obſeruamus:tum & ſentimus atque experimur,ut uere nihil niſi bonitas ſit & fides,quicquid à nobis poſuit.hoc eſt,cunctæ eius uiæ,in quibus poſtulat ut gradiamur.

Teſtimonium.1.Cor.2.Paulus capit pro eo quod ſibi à deo demandatum erat.

Teſtimonium Dei id eſt,mandatum & præceptum Dei.Teſtem ergo eſſe,aut Teſtimonium ferre,Hebraico more ſignificat.id quod alicui mandatum eſt ſtrenue & conſtanter exequi.

Teſtimonium quoq; ferre,aut Teſtari, Hebræis annunciare,& exactè exponere ſignificat,confiteri etiam non ſolum in iure,ſed in omni ſermone.Exod.20,Non loquaris contra proximum tuum falſum teſtimoniū:hoc præcepto uetatur,ne quis aut mendacium in proximum confingat,aut proximi dicta calumnietur,quod ex cap.19.Leuit. facile deprehenditur.

Teſtimonium ferre ueritati,periphraſis eſt Prophetiæ. Sic Chriſtus apud Matthæū, In hoc ueni,inquit ad Pilatum,ut teſtimonium feram ueritati.Quaſi dicat,Non in hoc ueni ut regnem,ſed ut teſtimonium ueritati feram.Sic Ioannes miſſus fuit,ut teſtimonium de luce,id eſt de ueritate ferret.Sic apoſtolis Chriſtus dicit Ioan.15.ca.Et uos teſtes eſtis mei,Et Lucæ ult.cap.Pater ergo miſit filium in mundum,ut teſtimonium ferret ueritati.hoc eſt,ut ſeſe mundo innoteſceret,ipſe enim eſt ueritas.

Teſtimonium autem mereri poſuit epiſt.ad Heb.11.pro placere & probari Deo.Per hanc enim teſtimonium ueteres meruerunt.

Teſtimonium porrò legem uocari,uel ex Pſal.abunde,ut & ſuprà,liquet.In teſtimonium illis,Mat.7.hoc eſt quod Moſes toti populo legem & ius ſtatuit.Et Mat.24.In teſtimonium omnibus gentibus.Non ſolum in malam partem,pro condemnatione,ſed in genere magis accipiendum eſt,ut electis prædicari euangelium agnoſcamus in teſtimonium gratiæ dei & ſalutis,reprobis autem in teſtimonium condemnationis.

Hic Teſtimonium pro lege & doctrina Dei in ſcripturis accipi uidemus.Hinc Pſal. 78.Et ſtatuit teſtimonium in Iacob,& legem poſuit in Iſrael,Hic quis non uideat,Teſtimonium & legem pro eodem accipi.Item Pſal.122.In teſtimonium Iſraelis.Prædicationem uocat teſtimonium Iſraelis.hoc eſt,tale teſtimonium quod prædicatur populo Iſraelitico iſtic congregato. Item,Teſtimonium, ceremoniæ & iudicium pro eodem accipit pſaltes in Pſal.81.

Teſtimonium adhæc pro ipſa re teſtata,proq; ipſo Chriſto aut ſalute.1.Ioan.5.Qui credit in filium dei,habet teſtimonium in ſeipſo,&c.

Teſtimonium,pro arca teſtamenti.Exo.30.& Leuit.16.Arca dicitur Teſtimonium, quod teſtimonium in ea ſeruaretur.Supra teſtimonium.pro,Supra arcam teſtimonij fœderis.

¶ *Tharſis* dictione,longinquum aliquod mare ſignificatur quodcunq;,ubi præter cœlum & mare nauigantibus nihil uidetur.Ionæ cap.1.apparet.

Hinc Tharſis ſignificat interdum exteras & remotiſſimas quaſq; ac maritimas regiones ſeu nationes.Ezech.38.ad quas benedictio Abrahæ peruentura eſſet.

¶ *Theſauri* uocabulo infinitam & inexhauſtam abundantiam interim ſcriptura exprimit,ut Pſal.17.Quorum uentrem de theſauro tuo adimples.Vuæ noſtræ alimoniam theſauro Dei Pſaltes adſcribit.Theſaurum illius uocans omnem eam ſubſtantiam è qua paſcimus in hac uita.Similiter Pſaltes accipit Pſal.134.pro largitate immenſa Qui producit,inquit,uentum de theſauris ſuis.Et Luc.6.Bonus homo ex bono theſauro cordis ſui profert bonum. Theſaurum,pro repoſitione,more Hebraico capit Lucas,in quo reponitur aut ſeruatur theſaurus.Similiter & Matth.5.Chriſtus pro loco & repoſitorio. Cor, appellat theſaurum bonorum & malorum.hoc eſt,locum & repoſitorium,unde promittuntur bona & mala.

Theſauri deinde nomine,ſecreta Dei intelligit Pſalmiſta,Pſal.22.Ponens cum theſauris abyſſos.Nouit ille omnium corda,quid ad tempus proferat,unde proferat,quantam poteſtatē tribuat malis in bonos,ad iudicandos quidem malos,erudiendos autem bonos.Nouit quomodo hæc agat qui ponit in theſauris abyſſos.Hæc in Pſal.32.Auguſtinus,theſaurum ergo dei,ſecretum dei eſt.

Theſauri quoque nomen Hebræi exponunt pro uaſis quibuslibet,ut ſunt uaſa domus & pocula uinaria.Hierem.35.Item,pro pectore uſurpatur.Deut.32. In The-

In Thesauris meis, id est, in pectore meo, ita ut mihi excidere non possit.

Thesaurus denique dicitur, quicquid scilicet in quo speratur, fiditur, animus conquiescit, quod diligitur, fouetur, & ita custoditur, quasi sine eo pereundum sit, quo animo mundani diuitias colligunt ac reponunt, Matth. 6.

¶ *Thorah*, id est lex: uocamus enim legem uel doctrinam Thorah, ideo quod uiuendi rectéque agendi rationem præscribat. Ebræis ab indicando, docendoque dicitur, & uocantur illis hoc nomine tori quinque libri Moses, licet non solum præcepta uitæ, sed & historias multas contineant. Verum dum omnia bonitatem dei indicant, ad imitãdam illam inuitant, & uniuersi illi libri totum utriusque Testamenti instrumẽtum, denique quicquid uspiam ueri & recti, siue de deo ipso, siue de conditis ab ipso rebus, siue denique de moribus & institutis humanis traditum est, Lex non inepte dicitur.

Lex dei, quæ in se nihil est, quàm uoluntas Dei, moralibus declarata, Thorah, id est, doctrinam uocat, Psalmo primo, in hunc finem esse legem à deo datam, ut populus dei tederetur intelligens, & ad ueræ pietatis & iusticiæ cognitionem ac studium instituere tur, Deuteronom. quarto. Hæc est enim uestra sapientia & intellectus. Iosue primo capi. Item, Tunc diriges uiam tuam, & intelliges eam.

¶ *Thopheth* hoc nomen pro gehenna accipi clare constat, consentientibus etiam Hebræis, cum nostris scriptoribus: nempe apud Esaiam capite 30. Quoniam ordinata est ab heri Thopheth (gehennæ,) etiam pro rege est præparata: quam (Dominus) in profundum posuit & dilatauit. Hoc est, ab initio mundi infernus paratus est, &c.

¶ *Thronus* siue Sedes imperij, regnique symbolum, sic & sceptrum à uirgarum ratione, ut in uocabulo Sedes, seu Sedere dictum est, Hebræorum primo capite. Considere in throno maiestatis in cœlis, hoc est, uerè filius dei est, & æqualibus cum patre bonis potitur & summo honore conspicuus. Nam hoc sibi modus loquendi uult.

Per Thronum maiestatis, deitatem intelligit scriptura, sicut nos per Imperatoriam maiestatem, Cæsarem. Hinc & Thronus pro potentia, Psalmo nono sumitur, sed isti super thronum, qui iudicas iustitiam.

¶ *Thuribulum* & Ara in qua suffitus fit, Hebræorum nono capite, quo orationes & desideria sanctorum significantur, dicente propheta: Sit oratio mea incensum coram te, eleuatio manuum mearum sacrificium uespertinum, Leuitici decimosexto, Ara seu Altare Christum significare, ex Epistola ad Hebræos notum est. Thymiama seu incensum adumbrare orationem, scriptura Psalmi adducta ipsa explicat, Psalmo centesimoquadragesimo. Et Lucas de Zacharia Ioannis parente, cum adoleret incensum, compos factus est orationis suæ.

¶ *Thuris* dictio orationem, cultum dei & deuotionem denotat, Cant. 4. Et odor unguentorum tuorum, sicut odor thuris, Psal. 140. Ascendat seu dirigatur oratio mea, sicut thus in conspectum tuo, cum superiore confine.

Thuris incensum adumbratum uidemus Leuitici cap. 2. hoc est, orationem Christi & Christianorum. Thus ad cultum dei pertinet: nam

Thure deo litare solebant Iudæi. Hoc quoque illis tribus Magis de quibus Matthæus scribit præfiguratum fuisse, Matth. cap 1. Obtulerunt ei munera, aurum propter regiam potestatem & administrationem: Thus ad cultum dei: Myrrha ad sepulturæ splẽdorem. Ponit D. Hieronym. mysticam horum rationem unico uersiculo: nempe isto, aurum thus, myrrham, regique hominique deoque.

¶ *Tibia* poni pro fortitudine Psalm. 141. non est ambigendum, ne quis instrumentum nescio quod musicum imaginetur. Est enim tibia, quæ à genu incipiens ad malleolos usque protenditur: cuius partes sunt, crura ac sura. Igitur pro eleganti adducto Psalmo, hominis gressu ac robusto ponitur. Sic ait, Neque in tibijs uiri beneplacitum erit ei.

¶ *Timere*, pro colere. Ionæ capite 1. Ego timeo eum, qui fecit mare & aridam. Ergo Timere, in sacris, frequens usus pro suspicere, adorare est. Apocalyp. 14. Timete Deum. Nam timor Domini uerus est cultus. Videtur Hebrææ linguæ proprium esse, ut Timorem Dei uocet, id quod nos cultum, metum Dei, seu pietatem dicimus, Græce theosebian, pietatem, Deique uenerationem, declarantes nihil esse aliud Deum in sacris literis Timere, quàm apud gentes eum uenerari, pieque colere. Hinc passim Timoris nomine scriptura religionem trepidamque Dei uenerationem significat. Sed talis Timor est,

qualis

qualis filij erga parentes dilectos, non seruitutis iugum sub tyrannide. Tali reuerentia, seu timore cum amore coniuncto coluerunt sancti patres Deum, ut Genesis 31 capite, Et Moses duo illa coniungit, timorem & obseruantiam præceptorum. Deutero. 6. cap. Vt timeas Dominum, &c. Vnde Timere Deum, seu Dominum, nihil aliud est, quam Deum colere. Sic coluerunt omnes pij nam talis cultus est fiducia in Deum & conuersatio coram Domino recta, ac ei seruire. Sic & Dauid Psalmo 39. Timorem Iehouæ docebo uos. intelligit uerum Dei cultum & uitam religiosam, quæ Deo probetur, cuius timor & obseruantia Dei, fundamentum & initium est. E contra impij seruire agentes, suisq; libidinibus seruientes, Deum contemnunt ac negligunt. Sed ubi Timor Domini, hoc est cultus uerus Dei, ibi Deus metuitur, ibi uerò colitur. Sic & Tremor, non raro cum Timore, solet coniungi, quemadmodum in Psalmo 1. & in nomine Tremor, uidebimus. Sic Tremor, Terror, Metus & Timor, sæpenumero pro eadem significatione usurpantur.

Timor hinc quoq; duplex oritur. Timor reuerentiæ, seu filialis, est qua filius patrem timet, id est, reueretur. Hunc Timorem Latini irreuerentiam uocant. De quo timore habetur in Ecclesiaste, capite ultimo: Time Deum, & obserua mandata eius. De illo Timore, plena est scriptura, & admonet commendatq; nobis hunc summa charitate. Alter est Timor pœnæ seruilis, qui Ioan. describitur, Timor pœnam habet. id est, adstigit & cruciat. Rom. cap. 8. Vos enim non accepistis spiritum seruitutis, De quo Seruitutis spiritus in litera S diximus. Summa, Seruilis timor, malus: nam quatenus timetur pœna, oditur Deus: quatenus amatur Deus, metus abest.

Timor, porrò non semper pro cura & studio mandatorum, & reuerentia Dei. De quo Propheta dixit, Initium sapientiæ est timor Domini. Nihil horum apud Ioannem. 1. Ioan. 4. cap agitur. Timor non est in charitate: sed perfecta charitas foras ejicit timorem, quia timor cruciatum habet. Timor, sumitur pro desperatione & conscientia consternata, quæ angitur curis indefessis. Nam ipse Ioannes statim subiecit, Timor cruciatum habet. Cum Timore seruire, est cum reuerentia studioq; summo, de quo Psal. 2. & in uerbo Seruire explicatum est.

Timor adhæc nocturnus, ubi omnia aguntur in infidelitate, in Dei ignorantia, in uoris tenebris, tali oblitione & contemptu Dei, quasi non sit aliquis Deus. Vbi fit iusto Dei iudicio, ut impius semper sibi mali conscius, quum Deum sancto & filiali timore nocturno afficiebatur. Vnde in Psalmo, Non est timor Dei coram oculis eorum, illic trepidauerunt timore, ubi non erat timor. Et in Prouerbijs: Fugit impius nemine persequente. De quibus item Psaltes, Fiat uia eorum tenebræ. Hoc nimirum est, quod Deuteron. 28. dicitur. Quod si audire nolueritis uocem Domini, palpabitis in meridie, sicut palpare solet cæcus in meridie.

Timori tremor, sæpe coniungitur in sacris literis, id quod Paulus facere consueuit. Ephes. 6. cap. Serui, obedite ijs qui Domini sunt, iuxta carnem cum timore ac tremore, &c. Id est, magna cum diligentia curaq; facere & omni studio annitēdum esse, & quàm exactissime obediant. Nam qui summo studio quid faciunt, timent, ac tremunt, subinde metuentes ne sat bene faciant, quod faciendum susceperunt. Et 2 Corin. 7. Quemadmodum cum timore & tremore excepertis illum. id est, summo gaudio & summa reuerentia. Similiter & Dauid Psal. 2. Seruite domino in timore, & gaudete in tremore. Tremor ex gaudio nascitur. Quo enim plenius cognoscitur, quanta sit salus Christum regem habere, eo utique maiore gaudio, timore ac tremore datur opera, ut tanto regi rite seruiatur, & grata illi nostra habeatur. Id in probo filio erga parentem, & bene morata uxore erga maritum uidere liceat. Ad aduentum ille parentis, hæc mariti, toto animo commouerur: & gaudio simul & timore, sed qui ex nimio gratificandi studio nascitur, penitus connititur. Sic affectus decet eos esse erga Christum regem, eoq; ardentius, qno plurisit le nobis & charior esse debet, quàm mortales sunt mortalibus. Hoc uates uidetur per timorem & tremorem nomine significare, quo utiq; intenta diligentia significari.

Timore dei uacui dicuntur, quicunq; instituendæ uitæ ad placitum dei non sunt solliciti, nihilq; dei norunt, quicquid iactant.

Timore timere, Psal. 14. est maximopere timere, & uehementer pauere ac trepidare. Nam hoc pleonasmo, quo Hebræi admodum frequenter utuntur ad exprimendam rei magnitudinem.

Timere

Timere, seu Pauere Hebraice Pahad mediũ uerbum est, & nonnunquam in malam nonnunquã in bonã partẽ accipit. Nam Moses minat transgressoribus legis, Deut. 28. dicit futurũ, ut paueãt dies ac noctes. Cõtrà, cum dicit Gen. 31. de iacob iurasse eum per Pauorem seu Timorem patris sui Isaac. Ibi de deo & beato pauore & timore eñ loqui clarũ est. Hos. 3. cap. Pauebunt à bonitate eius quis non uidet pauorem hunc uerius reuerentiam esse, & acre studium, ne tam beneficus deus offendatur?

Timere à uobis, loquutio Hebraica est, longe enim aliter Hebræus, quàm Latinus, Hebræus accusatiuum cum præpositione adscribit. Latinus tantum accusatiuũ. Deut. 2. Timebunt à uobis. Septuaginta, Et timebunt uos.

¶ *Tingere*, pro lauare. Dan. 5. Corpus eius tinctum: id est, lotum.

¶ *Tondere* pro polire. Exod. 20. Non ædificabit illos tonsos. Septuaginta, sectos.

¶ *Tinnire aures* dicitur prouerbialiter lib. 1. Samuelis 3. pro consternari & obstupefieri in re graui & horrenda. Tinniant ambæ aures, inquit, eius.

¶ *Tityones fumigantes* locutio est apud Esaiam cap. 7. Exercitus duorum regum dicuntur Tityones fumigantes, eo quod ira fumigent ac sæuiant: & caudæ, eo quod breui exstinguendi sint, & iam ad finẽ furoris sui peruenerint, ut pote erepti ab igne. Est insignis extenuatio. Apparebant enim hostes Iudæ non tityones, sed ardentes fornaces & ingentia incendia esse, & tamen dicit fides: Sunt tityones combusti, qui non ardent amplius, sed tantum fumant ac mox in cinerem redigentur. Sunt omnes (ut est Terra titio, &c.) tityones adusti & fumigantes, qui contra pios & in deum sperantes suscipiunt animã & acuunt ingenium. Ne formides à duabus caudis, inquit Esaias titio.

¶ *Tonitrui* uox significat superni terroris, incarnationisq; apertam prædicationem, quam etiam philosophi sapientes mirum obstupescunt. Apocalypsis sexto capite, Tanquam uocem tonitrui. Et Hiob 38. cap. Et uiam sonantis tonitrui. Etiam ipse dominus per hoc exprimitur Mar. 3. Et imposuit Simonis nomen Petrus, & Iacobum filium Zebedæi, & Ioannem fratrem Iacobi, & imposuit eis nomina Boanerges, quod est filij tonitrui, filij fremitus atq; tumultus, quam appellationem indepti sunt à donorum Christi præstantia. Tonitrua & fulgura isti sunt loquuti, concusserunt totum orbem, multo potentiores & uiuidiores in dicendo & agendi multis Periclibus ac Tullijs. Theophylactus inquit, tonitrui nominat filios Zebedæi, & præcipuos prædicatores & maximos Theologos.

Tonitrui præterea, fulguris, tempestatibus & fulminibus deum suam bonam uoluntatem declarare legimus. Ita sanè fecit, cum legem daturus, primum populo loqueretur, ut scriptum est Exodi 19. Item cum ad preces Samuelis declararet se populo offensum, quod regem postulassent 1. Samuelis duodecimo capite. Sic præclaram ab Assyrijs liberationem Hierosolymitanis promitteret per Esaiam. Inuiseris, inquit, cum tonitruo commotione, uoce grandi, turbine & tempestate, & flamma ignis uorantis. Ita ortis redemptionem, morte filij partam, Solis obscuratione & terræmotu testatus fuit, illo in cruce expirante. Sic cum spiritum sanctum suis seruator mitteret, tonuit. Actorum 1. & cum postea precationẽ eorum se audisse testaretur, terram commouit, Acto. 4. cap. Certe Tonitru, uel alia quopiã insigni rerum immutatione deum testari suam beneuolentiam, ita olim uulgo receptũ fuit, ut Poeræ, quoties Iouẽ fingant supplicantibus magnis in rebus annuisse, & fulminibus suam uoluntatem esse testatum, hoc est, deũ cum præsentius & reuelatius hominibus suam uoluisse potentiã atq; uim declarare, tonuisse, fulgurasse & terrã concutisse. In summa ratio tonitruũ est, maiestatem dei agnoscere, & nostram infirmitatem declarare: Hiob. 37. cap.

¶ *Tollere uerba*, est confiteri delicta, Hoseæ. 14. cap. Tollite uobiscum uerba. Statim enim propheta seipsum explicat quum ait: Omnem aufer iniquitatem.

Tollet carnem dentibus, est dolere, & ingemiscere, & seipsum affligere, Hiob. 13. Quare tollam carnem meam dentibus.

Tollere crucem seu ferre Crucem, est deo uere placens cultus: nempe semetipsum sibi ipsi eripere, & totum deo offerre ac consecrare: id est, ea aduersa patienter tolerare, quæ propter confessionem Christi, propter iustitiam, aut propter quoscunq; alios casus accidunt. Lucæ. 9. Matth. 16.

¶ *Torcular* pro ultione & supplicijs peccatorum ponitur. Interdum tamen in congregatione nouorum fructuum pro pœnis usurpatur, atq; tormentis. Thre. 1. Torcular calcauit

calcauit dominus. In bonam partem scribũtur, Psalm. pro torcularibus. 8. & 83. in quo torculari, & malis supplicia, & bonis præmia à domino saluatore calcantur.

Torcular porrò prædicationem euangelij & uerbi & crucis denotat. Certe uerbũ crucis sicut Torcular conterit, & humiliat homines mundi, & in unum corpus multos colligit, sicut uinum in lacum.

Torcularia significant mystice passiones. Esaiæ sexagesimo secundo & quadragesimonono, Torcular calcaui solus. Quod omnes sacri patres de Christi passione intelligunt. Nã pro ecclesia & uerbo dei & martyrio & dominica passione accipitur hoc uocabulum, Hinc per Torcularia passiones generaliter possunt, quod uerbum crucis, & crucifigat ueterem hominem, & pro se cogat, uarias sustinere passiones. Iterum Esaias. Et Torcular extruxit in ea. Sicut enim boues in area terentes, significant prædicatores primæ Corinthiorum nono. Ita & calcantes in torculari eosdem significat. Hinc uinacea palea, & triticum uinum, in scripturis passim significant populos uerbo dei eruditos, uel induratos. Hinc quoque torcular significat abundantiam omnium rerum, nel ipsum uerbi dei ministerium ac legum exercitium, adeoq; totam disciplinam pietatis, per quam ueluti exprimitur suauissimus succus iustitiæ & innocentiæ. Mat. 21. cap. Et fodit in ea torcular.

¶ *Torrens* absq; additamento nusquam torrens in bonam partem legitur: nam torrente uoluptatis tuæ potabis eos, cum additamento dicitur uoluptatis. Et è contrario, Saluator ad torrentem Cedron. Helias quoq; persecutionis tempore ad torrentem Cherith latitat, qui & ipse siccatur & non impletur. Hæc Hieronymus.

Torrens deinde propter transitum siue decursum, simul autem & propter hyemem quam habet, diuersarum tentationum atque tribulationum, recte nominatur præsens uita, ita ut Dauid de Christo diceret: quia & ipse de mundo & eius tribulationibus, utpote similis nobis affectus gustauit. Psalmo centesimonono, De torrente bibens, id est, de calice passionis in hac uia, hoc est, mortali uita bibet, propterea ita sublimabitur.

Torrentes atqui Belial, metaphorica locutio, intelligitur per eam uehemens tyrannum persequutio, & insultus improbissimorum, qui inundationi comparatur aquarũ. 2. Sam. cap. 22. Torrentes, &c.

Torrens est quoq; irrigatio sanctæ prædicationis. Prouerb. 30. Oculus qui subsannat patrem & despicit patrem matris suæ, effodiant illum corui de torrentibus. Est etiam uniuersa gens, Psalm. 17. Torrentes iniquitatis conturbauerunt me.

¶ *Tradere* pro permittere. Rom. 1. cap. Tradidit eos deus in reprobam mentem, seu reprobum sensum: hoc est, ut bonum (iuxta Esa. uerbum) dicerent malum, & malum bonũ, &c. Reprobũ esse idem est quod degenerem & auersandum esse, Sic Psal. 118. Lapidẽ quem reprobauerunt ædificantes. Et Hier. 6. Argentum reprobum. Et Psal. 106. Et reprobauerunt terram desiderabilem. Sic Desiderabile oculorum, alibi in scriptura uxor dicitur. Abominabilis & reprobus idem est.

Tradere regnum deo & patri, est perducere credentes ad contemplationẽ dei & patris. 1. Cor. 5. uel, Et id quod prius non fiet, quàm Christus regnum tradiderit deo & patri: id est, quàm filius patri ecclesiam, totum, inquam, electorum numerum, quem morte sua asseruit, adduxerit: id est, pios omnes saluandos, patrono & interpellatore Christo. Vide D. Augustũ. Tract. in Ioan. 86.

Tradi in manus domini, est ab eius iudicio reçq; ipsa, uel ipso uindicante puniri, qui punit æterna uindicta, licet ad tempus dissimulare uideatur, malos in bonos desæuire, Psalm. 10. Vt tradas eos in manus tuas. Corrigibiles non tradit in manus suas, sed ut Psalmo octuagesimooctauo dicit: Visitat in uirga iniquitates eorum, & in uerberibus peccata eorum. Et sumptum uidetur ex lege Mosi & alijs ueteris Instrumenti libris, in quibus sæpissime legimus, Hostes tradi in manus filiorum Israel. Et rursus in manus hostium, quoties uindictã sumptam, aut sumendam legimus, Tradidit eos deus in manus hostium. hoc est, se uolente uicti ac rapti, pœnas dederunt idololatriæ & impurissimæ uitæ.

Tradere uerò satanæ apud Paulum primæ Corinth. 5. cap. est in aduersitatem conficere, ad interitum carnis: id est, ad mortificandum externum hominem, adeoq; ipsum scelus designatã. Proinde scripturarũ more, satanæ tradere dixit, pro eo quod est adfligere, confun

cõfundere, perturbare. Sic enim & Iob Satanæ traditus est, & de Paulo refertur datus angelus Satanæ, qui colaphizet ipsum. Tradatur Satanæ, inquit Apostolus, ad interitum carnis, ut spiritus saluus sit in die Domini Iesu. Proinde ista non damnatur anima, nisi accedat & supplicij contemptus & sceleris perseuerantia, hoc est, cor pœnitere nescium. Hinc, autem

Tradere Satanæ aliquem ad carnis interitum, est iudicio ecclesiæ eum excludi è cœtu fidelium, ita ut ei nemo communicet: nempe in iusto & infideli quantum ecclesiæ cõstat. Tradatur ergo Satanæ, hoc est, excludatur è corona fidelium, ad fligaturq; corpore, id est, condemnatur ad tempus. Nam hac electione exterior homo confunditur.

¶ *Traditionis* nomine totam euangelij prædicationem Paulus intelligit primæ Corinthiorum decimoquinto. Tradidi uobis in primis quod & acceperam, & cætera. Et primæ Corinthiorum undecimo capite, Et quemadmodum tradidi uobis instituta tenetis.

Per Traditiones (Paulus ad Galatas cap. 1. Vbi inquit: Cum uehementer essem studiosus à maioribus meis traditorum institutorum) non modo eas intelligamus quas legi dei affeuerant Pharisæi, sed ipsam quoq; legem dei quod scilicet ceremonias, ritus, & figuras attinet.

Traditiones humanæ dicuntur Scoria, Sordes, Siliquæ, Paleæ, Somnia, Stercora humana, Vinacea uuarum, Tenebræ, maledictio, &c.

¶ *Trahere* pro adducere, Iudicum 4. Et traham ad te torrentem Kison Syſuram principem exercitus Iabin. Septuaginta ἀγὼ ἐπάξω, adduco. Item, pro adiungere per fidu ciam Christo, ut Ioan. 6. Nemo potest ad me uenire, hoc est nemo mihi accedit, tanquam unico salutis pignori, nisi pater qui me misit, ipsum trahat. Quem autem is ad me traxerit, hoc est, mihi per fiduciam iunxerit, hunc ego resuscitabo, id est, in uita seruabo, ultimo die. Trahere atqui iniquitatem tanquam in plaustro, est pergere in iniquitate, non uelle emendari, Esaiæ 5. cap.

¶ *Transferre* לקח Hieronymus, Verbum translationis in Genesi primum legimus ubi Henoch transtulit deus & non inueniebatur, qui transfertur à deo, non inuenitur ab inimicis suis, nec ei potest insidiator obrepere. Hoc quippe significare æstimo, & non inueniebatur. Sapientes quoq; huius seculi eos qui de dogmate transferuntur, ad dogmata translatos uocant. Vt Dionysius ille, cuius fuit ante sententia: Dolorem non esse malum, post quam oppressus calamitatibus & dolore cruciatus, cœpit quod dolor esset summum omnium malorum, ab his appellatus, translatus, quod scilicet, à priori decreto recedens, in contrarium recidisset. Hæc ille.

¶ *Transire* uerbum est nonnunquam forense, & idem est quod in potestatem uenire seu redigere, & conditionem mutare: ut quum serui fiunt qui liberi erant, quomodo in rebus Ægyptiacis in Genesi habetur cap. 47. Et populum ipsum transire fecit ad ciuitatem de termino ad terminum. Quasi dicat Moses: Non solum tellus ipsa facta est Pharaonis, sed & populum ipsum oppidatim proprium fecit Pharaoni de suo iure in ius Pharaonis fecit transire: ut sit Facere transire, idem quod capite diminui. Sic Exodi cap. 13. Separabis omne quod aperit uuluam Domino, Hebræus legit transire facias, domino omne primogenitum, hoc est, mancipi facias. Hiere. 15. cap. reperitur: Transferam te in terram hostilem ignotam tibi.

Transire deinde dei, elegantissimus idiotismus linguæ sacræ, est uim atq; energiam suam declarare, iuxta naturam casus, adiuncti, ut: Dominus transiuit per Ægyptum: nempe occidendo primogenita.

Transijt super faciem Mosi, cum cognitione sui aliqua illustrando, & id genus alia. Sic Hoseæ 10. cap. Ego transij super bonum collum eius, hoc est, iugum induxi collo.

Transit dominus, quando se patefacit, sicut contaminato populo in Ægypto per Mosen & Aaronem se aperuit, Ezech. 16. cap. Et transi propè te. Quoties in scripturis sanctis ex persona dei ponitur, pro pœna accipiendum, ut nequaquam apud eos maneat, sed pertranseat ac relinquat, Amos. 5. cap. Et in omnibus uineis planctus, quia transibo in medio tui. Item, Transire pro commutare & consumere Psalmo 84. Mane sicut herba transeat. Et Hiere. 40. cap.

Pertransire gregem, est numerare, recensere gregem, ut ex Genesi pater.

Transire atqui filium alicui idolo, est immolare deo Moloch, ut Leuitici 18. Et conse

cretur idolo Moloch.nec pollues,&c. Vel: Ttranſire ad ipſum Moloch, ne polluas,&c. Id eſt,ne ullum è filijs tuis immoles deo Moloch. Hoc enim eſſet mihi dedecori,ſi colerer idola eo ritu,aut alio. Solebant autem luſtrare filios ſuos idolo Moloch,& comburere in honorem eius. Idolum Moloch nonnulli putant fuiſſe Saturnum.

Tranſire in fœdus domini, Deut.24. Vt tranſeas in fœdere domini dei tui. Id eſt, ut ineas fœdus cum domino deo tuo, &c. ergo tranſire in fœdus, eſt inire fœdus & pactum.

Tranſire porrò ex hoc mundo,& ire ad patrem,mortis eſt periphraſis,ut eſt apud Ioannem.

Tranſire deniq; per agrum & uineam,eſt cuius libet uitam negligentis inſpicere,eiuſq; opera perpendere, Prouerb.24.

¶ *Tranſitiuis uerbis* in alium utuntur Hebræi,non tantum ut in alio quid fieri ſignificent,uerum ut eius rei,quam uerbum ſignificat,magnitudinem oſtendant,Eſa.1.cap. Corrumpere facientes,ponuntur pro tam corruptis ut alios corrumpere poſſint,hoc eſt,pro perditiſſimis & corruptiſſimis. Quemadmodum Latini quoq; perditum appellant eum,qui non tantum ipſe perditus eſt,ſed alios quoq; perdit, & corruptiſſimum qui non ſolum correptus eſt,ſed tam ſceleratus ut alios quoq; inquinet.

¶ *Tremere*, eſt habere conſcientiam ex lege,Eſaiæ 66. Tremere ad ſermonem dei, nempe,quando pij non ſunt ſecuri,ſed reuerentur deum & metuunt,necubi eum offendant. Hinc Tremor,ut ſuprà in uerbo Timere & Timor.

¶ *Tribulationis* dictio pro cura & anxietate. 1.Cor.7. Tribulationem autem carnis habebunt huiuſcemodi. Id eſt,adflictionem. Quaſi dicat: Scio enim quantas cultorum procellas in ſe prouocent,qui coniugũ ſubeunt,quantas ue in carne moleſtias & uoluere & concoquere oporteat.

¶ *Triticum* pios,electos,ueros & fideles Iſraelitas,hoc eſt,eos qui euangelio credunt,denotat. Imò quoq; qui magno &. feruenti ſtudio uitam Chriſti dignam meditantur,qui operam dant,ut in omnibus deo placeant,& iuxta eius uoluntatem uiuant: utcunq; interim ſentiant ſuam infirmitatem, utcunq; quotidie & ſingulis fere horis labantur,non tamen deſperant, non deſpõdent animum,ſubinde poſt caſum reſurgunt, & ſordes per pœnitentiam ac aſperſionem ſanguinis Chriſti emundant. De his pijs Matthæi decimotertio,eiuſdem euangeliſtæ & cap.3.

¶ *Tribus Ioſeph*, Quod ſi alicubi in ſcripturis reperimus Tribũ Ioſeph, intelligimus tribum Manaſſe & tribum Ephraim: Nam Ioſeph per ſe nullam tribum conſtituit.

¶ *Tribunalis* appellatione, iudiciaria poteſtas,dignitas ac maieſtas uenit. Pro tribunali ergo ſedere,more ſcripturæ dicitur dominus, quando iuſto iudicio liberat innoxios, & punit reprobos. Matth. 25.& Pſalm.9. Quoniam feciſti iudicium meum & cauſam meam,ſediſti ſuper thronum,qui iudicas iuſte. Item, parauit ad iudicium ſuum tribunal,ſeu thronum ſuum.

¶ *Triſtis* pro ſupplice, Malachiæ tertio: Quia ambulauimus triſtes. Septuag. ἱκέται, ſupplices, Geneſ. quadrageſimo capite: Quare uultus ueſtri hodie triſtes: hoc eſt,ſeueriora & adflicti,&c.

¶ *Triturare* eſt idem quod prædicare. Apoſtolus.1.Cor.9.probat: Non obligabis os boui triturãti. Sic apud Micheã 4.dicitur: Surge & tritura filia Zion,quia cornu tuum ponam ferreum,& ungulas tuas ponam æreas & comminues populos multos,&c. At cornu ferreum & ungulæ æreæ,quid ſunt,niſi illud Chriſti: Ego dabo uobis os & ſapientiam,&c.

Triturare atqui ferreis plauſtris,eſt conculcare. Quæ metaphora eſt ducta à bobus paleas triturantibus,& frumẽta excutientibus, Amos.1.cap. Triturauit plauſtris ferreis, hoc eſt,rotis dentatis. Qua uſus eſt Eſaiæ 23. Triturabitur Moab ſub eo,ſicut teruntur paleæ plauſtro.4.Regum 8.cap.

¶ *Tuba* quæ diſcrimen belli denunciat,nihil aliud eſt,quàm uox ſecularium poteſtatum,quæ contempta reſiſtentibus mortis certamen parat, Hiob.39. Feruens & fremens ſorbet terram,nec reputat tubæ ſonare clangore.

Tuba canere ante aliquem, Prouerbiali figura,pro eo nimirum dicitur quod eſt inſolenter & arroganter ſtudia & beneficia tua iactare,in unoq; preconio uendicare palam, Matth.6.cap. Non abſimili figura hodie quoq; dicimus Ebuccinare laudes,pro eo quod

quod est longe prædicare & amplissime efferre alicuius laudes.

Tubæ & sonitu insuper perire, est in bello pessum ire, Amos 2. Et morietur in sonitu Moab, in clangore & in uoce tubæ.

Tuba denique extrema apud Paulū 1. Cor. 15. ea locutio intelligitur, qua per angelos euocabit mortuos Christus. In Epist. ad Thess. κελεύσματι uocat, Ioan. 6. Vocem filij dei uocat Christus. Et Psal. 49. dicitur: Aduocauit cœlum desursum, id est, angelos è cœlis, & terram, id est, homines è terra, Matth. 24. cap. Et mittet angelos suos cum Tuba & uoce magna: omnia enim idem significant, & aliud alio exponitur.

Tubæ ad hæc extremæ cantus, uoluntatis dei omnipotentis denunciatio atq; exemptio est, 1. Cor. 15. cap.

¶ *Tumultus* pro insania, Amos 3. Et uidete tumultus multos in medio eius. Septuaginta θαύματα, admirabilia.

¶ Ad *Tumulos* uelut semimortui senes, Esaiæ. 59. capite. Est prouerbium, offendere dicimus ad sepulchra senes ac decrepitos capulares, hoc est, uicinos esse morti.

¶ *Tunicæ* nomine allegorice omnia exteriora quæ nos onerant, designantur, Lucæ 11. capite. Qui habet Tunicam uendat eam, & emat gladium.

¶ *Turbare* pro perdere, Iosue 7. capite. Quia turbasti nos, turbet te Dominus in die hac. Hinc Turbatores ecclesiæ, hoc est, destructores, falsi magistri & doctores.

Turba deinde apud Lucam in Actis capite primo, ponitur pro numero, & nominū pro nominatim. Vnd es vvas die gantz zal manhafftig by zuei hundert vnd zuentzig. Eratq; turba nominum simul fere centum uiginti.

¶ De *Turbine loqui*, locutio est apud Iob capite 38. legis uerba denotant, quibus declaratur & autoritas maiestatis domini ad terrendum impium: lex enim non datur nisi tumultu & turbine ut habetur Exodi.

¶ *Turtur* pro anima uiri innocui, imbecillisq;, ac suas simplicissime ingemiscentis ærumnas, ut solet turtur solitaria suo amisso consorte: ne bestiæ dominio, tyranno scilicet impuro & crudeli supponas. Moab noster superbus est ualde, idcirco quid illi cum turture prorsus inermi, atq; omni ire genere uacuæ & humili? Psal. 74. Ne tradas bestiæ animam Turturis tuæ. Hebræi ferè omnes transferunt, Qui sint porrò Turtures, confitentes scilicet Domino, sequenti aperit hemistichio, Et animas pauperum tuorum ne obliuiscaris in finem.

¶ *Turpitudo* significat apud Paulum Ephesiorum quinto absconditam cogitationem, quum inflammatur, sensus ad libidinem, & carnis titillationibus anima ignita succenditur, & nihilominus dei timore & mentis iudicio refrenatur. Pauli uerba sunt hæc: Et turpitudo & stultiloquium, & urbanitas. Erasmus, Et obscœnitas & stultiloquium, reddidit.

Turpitudinem patris & matris reuelare, est cum eis concumbere, rem habere, Leitici decimooctauo capite.

Turpitudinem patris tui, & turpitudinem matris tuæ non reuelabis. Postea etiam prohibet & nouercæ ubi dicit: Turpitudinem uxoris patris tui non reuelabis, ubi exposuit, quomodo in matre utriusq; sit turpitudo, hoc est, patris & matris, in nouerca autē tantum patris.

¶ *Turres & Muri* in scripturis allegorice significant duces & protectores & maiores in populis. Sic Psalmo 121. Fiat pax in muris tuis, id est, in maioribus, & abundantia in moribus tuis, id est, in rectoribus ecclesiæ. Et Psalmo 49. Ecce muri tui in oculis meis semper. Sic etiam Psalmo 17. In deo transgrediar murum, id est, omnem potentiam huius mundi, in qua fortis ille custodit atrium suum, donec fortior ueniat, & uincat eum, Porrò Turris, nomen domini est. Turris item ecclesia est.

¶ *Typus* pro exemplo usurpari 1. Cor. 10. cap. paret. Hæc autem, inquit, omnia typo seu figuræ contigerunt illis, Id est, ideo eis contigerunt, ut essent nobis exempla. Et ex autoritate Tertulliani in 5. aduersus Marcionem libro legit, typum hoc loco usurpari, pro exemplo. Hæc enim πάντα τύποι, id est, hæc omnia figuræ contingebant. Hæc enim exempla inquit Tertullianus, nobis sunt facta.

Typi præterea & figuræ non usq; adeo omnibus numeris quadrant ueritati, & in omnem (ut aiunt) angulum, ut nihil desit, nihil supersit. Semper uero in typo quiddā est, quod ueritati respondeat, licet non per omnia. Hæc autem non sunt in quibus fidei

cardo uersatur: quare in hisce rebus neqtaquam contendere operæ precium est. Spirituales sunt delicię, quę mentē piā oblectāt & recreāt, ꝗs impia mēs reijcit et contemnit.

V

VAccæ appellatione principes delicati & nobiles fastuosi ueniunt. Amos 4. Vaccæ Basan audite uerbum istud in monte Samariæ, Quasi dicat rusticus ille propheta ad optimates impios pauperes opprimentes. Sicut enim uaccæ Basan: id est, pingues, ad arandum nihil ualent, sed tantum ad deuorandum. Sic proceres Israel reipublicæ nihil proderant, sed potentes tantum erant ad edendum & bibendum, atque opprimendum pauperes. Et Dauid Psalmo sexagesimoseptimo: Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in uaccis populorum, & cætera. Vocat uates tauros: id est, fortes & potentes & diuites & cōfidentes in sua iustitia, & uaccas, siue uitulos populorū: hoc est, plebeios & subditos, una tamen impietate coniunctos contra columbam, contra exercitum dei, contra Christi ecclesiam. Sicut & Psalmo uigesimo primo conqueritur Christus: Circumdederunt me uituli multi, tauri pingues obsederunt me. Sic Iob quadragesimo capite ait de diabolo. Omnes bestiæ agri ludent ibi, Sic Dauid totam hostilem turbam & concilium taurorum appellat, uitulosq; iungit populorū: intelligens præcipuas inter principes populorumq; rectores.

Vacca rufa, Numer. 19. cap. Significat Christi Domini corpus & sanguinem pro tota ecclesia oblatum, cuius uirtute mundatur semper ecclesia, cuius etiam reliquijs ac sanctificationem aqua lustrationis & baptismi uirtute dei consecratur, & sit signum reconciliationis diuinæ, & sufficiens purificatio omniū, qui suam humiliter fœditatem Domino conqueruntur, gratiamq; dei per Christum credunt & sperant.

¶ *Vacuus* pro stulto & fatuo, qui est uacuus intellectu. 2. Samuelis 6. cap. Quàm gloriosus fuit hodie rex Israel, qui discooperuit se in oculis ancillarum seruorum suorum, sicut discooperit se discooperiendo se unus è uacuis, Vacui autem timore qui dicantur, uide suprà in Tropo, Timore domini uacui.

¶ *Vadere* dicitur, qui propediem abiturus est reipsa, & antequā hora abitus ueniat animi proposito iam iam abit, quamuis corpore nondum abeat. Sic Dominus iam tum abibat, quoniam è uicino appropinquabat tempus abeundi, & animus alioqui abituribat. Hinc & Vado hoc uerbum apud Ioannem cap. 8. Ego uado, &c. pro mori & ascendere accipitur. Nam quod dicit: Vado, moriturum se significat ac in cœlos ascensurum, ubi increduli nunquam peruenient.

Vade tibi, locutio est Hebræa, pro eo quod est Vade tu, uel pro abi, discede: Genesis 12. Vade tibi, id est, Vade tu. Item, Vade perge, Exodi. 4. Vade perge in Ægyptum: seu, uade reuertere in Ægyptum.

¶ *Vallis* pro medio, Psalmo. 22. Etiamsi ambulauero in Valle umbræ mortis. Septuaginta, In medio, ἐν μέσῳ.

Vallis uisionis, pro Hierosolyma, quæ propter prophetias uocat uallis uisionis, Esaiæ. 22. Onus uallis uisionis, hoc est, prophetia grauis Et cap. 21. Ierusalem insula dicitur: desertum, officio & opere, quod faciat deserta. Babylon dicitur mare, sicut mare accipit multa flumina, sic Babylon multa regna. Sunt ergo tropi.

¶ *Vah*, lætantis uox interdum, Psalmo 35. Dixerunt Vah uah, uidit oculus noster, sa baudi lætetur. Vel ualet idem atq;, ὁ desiderium nostrum assecuti sumus quod optabamus. Chaldæus habet: Non dicant: Lætabitur anima nostra. Exclamatio est summæ uoluptatis, ac idem atq; Vah tandem euenit quod animus noster optabat. Nephesth, hoc est, anima & pro desiderio & cupiditate accipitur, ut Psal. 77. Ne tradas me in animam infestantiū me, id est, ne permittas me eorū libidini, uel nō tradas me eorum desiderio.

¶ *Væ*, particula damnationē & æternū luctū q̄ præsentē fæpius significat, ut. 1. Cor. 9. Vę mihi si nō euāgelizē, Esaię. 3. Vę impio in malo, retributio eñ manuū eius fiet ei, &c.

Væ dictiuncula interdū non imprecantis (ut alias crebro) sed prædicentis adeoq; dolentis est, Apocalyp. 8 cap.

Væ porrò apud Esaiā. 18. cap. הוי uocantis interiectio est potius quàm lugentis, ut læta denuncientur gentibus ad unius dei cultum conuocandis.

Væ mihi quum se desolatum à deo ob peccatorum impuritatem cognoscunt, hæsce in uoces

bo uoces prorumpere soliti sunt, Væ mihi, Heu mihi, Ah, Heu. Septuaginta ὦ τάλας ἐγώ ô miser ego. Martialis, Væ tibi caussidice!

Væ quoq; particula usitatissima prophetis, semel complectitur quicquid est miseriarium ac calamitatum præsentis ac futuri seculi, De ea admuit Tertullianus contra Hermogenem, alicubi admonitionis esse, apud Matth. 23. certę condemnationis est. Nam horrendum Væ intonat Dominus, & ceu fulmine ipsorum ferit conscientias. Translata est è uulgi sermonibus, qui cum indicare uolūt magnum aliquod malum alicui impendere, dicunt, vvee dir.

¶ *Vanitas*, mendacium, est quicquid non est Deus, & studia hominis quæ fingit aut excogitat homo absq; dei uerbo iussuq;. Ecclesiastes per totum copiosissime definit. Nec enim inueniri potest salus aut ullum bonum, nisi in deo: cætera omnia sunt adflictio spiritus, & irritatio ac titillatio ad consolationem uerius, quàm consolatio & salutis ac boni potius incitabulum, quàm reuera salus & bonum. De uanitate & mendacio loquitur Psaltes 4. Filij hominum quousq; graues corde, ut quid diligitis uanitatem, & quæritis mendacium. Et Psal. 38. Veruntamen uniuersa uanitas omnis homo uiuens. Et psalmo 115. Omnis homo uiuens. Sic Vanitas uita præsens est. Vide D. Augustinum lib. 9. Confess. capite quarto. Vanitas uanitatum hæc uita & imago siue umbra super terram homo.

Vanitatis nomen hinc sæpenumero pro idolo seu idololatria capitur. Vanitatem namq; Hieremias cap. 2. falsum dei cultum & idololatriam, id est, cultum qui est sine uerbo & contrà uerbum dei tantum ex doctrinis hominum humana cogitatione excogitatus, quo nostra studia, sapientia & ratio propendit, ubi nobis relicti sumus sine spiritu dei, Psalmo 24. Qui non accepit (in Hebr. leuauit) in uanum siue ad uanitatem animã suam. Vel: Qui nõ delectatur uana doctrina. Vanitas ergo est uana doctrina. Hinc & uanitates, idola uocãtur, qui nihili sunt, iuuare non possunt, & cultus eorum sunt nihili cultus. Ezech. 30. Et cessare faciam uanitates. Septuaginta μοχθηρίας, id est, primates.

Vanitatem seu uanum uidere, idem est quod uana pro ueris amplecti, atq; in illis oblectamenta capere. Psal. 119. Auerte oculos ne uideas uanitatem, est hic probare, delectari aut cupere. Porrò uanus is affectus est ac desiderium, cum quis alienam aut rem, aut uxorem deperit. Vanus item rerum etiam propriarum usus, si immodicus est ac sordidus. Vanus hinc translatitie in scripturis idem est quod mẽdax, fallax, fraudulentꝰ.

In Vanum recipere gratiam dei, dicuntur qui Euangelium gratiæ diuinæ pręconiũ siue testimonium audientes, uel non credunt, uel non soli deo per Christum fidunt, sed rebus quibusdam nihili inhærent, uel nihilo reddunt meliores, quin sui perpetuo similes in carne & desiderijs contabescunt. 2. Cor. 6. Obsecramus ne in Vanum gratiam dei receperitis.

Vane uel in uanum præterea usurpare nomen Dei, est contemnere & cum contemptu nomen dei usurpare, impie de deo uerba facere, falsoq; curare. Id enim est accipere ad uanitatem nomen dei, ut Psal. 139. Similis est loquutio in præcepto secundo: Non accipias, id est, ne nomines ad uanitatem uel ad rem falsam, nomen dei. Hoc est ne iuros fallo per nomen dei.

¶ *Vas*, *Vasa*, latum uocabulum. Vas primum pro corpore. 1. Thessa. 4. cap. Sciat unusquisq; uestrum uas possidere in sanctificatione & honore. Hinc per uasculum testaceũ intelligit fragile corpusculum. 2. Corinth. 4. Alludens ad rem figulinam & primam illam hominis conditionem. Deinde pro homine, Hiere. 19. Sicut uas in manu figuli, sic uas in manu dei.

Vas electionis dixit Actorum 9. cap. Lucas pro homine selectissimo & præclarissimo. Hinc Vasa aurea 2. Timoth. 2. cap. significant Viros bonos & pierati consecratos: ut Vasa lignea seu argentea & testacea significant peruersos homines. Vasa Domini. 2. Corinthiorum sexto. Et Esaiæ secundo, Exite de medio eius, mundemini qui portatis uasa Domini, hoc est deo consecrati, suis dedicati ministerijs & templum dei estis, cauete uobis ab idololatria.

Vasa, corpora significare testis & Samuelis primi Regum. 21. capite. Vasa puerorum sancta. Vas & Vasa hinc Hebræis generali uocabulo omnium rerum instrumentum, omnem supellectilem, omnem possessionem, & quæcq; instrumenta artificis & arma militus, & localia mulieris, Hebraice communiter Vasa nominantur. Sunt enim arma ua

ſa, ſunt inſtrumenta Vaſa, ſunt pocula uaſa, ſunt uegetes uaſa, Geneſis 31. cap. Pſalmi uaſa, inſtrumenta ſunt muſica, ut ferè erant nablum, lyra, cithara, organum, atque huiuſmodi generis alia, Pſalm. 71. Nam & ego confitebor tibi in uaſis Pſalmi ueritatem tuam deus: hoc eſt, inſtrumentis muſicis. Et Ezech. capite 9. unuſquiſq; uas interfectionis habet in manu ſua: id eſt, inſtrumentum mortis, ſeu ad interficiendum. Exodi uigeſimo ſecundo capite. primi Regum uigeſimo capite. Item, pro diuitijs & ſupellectile, Ezechielis duodecimo, Et educes uaſa tua. Et Matthæi capite duodecimo, Et uaſa illius diripere. Vaſa ad morem linguæ ſanctæ poſuit pro omni poſſeſſione, inſtrumentis & ſuppellectili, adeoq; & pro eo quod Eſaias appellauit rapinam. Et Marci undecimo capite, Nec permittebat ut quiſquam deponeret uas per templum. Vaſa hic quoque iuxta dialectum Hebraicam pro omnigenis inſtrumentis. Vas ergo inſtrumentum eſt quæſtui & negotiationi deputatum atq; idoneum. Leuit. 5. cap. Omne uas. Hebraiſmus eſt, pro, Omne ſuper quod, &c. Et eodem capite, Et uas, pro, quicquid illud ſit ſuper quod ipſe ſederit. Et Numer. 31. Omne uas operis. Id eſt, omnia uaſa affabre facta. Et Geneſis 31. cap. pro ſuppellectile, Contrectaſti omnia uaſa mea, quid inueniſti ex omnibus uaſis domus tuæ.

Vaſa ſtulti paſtoris apud Zachariam cap. 11. Adhuc tibi ſume uaſa, hoc eſt, inſignia & habitum, uidelicet, peram, baculum, fiſtulam & ſibilum, &c.

Vaſa iræ, Eſaiæ 13. cap. Veniunt de terra longinqua à ſummo cœli Dominus. Et uaſa iræ eius ad diſſipandam omnem terram. Inſtrumenta quibus iratus populos punit, uaſa iræ appellat. At Apoſtolus aliter uaſa iræ, nempe quæ deus perdit, ſicut uaſa gloriæ quæ honeſto loco habet.

Vaſa peregrinationis, ſunt baculus, calcei, penula, pileus, & quæ ad iter aut uiam pertinent.

¶ *Vaſtare* pro adfligere, Pſal. 16. A facie impiorum, qui me uaſtant. Vaſtitas uero, pro terra, Geneſis 7. Cuncta quæ in uaſtitate mortua ſunt. Septuaginta, ſuper Siccitatem, legunt.

¶ *Vau* nonnunquam cauſalis eſt, ut Hiere. 2. Eò quod orares, ו Hebraica eod. cap. aduerſatiua eſt non cauſalis. Et 10. cap. Hieremiæ, ſed Dominus. Hic irrefragabile eſt, uau, coniunctionem aduerſatiuam eſſe. Et Eſaiæ. 9. cap. Nam & populus. Hic cauſalis eſt, Eſaiæ. 14. Et ſicut grex quem nemo colligit. Hic uau ſeu uof, pro, pro relatiuo, qui ponitur, uof celeritatis nota apud Hebræos, non aliam notam celeritatis Hebræi habent quàm uau, Eſa. 1. cap. Quo citius deficeretis ſcilicet. Hic de induſtria illa nota omiſſa, ut uerborum curſu propenſio ac celeritas malorum intelligatur.

Sic & Hiere. 1. Ac ſimul extendit. Simul, de uirtute eſt Hebraici uau, quæ multis locis celeritatem connotat. Vau expoſitiua, ut Eſaiæ 9. Et Dominum exercituum non quæruntur, uide ſuprà in Et fuſius.

¶ *Vber, ubera* pro ſumma dilectione interdum uſurpantur, ut Canticorum. 1. Quia meliora ſunt ubera tua uino. Per uinum temporalis cura exprimitur, qua mens ſeculares cuiuslibet inebriatur. Vbera quoq; pro delectatione, Prouerb. 5. cap. Hoſeas uero cap. 2. Vbera cor appellat ſub uberibus ſitum, ex quo proficiſcuntur cogitationes malæ, inuidiæ, homicidia. Similiter ubera pertinent ad doctrinā, qua aluntur animi, ut fiat perfectus homo ad omne opus bonum, Cant. 1. Eam comparat uino, cui ſacra ſcriptura tribuit, quod lætificet cor. Ponitur igitur per metaphoram uinum pro omnibus mundi delicijs & uoluptatibus. Duo ubera, ſunt duo Teſtamenta, &c.

¶ *Velamen* capitis ſeruitutis eſt inſigne, ſicut raſus uertex libertatem arguit. 1. Cor. 11. cap. Etenim ſi non uelatur mulier, etiam tondeatur, Quod ſi fœdum eſt tonderi aut radi, ueletur, &c. Atqui non uelatam ingredi eccleſiam aliud non eſt quàm attonſam uenire in conuentum. Hæc Pauli uerba tranſumpta ſunt ex Deuteron. cap. 22. Non geret mulier arma (ueſtes & habitum) uiri, nec uir utetur ueſte muliebri.

¶ *Velle* pro cupere, Marci cap. 10. Præceptor uolumus, id eſt, cupimus. Sic, Quod uultis id eſt, quid cupitis. Et Lucæ 10. Voluerunt, pro cupierunt, more Hebraico. Velle quoq; pro operam dare. 1. Theſſal. 2. Sic affectu propenſi uos ἱμειρόμενοι, id eſt, animo cupimus impertire uobis. Εὐδοκία propenſum animum ac præcipuum quendam adfectum in ſacris literis ſignificat. Item, Velle, pro acquieſcere, Pſal. 81. Et Iſrael non uoluit mihi, id eſt, non acquieuit. Prouerb. 1. Non uoluerunt conſilium meum. Septuaginta, Noluerunt

meis animum adhibere consilijs.

¶ *Velox*, pro acri & præcipiti. Malach. 3. Et ero testis velox. Et Esdra scriba fuit velox in lege. 1. Esd. 7.

¶ *Velum*, apud D. Paulum 2. Corin. 3. Litera est, adeoq; ipsa crassities mentis & incredulitas, Christi ignorantia.

Velum templi, Exo. 26. quid significauerit, Epistola ad Hebræos cap. 9. diserte explicat. Post secundum, inquiens, uelum erat tabernaculum, &c. Vides ibi uelum, quo sanctum sanctorum, à reliqua parte tabernaculi, seu templi distinctum fuit, & quo arcana ab oculis non populi tantum, sed & uulgarium sacerdotum, intra sanctum sanctorum remota & occultata sunt, significasse & adumbrasse: quod quamdiu uelum cum suo tabernaculo seu templo consistit, nondum reuelata & patefacta sit uia, qua peruenire possit ad regnum cœlorum & ueram felicitatem.

Veli autem scissura denotat euangelium esse sparsum in totum orbem terrarũ, quo uia ad cœlum ita patefacta est, ut iam etiam pueris ac penè infantibus perspicuum sit, Iesum Christum esse iustitiam & redemptionem nostram.

In uelum non ingredi, id est, in sancta sanctorum, Leuit. 21. significat non posse creari summum sacerdotem.

¶ *Vena*, seu fons, pro fluxu sanguinis. Leuit. 20. Et reuelauerit turpitudinem eius, & uenam eius nudauerit, & ipsa reuelauerit fontem sanguinis sui, &c.

¶ *Venator*, nunquam in bonam partem legitur. Ismael & Esau uenatores fuerunt, & præcesserunt in typo Iudaici, quorum alter Ægyptiacæ ambulans iuxta carnem, & iuxta carnem uiuens. Alter primitiua propter lenticulam perdidit, & benedictionibus fratris inuidens, fugat eum in Mesopotamiam. Hæc D. Hieronymus. Locus ille apud Hierem. ca. 16. Ecce ego mitto ad piscatores multos, dixit Dominus, & piscabuntur eos, postea mittam ad uenatores multos, & uenabuntur eos. Interpretantur nonnulli theologi in bonam partem, uidelicet locum illum adaptauit, cap. 4. Mat. ubi Christus piscatores delegit, quo figura opificio eorum responderet ueritati. Quandoquidem fecit eos ut essent piscatores hominum. Sunt qui in malam partem interpretentur, sit iudicium penes ecclesiam.

¶ *Vendere*, in sacro sanctis literis, nihil aliud est, quàm liberaliter & hilariter officiũ præstare his, quicunq; opus habuerint, quomodocunq;, ubicunq;, qualitercunq; res fratris poscat, prompto animo relinquendi omnia, si sic postulat Christi gloria. Luc. 12. ca. Vendite quæ possidetis. Vendendi uocabulum exponit Christus, per hoc quod dicit, Date eleemosynam.

Vendendi, uerbo utitur Hebraismus, quod ea res quæ uenditur, tota in ementis potestatem transeat.

Item, uendere, pro dare. Iud. 2. Et uendidit eos in manu inimicorum suorum in circuitu. Psal. 43. Vendidisti populum tuum absq; precio.

Item, Vendere, pro circumuenire & decipere. Amos 2 cap. Vendidistis cum argento iustum.

Vendere populum in manus Iabin, Iud. 4. locutio est, qua significatur Israelitas à Iabin, non aliter tractatos, quàm iumenta & pecora, quæ uendi & emi, atq; ad uilissima & laboriosissima quæq; ministeria deputari solent, adeoq; tanta seruitute oppressos esse, & ipsa mors multo optabilior appareret. Hinc

Venditio, pro generali proscriptione accipitur, & Ioel. 3. Venditionis quoq; nomen, pro re uendita, aut precio rei uenditæ. Deut. 18.

¶ *Venire*, in scripturis pro conuersari, ut Mat. 7. Qui ueniunt ad uos in uestitu ouium, &, In sua uenit. & 1 Ioan. 4. Qui confitetur Christum in carne ueniſſe. In carnem autem uenire, suo more Ioannes & schemate dixit, pro eo quod est hominem induere, & in humanis conuersari agereq;. Nam idem in historia dixit, In sua uenit, & sui eum non receperunt. id est, semen Abrahæ induit, & inter fratres suos conuersatus est.

In carne uenire dominum, nihil aliud est, nisi Deum æternum, uiuum & uerum incarnari.

Venire quoq; aut ingredi. 1. Samuel. 17. administrationem aliquam significare. Et Deut. 23. Non introibunt aut uenit, &c. est dignitatæ aliqua aut honesto officio fungi in cœtu Domini.

Venire porrò pro nauigare. Ionæ primo capite: Et inuenit nauem euntem in Tharsis. Item, Et descendit in eam, ut iret cum eis. Septuaginta πλεῦσαι, id est, ut nauigaret.

Venire, pro occidere, Iosue 8. Et suspendit in lignū usq; ad tempus uespertinum. Et cum ueniret Sol. Item, pro uiuere, Hiere. 40. Et qui rectus in oculis tuis, ut eas illuc perge. Item, pro apparere, Gene. 20. Et uenit deus ad Abimelech in somnio. Pro, demonstrare, Genesis 2. cap.

Venire in mundum, periphrasis est, pro hominem fieri, seu humanitatem assumere, Matth. 16. Qui in hunc mundum uenisti.

Venire in dies antiquos, est consenescere & senio maximo obrui, & plusquam consenescere. Sic de Sara, Genesis 17. Iosue 13. cap. Et Lucæ 1. Processissent in dies, erant pro uectæ ætatis, Hebræi dicunt, Ire in dies, uel uenire in annos.

Venire autem ad Christum, Edere Christum, & credere in Christum, idem pollet, Ioan. 6. cap. Qui uenit ad me, id est, qui credit in me, der sich an mich hin lasst. Qui mihi confidit, & qui auide sermonem eius audit. Et Lucæ 6. cap. Quisquis uenit ad me. Venire, in summa, ad Christum, est ei fide & charitate adhærere, eum cognoscere, & amplecti & sequi.

Venire præterea, descendere, Conuerti super caput, est totum hominem occupare, a summo uertice ad imos usq; pedes: quasi infundas aliquid capiti, quod totum corpus contingere uelis. Nos Germani, Es dir vff deinem schedel. Venire sanguinem iustum super aliquem, est sanguinis fieri rerum atq; uindictæ sanguinis subiici. Matth. 23. cap. Vt ueniat super uos omnis sanguis iustus qui &c.

Venire idem est nonnunquam quod accedere, assentiri, firmiter recipere, credere, Ioan. 3. cap. Qui uenit ad me non esuriet. Et, Omnis, inquit, qui audiuit à patre & didicit, uenit ad me, id est, recipit me, & credit in me. Et apud Matthæum 11. Venite ad me omnes, ait, qui laboratis & onerati estis.

Venire ad Iesum, Ioan. 6. & cap. 5. usus est euangelista, quod est, qui me ut seruatorem recipit, & se mihi consecrat totum. Cui hoc facere fuerit datum, is non esuriet, id est, nihil bonorum desiderabit.

Venite, apud Hebræos non semper ambulantis, sed & exhortantis est, Esaiæ 1. Venite obsecro & probemur, &c, Et Genesis 31. Veni ergo, & in eamus fœdus. Ponitur Veni uice aduerbij, hortantis. Quasi dicat: Age, percutiamus fœdus. Hieremiæ 18. cap. Venite, ite si probe obseruatur, eo loquendi Tropo insinuatur alacritas in scriptura, sicut apud Esaiam: Venite ascendamus in montem Domini. Et Iob cap. 1. Ibant & faciebant conuiuia.

Venire à ueniendo, pro reuerti, Gene. 24. Porrò Isaac ueniebat à ueniendo, id est, reuertebatur à puteo uiuentis & uidentis. Venit coram me finis terræ, Id est, statutum est apud me, delere omnia uiuentia terræ, Genesis 6. cap. Finis uniuersæ carnis uenit coram me.

Veniam ad te, pro, exaudiam te, & felicem reddam, Exodi 20. cap. Veni.

Venire in nomine Domini, est animo & studio extollendi nominis dei uenire. Sic uenientium caput Christus est, Psal. 118. Bene sit ei, qui uenit nomine Iehouæ.

¶ *Veneno* dolus iniquorum colloquiorum intelligitur, Psalmo 13. Venenum aspidum sub labijs eorum.

¶ *Ventris* dictio, licet creatura dei sit uenter, subinde tamen male audit in scripturis, nimirum propter abusum illius turpem ac probrosum, quo ingluuiei illius seruitur impense, quasi ad hoc nati simus, ut comedamus & bibamus, Psalmo 17. Quorum uentrem de thesauro tuo adimples. Salomon Prouerb. 13. distinguens inter iustum & impium. Ventris hinc nomē pro gastrimargia, ut. 1. Cor. 6. Escæ uentri & uenter escis. Hoc loco escam ἀδηφαγίαν. Ventrem uerò γαστριμαργίαν ὀνομάζει appellat.

Ventri hinc quoq; seruire, est impia doctrina animas perdere. Ideo & Apostolus ad Titum fœdissima rapinosi eos uentres adpellat, hoc est, homines edaces uentriq; atq; abdomini seruientes, quo illud Lucilij pertinere uidetur: Viuite lurcones, comedones, uiuite uentres. Et Germani appellamus homines ocio & uentri addictos, fulbuch, Grecè γαστέρες ἀργαί. Ita Psalmo 5. uidetur eos uates Guttur adpellare: Sepulchrum patens est guttur eorum. Quasi dicat Dauid, Vos toti guttur estis, & aliud nihil, idq; uelut sepulchrum

sepulchrum patens, quum in aliud non incumbatis, quàm ut uoretis hominum substantias.

Venter quoq; pro mente, Hiere. 4. Ventrem meum doleo, Ezech. 3. Venter tuus comedet. Item Ventris nomẽ pro medio. 1. Regum 7. cap. Contra uentrem locum qui est ultra retiaculum. Venter quoq; interdum pro conscientia, ut Ioan. 7. Nam & Augustinus Tracta. in Ioan. 32. Venter, inquit, interioris hominis conscientia cordis est. Vide ipsum Augustinum latius. Quod ait flumina de uentre fluent, copiam significauit & redundantiam omnium donorum bonorumq; operum, &c.

Venter inferi, ceti aluus Ionæ. 2. cap. intelligitur, qui tantæ fuit magnitudinis ut in ſtar obtineret inferni.

Ventris uocabulum pro corde credentis usurpare, alienum à scriptura non est. Psal. 40. talis habetur locutio. Et lex tua inquit, in medio intestinorum meorum, quod nihil est aliud, quàm in medio cordis mei. Et Ioan. 7. cap. ut suprà hunc locum adduximus: Flumina fluent de uentre eius aquæ uiuæ. Vim, copiam & efficaciam donorum spiritus intelligit, quibus donandi erant credentes.

¶ *Ventilabrum*, iudicium & potestas discernendi atq; facultas in scripturis designatur, per quod dominus singulos homines tentat, & cunctorum corda dijudicat, Matth. 3. Cuius uentilabrum in manu sua. Separabuntur à bonis mali, ceu per uentilabrum excutiuntur paleæ à rritico: uel, Per uentilabrum Matth. sermonem dei, quod tamen cum superiori idem est, intelligit: Per Aream, populum Israelis, seu mundum: Per horreum, regnum dei: per Triticum, electos ac ueros Israelitas: per paleas, reprobos & incredulos: per ignem qui extingui nequeat, supplicium impiorum & incredulorum.

¶ *Venti* nomine, regio seu plaga uenit, Dan. 7. Et ecce quatuor uenti cœli. Item, Venti tentationes & magnitudinẽ tentationum denotant. Mat. 7. Et ueneruntflumina & flauerunt uenti, & irruerunt in domum illam. Et Dan. 7. cap. Ecce quatuor uenti cœli pugnabãt in mari magno: hoc est, mundo.

Venti uocabulo deinde peruersa doctrina intelligitur Paulus Ephe. 4. Et quouis doctrinæ uento circumferri, seu ad quemuis uẽtum sc uertere prouerbiali figura dicuntur, qui parum constantes cum aura mutantur: uelit nos ad quamuis doctrinam nouam mutari.

Ventorum uelocitate & subtilitate solent animæ designari in scriptura sacra, Psal. 17. Qui ambulat super pennas Ventorum, hoc est, qui transgreditur uirtutes animarum.

Venti sonitus in Actis capite secundo significatur eo doctrinam spiritus sancti, mira felicitate & successu incredibili per uniuersum orbem fore propagandam, neq; quenquam tam fore potentem, qui eius impetu resistere possit.

A quatuor uentis, hoc est, à plagis mundi ut uenti pro plagis accipiantur, Ezech. 37. A quatuor uentis. Hinc scripturæ non infrequens est, Per Quatuor uentes sub cœlo. Vel: Per quatuor terræ partes, uidelicet per Meridiem, Occidentem, Orientem, Aquilonem, totum terrarum orbem intelligere. Ad hunc modum & Christus à quatuor uentis electos congregandos adfirmat, hoc est, undiq; terrarum, quemadmodum & primo Euangelium omni creaturæ prædicatum est, Marci ult. capite, ab Apostolis, quorum uox in omnem terram est diuulgata. Et Zachariæ secundo capite, Quoniam in quatuor uentos cœli disperſi uos, Matth. 2. A quatuor uentis, à summis cœlorum usq; ad summum cœli, à summo terræ, usq; ad summum cœli? Quod perinde est, atq; undecumq; terrarum.

Venti interdum significant prudentiæ humanæ speciosa & uaria consilia, quia non sunt ex Deo, irrita sunt, uana sunt. Sicut Achab consilium, quum ab Assyrijs opem imploraret. Sicut Paulus Ephe. 4. doctrinam humanam uentis, ut suprà ostensum est.

In Ventum abire, Prouerbialis sermo, est pro auferri aut euanescere, ficut Latinis Ventos pascere, aut in aurem loqui, pro friuole ac inaniter blaterare, Hiere. 5. Prophetæ in uentum abibunt, Et cap. 22. Pastores tuos pascet uentus, dixit, pro nulli aut inutiles erunt.

Ventus hinc interim pro re in utili & inani accipitur, Hoseæ 8. & cap. Inanis est pastio uenti, cum uentrẽ exaturare nequeat: sic qui idola colunt, rem uanam & mendaciũ sectantur Per Ventum orientalem, qui non est frugifer, intelligitur pernicioſus cultus idolo-

idolorum. Prouerbium Hebræis celebre, pro inaniter laborare, & res friuolas & uanas moliri. Hierem. 22. Ventus pascet eos: id est, frustrabuntur sua spe, Ephraim, inquit Hoseas, pascitur uento, & sequitur orientalem uentum tota die mendacium, & uastitatem multiplicat. Quibus uerbis prophetæ impiorũ uanitatem hoc est, res inutiles & uanas sectatur. Qui idola colunt, ijdem uento pascuntur, & mendaciũ sequunt. Ex his apparet Ventum & spiritum pro uanitate accipi, & idem esse atque parere uentum aut pascere. Iob 15. capite.

Ventum adhæc seminare eodem quoq; significatu reperitur. Nam Hebræis est uentum seminare. Turbinem metere, Manipulos carere farina, Farinam deuorari ab alienis. hoc est, uana sunt omnia consilia hominum, qui deum semel deserunt, Hoseæ octauo capite: Nam uentum seminauerunt. sensus est, stultissimo detinentur labore, unde nihil percipiunt nisi grauissimum damnum. Nam semen eorum in culmum non crescit, neq; ex germine eius fieri potest farina.

Ventus splendidus apud Hierem. dicitur fortis uentus. Venti enim in deserto, præsertim in locis eminentioribus ubi nulla habent obstacula, importuniores sunt, splendent, quia omnia mundant sua uehementia.

Ventum parere dicitur quoq;, quando una tribulatione superata, mox aliam quæ nos incessat, expectamus.

¶ *Venundari sub peccatum, seu uenditum esse, &c.* Est totum deditum esse peccatis. Nam Vendere & uendi peccatis, est se totum dedere ac deuouere peccatis. Esa. 52. Rom. 7. cap. Et uenundatus sub peccatum, id est, omnino manciparus & deditus peccato, id est, uetere homini, morbo & corruptæ naturæ Adæ omnino propensus sum ad malefaciẽdum. 3 Reg. 21. Nunquid inuenisti me, inimice meus? qui respondit, inueni: siquidem uenditus es ut faceres malum in oculis Domini. Sensus est, Nunquid deprehendisti me in malo, ut more tuo propter illud mihi commineris futuram ultionem? Qui respondit, Deprehendi. Tum licenter enim peccas, ac si uenditus esses ad peccandum. Vtitur Hebraismus hic uerbo Vendere, quod ea res quæ uenditur, tota in ementis transeat potestatẽ. Sic rex ille uidebat ad hoc natus, ut pessime ageret, & peccata peccatis cumularet.

¶ *Verbum*, nomen Hebraice dabar, quod Latinis Verbum fecit, late apud Hebræos patet. Nam dabar plus significat Hebræis quàm Latinis nobis signat, etiam rorum negocium de quo agitur aut dicitur, sicut nos ferè utimur uocabulo Rei. Mat. 4. Sicut uerbi quidem significatio angusta est apud Hebræos. Hi enim uocant dabar, quoduis negocium. Non enim uerbum solum, sed in genere rem, causam quamlibet & propemodum id quod Germanis infinitam rem exposuimus, das ding appellitat. Græce logos, id est, sermo uel uerbum.

Verbum ponitur interdum pro religione, ui & ueritate dei. 1. Ioan. 1. cap. Din forcht erkantnuss vnd krafft.

Verbum pro re, Exodi. 9. uerbum istud in terra, id est, rem hanc in hac regione. Et Ezech. 12. cap. Et locutus sum ad transmigrationem omnia uerba. Et 2. Samuelis 11. Et displicuit uerbum hoc quod fecerat Dauid coram Domino, hoc est, factum. Nonnunquam pro re & causa, Geneseos. 12. cap. Super uerbo Sarai. Item, pro opere Ioan. 14. Verba quæ ego loquor uobis, à me ipso non loquor, pater autem in me manens ipse facit opera. Certe qui proximum ędificat loquendo, bonum opus operatur. Pro præcepto & mandato, Lucæ 3. cap. Factum est super eum uerbum Domini, Deut. 4. Non adderis ad uerbum, quod ego præcipio uobis. Item, pro contumelia, Ezech. 2. Et uerba eorũ ne timeas. Item pro sententia & iudicio, Esa. 28. Propterea audite uerbum Domini.

Verbum præterea pro imperio, iussu, potestate Dei, Lucæ 4. 5. cap. In uerbo tuo laxabo rete, id est, in tuo iussu, in tuo præcepto. Et. Non in solo pane. Non confidit homo pane, sed potentia & uirtute Dei. Deus hominis est & homo dei: qui huius promissioni & uirtute fidit, famem & mortem tolerare potest.

Verbum atqui significat totum negocium euangelicum, Io. 6. cap. Verba quæ ego loquor uobis, spiritus sunt & uita. Item pro uirtute dei, Lucæ. 7 cap. Sed tantum dic uerbo uel uerbum. Verba pro factis & rebus, Lucæ. 1. cap.

Verbum quoq; significat causam narrabilem & factum aliquid. Verbum quod uidit, Esa. 2. cap. ut & Lucæ 2. dicunt pastores, Videamus hoc uerbum quod factum est ad nos. i. rem ipsam, de qua nobis dictum est. Nam negocium, factum Hebræis, ut dictum est,

est, uerbum dicere, eo quod uerbis soleant complecti & narrari. Sic etiam Hier. 33. cap. Non erit tibi difficile omne uerbum. Sic in libris Regum sæpe inuenies. Luc. 1. cap. Non erit impossibile apud deum omne uerbum. Et eodem cap. Per omnia montana Iudææ uulgabantur omnia uerba hæc.

Ioannes orsurus à diuina Christi natiuitate, atq; ad humanam ab illa descensurus. Sic ergo infit: In principio erat uerbum, seu sermo: hoc est, ratio & ea res, ille dei filius, aut quomodocunq; numen istud, de quo dicturus sum, appellandum est, erat in principio. Et λόγος Græcam uocem posuit pro Dabar, qua Hebræi longe latius quàm λόγος Græci utuntur. Sic dicit: Verbum est deus, pro, est illa res de qua loquor, uerbum intelligo ipsum dei filium ab æterno genitum à patre, & patri per omnia coæqualem. Credo autem uerbum ideo nuncupatum, quod scriptura canonica prophetica'ue filium appellauit uerbum: Dauid enim Psalm. 33. Verbo, ait domini cœli sunt firmati, &c. Et Psalm. 107. Misit uerbum suum, & sanauit eos, &c. Vide fusius tropum Sermo explicatum. Verbo autem addere, seu detrahere, uide in tropo Addere.

Verbum frequenter sumitur quoq; pro Pronomine neutro demonstratiuo. Hoc ita Esa. 2. cap. Hoc uidit Esaias.

Verbum æternum, Hebraismus esse dicitur, quo res æterna significetur, atq; adeò diuinus aut huius consilium, Nihil est enim uerbum æternum aliud, quàm res æterna. ut fuit uerbum æternum ac res, uerbum æternum deus fuit, Deiq; consilium & quicquid est. Est autem uerbi significatio amplior ac splendidior apud (ut suprà dictum est) Hebræos, quàm rei apud Latinos.

Verbum domini factum est ad Ioannem uel super Ioannẽ Zachariæ filium. Lucæ 3. Ita enim legimus in prophetis, Verbum domini factum esse ad Oseã, & super Zachariã. Quod perinde est ac si nos dicamus, Ioannẽ, Hoseã & Zachariã spiritu dei excitatum esse, oraculo instructum, & mandatis diuinis institutũ, ut hoc doceat, aut illud faciat. Significat item, Factum est uerbum domini, dominus loquutus est, ac per illius ministeriũ operari cœpit. Mos is est Hebræis, ut familiarius inserant dei personam, quo uidelicet & maior fides dictis haberetur, & pseudoprophetarum munus crescceret. Vnde & Moses crebro dicit: Hæc dicit dominus. Hinc est cur semper prophetæ addant: Verbum domini: uel, Verbum quod reuelatum est Esaiæ. Similiter & hac oratione sæpissime: Hæc dicit dominus, utuntur. Et si quis prophetarum dicit, ostendit se non esse ex pseudoprophetis, qui currunt etiam non uocati, magnaq; interim autoritate dictis cõciliat, Quis enim dominum creatorem cœli & terræ, Dominum angelorum & regem gloriæ audire dedignabitur?

Verbum reddere, est de negotio respondere. Nehemiæ secundo capite: Et reddidi eis sermonem. Mos quoque scripturæ est diuinas leges, & præcepta & prophetias uerbum appellare.

Verbum ponere in ore alicuius. Num. 13. Posuit uerbũ in ore eius: id est, suggessit ipsi Balaam, quod responderet. Et Deut. 18. Et ponam uerba mea in ore eius: Id est, per quem loquar, qui futurus est interpres meus.

Iuxta Verbum eius facere. Exodi 8. cap. Fecitq; dominus iuxta uerbum Mosi: Id est, fecit quod petebat Moses. Et iuxta uerbum tuum, Num. 14. Id est, ut petis: uel, propitius ero, siue condonabo huic populo, ut postulas. Et Genesis cap. 19. Facere uerbum. Septuaginta, Non enim potero facere rem. Quapropter in libris Regum, non essent dicendum sicut scriptum est in libro Verborum dierum Regum Israel, sed in libro rerum gestarum. Et illud excepto sermone Vriæ Ethæi: Id est, excepto facinore, in Vriam Ethæum perpetratum. Et illud 2. Regum 3. cap. Quod est uerbum quod factum: dicendum enim fuerat, quod factũ est. Idem loquendi mos est, & apud Græcos aliquãdo, ut ῥῆμα γέγονε τοῦτο.

In Verbo dei uiuere, est iuxta præscriptum diuini spiritus in omnibus agere & illo nititi, Matthæi quarto: Verbum dei dictat & præscribit, quid faciendum, quid omittendum, quid nimium, quid minũs, & docet in omnibus recte uiuere & agere. Quod & gentium sapientes intellexerunt, dum affirmant diuinum quiddam esse in homine, quo affectus uincantur.

Verbum abbreuiatum, euangelicã legem, de fide in deum ac charitate in proximum disseminabit deus per Christũ, & apostolos in omnem terram. Hæc est promissionum

diuina

diuinarum ſumma & legis, &c. uide ſuprà Abbreuiatum. Secundum uerbum tuum, Secundum eloquium tuum, tantūmodo ſignificat, ut, Secundū quod præſcripſiſti, & promiſſionem uobis ſalutem dare. Sic Dauid frequenter admonet, dum ſuarum promiſſionum meminit, & præcipue in Pſal. 118. Viuifica me ſecundum uerbum tuum, ſecundum eloquium ſeruo tuo factū: id eſt, ſicut promiſiſti ſeruo tuo ſecundum eloquium tuum: id eſt, uerbum promiſſionis tuæ à me creditum. Sic Maria apud Lucam aiebat ad angelum: Fiat mihi ſecundum uerbū tuum. Similiter ſecundū Nomē tuum, perinde eſt atq; uti nomen tuum iactatum eſt, uti de te prædicatum eſt. Pſal. 48.

Verba audiret abs te. Act. 10. cap. more Hebraico, pro toto commiſſo negotio. Verba ponere in corde: id eſt, memoria tenere. Deut. 11. cap.

Verba ponere in ore uulgi: hoc eſt, diligenter inculcare. Deut. 31. cap. Verbum labiorum. Eſa. 36. pro uerbis, quæ uiua uoce proferūtur. Verbum tuum cū uenerit: hoc eſt, cū reipſa fuerit expletum, quod promiſiſti. Iudicum decimotertio capite. Verbum pro facto, frequens reperire licet, ut in libro Ioſuæ, Omne uerbum bonum: id eſt, omne bonum. cap. 23. Mox: Omne uerbum malum, pro omni mala re. Et cap. 24. Poſt hæc uerba, id eſt, poſthæc, abſolutè. Et cap. 6. Quid fecit uerbum hoc? Item cap. 21. Hoc uerbū quod facietis, &c. & Lucæ 2. cap.

Verbum non habebis cum homine: hoc eſt, nihil commercij cum hominibus habebis. Iudicum 18. cap. Verbum ne ponat rex ſuper ſeruum ſuum, loquutio omnino Hebraica, pro quo Interpres Latinus, Ne ſuſpiret rex aduerſum me. Germaniſmus eſt, Er legt mir vff ſich hab dis thun. 1. Reg. 22. cap.

Verbum omne ſtabit: id eſt, accuſatio iſta erit ſtabilis & rata, ſi duo aut tres teſtimonium dixerint. Deuteronomij decimonono cap. In ore duorum aut trium teſtium ſtabit omne uerbum.

Verbum otioſum omne (ut eſt apud Matth. 12.) id eſſe apparet, quod omitti, maioriq; cū fructu taceri potuerat, at prolatū, uel uani aut impuri animi teſtimoniū, uel auditoribus non tantum inutile, ſed & ſcandalum eſt. Ideo locus ille licet de tota ſententia omniq; colloquio ſine ſermone putri exponi.

Verbi repetitio frequens apud Hebræos, & ſignificat certitudinem rei. Gen. 3. cap. Multiplicando multiplicabo dolorem tuum. Quaſi dicat: Haud dubie augebo.

Verba decem, Decalogus, decem præcepta. Exod. 34. cap. & & 10. cap. Verba fœderis & decem præcepta idem eſt.

Verba item fœderis, ſeu pacti: id eſt, conditiones & leges huius fœderis.

Verborū occaſiones imponere. Deut. 22. Id eſt, dederit alijs occaſionem trāducendi eum, ipſeq; diffamauerit eum. Impoſuitq;, inquit Moſes, nomen peſſimum, uel, Poſuit occaſiones uerborum contra eam, dicendo: Id eſt, autor fuit, quod male audiat filia noſtra, quod alij male loquantur de ea.

Verbum ad me non reuertetur uacuum: hoc eſt, non uanum ac falſum erit, quod futurum prædixi. Eſa. 55. eadem habes cap. 45. Præterea apud Hier. de ſagittis, cap. 50.

Verbum Chriſti audire, pro recipere. Ioan. 5. Qui ſermonē meū audit, pro eo quod eſt, recipit & credit uerbo.

Verbum dei aliud non eſt, quàm expreſſa dei uoluntas, quam uarijs modis humano generi φιλάνθρωπως deus, ſiue uiſionibus, ſiue per angelos, ſiue per prophetas, & nouiſſime per filium ſuum patefecit. Ebræorum 1. Hinc uerbum dei, facies dei eſt, Verbū dei, eſt reuelata uoluntas dei. Verbum dei, eſt unigenitus filius dei, in nouiſſimis temporibus homo factus. Verbum ueritatis, prædicatio euangelij eſt. Coloſſ. 1. Quum prius audieratis in uerbo ueritatis: hoc eſt, per prædicationem euangelij Verbū, Philip. 2. Verbum uitæ ſuſtinentes: hoc eſt, ſemen & uiaticum uitæ habentes.

¶ *Verbi diuini nomina* ſunt hæc. Aqua uocatur, eo quod in æſtu perſecutionis, quæ uel à carne, uel à diabolo, uel à mundo nos refrigeret: nam qui humiliati lege, ſicut cernuus qui deſiderat ad fontes (ut Pſaltes ait) aquarum, euangelium ſitire incipiūt, Ioannis 4. & 7. cap. Eſa. 55. cap.

Vinū, quod exhilaret ac lætificet cor pacificans conſcientiam, quæ cruciabatur, ſciens coram ſe abominabilem, ſed uinum diuinæ ſapientiæ detergit triſtitiam illam. Eſa. 55.

Lac, eo quod nutrit, creſcere; faciat paruulos, uſq; in menſuram Chriſti. Venitur ad hæc quas, et emūtur, et bibuntur fide, pro ut ampla & feruens fuerit. Eſa. 55. & 1. Pet. 2. cap. Lucæ

Lucerna, quod citra hoc uerbum omnia caliginosa sunt, & quod qui hoc uerbum sequitur, in errorem impingere non possit. Vide Psal. 118. Lucerna pedibus uerbũ tuum, Lumen, quia lucet in medio prauæ & peruersæ nationis, ut Psal. 118. Lumen semitarum tuarum.

Pabulum, quo fœcundatur & seruatur securum, placetq; deo, quicquid inciderit quod operetur uox, ut Ioannis 10. cap. Illas quoq; oportet me adducere, & uocem meam audient. Appellatur autem Euangelium uox, ut discrimen legis quæ muta in tabellis mutis inscripta sint. Euangelion autem uox uiua cordibus nostris inscribitur.

Dextera Domini, ut Psal. 79. Calciamentum, dicitur quod nos dirigere debet, ne erremus, ne impingamus, Ephe. 6. Et huc spectat Numer. 9. cap. Per uerbum figebant tentoria, & per uerbum illius proficiscebuntur.

Panis uiuus, qui de cœlo descendit. Ioan. 6. Hoc est, uerbum dei est, quod uiuificat, Deut. 8. cap. Margarita dici potest, quia nihil preciosius. Ideo uetat Christus has margaritas non esse proiiciendas ante porcos.

Carbunculus, quia ardens ac lucens. Crystallus, quia lucidum est: Sapphirus, &c. quia cœlestia nobis tradat, apud Esaiam 54. cap. has metaphoras reperies.

Folium, ut Psalmo. 1. Folium namq; in sacris literis signat uerbum & doctrinam.

Sermo crucis, à Paulo uocatur, eo quod carnem offendat & mortificet. Deinde Stultitiam uocat, quia pugnat cum sapientia carnis. Potentia & uirtus dei. 1. Cor. 1. quod sit organum quo deus potentes facit eos qui credunt. Brachium, Psal. 25. Pluuia uoluntaria, Psal. 67. Et ad Hebr. 4. cap. Viuus est enim sermo dei & efficax. Mensa Psal. 21. Gladius acutus, Ephe. 6. Esa. 49. Virga ferrea. Sceptrum ferreum, Psal. 2. Apocal. 18. Esa. 11. Psal. Lex Domini. Sagitta munda & Scutum, Psal. 44. Esaiæ 49. Spiritus oris & uerbũ dei, idem Psal. 33. 2. Thess. 2. cap.

Visionem porrò propheræ uocarunt, nec minus recte uerbum dei ad se factum, quo idiotismo fere semper utuntur, pro eo quod est, Loquutus est Dominus, ut Genesis 15. cap. Factus est sermo domini ad Abram per uisionem, dicens: Onus commode dixerunt, quum molestam onerosamq; dei iram prædixerunt. Virga oris Domini, Esaiæ 11. cap. Gladius spiritus, Ephesiorum 6. cap. Gladius salutis. Verbum uitæ, Philip. 2. Verbum ueritatis. Colos. 1. Item, uerum dicitur uerbum dei, hoc est, solidum, firmum, constans, Emeth, hebraice, Lucæ 16. Quod uerum est quis credet? quo consolamur, firmamus & solidos homines facimus.

¶ *Veritatis* dictio latissime patet in scripturis Æmeth: Hebraice, quæ uox ex uarijs scripturæ locis colligitur. Ebræis significare, nunc syncritatem & integritatem: nunc certam & plenam beneficentiam, nunc certitudinem & firmitatem. In primo significatu usus ea uoce est Ezechias rex, quum orabat: Recordare Domine, quod uersatus coram te fuerim in ueritate, & corde perfecto egerimq; quod tibi probatur. Hinc ueritas quid aliud est, quàm syncritas & integritas? Hinc ueritas sumitur pro uero, integro & solido, imò pro ipso uero dei populo, pro ueris dei filijs, qui per ueritatem sicut filij 1. Ioan. 2. cap. Et quoniam omne mendacium ex ueritate non est. Ex ueritate non esse, dixerit pro eo quod est, non esse de consortio uere fidelium: Et Paulus Ephe. 4. cap. Per ueritatem, syncritatem, candorem, simplicitatem ac integritatem intelligit: sicut per mendacium, omnem dolum, fraudem. Et pauloante in eodem capite, Quemadmodum ueritas est in Iesu. Veritatem opponit uanitati, excæcationi & immunditiæ ut ueritas hoc loco hoc ipsum sit quod fides, iustitia, & integritas. Sic enim apud Hebræos in prophetis sæpe usurpatur.

In altero significatu usurpatur, & iungitur ferè Hasid, quod benignitatem significat. Sic dicebat ad familiam Bethuelis seruus Abraham: Si libet hero meo benignitatem & ueritatem quod idem pollet, ac si dixisset: Si libet hero meo iustam & plenam benignitatem exhibere. Germanicè, vvolt ir an meinem herren, freuntlich vnd getrevvlich thon. In hac significatione coniunctum Hasid deo identidem tribuitur, cuius solius bonitas plena & certa existit. De benignitate, iustitia, ueritate. Psal. 25. uersu 5. canit. In ueritate tua.

In tertio significatu usus illa uoce fuit, idem Abrahæ seruus, cum gratias ageret domino, quod iter suum secundum & prosperum fuisset. Deduxit me, inquiebat, per uiam ueritatis, id est, uiam ueram & optatam. Sic & Ezechias gratulabatur sibi, quod suis diebus futura pax esset & ueritas, ubi ueritatis nomine intellexit, certum ac firmum regni

ſtatum: quemadmodum panis nomine, ſecundum & proſperum. Hoc ſignificatu Ioan. 1. Chriſto ueritatis plenitudinem tribuit, ſignificareq; uoluit, quod uiderunt eum plenū gratia, qui apud deum & homines gratioſiſſimus & amabiliſſimus fuerit, ut quem ne hoſtes illius peccati arguere poſſet, ſum & ueritate, ut cuius omnia ſunt optima, ita etiam certiſſima & firmiſſima eſſent, cum in alijs hominibus nihil firmum, nihil ſtabile, nihil uerum, nihil proprium, nihil certum exiſtat, quare ueritas & mendacium, non immerito appellatur.

Veritatē hinc facere, eſt ex fide ſeu fidelitate, & corde facere, & re ipſa præſtare, uere candide, non hypocritice, Ezech. 18. cap. Vt faciat ueritatem. Et. 1. Ioan. 1. cap. Et ueritatem non facimus, hoc eſt, fidelitatem, & id quod audis aut profiteris, re ipſa præſtare. Item, ueritatem & miſericordiam facere cum aliquo. Hebraiſmus ille, Gene. 47. habetur. Id eſt, iura te haud dubie collaturum in me hoc beneficium: nempe quod non ſepelies, &c. Iſraelis uerba ad Ioſeph filium ſuum. Æmeth, ueritatem, & fidem, hoc eſt, conſtantiam in dictis factisq; ſignificat, Hoſeæ 4. Quia neq; ueritas, neq; beneficentia, neq; notitia dei eſt in terra. Et Rom. 3. Etenim ſi ueritas dei. Hic Æmeth fidem ſignificat, id eſt, conſtantiam dictorum & factorum.

Veritatis uocabulum interdum iuxta idioma Hebræum cuiuſuis rei perfectiſſima eſſentia, ipſa rei abſolutiſſima perfectio. Id quod Germanicè ita efferimus, du vvirſt diegantzem uuarheit und den rechter grund heren und uerſton, Ioan. 8. Et cognoſcetis ueritatem, & ueritas liberos reddet uos.

Veritatem atqui loqui ex corde, nihil aliud eſt, quàm bona fide & ex animo candide ac ſincere quod uerum eſt loqui. Cuius contrarium eſt, ſubdole & malicioſe aliud ore loqui, & aliud corde tegere, Pſal. 12. & 15. Vide in uerbo Loqui, &c.

Veritas dei, promiſſiones dei ſunt, Gene. 32. Et omni ueritate. Per ueritatem intelligit promiſſiones impletas. Quaſi dicat, Indignus ſum omnibus promiſſionibus tuis quas adimpleſti. Et Pſalmo 43. Mitte lucem tuam, & ueritatem tuam. dei ueritatem uocat, quia ex eo quod deus ſtat promiſſis ſuis, & ſpei ſuorum ampliſſime reſpondet, erat hanc opem iſti ſeruo ſuo laturus. De hac ueritate & fide dei, in uerſu ſexto, Pſalmo uigeſimoquinto. His orat deduci ſe, hoc eſt, negocium ſuum expediri, nihil ſuis uiribus uel meritis arrogans.

Veritas dei quoq; immenſa bonitas eſt & dicitur, qua cum ſuis ac omnibus, & iuſte, & ex optima fide, & ad ſalutem ipſis, eamq; ueram ac ſolidam, cuncta agit. Id ſibi uolunt iſta nomina, iuſtitia, fides, ſalus, benignitas, ueritas. de quibus Pſal. 25. & alibi. Et Pſal. 40. Non celaui eccleſiam magnam tuam bonitatem & ueritatem.

Veritatis & bonitatis obuiatio. Pſal. 85. deſcribitur: Bonitas, inquit, & ueritas obuiabunt, iuſtitia & pax ſe mutuo oſculabuntur. veritas de terra germinabit, & iuſtitia è cœlis deſpiciet. Chriſtus, iuſtitia dei eſt: quare ubi ſic præſens eſt, ibi ita regnat, ut omnia fide & bonitate, quibus uita Deo digna, & ad legem eius formata conſtat, pollent. Id canit illis uerſibus. Nam bonitatis & ueritatis inter ſe obuiatio, tum iuſtitiæ & pacis mutua oſculatio, quod ſcilicet eſt amice ſibi obuiantium, tum fidei terra progerminatio, & iuſtitiæ è cœlis deſpectio. id eſt, quàm apud omnes paſſim hæc obtinere, & unumquēq; ſanctorum iſta alteri præſtare. Mutuata ſimilitudo eſt ab hominibus ſibi inuicem occurrentibus, & ſe mutuo oſculantibus: quod cum paſſim fit, magna eſt hominum frequentia. Inde nihil niſi ueritatis, bonitatis, iuſtitiæ & pacis frequentiam & abundātiam, hac proſopopœia ſacri uates canere uoluerunt.

Veritatis porrò, iuſtitiæ uel fidei nomine, ea uita ſignificatur, qua iuſte & fideliter, nempe ut daret, & è re eſt proximorum uiuitur. Solet uerò in Pſalmis præcipue, quam & in alijs diuinæ ſcripturæ libris. Æmeth, id eſt, ueritas uel fides. Dum Heſed, ſeu Haſid. id eſt, benignitate & commoditate coniungi. Etenim qui hominem ſe profitetur, ſimul benigne agere cum quibuſuis, & quos poſſit iuuare pollicetur. Si igitur uerus ſit, & fidem colat, huic ſuæ profeſſioni, & aliorum de ſe expectationi ſtudebit ſatis facere, eoq; ex fide, & quàm benigniſſime agere cum quibuslibet, dabit operam. Hæc autem quoniam nemini niſi dei dono & beneficio contingunt, Dei merito, fides, iuſtitia, bonitas dicuntur, qua ipſe nobis dat, ueris, iuſtis, & bonis eſſe. Nonnunquam autem per hæc ipſa dei bonitas, quia ipſe bonus eſt, intelligitur, de quo uerſu 9. Pſalmi 5. diſſerit.

Verita

Veritas, Iuſtitia, Pax, uerbum dei, communi ſcripturæ uſu ſoli quidem deo aſcribuntur, quod ſolius dei beneficia ſint, quæ in nobis operatur, & nobis omnibus largitur & concedit.

Veritas euangelij nihil aliud eſt, niſi exhibitio promiſſionum, quæ ex debito fit, qua deus ſe nobis obſtruxit. Miſericordia, eſt beneficium gratis exhibitū. Miſericordia promittit. veritas promiſſionem implet. veritate fortiter urget Iacob deum, Geneſis trigeſimoſecundo capite, Ita miſericordiam & ueritatem interpretatur Paulus Romanorum decimoquinto capite Pſalmo uigeſimo quarto: Omnes uiæ domini miſericordia & ueritas, & cætera.

Veritatis uia, apud D. Petrum, 2 Pet. 2 cap. eſt uia uera, & abſque ullo fuco & hypocriſi, ſyncera conuerſatio, ſecundum uerbum dei inſtituta, quæ nimirum fides eſt, in qua omnes uerè Chriſtiani ambulāt. Per impios autem blaſphematur illa ueritatis uia inquit D. Petrus in adducto loco.

Via ueritatis niſi unica eſt, illa nimirum, quàm nobis in ſcriptis canonicis per Chriſtum ad cœlos oſtendit cœleſtis pater, ſimplex quidem illa, expoſita, & in arctum compreſſa.

Veritatem Dei nonnulli uolunt, ut Pſal. 91. Scuto circumdabit te ueritas eius: illius eſſe uerbum, quo animæ protectæ hoc uitæ deſerto, ſecuriſſimam degunt uitam. unde nos abſque ratione à ſeruatore eſt dictum, Pater ſanctifica eos in ueritate, ſermo tuus ueritas eſt.

Veritas, iniuſtitia. Roma. 1. Qui ueritatem in iniuſtitia detinent. hoc eſt, euangelium cum idololatria & hypocriſi obfuſcant & remorantur, adeoq; opprimunt. Veritas autem apoſtolo ipſe deus eſt, & religio uera, ſicut iniuſtitia ſuperſtitio. Gentes ergo ueram religionem ſua ſuperſtitione adulterarunt.

¶ *Vermis*, non tantum conſcientiarum remorſum, quantum luem miſeriarum & calamitatum ſignificat. Eſa. 66. vermis illorum non morietur. id eſt, remorſus conſcientiæ malæ, & peccati uirtus. Et ſicut corpus ab illis deuorabitur, ita & mens à malæ conſcientiæ uermibus cruciabitur. Cogitatione enim illæ accuſantes, tanquam notæ quædam animo inſcriptæ, manifeſtæ erunt, & tanquam Erynnis cruciabunt. Eſa. 14. Sed eris uermibus tinearumq; eſca. Hinc uermis pro pœna & cruciatu eorum qui damnantur, ut Mar. 9. Et uermis eorum non extinguetur. vermis quidē propter ademptam quietem. Ignis propter cruciatum grauiſſimum. Hi ſunt theſauri diuitum & potētium, qui alios in hac uita opprimunt.

Vermis quid etiam ſit perpulchre Hiob exponit, homo putredo, & filius hominis uermis. Dauid Pſalmo uigeſimoprimo, hunc ſtatum rerum huiuſcemodi explicat dicens: Ego autem ſum uermis & non homo, opprobrium hominum, reiectamentum plebis, & cætera.

¶ *Verſari* coram deo: uel, In conſpectu eius, eſt innocētiæ & ſanctitati ſtudere, & componere noſtram uitam ad eius uoluntatem & legem: hoc eſt, certo dei feruore gaudere, ita uiciſſim flagranti eius ſtudio teneri. Sic & illud dictum Abrahæ intelligendum: verſare coram me, & eſto integer. Geneſis decimoſeptimo capite, Et hi ſoli, qui ita coram te agunt, ueram uitæ lucem obtinebit, Pſalmo quinquageſimoſexto, vt uerſer coram te ô deus in lumine uiuentium.

Similiter coram deo iuſtum eſſe, uel ambulare, uel ſedere, formulæ locutionis Hebraicæ ſunt, ut Lucæ 1. capite, Quæ Liphne Adonai eos iuſtos Lucas dicit, qui metu dei & amore iuſtitiæ, innocentiæ incumbunt, qui bona conſcientia & ſyncera, quaſi in conſpectu dei omnia uidentis, uerſantur. Sic Hanoch dicitur ambulaſſe, & Noe iuſtus fuiſſe coram domino: hoc eſt, metuentes & reuerentes dei fuerunt. Coram deo ergo iuſtum eſſe, eſt timorem dei habere. Erunt ambo iuſti coram domino: id eſt, omnibus quæ deus in lege ſua præceperat, diligenter & magnopere ſtudebunt, horrebant quicquid deus uetuerat, componebant uitam & mores ad normam diuinæ uoluntatis, idq; à teneris iam annis.

¶ *Verſutia*, eſt illa lucrandi aſtutia, ex impoſturis & uerſutijs conſtans. πανοῦργος enim improbum & malitioſum ſignificat, Germanis ein beſchiſſmer kremer. Solet enim mercatorū grex ſutelis, fucis, technis & uerſutijs plerunq; agere, Ro. 1. Quippe qui impleti ſunt omni iniuſtitia, ſcortatione, uerſutia, alij nequitiam uerterunt. Hinc uerſutus, qui

corde peruersus & fraudulentus, cuius consilia nemo potest peruestigare aut cauere. Psalmo.101.

Versutorum sedes, societatem & conuictum eorum per metonymiam significare, sacræ linguæ magis peculiare est, Psalmo quarto & uigesimosexto, eiusdem metonymiæ usus est.

¶ *Vesani*, qui nihil recta ratione gerunt, sed ita ferunt insaniæ eorum cupiditates, rapiantur, planeq; furiunt, in conspectum tuum non admittentur, odisti quicunq; iniquitati student, perdes qui mendacijs negocium bonis facessunt, uiros sanguinis auidos & fraudi deditos auersaris. De his Psalmus 5. canit.

¶ *Vespera* & nox, sæpe pro aduerso & in felicitempore accipitur, quemadmodum matutinum tempus pro secundo & pro spero positum, Psal. 143. Et Psalmo 29. Ad uesperum demorabitur fletus & ad matutinum lætitia.

Vespera tota illa, uita præsens intelligitur, quia per peccatum Adæ omnes usq; in finem seculi gemunt.

A uespera usq; ad mane, Leuitici 24. significat totam noctem. Inter duas uesperas, Exodi 12. cap. Prima uespera, est quum occubuit sol: altera, quum incipit nox. Numer. 28. cap. Ad uesperam. Et Leuitici 9. cap. Inter duas uesperas facietis illud tempore suo, Id est sub uesperam, ad occasum, sub noctem, sub initium quinti diei immolabitis hunc agnũ paschalem tempore quo præcipi immolari. Chaldæus paraphrastes uertit, Inter duos soles. Id est, inter solem declinantem, in puncto meridiei, & inter solem occidentem, hoc est, inter meridiem & occidentem. Quidam dicunt unam esse uesperam solis, quum sol transit horizontem: alteram luminis, quum non apparet lumen solis post occasum, & ita ait immolandum esse agnum inter occasum solis & principium noctis.

Vespertinum sacrificium, & matutinum, quod in ecclesia Christi cessare non debet, est sacrificium laudis, quod deo debemus, à quo sumus in sacerdotium sanctum in Christo Iesu summo pontifice, electi & consecrati 1. Petri. 2. cap. quod à nobis etiam Psalmo. 50. requiritur. Et, Immola deo sacrificium laudis, &c.

Vespera autem est, non unius tantum horæ spacium, sed complectitur in se uulgariter omne illud tempus, quod à tertia pomeridiana est ad noctis usq; tenebras, iuxta consuetudinẽ uero scripturæ, dimidiam diei partem. Factum, inquit, uespere & mane dies unus. Matth. 14. Et, Ioan. 6.

Vespertini lupi, Iudices, principes insigni auaritia corrupti dicuntur, ut Zophoniæ cap. ultimo testatur. Lupi uespertini, hoc est, famelici, doctores falsi quoq; dicuntur. Vide suprà Lupus, quale nomen.

¶ *Vertere* pro approbare, laudare, accipere, & gratum habere, Geneseos 2. cap. Et uertit se deus ad Abel, & ad munus eius. Hoc loco etiam munus pro sacrificio usurpatur. Et, uertit de post me, id est, dereliquit me.

¶ *Vertex*, pro intellectu. Psal. 7. Conuertetur dolor eius in caput eius, & in uerticem ipsius iniquitas eius descendet. Ac si diceret, Non solum enim corporea illius moles tuũ iudicium sentiet, uerum etiam mens ipsa, atq; intellectus indurabitur, obbrutescet, in sensumq; reprobum sua sponte præcipitabitur.

¶ *Vestis, uestimentum*, pro ueritate, splendore, substantia, & opibus. Esaiæ 3. cap. Vestem habes. uel, uestimentum tibi est, princeps esto noster. Et eodem capite, Non sum medicus, & in domo mea non est panis neque uestimentum. Tam raras isti Hebræi habent synecdochas, ut in eodem propheta cap. 43. ære tuo non emisti calamum, odoratum scilicet. Vbi calamus pro uniuerso condimento isto precioso, quo & sacra uasa, & sacerdotes ipsi ungebantur, accipitur. Cui simile fieri nefas erat. Exo. 30. propterea quod calamus odoratus una ex præcipuis speciebus eius esset. Sic & in adducto cap. Esa. vestis pro habitu, honore, opibus & autoritate ponitur.

Vestis & panis nominibus, omnem substantiam aut rem uenire constat. Sic ait Propheta, Panem nostrum comedemus, & uestimentis nostris operiemur.

Vestis abiecta, dicuntur omnes increduli. Esa. 50. Ecce omnes illi sicut uestimentum ueterascent. Bene autem populus non adhærens deo, uestimento abiecto comparatur: quamdiu enim à Domino gestatur, bene habet, & hominem ornat, ac uicissim ornatur, abiectum uerò à tineis deuoratur.

Vestem

Vestem quoq; Matt.24.pro re quauis preciosa & necessaria.Et qui in agro,non reuertatur,ut tollat uestes suas:inquit Euangelista.

Vestimentum expandere consueuerunt Iudæi,dum rem claram,perspicuam,manifestam ac explicatam uolebant facere.sic Deute.22.præcipitur,expandent uestimentum coram senioribus ciuitatis. Excutere uero solebant uestimentum,dum minabantur,ut Nehemias fecit.De uestiũ excussione,uide Luc.in Act.13. At illi excusso puluere pedum suorum in eos.De uestimentorum allegoria,uide Tertullianum libellum de Carnis resurrectione.

Vestis porrò nuptialis,est uera in Christum fides sancta'q; uitæ innocentia.Paulus enim ad Galat.3.Omnes,inquit,filij dei estis,quotquot credidistis.Nam quicunq; baptizati estis,Christum induistis.His adde & paria ex 13 cap.ad Rom.& 4 cap.ad Ephes.Et sanè conuersationem ac integritatem uitæ significari uestę,frequentissimum est.Proinde nisi uera fide & synceritate uitæ simus præditi,nihil proderit nobis locũ habere inter sanctos,audire uerbum,communicare sacramentis,interesse precibus.

Vestes,in scriptura,ornamenta uirtutũ spiritus sancti,quod sumus induti uarijs donis,ut 1 Cor.12 cernitur,& Psal.45.

Vestitus ouium,est prætextus simplicitatis,innocentiæ & sanctimoniæ.Mat.7. Lupi rapaces sunt homines ingenijs præditi lupinis,rapacibus,auaris,uoracibus,gloria & opibus inexplebilibus.

Vestium deniq; conscissio seu diruptio plangentium habitus signum,uel maximi luctus,uel indignationis maximæ ex blasphemia conceptæ.Imò hac cõscissione uestimẽtorum inauspicatissima nunciare,& dolorem maximum pro gloria nominis dei cõtempti & signum tristitiæ cõpatientis animi testabantur.Mos is Iudæis erat,tam pijs quàm hypocritis.De simulatoribus est Ioel.2.Scindite corda uestra,non uestimenta uestra. De pijs in Actis legimus cap.14.nempe de Paulo ac Barnaba,quomodo tunicas suas scidérint,ubi uidebant populum in hoc esse,ut sibi sacrificaret.Et de Dauide legimus,quod uestimenta sua sciderit.2.Samu.1.3.13.cap.& de propheta Elisæo.2.Reg.2.De Iob quoq; cap.1.Quod uestimentorum diruptio,ueteribus luctus,doloris,& repentini horroris signum fuit,quo testarentur animi perturbationem.

Per uestimenta,opera sancta exprimuntur.Apocal.16.Beatus qui uigilat & custodit uestimenta sua,ne nudus ambulat.Item pro terreno corpore,ut Eccles.9.capite,Omni tempore sint uestimenta tua candida. hoc est, membra corporis à sordibus actibus munda.

¶ *Veterem* hominem exuere,aut deponere,est uitam in melius commutare.hoc est, uanitatem mentis,tenebras,ignorantiam dei,excæcationem,indolentiam & immunditiam ponere,contraria uero in locum surrogare.

¶ *Vexillum*, pro turma & cohorte.Num.10.cap.Et profectum uexillum turmæ filiorum Iuda.Septuaginta,tagmata legunt.

Vexillum meum,seu miraculum,seu exultatio mea. Exodi.17.cap. vocauit nomen eius altare Domini uexilli mei.id est,qui fuit mihi loco uexilli.

Vexilla quatuor in profectionibus filiorum Israel primaria,minora penè innumera. Numeri secundo capite. Ideo dicit,Per uexilla sua.sequendo scilicet particularia,& minora.

¶ *Via*, in scripturis sacris est,quicquid agimus,conuersamur,utuimus:omnia denique quibus studemus siue bona,siue mala.Sic & apud Hierem.2.pro uitæ ratione capitur,mox pro ipso terrestri itinere ponit.

In uia Ægypti.id est,more,consuetudine. Esa.10.pro actione & opere.Et 3 Reg.8. pro crimine & scelere.

Via,interdum pro officio & opere.Psal.3.Contritio & infidelitas in uijs eorum.Haggei cap.1.Ponite corda uestra super uias uestras.hoc est,ita ordinate uestrum opus,tum de ædificatione templi,tum de domibus uestris, ut differentia quædam sit uobis negotiorum.Acto.9.cap.

Via Christi,politia dicitur. Item,via, pro mandato. Psal.24. vias tuas Domine,demonstra mihi.

Vias,dicit Apostolus 1.Cor.5.cap.prædicationes,dispensationes & regulam,consuetudines'q; legesq; diuinas. Qui uobis,inquit,in memoriam reducet uias meas.Rom.11.

Pro uoluntate, Prouerb. 16. Cor hominis cogitabit uiam suam.

Via quoq; interdum hebraico schemate pro uita hominis, eo quod illa, quemadmodum uia quædam, ad exitum aliquem tendat, uel uitæ scilicet uel mortis, Matth. 7. cap. Sic & institutũ uitæ, Psalm. 37. Deuolue super dominũ uiam tuam, hoc est, institutum uitæ tuæ. Et Psal. 1. Et uia peccatorum interibit, id est, uita peribit. Et Psal. 2. Ne Pereatis de uia, id est, autore Kimhi, uita.

Via peccatorum, mores, actiones, studia eorum sunt & instituta, negocia, incepta opera, in quibus quasi in uia gradientes uersantur. Metaphora hæc, qua non solum ratio certa uiuendi, aut negocij gerundi, aut successus, sed & rerum quarum libet conditio & adfectus significatur: nusquam non in scripturis occurrit.

Viæ eius prosperantur, Psal. 10. id est, instituta, iuxta paraphrasten Chaldæum, uel placita animi uenient illi, hoc est, iuxta Rab. Mosen Cohen, potietur cupitis. Quæ impij instituunt fere semper eis secundent. Sic è contrario. via institutum iustorum, Hos deus ut suos cognoscit fouetq;, ideo & uita & omnes actiones eorum ei curæ sunt. Contra autem reprobis dicit: Non noui uos, hoc est, inter meos nunquam habui, nunc necesse est, ut uita horum, omneq; quod instituerint, tandem dispereat, ut cumq; ad tempus uideantur florere.

Via pacis, fides ipsa in deum, Rom. 5. Hæc est secura conscientia in omnibus quæ agimus certi quod Deo placeamus, Psalmo decimotertio capite, Et uiam pacis non cognouerunt, &c.

Via & semita uitæ, est permanere in Christo, quod fide fit, uia hæc sancta est neq; enim ociosa est fides in Christũ, Esaiæ trigesimoquinto, Et erit ibi semita & uia, & uia sancta uocabitur.

Via omnis seu uniuersæ terræ, pro morte, primi Regum secundo capite, Ego uado per uiam omnis terræ, Psal. 139. Deduc me in uiam uniuersis in mundo calcanda, Vel, in uiam seculi, id est, mortem, Iosuæ. 23. & tertij Regum secundo. via uniuersæ terræ dicitur. Via iudiciorum dei, adflictio & crux est, quæ à peccatis nos auertit. nam in aduersitatibus uia iustorum dirigi solet, unde sancti super adflictione gloriantur. Rom. 5. Sic Esaiæ 26. Quin etiam in uia iudiciorum tuorum expectauimus, & sperauimus in te, non solum à te beneficijs affecti, sed etiam adflicti & castigati.

Viam dare in caput, est multare, aut in aliquem animaduertere, punire pro merito. 3. Regum octauo capite. Dando scilicet uiam eius in caput eius.

Via præterea nonnunquam pro doctrina, disciplina & religione, schemate hebraico Actorum 9. Vt si quos inuenisset eius uiæ seu uiros seu mulieres, uinctos duceret Hierosolymam. Et capite decimonono pro instituto & religione, Ortus est autem eo tempore tumultus non exiguus de illa uia. Et pro doctrina apud Marcum. 1. cap. viam tuam, hoc est, Ioannis prædicatio, & doctrina uia est Christi, non alia. via, fides, glaub, meynung, art. Et primæ Corinthiorum quarto. vias meas, hoc est, modum quem ego in docendo seruo, fidem meam, studium meum in doctrina Christi. In uia ueritatis, noster Interpres recta uia, qualis loquutio suprà in nomine veritas, explicatum est.

Viæ in scriptura pro quolibet negotio, incepto, instituto, re, usurpare solet, Psal. 39. Obseruabo uias meas.

Viæ domini mera bonitas & fides, facta & consilia eius sunt, quæ non in templo, nec cœlo solum, sed maxime inter homines exercet, quicquid nobis deus præcepit, quic quid à nobis poscit, hoc est, cunctæ eius uiæ, in quibus postulat ut gradiamur, Psalmo 25. 77. Et Psal. 18.. Deus is est, cuius uia: ideſt, studia & facta, sincera, certa & integra sunt, promissis eius probe respondentia. via domini, pro factis domini.

In uia dei ire, est iuxta uiuendi leges ab deo datas, uiuere, Psalmo 128. Psalmo 24. Omnes uiæ domini misericordia & ueritas. Et Psalmo 67. Vt cognoscantur in terra uia tuq; passim uiæ tuæ, hoc est, consilia, instituta, opera quibus tuis consulis tam amanter, benefacis largiter, defendis tam potenter.

Via bona est Christus & uerbum suum, Psalm. 35. Et Psalmo 119. Lucerna pedibus meis, & cætera.

Viæ denique uinearum, pro uia habitabili, uel loco amœno, Hiob. 24. ca. Non aspiciet uiam uinearum. Quamuis secundum quosdam, beth litera Hebræa, sit serulis. ut sit sensus, Sicut excelsi.

Vias

Vias, adhæc Hebræi interim pro quaqua uersum utuntur, quo modo istud dictum est: Ite ad exitus uiarum. pro, ite quacunq; uia est, qualibet, quoquo uersum. Et de omnibus uiis uociferare. Hier. 22.

Via mulierum. Gen. 31. noster interpres sic, Iuxta consuetudinem fœminarum accidit. verba hæc Rachelis ad physicen spectant. Quemadmodum hæc de Sara, Desiit fieri Saræ semita, secundum mulieres. pro quo legit interpres, Desierunt Saræ fieri muliebria. Gen. 18. via pro more & consuetudine. hoc est, & ipsi Saræ cessauerat esse uia secundum fœminas. Quo idiotismo circumloquuntur, effœtam iam fuisse Saram: ita ut iuxta fœminarum naturam, morem aut consuetudinem menstrua desiissent. Sie hat den gang nit mehr.

Viam facere, est arguere mundum peccato, & ostendere nullam adhuc esse apud homines uiam, tollēda esse offendicula uiæ, nempe fiduciam operum, & alia electitia. Esa. 37. Et dicam, uiam facite.

In uiam gentium. Mat. 10. Hebraismus est pro eo quod aliud diceret, Ad gentes. ue Ne abieritis ad ea loca, in quibus sunt gentes & amplius quiddam dixit, quàm si dixisset, Ne abieritis ad gentes.

Viarum exitus, Matthæi 22. cardines orbis & Ethnicorum loca, in quibus idolis seruiebant, designantur.

Via pacis, credere sine meritis, imò cum maximis detrimentis, simpliciter in misericordiam domini. Esa. 59. viam pacis nescierunt.

Via domini, est ratio uiuendi, & uita diuina ut ipse in nobis uiuat. Hæc uia sic cōparatur si abiiciamus præsumptionem iustitiæ & operum, & agnoscimus peccata: uidelicet, scortatio, &c. etiam sunt impedimenta in uia domini.

Via media & regia gradi, est soli & puro dei uerbo per animi sententiam, & cordis fiduciam adhærere, id quod fit dum ueritatis honorem uerbo dei imbuimus, trementes ad eius uerba, iudicia, & gaudentes ad eius promissiones.

Ad dexteram declinare, est addere uerbis dei: id est, ea pro cultu dei habere, quæ deus non mandauit. Ad finistram uerò declinare, est uerbis dei demere & ea abiicere contemnendo. Per illud impie maior & alia sanctitas quæritur: per hoc uerò manifeste Deus contemnitur. Prohibita sunt hæc Deut 12. Quod præcipio tibi hoc tantum facias.

Vias Domini inuertere, ut est in Actis cap. 13. & res planas inuoluere, & ex rectis facere tortuosas: hoc enim diastrephin græcè significat. Nihil autem simplicius, purius & rectius est ueritate Christiana, ut hanc peruertimus cum bene dicta. Vnde interpretamur, siue aliquid de nostro assumentes, siue aliquid detrahentes, siue inuertentes, siue in suspicionem malam trahentes: & breuiter, quoties de ueritate nostri lucri gratia, impro be & inhoneste loquimur, aut lucem tenebris nostris data opera obfuscamus.

Viam Domino parare, ut est apud Luc. cap. 3. Et rectas facere semitas eius, montes planum deducere, & conuexa uallium æquare, nihil aliud est, quàm pœnitentiam agere. Vbi autem pœnitentia iubetur, ibi certe iubentur peccata tolli.

¶ *Vicinus*, pro proximo. Psal. 15. Et opprobrium non tulit super uicino suo.

¶ *Victima* domini, pro cæde multorum, de quibus uindictam sumere deus tāquam de hostibus suis. Aliàs sacrificium domino magnum dicitur. Hier. 46.

¶ *Videndi* uerbum uarijs modis in scripturis uidimus accipi. Nam crassior & uulgaris uidendi modus est, oculis carnis ea quæ præsentia & obuia sunt cernere, de quo illud est 1. Samuel. 16. Homo uidet ea quæ patent. 2. Cor. 4. Quæ uidentur, temporaria sunt: quæ non uidentur, æterna.

Item videndi uerbum, interdum sumitur pro intelligendi uerbo: quod tum in sacris literis, tum latinis fit. Sic, Iesus autem ut uidit cogitationes eorum. hoc est, ut intellexit, aut sensit. Et Io. 6. videns ergo Iesus. Et Paulus dicit Rom. 11. vide bonitatem ac seueritatem dei. Sic & Germani ea nos uidere dicimus, quæ mente intelligimus.

Deinde uidere, pro cognoscere. Psal. 27. & Io. 3. Non potest uidere regnum dei. Regnum dei hoc loco pro gratia redemptionis humanæ, quæ per Christum dispēsabatur, de qua illud est & Ioannis & Christi, Resipiscite, appropinquauit enim regnum cœlorum. Et Io. 6. Qui uidet filium. Tertio, uidendi uerbum pro experiri, seu experientia sumitur. Psal. 77. viderūt aquæ deus. & alibi, Qui uult uidere dies bonos. & Christus, Qui sermonem meum seruauerit, mortem non uidebit in æternum. Et Malachiæ 3. Videbi-

tis quid fit inter iuſtum & impium. Quarto, uidere idem quod cauere, uitare, obſeruare, conſiderare & curare aliquid. Vt Marci 13. Videte, uigilate, & orate. Et Lucæ 12. Videte & cauete ab omni auaritia. Et 1. Cor. 10. cap. Qui ſtat, uideat ne cadat. Ephe. 5. Videte quo modo caute ambuletis. Et Philip. 3. cap. uidete canes malos operarios, hoc eſt cauete, uitate, conſiderate, obſeruate. Exodi 2. Vt uideret laborem eorum.

Videre, porrò pro eligere. Ioan. 1. Cum eſſem ſub ficu uidi te, hoc eſt, poſitum te ſub umbra legis elegi. Item, pro pugnare. 4. Regum 14. cap. veni uideamus nos. Pro miſereri, Pſalmo 26. Pro contemplari, Ioannis 12. cap. Qui me uidet, uidet eum qui miſit me.

Videndi uerbo quoq; Ebræi utuntur pro conuerſandi & colloquendi ſiue conferendi. Sic enim & Cæſar poſt deuictos Perſos Romanis nuncians profectionem feliciter ab ſoluram, congreſſum, conflictum & uictoriam: ueni, ait, uidi, uici, Ioan. 12. cap. Domine uolumus Ieſum uidere.

Videre etiam pro comparere uſus Eſaias 38. Non uidebo Dominum Deum, id eſt, non comparebo coram domino Deo, ultra, &c. Item, uidere pro exitum oſtendere, & Geneſis. 22. capite. Dominus uidebit, id eſt, liberabit, aderit, opem feret, exitum oſtendet.

Videre Paulus ad Hebræos undecimo capite, poſuit pro ipſo ſenſu, quo ſenſibus corporeis corporaliter rem experimur. Argumentum, inquit, eorum quæ non uidentur. Item, uidere præterea pro habere uel accipere & demõſtrare, uel oſtẽdere, pro dare, & alias ſcriptura uſurpat. Sic dominus Moſi: Oſtendam tibi omne bonum, pro dabo dixit, Exodi 33. cap. Et Ioan. 3. cap. negauit uiſurum dei non ingreſſurum uel poſſeſſurũ, Et Ioannes quinto, Omnia demonſtrat ei quæ ipſe facit, Id eſt, eadem facere donat.

Videre atqui regnum dei, eſt participem eſſe regni dei, & introire & ingredi, ut ipſe dominus paulo poſt dicit, Ioannis tertio. Similiter ſexto capite apud Ioannem. Qui uidet filium, quod non ſimpliciter eſt uidere, ſed conſiderare potius ſignificat, unde pro plane cognoſcere accipitur. Qui enim plane cognoſcitur filium, non poteſt non in eum credere.

Videre mortem eſt mori, Ioannis octauo & Lucæ 2. cap. uidere corruptionem, Actorum 2. cap. eiuſdem generis, non computreſcere eſt.

Videre pro comparere, ut apud Eſaiam 38. cap. Non ultra uidebo dominum, id eſt non uiſitabo, non cõparebo coram domino deo ultra. Videre præterea pro beate uiuere, per Antonomaſiam ponitur, Eſaiæ 26.

Videre uerbum ſignificat uoti factum compotem, & uoluptatem capere, oblectari, probare, iamq; uidere quod quis diu optauerat, Pſalmo 54. quod eſt cum gaudio & uoluptate uidere. In hoſtes meos uidit oculus meus, id eſt, oculus meus uidit in hoſtibus quod uolebat, quod optabat: nimirum iam oppreſſos, & ueritatem ſtare firmam, Pſal. 7. ubi peccatores interierint, uidebis nimirum quod uidere cupiebas Et Pſalmo 75. Aperuerunt lateros ſuum & dixerat: Eia eia uiderunt oculi noſtri, hoc eſt, ò quàm beneſactum hoc pridem libenter uidiſſemus. Sic Eſaiæ 53. videbit & ſaturabitur Et 60. cap. Tunc uidebis & flues & formidabis. Et alibi ueruntamen oculis tuis conſiderabis & retributionem peccatorum uidebis. Et Exodi 32. cap. iuxta phraſim ſcripturæ, pro animi uoluptate affici & delectari. Sein luſt an einem ding ſehen. Sic & illa quoq; Hebraica phraſi dicta ſunt: In inimicis deſpexit uel uidit oculus meus. Significat ſe ultionem uidiſſe in inimico, ut Pſalmo. 111. Donec deſpiciat ſuper inimicos ſuos. Videre & Inſpicere (eadem figura ſeu phraſi ſcriptura loquitur) mutuũ, eſt hoſtiliter inuadere, copias addu cere, claſſicum canere. 4. Regum 14. cap.

Videre, pro reſciſcere, Ezech. 16. Quas abieci poſteaquàm uidiſſem. Item, videndo uidi, Hebraiſmus, quo & Græci ſæpe utuntur, Eundo iuit, Exodi 3. Inſuper & aquã hauſit uobis. Hebræus dicit: Hauriendo hauſit uobis. Id eſt, diligenter ac magna cum fide multoq; cum ſudore hauſit, Geneſis 26. cap. Videndo uidimus tecum eſſe dominũ, pro, Certo percepimus tibi fauere deum, Significat autem hæc uerborum geminatio aut uehementiã, aut certitudinẽ, aut celeritatẽ. De quibus ſuperius tractatum eſt.

Vide, Hoc Imperatiuo nõ raro utunt Hebræi pro aduerbio demõſtrãdi. Ecce, videat dñs ac iudicet, Hebraiſmus eſt, quo Hebræi, rẽ ac uindictã deo cõmittãt. Nam idem eſt: Dominus uindicet hanc iniuriã, cognoſcetq;, Exodi 5.

Videre pro audire, Exo. 20. ca. videat, id eſt, audiebat. Nam apud Hebræos, quod ad ſenſus

sensus attinet, alter pro altero usurpatur. videre insuper turpitudinem mulieris, illaq; conspexerit fratris ignominiam. Hebraismus est, Leuit. 20. cap. pro rem habuerit cum ea, illaq; uicissim coierit cum illo: hoc est, consenserit concubitu.

Videre deum, non raro & uisio dei ponitur pro beata uita ac æterna gloria, dei consortio. Mat. 5. Quoniam ipsi deum uidebunt. nam illi non speciosa huius mundi, flaccida & peritura contemplabuntur, sed ipsum deum opificem rerum omnium, æternum, & sempiternum bonum, cuius elegantiam, puritatem atq; pulchritudinem nemo quantumuis eloquens expresserit.

Videre faciem patris. Mat. 18. notatio est beatitudinis & ministerij dei, quod deo exhibent angeli. Angeli ergo semper uident faciem patris. id est, æternum beati sunt, & dei perfruuntur iucunda familiariq; præsentia. Nam Psal. 16. Satietas gaudiorum, inquit, in conspectu tuo est. & Iosepho Iacob Gen. 46. Iam lætus moriar, qui uidi faciem tuam.

Videre autem faciem regis. quod Latinus interpres sic, Stare coram rege, ut alibi explicatū est, quod est frui præsentia familiariter regis & illi ministrare. Et Dauid ad Ioab de Absalone. 2. Sam. 14. Reuertatur in domum suam, & faciem meam non uideat. id est, non redeat in aulā, ut mihi uel ministret, uel me utatur, sicut hactenus familiariter. Videamus nos facietenus, locutio hebraica 4. Reg. 14. Sensus est, experiamur belli fortunam, uter alterum uincat, & concertando uidere quis sit superior.

Non adijciam amplius uidere faciem tuam: hoc est, in posterum te non uidebo: uel, sub conspectum tuum posthac non ueniam. Illud non adijciam, &c. Exod. 10. In biblijs creberrimum est cap. 11. talis non adijcietur, ubi interpres noster habet, non futurus.

Videre pro custodire & curam rei alicuius habere, attenteq; eam obseruare. Psal. 118. Item, videre uanum, est delectari, probare. videre te faciam: id est, ostendam tibi. Audire te faciam, pro eo quod est, dicam tibi. 1. Regum 9 cap. Eiusdem formæ, Exire te faciam. id est, educam te. Sicut id genus innumera.

Videre diem meum, ut est apud Ioannem. hoc est, gloriam regni mei. Et alibi: Multi reges & prophetæ uoluerunt uidere, quæ uos uidetis. Videre filium, apud Io. 6. est oculis mentis suæ ipsum perspicere, & mysterium eius intelligere, hinc fidelis credit ei, acquiescit & sese totum conijcit in tutelam filij mortem pro fidelibus & exsuscitatis.

Videre unum dierum filij hominis, est consolationem & refrigerium sentire. sicuti & Abraham uidit diem domini, & gauisus est. venient dies, inquit, filij hominis. id est, aliqua saltem consolatione refocillari, exoptabitis, uerū non dabitur illis respiratio. Luc. 17. Videre uerenda, ut est apud Habac. 3. quando quis uincitur, perditur, ad inopiam legitur, quemadmodum Nebuchadnezar pleraque gentes dehonestarat triumpho & gloria sibi reseruatas.

Videre lumen splendens & luna lucentem. Iob 31. est gloriari felicitate, & ea pro sua libidine non tam uti quàm frui. Videre, significat docere, prædicare. Hinc uidentes, prophetæ. Esa. 42. 44. Qui uides multa, nonne custodies.

Videri, pro existimari. 1 Cor. 7. videor autem & ipse spiritum dei habere. id est, puto, & suspicor. Videre foueam, est recondi in foueam ad corruptionem. Psal. 16. Neque dabis pium uidere corruptionem.

¶ *Videntes*, olim prophetæ aut contemplantes dicti, quod antea in spiritu uideant, & contemplentur futuræ. 1. Samuel. 9. & 2 Samuel. 15. & 1 Paral. 9. & alibi, videntes olim appellabantur uarijs modis, aut per imagines & figuras, aut per somnia, uel per reuelationes nudas, sine figuris ac somnijs.

¶ *Viduæ*, in sacris absolute, nonnunquam citra sexus significationē ponuntur pro egenis & calamitosis, ut uidere est in Prophetis, qui quoties monent uiduis & pupillis esse subueniendum, calamitosos, & humano præsidio destitutos quosq; intelligunt. Actorum 6. cap. Et dominus in euangelio, dicens: Væ uobis, quia comeditis domos uiduarum: non sexum notauit tantum, sed miseræ simplicisq; plebeculæ census ac facultates intellexit, quas illi religionis prætextu in sua colligebant ratiocinaria. Et Iacobi. 2. cap. Per Orphanos & uiduas omnes intelligit homines auxilio & consilio destitutos quibus nos opera nostra prodesse possumus. Aduenæ, quia carent cognatis & affinibus. Viduæ & Pupilli, quia carent patribus familias & patronis, facile cuiusuis improbæ libidini patent. Et rarissunt homines, qui horum miseria & calamitate afficiantur. Ipse igitur dñs deus noster suscipit hos in suā curā, & fert pro eis legē plenā humanitatis. Exod. 22.

¶ *Vigil*

¶ *Vigil* pro doctore, Canticorum 3. cap. Inuenerunt me uigiles, qui custodiunt ciuitatem, hoc loci Ciuitas pro ecclesia usurpatur. Vigiles inde prædicatores. Quia uigilant super animas, ut epistola ad Hebræos testatur. hoc est, homines, Nam is locus tam ad ipsum magistratum, quàm ad ministros uerbi referenda sunt. Nam illi (cap. 13. inquit) uigilant pro animabus uestris. Eorum enim officium est, uigilare & reipublicæ inseruire, iustitiam & iudicium exercere. Hinc

¶ *Vigilare* pro attendere, Psalmo 34. Consurge & uigila in iudicium. Septuaginta προσχες, id est, attende. Et Matth. 24. Vigilate ergo & parati estote. Quid sit illud, vigilate: declarat per hoc quod dicit: & parati estote. Nihil enim aliud est uigilanter expectare aduentũ domini, quàm paratum esse ad excipiendũ illum cum gaudio. Non loquitur de uigilijs corporis, sed mentis, hoc est, de irremissa cura & sollicitudine bene uiuendi, & iugi expectatione ac desiderio uẽturi Domini. Sic & uos Germani, uigilandi dictione tubinde utimur, cum dicimus, dem schad vvachet, hoc est, res tua agitur, & damnum futurum citius progreditur, quàm putas. Item ich vvil es nit verschlaffen. Id est, Sedulus ero & curabo causam hanc diligenter, ne spe concepta defrauder Allusit ad militaris uigilias & rationem physicam. vigilias & excubias agunt milites ne de improuiso hostis opprimat.

Vigilare aduentũ Christi, nõ est otio indulgere, à labore cessare, sed uitæ innocentiã intelligit Euãgelista, & cor ab omnibus terrenis auocare ad cœlestia & uera bona, se se inuicem custodire ab hoc seculo & omni turpitudine, mori affectibus & desiderijs carnis, sese abnegare, crucẽ tollere, Christũ sequi, innocẽtiæ studere & omnibus quæ deus præcepit.

Vigilare 1. Thess. 5 cap. viuere est, Dormire uero mori. vt siue uigilemus, siue inquis dormiamus, vvir leben oder sterben, cum illo uiuamus. Per uigilare & Dormire, uitam & mortẽ intelligit, Est enim transitus in eisdẽ uerbis. Aliàs in eodẽ cap. Dormire pro socordia, & uigilare pro uitæ innocẽtia accipit. Proinde ne dormiamus sicut, inquit, & cæteri, sed uigilemus & sobrij simus.

Vigilare ad opus, est festinare & diligenter incumbere, Hiere. 1. virgam uigilantem ego uideo.

Vigilare ad malitiã dominus dicit, Danielis 9. est euigilare ad sceleratos puniẽdũ, mensurã malitiæ repẽdere, & declarare seueriter iustitiã suam, & in tempore ulcisci.

¶ *Vinea* peculiariter plebs Iudaica deo fuit domus Israel, sicut dicit Esaias, siue fidelium ecclesia cap. 5. vinea fuit dilecto meo, in cornu filio olei. Et Matthæi 21. cap. Paterfamilias, qui plantauit uineam, id est, fidelium ecclesiam. vites homines sunt uersantes in externa fidelium ecclesia, Ioan. 15. cap. Et alibi Christi ecclesiam uinea signat.

Vineam prophanare, est doctrina impia deserere ecclesiam dei. Sed iuxta Mosen uineam prophanare, Deuter. 20. cap. est communem, de qua uesci liceat omnibus, facere. Et nondum prophanauit eam. id est, non uindemiauit eam, ut uuis eius uesci liceat, omnibus.

Vinea, pro omni possessione & supellectile. Hos. 2. Et dabo ei uinitores ex eodem loco. Septuaginta κτήματα possessiones, unde Dominus Matth. 20. iubet operarios ire in uineam suam. Esa. 5. ca. vinea Domini exercituum domus Israel est. vinitor & agricola, pro propheta, Ioel. 1. Confusi sunt agricolæ, ululauerunt uinitores. Hos. 2. cap. Dabo ei uinitores.

¶ *Vindemiare*, est unumquenq; operum suorum fructum metere, ut qui sanctos oppresserunt, Domini iudicio opprimantur. Thren. 1. Et uindemia eos sicut uindemiasti me propter omnes iniquitates meas.

¶ *Vinum*, rerum abundantiam & omnem uoluptatem significat. Amos 6. Et bibentes uinum è phialis. Per uinũ aliàs & siceram intelligitur quicquid statum mentis euertit. Prouerb. Derisor est uinũ et omnis qui errat in illo nõ erit sapiens. vino ẽq; tẽporalis cura exprimit, qua mẽs secularis cuiuslibet inebriat, Cant. 1. Quia meliora sunt ubera tua uino. vbera hoc loci alijsq; quàm plurimis, pro summa dilectione usurpantur. Vinum quoq; in sacris plerunq; nihil aliud est, quàm uerbũ dei. Prouer. 9. vinũ quod miscui uobis. Mane surgamus ad uineas. Cant. 5. Bibi uinum cum lacte meo. Sic etiam in Deut. 33. Lauabit in uino stolam suam. Et quemadmodum sermo dei triticum dicitur, qui ex eo fit panis, cor fidelis confirmans, sic uinum quia hominem lætificat,

Psal.

Psal.103.vt educas panem de terra.&, vinum lætificat cor hominis, ut exhilaret faciem in oleo.& panis, cor hominis confirmet.Ioel.1.Depopulata est regio,luxit humus.Quoniam deuastatū est triticum.Per mustum,uinum,tympana,uitem,& siceram,cytharam, omnes humanæ deliciæ exprimuntur.

Vinum & oleum lætitiæ,adeoq; spiritus sancti mentē lætificantis in scripturis symbolum præferre constat.Apoc.6.Hinc quoq; uinum doctrina acris dicitur.Luc.10. vini & calicis nominibus quoq; adflictiones,calamitatesq; ueniunt.

¶ *Vindictam* meditari,est Dei maiestatem sibi usurpare.nam ingens temeritas est,si quis conatur domino deo nostro maiestatem suam diuinam surripere & sibi usurpare. veteres uocant id gigantomachiam,nos blasphemiā,sacrilegium.Atqui uindictam meditatur,is nihil aliud agit,quam quod irruat in thronum diuinæ maiestatis,& usurpet sibi sceptrum summæ potestatis.Mea,inquit dominus,est ultio,& ego rependam.

¶ *Vir*, Hebraice Isch, in scripturis non solum pro quolibet homine indefinite,sed etiam pro re qualibet,identidem accipitur.Gen.15.ubi de componendis inter se hostiorum partibus deus præcipit.Et dabis uirum sectionis suæ,contra proximum suum.

Vir,deinde in scripturis tripliciter dicitur,ætatem,sexum,uirtutemq; significat.Aetatis nomen est.1.Cor.13.Cum factus sum uir,enunciaui,quæ erant paruuli. Sexus. Mat. 1.Iacob genuit Ioseph uirum Mariæ.Io.4.uade uoca uirum tuum. virtutis. 1.Reg.16. ait Dauid ad Abner,Nunquid non uir tu es.Hic significat præcipuum uirum uirtutemq; singulari præditum.Et Iudic.7.Gedeon filius Ioas,uir Israel.Sic Psal.1.Beatus uir dicitur.Sic proceres,heroes,gigantes,impauidos,strennuos uiros.Esa.1.appellant.

Viri nomine similiter nominati,qui sibi turpibus factis nomen magnū parant,ueniunt.Quos Latini famosos,Gene.6.Potentes à seculo uiri famosi,scilicet uiolentia,& uiribus corporis fieri,qui cæteros opprimebāt,rapiebant, grassabantur,libidinabantur, & cætera.

Similiter uidemus uocabulum Isch:non simpliciter uirum significat,sed sæpe usurpatur pro magistratu,qui publice uir est:hoc est,qui est in publico officio, sicut in historia Regum 4.lib.cap.4. Mors in olla, uir dei:hoc est, qui es constitutus publice in officio,quod dei est,Qui es organum dei, cuius dicta & facta accipiuntur tāquam per ipsum deum edita.Hinc Moses appellatus est uir dei, quod peculiariter à deo sit missus, ad docendam legem in populo.Viri pro militibus sæpe ponit Hebræus,Exod.7. Elige nobis uiros:id est,delectum habe.Per uiros etiam fœminas numerare Hebræi solent,ut Mat.1.& Num.36.cap.Scribuntur omnes uiri.

Vir præterea idem quod proximus uel socius mulieris,Hier.2.cap.Vir sanguinum, frequens in scripturis appellatio est,& significat, qui sanguinem fundendo, cædiq; pro uiribus intentus est.

Viri propinquitatis sunt proximi cognati,qui demortui fratris aut propinqui, semē excitare debebant, ut in Ruth præcipue. Et Ezech. 11. cap. Fili hominis fratris tui,uiri propinquitatis tuæ,propter captiuitates.

Viri pro aliquibus,Exod.21.cap. viri si rixati fuerint.vertendum fuit,Aliqui,est enim Hebraismus.Et 22.Si duxerit uir uxorem:Id est, aliquis. vir insuper pro unoquoq; usurpatur.Gen.9.cap. De manu uniuscuiusq;, proximum eius requiram. Frequentissimū enim est apud Hebræos fratrē pro proximo accipi,& uirū pro unoquoq;.Et Exod. 32. Ponat uir:id est, unusquisq;,Hebraismus.

Vir uir,pro quicunq;, siue quilibet,Leuit.17.vir uir de domo Israel,si occiderit. Modus dicendi Hebraicus,qui sic Latine reddi debet,Quicunq; is fuerit, qui occiderit.Et Leuit. 22.cap.vir uir:Id est.quicunq;.vel,unusquisq;,uel pro quis:& uiri uiri,cutuscunq; uiri,à fratre separauerunt se,Gen.13.pro,separatusq; est alter ab altero. vir ad proximum,pro alter ad alterum dixit.Gen.11.cap.

Vir agri,pro agrestis. Gen.35.cap. Libenter uersabatur in agro procul ab urbe: hoc est,homo agricola.vir terræ,idem est,Genesis 9.Et cœpit Noe uir terræ:hoc est,agricola plantare uineam.

Viri nominis:hoc est,,pceres,nobilissimi totius multitudinis,homines nominis magni & clari,qui uocari solebant ad tentorium fœderis,consilij causa.Num.16.cap.

Vir sermonum:id est,eloquens & disertus,Hebraismus.Exod.4.cap.Non sum sermonum uir.hoc est,loquens.

Vir lin-

Vir linguæ. Psal. 40. vir linguæ non dirigatur in terra, virum linguacem, & ut solent eiusmodi, Multa mentientem.

Vir orationis. hoc est, orationi incumbens, & deditus precationi. Psal. 109. Et ego oratio, seu uir orationis. id est, precationi totus consecratus.

Viri Belial, sunt & dicuntur nihili & perditi homines, qui nihil prosunt. Deute. 15. Si egressi ex te fuerunt uiri Belial. Sic uocati sunt & illi, qui uxorem Leuitæ enecarunt concubitu. Iud. 19. 20. Item, Filij Eli, filij Belial. 1. Reg. 1. Cumq; Hannah mater Samuelis, se à temulentia excusaret sacerdoti Eli, negabat se filium Belial. Ex his & similibus locis satis colligitur, Belial significare scelestum, perditum, flagitiosum. Sic iam uerbum Belial, scelus, flagitium, res praua dicitur, ut ex Psal. 101. liquet, uersu 3. Sed & ex Deut. 15. ubi Belial uerbum pro iniquo & peruerso consilio accipitur. Psal. 41. & 18. uersu 5. pro malitiosis & sceleratis dixit.

Vir dei & spiritus differunt, prophetæ falsi habitum omnem uerorum referebant, nisi quod non ex ore Domini ad diuinam gloriam prouocarent, sed propriis commentis sua causa committebuntur. Contrà uerò quanta prædita sapientia prophetæ Domini, carpentes idololatriã, qui nihil per amentiam designant, qui apud se tranquillissimi & sani per omnia, mundo facere uidebantur. Qui uiri dei & habentur & sunt, non priuati spiritus, quo qui ad se respiciunt, & adadulationem compositi sunt, adflantur in pœnam, ut non minus periuraciter in mendacio, quàm nostri in ueritate cõstanter consistant. Solet enim dominus in abnegatis animis uerbum suum loqui. In carnalibus autem, sed pietatem simulantibus, concitare uim erroris, ut & ipsi seducantur, & seducant alios. Profecto nõ sine spiritu. Quis enim spiritũ in Sedechia Micheam uerum prophetam uerberantem fuisse pernegabit. 1. Regum 12. cap. Et spiritus planè Saulem exagitauit, lancea Dauidem ex inopinato transfossorum, &c.

Vir spiritus huic, id est arreptitius & spiritu stulto inflatus. Hos. 9.

Vir & homo præterea pro eodem usurpat scriptura, est gloria & imago dei.

Vir uento ambulans, apud Micheam, idem est quod uanus & uana promittens. Id consuetudinis quoq; scriptura habet, ut sponsum uirum uocet, ac è regione uirum sponsum. Sponsus etiam uocare uxores, & uxores sponsas. Matth. 1. Iacob autem genuit Ioseph uirum Mariæ. Consueuit etiam uiros uocare, qui uirtutibus sunt præditi diuinis. 1 Corin. 16. vigilate, state in fide, uiriliter agite, estote fortes. Prouer. 12. Doctrina sua nosci tur uir.

Vir numeri, pro uiri pauci. Gen. 34. nam paucos quis citè numerarit?

Vir uerborum, pro eloquenti: ut Exodi patet de Aarone. vir & mulier non, &c. id est, nemo hominum. Exod. 36. vir magnus nimis. ubi noster legit, diues. Congruit Germanismus, quo diuites appellamus. die grossen hausen. 2 Reg. 19. ca. Sic mulier magna. 4 Regum 4 cap.

Vir fratri suo, noster interpres, mutuum. Tritum hoc quoq; uir ad proximum suum, id est, inter sese. viri fratres sumus, Gen. 13. hoc est, fratres sumus. Phrasin hanc apud Lucam legimus, homines pastores. Item, homo peccator, pro pastoribus & peccatore simpliciter. vir præliorum erat enim ei: quod noster reddidit, aduersarius erat. alij faciunt, ut rum inexpugnabilem. vir Israel, pro uiri Israel. vir mortis, ubi noster, morti obnoxii. 2 Reg. 19. vir in eundo, id est, cum iteraretur. 1 Reg. 13.

Vir munerũ, qui amore prosequitur munera. Prou. 29. Et uir munerũ destruet eam. vir belli. Deute. 2. Et factum est, ut morte interirent uniuersi uiri belli: hoc est, bellatores doryphori. vir dolorum. Esa. 53. hoc est, plenis doloribus. vir pubertatis, Ioel. 1. pro adolescentia. vir custodiæ, idem quod tribunus uigilum. Hiere. 37. seu qui custodiæ præest. vir pacis. Hier. 38. Præualuerunt aduersus te uiri pacis tuæ. Hic uidemus hanc elocutionem significare amicũ, eum quo maxime fidis, quemq; integrum credis amicitiæ cultorẽ esse.

Vir desideriorum, Daniel. 9. Dauid Kimhi in lib. Radicum, uir habens gradus magnus, aut dignitates magnas.

Vir diuitiarum, pro auaro. Psal. 75. Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt uiri diuitiarum, scilicet qui captiua mente pecuniis suis deseruiunt.

Viri nomen, pro pronomine poni inuenimus, sicut Psal. 78. Confirmasti uirum dexteræ tuæ. id est, super hoc quod est in dextera tua. Esa. 59. Quia non est uir. id est, nihil est propter quod populo propitius esse possit.

Virginis

¶ *Virginis* dictione interdum prophetæ populum Israeliticum intelligunt, eo quod uni deo seruierit, ut Hiere. 18. cap. Quæ fecit nimis uirgo Israel. virgines decē apud Mat thæum 24. capite significat uniuersum genus mortalium. Decennarius numerus multitudinis & plenitudinis numerus est. Virginem atqui laudare, est desponsare & nuptui tradere, Psalmo 78. Et uirgines eius non fuerunt laudatæ, hoc est, non elocatæ aut nuptui traditæ.

Virgines, Apocalyp. 14 nō solum corpore castos intelligimus, sed maxime omnem ecclesiam, quæ fidem puram tenet, sicut Apostolus dicit, Desponsaui enim uos uni uiro uirginem castam Christo exhibere. Hæc D. Augustinus.

Virginem adolescentiæ uel puellæ nomine consueuit appellare scriptura. Idq; non solum in fœminis, uerum etiam in uiris sæpe signatum est. Iuuenes inquit scriptura, & uirgines, senes cum Iunioribus. Ac rursus de puella loquens, quæ uirginitatem corporis uiolenter oppressa, perdiderat. Si, inquit, proclamauerit adolescentula, id est, uirgo.

Virginem uocant Hebræi populum sinceræ fidei, ut castitas & maculatio carnis ferè habeantur. Et Paulus huc respexit 2 Corinth. 11. cap. Incorrupta uereq; fidelis anima recte comparatur uirgini incorruptæ. Hoc enim fecit Ezech. cap. 16. Sic & in plurali uirgines accipias, sed quæ seruat uerbum dei purum & impermixtum, quam solam respicit deus uirginitatem, sicut Hier. dixit: Domine oculi tui fidem respiciunt. Similiter populum dei uirginem uocat, non quia uirginitatis puritatem tenuerit, sed quia instar uirginis sit à domino dilecta, & ut sponsa copulata.

¶ *Virga* in scripturis uarie capitur, nunc potestatē significat, qua captiui ducuntur & cæduntur. Esa. 9. Iugum enim oneris eius, &c. Et Nahum cap. 1. Confringam uirgam eius à te. Esa. 10. Væ Assyrijs uirga furoris mei Nunc Imperium, ut apud Micheam 7. Pasce populum tuum in uirga tua. Et pro uerbo euangelij quoq; intelligitur. Nam hac uirga monstratur pabulum & arcentur lupi. virga ergo pastoris, uerbum euangelij. Hinc virga ferrea, uerbum dei recte appellatur, quod omnino inflexibile, & quod omnia donat. 2. Cor. 10. Apoc. 12. Quod recturus erat omnes gentes in uirga ferrea. Nunc autoritatem administrandi, ut Psalmo secundo, Reges eos in uirga ferrea. Et Esaiæ 9. cap. virga humeri, &c. Hac uirga prædura & ferrea Christi hostes apud Iudæos cæsi ac deleti sunt, teste Iosepho de bello Iudaico.

Virga quoq; sceptrum, regnum significat. Apocalyp. 12. & symbolum iustitiæ. In his locis uirga, flagrum seu flagellum significat. Item uirgæ nomine correptio uenit. 2. Cor. 4. In uirga ueniam ad uos, an in charitate. Ista est uirga, de qua Dauid loquitur: virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Perpulchre posuit, consolata sunt Nam omnis correptio & labor cōtinentiæ amara quidē uidetur ad præsens, at fructus parit dulcissimos, unde etiam uetus illa sententia est, Literarum radices amaræ, fructus dulces. 2. Sam. 7. Et arguam eum in uirga uirorum & cum plagis filiorum hominū: hoc est, flagellabo illum perinde ut plebeios homines, nullo regis respectu habito. Hiob 21. Et nō uirga dei super eos. Septuaginta, Flagellum autem à domino, non est super eos. Hinc quoq; uirgæ nomen, pro tribulatione & persecutione, Psal. 22. Virga tua & baculus ipsa me consolata sunt. Quem enim diligit dominus, corripit. Eundem sensum cum superiore habet. Nunc pro uirtute. Esa. 14. virgam impiorum, virgā uirtutis, ipsum uerbum dei, & sacrosanctum Christi euangelium, de qua uirga Psal. 2. etiā loquitur. Et 44 109. Esa. 11. Rom. 1. cap. ubi uirtus dei uocatur. Virga directionis, uirga regni diuini: hoc est regnum Christi & sedes ipsius non obliqua, sed recta & iustissima faciens iudicia, Psal. 44. Secundum quod Basilius Magnus enarrat.

Virga panis, pro sustentatione. Psal. 105. uersu 16. Ducta inde metaphora, quod gradientes baculo utantur. Sic Esaias gubernaculū panis dixit. Hinc uirga & baculus Hebræis robur aut potentiam significat, ut baculus panis. Luc. 9. Neq; uirgam tollere, nulla potentia seculari freti ad iter accingimini.

Virga superbiæ. Prouer. 14. In ore stulti uirga superbiæ. hoc est, propter uerba quæ loquitur stultus, ueniet super eum uirga superbiæ. id est, cederur magnis plagis ob uerba sua. Virga oris, & spiritus oris & labiorum, idem est, & euangelij efficaciam denotat. Esa. 11. & 2 Thessal. 2.

Virga dei, pro immani & ingenti ira dei usurpatur, sicut montes dei, cedri dei, & ali

bi ostensum est. Sic etiam habetur in capite quarto Exodi.

Virga dei dicitur, per quam deus facturus erat miracula, siue per quam iam fecerat. Sub uirga transire, est esse sub cura pastoris. Leuit. 27. Et omnis decima armenti & gregis & omnium quæ sub uirga transeunt.

Virgam tollere & sandalijs calciari, dominus apud Marc. posuit, pro eo quod est, expedite ad iter accingi. Mat. 10. Virga furoris domini, sunt tyranni. Esa. 10. virga de radice Iesse Christus est. Esa. 10.

Per uirgam. Prouer. 13. Qui parcit uirgæ intellige nedum plagas, uerum & totam disciplinam institutionem puerilem, doctrinam, honesta exercitia, certa studia & pœnas delictorum. Virga pastoralis uerbum dei. Zach. 11.

¶ *Virtus* ponitur interdum pro fortitudine & potentia, ut Psalmo 131. Domine uirtus salutis meæ, hoc est, tu es mea fortitudo & salus mea, Psalmo 45. Deus adiutorium nostrum, & uirtus nostra, id est, fortitudo nostra & auxiliū. Et Psalmo 32. & 146. & 149. Nam uirtutum nomine (Psalmo 150. ubi ait: Laudate eum in uirtutibus eius) res ab eo enim cum in terra, tum in cœlis, sapienter fortiterq; gestas intelligit: hoc est, ea ratione factas, quæ humanum ingenium penitus superet uires. Deinde pro maiestate, autoritate, potestate, & dicendi libertate, Hebræorum cap. 2. Contestante simul deo signis & prodigijs & uirtutibus uarijs, &c. Et Actorum. 4. cap. non pro potentia miraculorum, sed pro autoritate, & libertate cum agendi tum dicendi. Et uirtute magna, inquit, reddebant Apostoli testimonium resurrectionis.

Virtus. 1. Corinth. 4. cap. Non in sermone regnum Dei, sed in uirtute. Est ergo uirtus ipsa res, iustitia scilicet, innocentia, fides.

Virtutes præterea interdum ponuntur pro exercitibus uel ornatu, &c. videlicet, ut sunt stellæ & lumen, ut Psalmo 148. Laudate eum omnes uirtutes eius. Viri quæ fecit uirtutem eorum: pro, quæ fecit exercitibus illorum.

Virtutem roborare, est exercitum congregare, Nahum. 2. cap. Robora uirtutem valde. Septuaginta, Confortare robore uehementer. Hinc uirtutes cœlorum, est omnis exercitus cœli, omnis militiæ, omnes planetæ. Mat. 25. Bifariàm capitur. Vno modo, ut intelligas per uirtutes cœlorum, cœlos uirtute præditos, uel potentes, ut qui uirtute omnes creaturas superent. Omnes nanq; reliquæ creaturæ, quæ sub cœlo sunt, à lucis calore, & motu cœlorum mouentur, & uirtutem accipiunt. Eadem ratione scriptura & principes & magistratus uirtutes appellat: nimirum quod regunt, & sua uelut uirtute subditos gubernant atq; gnauos ad opera reddunt.

Altero modo, uirtutes cœlorum tantundem significat, atq; cœlorum exercitus uel ornatus, iuxta illud Psalmi 32. Verbo domini cœli firmati sunt, & spiritus oris eius omnis uirtus, hoc est, omnis exercitus eorum. Et Genesis. 1. cap. Perfecti sunt cœli & terra, & omnis uirtus, hoc est, omnis exercitus eorum: & hac ratione ferè in scripturis uirtutes cœlorum appellantur. Neq; obscurum est uel parum exercitatis, his duobus locis, exercitus uel uirtutes cœli & terræ significare, quæ in cœlo & in terra continentur: quæ in cœlo, ut sol, luna stellæ, & quicquid præterea in terra continetur, & is est modus communis in scripturis de uirtutibus cœlorum loqui. vide suprà in tropo Militis, fusius exponitur. Virtus dei, spiritus sanctus dicitur, quia omnium perfectrix & consummatrix est, sicut Christus uerbum & potentia dei est, per quam facta sunt omnia, Psalmo. 33.

¶ *Viscera* dicuntur omnia interiora hominis, ut sunt præcordia, cor, pulmo, iecur. Quia uerò in præcordijs, ut Platonici quoq; uolunt, adfectuum sedes est, hinc usurpatur uiscera pro rebus ipsis quas continent, concupiscentia, ira, dolore, gaudio, apud Iohannem, Ioan. 3. cap. pro misericordia, est enim metonymia.

Per uiscera misericordiæ (inquit Lucas cap. 1.) dei nostri, id est, per intima commiserationem dei nostri. Significant enim in scripturis uiscera, intimam affectuum commotionem, ueluti cum matres commouentur erga filium, id est, cum omnia eius intima propter filium concitantur. sicuti de ea scriptum est, quæ coram tribunali Solomonis constitens, dum crederet filium suum gladio dissecandum, intimis commota est uisceribus sicut uidere est: uel, calefacta, adeoq; exusta sunt uiscera eius super filio, Es gieng ir dis durchs hertz als ein gluender spies. tertij Regum tertio capite. Sic autem adumbra-

adumbratur nobis in effabilis dei dilectio, studium & misericordia erga nos summa. De qua Moses Genesis 22. cap. Paulus quoq; Rom. 15. Ioannes in Canonica sua cap. 4. denique ipse dominus Iesus, Ioan. 3. & 5. cap. Lucæ 1. cap. Et Paulus ad Philemonem de Onesimo. Quod uiscera sanctorum refocillata sunt per te frater, hoc est, qui internum cordis affectum & profundos animi sanctorum recessus suscipiendo refeceras. Et hoc idioma apostolicum est, ut semper Viscera uocet, uolens plenam mentis ostendere charitatem, &c. Et paulo post: Tu autem eum, id est, uiscera mea suscipe, &c. Nunc enim uiscera ipsum appellitat sua, id est, affectus cordis intimos & unice charum filium. Hinc uiscera pro adfectu sæpe legimus. Et per uiscera misericordiæ suæ, id est, per adfectum seu commotionem animi. Et Coloss. 3. viscera miserationum Hebraica consuetudine significant, quod nos dicimus ex animo. Iubet Paulus igitur ex animo & misericordes esse, & uere tangi sensu alternæ calamitatis, sicut Christus testatur lachrymis suis, se misereri Hierosolymorum.

Viscera quoq; pro uitalibus uisceribus atq; intellectualibus accipi Hebræis nouum non est, Hiere. 31. cap. Et ad Philip. 2. cap. Si qua uiscera & miserationes. vbi nos legimus: Miserationes ac uiscera, ibi Hebræi Rahemim & Hæsed ponunt. Prius Miserationes significat, cum scilicet quis affectu intimo propensus est, & commouetur erga aliquem. Posterius significat uiscera & beneficentiam. Illud in animo flagrat: hoc uerò erumpit in opus.

Viscera in Luca cap. 1. quoq; uocatur idiotismo Ebræo, doctrina illa qua populum agnoscere sua peccata, & credere Christo docebat. Verè enim id percepisse, est scientiam habere salutis, fidem nimirum, qua iustificamur & saluamur. Sicut autem ipsa peccatorum remissio, ita & hæc fides ex solis uisceribus misericordiæ, id est, effusissima quadam bonitate dei contingit, nullis nostris meritis.

¶ *Visitare* uerbum proprie significat, aut augere aut instituere præfectum: transsumitur pro in memoria habere, potissimum si de deo termo est, ut Genesis. 21. cap. Et dominus uisitauit Saram, quemadmodum dixit, hoc est, præstitit quod promiserat. visitauit Hebraice Pakad deus Saram, &c. hoc est, illius recordatus est, præstititq; quod pollicitus erat, fœcundam eam reddendo Hoseæ secundo capite: Deus, inquit, uisitabo: hoc est, memor ero uel imputabo. Cæterum, visitare in utranque partem in scripturis accipitur. Significat aũt proprie, ut dixi, rationẽ alicuius habere. Inde dicitur deus uisitare peccata, cum ea punit. Pœna enim declarat illa deo animaduersa. Sic Exo. vigesimo capite, visitans iniquitatem patrum super filios: hoc est, in memoriam reuocans. Deut. quinto capite. Hic Exodi pro punire ponitur. Et Exodi trigesimosecundo capite, Ego autem in die ultionis uisitabo, & hoc peccatum eorũ. Et hic pro uindicare & punire significat. Esaiæ decimo capite, visitabo super fructum magnitudinis cordis regis Assur. Hic quoque pro multare, numerare, crescere, castigare sumitur. Hinc visitatio impiorum in scripturis, est eorum iudicium & castigatio siue pœna. Esaiæ decimotertio, visitabo per orbem mala: id est, adfligam eos. Et in Psalmo octuagesimooctauo, visitabo in uirga iniquitates eorum: hoc est, eos aduersis puniam & castigabo. Et Psalmo 18. Intende, ut uisites omnes gentes: id est, castiges, pœnas de eis sumes. Gentes uerò uocat more scripturæ, qui alieni sunt à deo, siue Iudæi nomine, siue gentiles: id est, omnes qui operantur iniquitatem.

Porrò in bonam partem accipi hoc uerbum Visitare Hebræis rarum nõ est, ut Gen. 21. pater, Nempe pro consulere, iuuare, afferre, ut est uidere in Exodo interdum, Gen. 50. & Matthæi uigesimoquinto. Iacobi primo capite. Nam interdum est uelle finem facere laborum & adflictionum, ut Exodi tertio, visitando uisitaui uos, & uidi adflictiones uestras. Lucæ primo capite, visitauit nos ex alto. Et uisitasse & redemptionem fecisse populo suo prædicat, quod idem est: cum enim sermonem populo suo dedit, declarauit se eius rationem habuisse, id quod est Pakad. Nam uisitasse & fecisse redemptionem nihil aliud est, quàm ad nos uenire, nobis proponere & adferre salutare uerbum per quod seruamur. Ideo Zacharias de Ioanne in hanc uocem prorumpebat: Benedictus dominus deus Israel.

Interim etiam hoc uerbo insinuatur Cura & prouidentia dei erga genus humanum. Lucæ 19. cap. Non cognouerunt tempus uisitationis. Et Hoseæ 4. Non uisitabo super filias uestras, quum fornicatæ fuerint.

Visitare uias est obseruare, ut Episcopi solent, num in aliqua re operarij peccent, Iob 36. cap. Quis uisitauit coram, quis reprehendere illum potest? Item, uisitatio pro iustitia, Psalmo 18. visitationes domini rectæ lætificantes cor.

¶ *Visio*, Hebraice Hazon, quam uocem omnes uisionem sunt interpretati, eo quod uisio diuersimode apud prophetas accipitur. Nam uisio idem est quod prophetia, Esaiæ primo capite. Et 1. Samuelis. 3. cap. Et uidentes, passim in scriptura accipiuntur pro prophetis. 1. Regum 9. cap. Est autem humilitatis uocabulum, quasi dicat, Ecce ego prædico quod uideo. Aliquando pro spectro: ut quum Esaias uidit speciem Babylonis nocte expugnatæ. Hieremias, uirgam amygdalinam, illamq; feruentem: & Petrus linteum, omnigenis quadrupedibus refertum, cœlo demitti. Aliquando pro reuelatione interna, qua mens citra omne spectrum illustratur, ut quod prius ignorabat uideat: quemadmodum. 2. Regum. 7. cap. Dauid dicit auriculam sibi à domino esse reuelatam, hoc est, menti ac cogitationi inspiratum, ut ad ædificationem templi materiam contrahat. 1. Cor. 14. cap. Quisq; reuelationem habet: hoc est, pro mensura quæ ei cœlitus est data, uidet atq; intelligit. Et paulo post: Quod si sedenti reuelatum erit, primarij illi taceant. Hoc est, si inter subsellia erit qui uideat atq; intelligat de quo est sermo, primarijs istis hallucinantibus amplectendum est ecclesiæ, quod spiritus eius humiliori membro reuelauit. Paulò enim latius patet Prophetiæ nomen, quàm uisionis.

Prophetia acccipitur pro expositione oraculorum cœlestium, ut. 1. Cor. 4. cap. habetur. Et 1. Paralip. 15. cap. Chonnenias prophetiæ præerat, hoc est, doctrinæ sacrorum oraculorum, exponēdæ legis, formandæ mentis, castigandorumq; morum disciplinæ præfecturam gerebat: Accipitur deinde Prophetia, pro apportatione aut prædictione rerum futurarum: ut quum adflictis salus promittitur, aut celeratis exterminium. Cuius generis plurima sunt, ut apud Esaiam, tum apud omnes reliquos prophetas, ut exemplis nihil sit opus. Prophetarum autem prædictionem siue denunciationem, procedere oportere aut ex diuinis responsis & oraculis, uel afflata, uel angelorum ministerio allatis siue id uoce, spectro, insomnio, siue paradigmate aliquo fiat: aut ex lege recte perspecta. Est igitur prophetia (uocatur interdum pro auditorio fidelium. 1. Cor. 11.) denunciandi exponendiq; diuinorum iussuum cum fide officium. Libuit discrimen inter uisionem & Prophetiam ostendere. Hinc Prophetæ uidentes aut Contemplantes (ut & suprà nōnihil declaratum est) appellantur, quod antea in spiritu uideant & contēplentur futura. vnde & Esa. uolumē suū uisionē super Iuda & Hierusalē nominat, quod de futuris, quæ ipse spiritu præuiderit, agat. Abdias itē librū suū, uisionē Abdiæ inscribit, Amos prꝛterea scribit, quod Amazia iusserit eum incedere hisce uerbis: Tu uidens seu contēplator, amoue te hinc in terram Iuda. Ideò autem uidentes uocati sunt. 1. Regum 9. cap. propter cernitudinem uerbi diuini, quod uisus tantum rerum certissima probatio & demonstratio est, & quod futura & occulta, quæ alijs sepulta sunt, uideat. Opus ergo illorum uisum & uisio nominatur, ut uisum Esaiæ, &c. videntes, Spectatores & contemplantes idem. Contemplantur enim prophetæ & inspiciunt acie mentis suæ Dei consilia super mortales, quæ & eis interdum spectris quibusdam obijciuntur. Huiusmodi uerborum figuris nos assuefieri oportet.

Visionem atqui dei pro cognitione illius esse accipiendam, patet Matth. 5. cap. Beati mundo corde, quoniam ipsi deum uidebunt. Visio præterea oculorum, est secundum faciem personæ iudicare, Esaiæ 11. cap. Neq; secundum uisionem oculorum iudicabit, neq; secundum auditum aurium arguet. Septuaginta, Non secundum gloriam iudicabit.

Visionem cordis loqui, est quod sibi bonum uidetur, & non quod à spiritu dei, uel alijs quoq; prophetis reuelatum est, Hiere. 23. Neq; Hebræi tantum eam uisionem appellant, quæ noctu fit, sed omne prophetiæ genus, ut auditum est.

¶ *Vita* uocabulum ponitur Ioannis primo capite, pro habitu siue substantia, & esse rerum. In ipso uita erat. Hinc pro salute, Luc. 12. Non in abundantia cuiusquam uita. Des menschen heil uuolstandt, more hebraico, Quasi diceret, Salus hominis nō in hoc sita est, ut multa possidear, qnin salutem hominis impedit, & in pericula multa conjicit: cœlestia ergo cogitate, spiritualibus intendite.

Vita quoq; pro domina & conuersatione uitæ Christi. Ioan. 1. cap. Vitam quoq; reperimus in sacris scripturis, ut dicit Petrus, Domine ad quem ibimus, uerba uitæ habes. Et Ioan. 5. cap. Scrutamini scripturas, quia uidemini nobis in illis uitam habere æter-

nam

uam.In peregrinis autem literis mors est.Corrumpunt enim bonos mores colloquia praua.1.Cor.5.cap.

Vita adhæc pro gratia dei & omnibus bonis,quæ ex hac sequuntur.Mors pro ira dei, & calamitate,quæ ex hac uenit,Ezech.18.

Vita etiam pro anima,mortem uero pro corpore Apostolus usurpat,Rom.14.In hoc enim Christus,& mortuus est,& resurrexit,atq; reuixit,ut mortuis & uiuentibus dominetur.Hoc est,animabus & corporibus.Hæ quidem sunt immortales.Hæc uerò mortalia.Ad hunc modum ferè beatus Methodius in sermone de resurrectione interpretatur.

Vitam dare.1.Ioan.5.pro impetrare,Schema namq; est,idq; quod impetrauimus de disse uidemur.Sic ait Ioannes:Petet & dabit ei uitam peccantibus.Sed quomodo uitam dabit homo,qui uitam non habet?Respondeo,Schema est nobis quoq; usitatissimum. Nam Dare,usurpamus pro impetrare,&c.

Vita denicq; apud Ioannem 3.opponitur morti,maledictioni,& condemnationi,significans iustificationem,absolutionem,felicitatem & beatitudinem æternam.Similia legis.1.Ioan.5.cap.

Vita ergo est tranquillitas cõscientiæ,gaudiũ animæ,& sensus ille Christi,quem experiuntur in animis fideles in præsenti uita,ac conseruatio incolumitasq; animæ,in morte corporea & post mortem,qua Christi ac fidei in Christum beneficio & uirtute conseruatur homo,ne quicquam illi noceat peccatum,mors & condemnatio,sed expiatis peccatis omnibus & confracta morte,condemnationeq; proxima euolet in regnum patris.

Vita æterna reuera est,uisio ipsius dei,consortium & perfruitio superni & æterni boni.

¶ *Vituli & Tauri* pingues apud Psalten,Psalmo 21.senes,potentes,doctores,pontifices,honorati,iuuenes,petulantes sunt in populo,quemadmodum tauri in pecora sunt. Ad hunc modum loquitur Moses Deut.33.De benedictione eius.Quasi primogeniti tauri pulchritudo eius.Speciosum ac forte regnum Israelis,uiris & uiribus:Reges,principes,ac duces ad bella habet fortissimos.Simili phrasi loquitur Esaiæ 34.cap.De his tauris & potentibus Iudæorum loquitur Christus:Circumdederunt me uituli multi, tauri pingues obsederunt me:Aperuerunt super me os suum,sicut leo rapiens & rugiens.Clamauerunt,ut crucifigerer,sicut leo qui rapit prædam,& rugit non saturatus adhuc.

Vitulorum sicq; nomine non absurde ad petulantem & indomitam iuuentutẽ referri potest,quæ ab impijs patribus in delitijs & ocio educata,lasciuiendo bonos lædit uiros,mox enim ab unguiculis,ut dicitur irridere,& etiam lacessere audet pietatis studiosos.Sic Psal.21.per prophetam accusat dominus ludibria Iudæorum,qui illum in crucem adigere sunt aggressi.

Vitula triennis pro lasciua & summa frugum abundantia.Item,pro magno & optimo & forti usurpatur,Esaiæ 15.cap.Cor meum ad Moab clamabit,uectes eius se usq; ad Sægor uitulæ triennis siue trimæ.D.Hieronymus:Possumus uitulam consternantem pro perfecta ætate accipere:sicut enim tricesimus annus in hominibus,ita in pecudibus ac iumentis tertius robustissimus est,Rabi Dauid in Commentarijs,Vitulam magnam filiam trium annorum,id est,triennem quæ est bona:sic Moab plena fuit omni bono,quando uenit super illum malum. Hinc

Vitula trima Moab,prouerbialiter apud Esa.16.uocatur,,,ppter ubertatẽ pascuorum & alia cõmoda,quibus ea terra abundabat,sicut trima uitula fœcunda est & abundans lactis.Sic in Hosea Ephraim dicitur uitulus declinans.

Vituli,denicq; labiorũ typus in sacrificijs,Psalmo 51.Tunc demum imponent super altare tuũ uitulos,nõ illos petulantes & lasciuos,sed labiorũ nostrorũ tuas concinentiũ laudes.Ideo uituli labiorũ laudes sunt in deo,& gratiarũ actiones,Hoseæ,14.Accipe bonum & reddemus uitulos labiorũ nostrorũ.Septuaginta,fructum labiorũ nostrorum.

¶ *Viuere*, uerbũ He, Hebræis non solum uiuere significat,sed etiam in uita seruare, uitã instaurare Geneſis 45.Ad uitam misit me deus ante uos.Zu fryſtung,zu erhaltung. quasi diceret præmisit me deus,in hãc terrã ante uos,ut per me multi in uita seruarẽtur. Ita sæpissime accipi uidemus in Psalmis & in Euangelijs,in aliena lingua frequens est.

Viuere, Hebræi nonnunquam accipiunt pro iucunda & ociosa uiuendi ratione, in qua nihil desideratur. Id est, quod Latini dicunt, genialiter uiuere, & bene uiuere. Sic Terentius: Vixit, dum uixit bene. Et Prouerbio dicunt Latini: Sibi uixit. Hoc uocabulo uiuendi utitur etiam Christus, Lucæ duodecimo capite, pro commode agere, non solum uita esse præditum, Hiere. 21.

Viuere etiam capitur pro refici & bonæ ualetudini restitui & uitam seruare & tueri ut Genesis 42. vt uiuamus & non moriamur.

Viuere pro nutrire, Genesis. 6. cap. Ingredientur tecum ut uiuant. Item pro saluum esse, Hiere. trigesimooctauo capite, Et qui egredietur ad Chaldæos uiuet, viuere interim accipitur pro beate & feliciter uiuere. Viuet, dicunt Hebræi pro saluus erit. Sæpe enim uiuendi uerbo pro saluum, sanum & incolumen existendi uerbo uruntur, sicut & uiuificandi uerbum usurpant. vt uiuatis, pro ut sitis incolumes, Deut. octauo capite: vt uiuatis, & multiplicemini. Id est, ut sitis sani, felices, ut diu uiuatis, & habeatis multos liberos.

Viuere coram deo, est deo obedire, ei placere, Genesis 17. cap. vtinam Ismael uiuat coram te. Hebraismus. Id est, utinam Ismael ita uiuat, ut tibi placeat, & obediat mandatis tuis, quasi dicat: Satis mihi fuerit, si Ismael filius meus obediat mandatis tuis. Septuaginta, Ismael iste uiuat. Ita loquuntur quum aliquem ad nutum ac uoluntatem alicuius uiuere demonstrare uolunt.

Viuere in conspectu dei, est in iudicijs domini in se peccatorem exhibitis agnoscere ueritatem, iustitiam, atq; bonitatem, iustitiam, atq; bonitatem dei, quia sentiunt illum eundem percutere & sanare. Sic ualet humiliatio sub cruce ad gloriæ sublimitatem, & sic conuiuificatur, qui commoritur Christo. Nam in contemplatione operum atq; iudiciorum dei, melius proficit electus, donatus spiritu. Mortui alieniq; à spiritu: & si electi, tamen non sufficiunt dicere: venite, ipse rapuit, ipseq; sanabit, &c. ut Hoseas. 6. cap. inquit Reuertamur ad dominum.

Viuo ego dominus: ueteris testamenti iuramentum. Amen dico uobis noui Testamenti Ezech. 16. cap. Domini iuramentum & Iurantis est, iuxta Hebraicam phrasim, Età. 49. Tolle in circuitu oculos tuos & uide, omnes isti congregati sunt, uenerunt tibi: viuo ego dicit dominus, quia omnibus istis sicut ornatu indueris & redimiculis sicut sponsa. Et Numeri 14. viuo ego & implebitur gloria domini uniuersa terra. Quasi dicat, Id eueniet quod ego dico nempe omnes. Viuo ego, si non faciam. hoc est, certo faciam, uehemens est affirmatio. Et D. Paulus 2. capite ad Galatas, Viuo ego, non iam ego. hoc est, homo humanis fretus uiribus, sed uiuit in me Christus. Constat enim in uno homine duos esse, ueterem & nouum: secundum ueterem ergo non uiuimus, sed secundum nouum uiuit in nobis Christus.

Viuit dominus, uiuit anima, uulgaris Iuramenti forma apud Hebræos erat & apud ueteres quoq;. Quasi dicas: Per deum uiuentem, Per deum uerum & sanctum, & sic iurabatur in gloria Dei. Quum Gentiles iurarent per deos, qui certe non uiuebant, Hiere. 16. & 23. 2. Samuel. 14. viuit dominus si ceciderit de capillis filij tui in terram, non cadet quippiam ex capilco capitis, id est, non perdetur, ut Matthæi 10. cap. Ita uetus dei Ecclesia aliud non præscripsit iuramenti genus, quàm Ita me deus adiuuet. Lege A. Gellium in lib. 7. cap. 18.

Viuit dominus, nonnunquam non iurantis, sed gratias agentis, ut Psal. 17. viuit dominus, & benedictus deus, & exaltetur deus salutis meæ. Viuit dominus, sicut nos dicimus: Deus adhuc uiuit: quum uidemus deijci impios, & causam iustorum apparere iustam, id quod curante deo fieri non dubitamus. Viuit dominus, si moriatur, hoc profecto non morietur. 1, Regum 19. cap.

Viuere in uerbo dei, Matth. 4. est iuxta præscriptum diuini spiritus in omnibus agere & illo niti.

Viuere seu ambulare secundũ seculũ mundi huius, est pro cupiditate uitæ præsentis seculi & temporis, quo in hoc mundo agimus, Ephes. 2. cap.

Viuere inordinate, est otiari & gratis panẽ accipere, hoc est, facis similes aliorũ uestrũ laboribus. Hinc Inordinati appellãtur, qui occlamant ueritati, pacẽ publicã inferet turbant, sua prodigũt, aliena cupiũt, malis artibus plebem circũueniunt, ecclesiam irem oneranț & scoleribus suis sanctos offendunt.

Viuere

Viuere autem ordinate, qui cum labore & sudore noctes atq; dies, hoc est, assidue opus faciunt, nec cuiquam oneri sunt. De his. 1. Thess. 5. & 2. Thessal. 3.

Viuere porrò in carne, ad Gal. 2. cap. honestius & melius usurpat Paulus quàm in epist. ad Roman. 7. & 8. Significat enim ad Galatas in carne uiuere, in humanis uiuere.

Viuere autẽ secundũ carnẽ, Rom. 8. est totũ carni imperio eius esse deditũ, & à spiritu alienũ. Simili phrasi dicitur secundũ hominẽ uiuere, teste Augustino, est secũdũ mẽdacium uiuere, quia homo ita factus est rectus, ut non secundum seipsum, sed secundũ eum, à quo factus est, uiuere. tid est, illius potius quàm suam faceret uoluntatem. vnde non fruſtra dici potest, omne peccatum esse mendacium.

Viuere iuxta spiritum porrò, est audere quid deus loquatur in nobis, à fide in deum non discedere, etiamsi caro interim à contagio peccati non sit aliena. Qui ergo sub carnis imperio seruiunt, in Christo nondum sunt renati, ut cap. 6. ad Romanos disserit: Ne regnet peccatum.

Secundum deum uiuere, eodem fermè significatu usurpatur, est in ueritate dei stare, secundum ueritatem dei agere, illiusq; solius ueritatem facere. Deus est enim qui dixit: Ego sum uia, ueritas & uita, Ioan. 14. capite. Potest etiam isto modo dici, quod alij secundum hominem, alij uerò secundum deum uiuant. Apertissime quippe Paulus. 1. Cor. 2. capite dicit: Quum enim inter uos sint æmulatio & contentio: nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis? Quid ergo est ambulare secundum hominem? hoc est, secundum hominem uiuere, quod à carne, id est, à parte hominis minore intelligitur homo. Eosdem ipsos quippe dixit animales quos postea carnales. 1. Cor. 2. Talibus igitur, id est, animalibus. paulò pòst. 1. Cor. 3. cap. dicit. Et ego fratres non potui loqui uobis, quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Et illud ex eodem loquendi modo intelligitur, id est, à parte totum. Et ab anima namq;, & à carne quæ sunt partes hominis, potest etiam significari, quod est homo. Atq; ita non est aliud animalis homo, aliud carnalis, sed idem ipse est utrunq;, id est, secundum hominem.

Viuere in carne, ad Philipp. capite primo, longe diuersiore sensu quoque usurpat Paulus quàm ad Rom. 8. capite, Quod si ait, contingit uiuere in carne, hoc est, si dominus uoluerit me esse in hac uita superstitem, &c. ut & suprà.

Viuere in gladio, est artem militarem exercere, Genesis 26. viues in gladio, id est, arte militari comparabis tibi uictum.

Viuere regem, est regnare dominium, sedere, ungere, surgere idem est. viuat rex, hoc est, regnet. Viuere in æternum, nihil est aliud quàm uitam æternam habere, Ioã. 6. viuet in æternum.

¶ *Viuificare*, Chaiah, est saluare, seruare, liberare, recreare & exhilarare. Psal. 71. Qui ostendisti mihi aduersa magna, & acerba restituisti, uiuificasti me, Genesis. 12. cap. Et interficent me, te autem uiuificabunt, hoc est te seruabunt & liberabunt te. Tu salua euades, ego morti tradar. Prius enim uiuebat Sarai antequam ueniret in Ægyptum, quo modo ergo à Ægyptijs uiuificari potuit? nisi uiuificare, pro seruare accipias.

Viuificare, item pro recreare, Psalmo 119. In uia tua uiuifica me.

Viuificare, in scripturis accipi obseruo, pro eo quod est, uitam concedere, uitam prorogare, uiuum aliquem seruare, uitæ uires addere, reminiscere ex infirmitatibus, adeoq; reualescere, nec non enutrire uictualibus destitutum, &c. Iosua 14. Iudicum. 8. 15. 1. Regum. 12. 27. 4. Regum. 20. 4. Regum. 4. Genesis. 6. 12. 47. &c. Malefaciam non uiuificabis, hoc est, uiuere ne patiaris. Sic Genesis 20. cap. Propheta est, & orabit pro te, & uiues. id est, ut seruetis. Similiter Exodi. 1. cap. de obstetricibus, quod uiuificauerint uires, hoc est, seruauerint.

Viuificare autem semen, pro excitare posteritatem seu suscitare, Genesis 19. Et Paulus 1 Cor. 15. cap. Seminare idem pollet quod sepelire. viuificari uel enasci idem esse quod resurgere. Semen uiuificari non potest nisi seminetur: intelligamus ergo in sepultura cõcludi resurrectionem. Pro saluare, Psal. 29. Ex inferno animam meam uiuificasti me. Septuaginta, saluasti me. Pro instaurare. 1. Paralip. 11. cap. Et Ioab uiuificabit residuum ciuitatis, id est, restaurabit.

Viuificare opus, est mira facere & auxiliari, ut Abac. 3. Opus enim tuũ in medio annorũ uiuifica, quo nihil aliud est, quàm in adflictione opem ferre, qui enim in tribulatione cõstitutus est, ille ferè mortuo similis est, atq; dum ei succurſum est, perinde est,

ac si reuixerit, ac recens iterum genitus sit. Nam uiuificare & cognobilem reddere, ferè idem sunt: nisi quod uiuificare, est mira facere & auxiliari. Innotescere, est auxilium experiri, ut inde gaudium oriatur.

Viuificari in uijs dei, est recreari, uirtute cœlesti firmari. Psal. 119. Et uiuificare, pro incolumem seruare. Deut. 6. vt uiuificaret nos secundum diem hanc. id est, ut seruaret nos incolumes, ut in hac die sumus. viuificasti nos, Gen. 47, id est, autor uitæ nostræ es, restituisti nos in uitam.

Viuificare in liberationem magnam. Gen. 45. id est, ut seruarentur nepotes nostri in hac regione, & præberem uobis uictum, ut uos eriperem.

Viuificare populum. Gen. 50. Et uiuificaret populum multum. id est, ut me exaltaret, & constitueret principem, ut multos populos ministerio aut officio meo pasceret suis tempore.

¶ *Vlcisci* Hebræi utuntur pro punire. Sic ulcisci ultionem, id est, persequere iniurias. Num. 31. cap. Vltio mea est. Deute. 32. id est, sumam de illis pœnas, quum ad tempus exiget. Vltorem sanguinis uocat Moses, Num. 35. consanguineos interfecit.

¶ *Vltimus*, pro reliquo. Amos 9. Et ultimum eorum occidam gladio. Septuaginta, reliquos.

¶ *Vltra*, pro perpetuò, Exo. 17. Et ultra, id est, perpetuo. Dominus regnabit in æternum & ultra.

Vltroneum sacrificium autem, ut est Amos 4 capite, Et uocate ultronea sacrificiate, Latine epulum possumus appellare. Septuaginta Græcè legunt homologias, id est, possessiones.

¶ *Vlulare in cubili suo*, est idolis seruire, & alienos deos adorare siue colere. Hoseæ 7. vlulabunt in cubilibus suis. Perpulchre cantica idolis seruientiũ non carmina in deum, sed ululatum appellat. Et Amos 5. tumultum sonitumq; confusum cantica impiorum uocat Nam Psalmi & Cantica, quæ pro mercede ex usu & fine fide ac deuotione canuntur, est tumultus Domino, &, ut ita dicam, clamor asinorum.

¶ *Vmbilicus* significat cupiditates, delectationes, quæ uerbo Dei, seu timore dei sanantur, non inuentionibus humanis. Prouerb. 3. Time deum, & recede à malo. Id tuis umbilicis salubre est, & rigat corpus, id est, cupiditates tuas. ut Ezech. 16. vmbilicus tuus non erat præcisus. Prouerb. 3.

¶ *Vmbra* Hebræi pro fouendo, protegendo, defendendo, proq; asylo & confugio, sub quo quis protegitur familiariter & capiunt & perpetuo utuntur. Esa. 51. Posui uerba mea in ore tuo, & in umbra manus meæ protexi te. Et Dauid Psal. 16. pro præsidio & protectione.

In umbra alarum tuarum sperabo. Genes. 19. capite: Quia eapropter uenerunt in umbram culminis mei. id est, sub præsidium, sub protectionem. Iudi. 9 venite, fiduciam habete in umbra mea. Septuaginta, In protectione mea. Num. 14. Recessit umbra eorũ. hoc est, recessit ab eis omne præsidium, omnis defensio.

Vmbræ Ægyptiorum fidere, locutio & Hebraismus est, non in malam partem capitur: hoc est, rei friuolæ fidere, sed pro refugio Hebræis accipitur.

Vmbras præterea à sole, à corporibus prodeuntes, promouere quidem suis spaciis scimus, ut nemo sentit. Denq; uesperi, quando sunt longissimæ, subito pereunt, & uertuntur in tenebras. Talis profecto est uita nostra, ut qua senectam aduenisse intelligimus, temporis lapsum & spacia illa quibus accedit, non percipimus. Sic Psal. 101. legitur, Dies mei sicut umbra declinauerunt. Et Psal. 143. & 118.

Porrò sicut umbra sequi ex sua natura corpus, illoq; plerunque apparet esse maior, quum prorsus nihil sit, & res omnium uanissima, ita pericula huius uitæ semper condu plicant metum. Hinc factum, ut umbram pro figura rei accipiamus, ut Psal. 22. Si ambulauero in medio umbræ mortis, non timebo mala. Psal. 43. & 87.

Vmbram autem mortis uocant Hebræi, ubi est tenebrosum, id est, omnia infausta, ubi nihil boni adest, nihil commodi, ubi minime libet agere, unde cupimus quàm primum euadere, quia deteriora illic metuimus, quàm coram uidemus. Sic ouis in uallę, nebrosa & desertis syluis, ubi à grege & pastore aberrauerit, est in umbra mortis, non solum non habens tutelam, sed etiam lupis obnoxia. Sic & in umbra mortis ambulare dicimus, quando in lucis & desertis uersamur aut sumus, ubi non solum omnia quæ requirimus

requirimus desunt, sed etiam periculum nobis est à latronibus, quod alij ibi interfecti sunt. Hieremiæ secundo capite. Hinc umbra mortis, calamitas est, quæ cum præsens est, tam est acerba, ut morti pene similis uideatur. Sic enim pro tentationum mole, terroꝛ̃q; persecutionum profundo & abysso sumitur. Psalmo quadragesimoquarto: Et cooperuit nos umbra mortis. vmbram appellat, quia umbræ rebus similes esse solent, quarum formas repræsentant.

Vmbra mortis interdum peccatum & ignorantiam denotat, ut Psalmo uigesimoterтio: Nam si ambulauero in medio umbræ mortis: hoc est, Si fuero in tenebris mortis, in caligine peccati, in terra inferorũ nocte, adhuc sperabo. Item, visum est etiam umbram mortis, peccatum esse ad mortem: mortem uerò ipsam, æternam damnationem. Nam quemadmodum umbra corpus, ita peccatum mortem comitari solet. Hinc quoq;, In umbra mortis sedere. Lucæ 1. hoc est, in peccatis, & in erroribus, adeoq; & præsentissimæ morti implicari. Et Matthæus per tenebras & umbram mortis extrema intelligit periicula, adeoq; ipsam mortem nunc irruentem capite 4. Et Esaiæ 9. cap. In umbra mortis sedere, destitui luce ueritatis, & in crassis agere tenebris ignorantiæ uerbi & diuinæ cognitionis. Et Psalmo 44. vmbram mortis, seruitutem inter (autore Kimhi) crudeles gentes uocat, morte enim durius & horrendum magis, expositum esse per omnia libidini impiorum, audire continuo blasphemari nomen dei, damnari omnem pietatem, nihilq; non iniuriarum genus irrogari eius studiosis. Vmbra mortis, canit: hoc est, ipsis mortis tenebris obtexisti nos.

¶ *Vngere*, per tropum synecdochen, significat in regem constituere, initiari, inaugurari. Sic Psalmo 2. Et ego unxi regem meum super Zion montem sanctum meum: hoc est, constitui illum in regem super uniuersum populum Zion, metonymicos. Et Lucæ 4. Propterea quod unxit me. Hic quoq; est inaugurari, ad aliquod officium. Sacerdotes ueteris testamenti ungebantur, quum ad officium externũ inaugurabãtur ac consecrabantur: ita ego sum à spiritu sancto ordinatus, &c. Et Psal. 61. Et propterea unxit deus me: id est, consecrauit.

Vngendi uoce Hebræi omnem cultum ciuiliorem & humaniorẽ intelligunt. Id quod manifestũ fit 2. Reg. 12. Surrexit Dauid et unctus & lotus est. Et Lu. 9. vnxit oleo caput.

Vnctionis dictio symbolum regni & sacerdotij habet. Vngebantur reges & sacerdotes, & ungendo inaugurabantur. Itaq; unctionis uocabulum, ad regni & sacerdotij dignitatem usurpatũ est. Hinc Christus Græce, Meschias Hebraice, Latine unctus. vnctionis quoque nomen spiritum sanctum denotat. Et per unctionem: hoc est, inspirationem & institutionem sancti spiritus intelligit Paulus 2. Corinth. 2. cap. Et qui unxit nos deus est, qui etiã obsignauit nos, deditq; arram spiritus in cordibus nostris. De qua unctione Ioannes apostolus 2. capite, epistol. 1. disserit. vnctus hinc etiam pro summo sacerdote usurpetur. Leuitici tertio capite, quia summi sacerdotes ungebantur unctione solenni, non alij infimi sacerdotes. Hinc unctos etiam sanctos, sacerdotes & reges appellari in scripturis, inusitatum non est.

Vngere dei. Hebr. 1. capite. vnxit deus te: id est, dignitatis maioris te iudicauit, euexitq;, seu exaltauit in summã sublimioremq; maiestatem.

Vnguentum bonum, oleum nuncupare mos est Hebræis. Ecclesiast. 7. Bonum nomen super unguentum bonum. Quod clarius Symmachus (teste Hieron.) interpretatus est, Melius est nomen bonum, quàm unguentum bene olens.

Per Vnguenta uirtutes, quæ ex charitate originem ducunt intelliguntur. Cant. 4. Et odor unguentorum tuorum super omnia aromata.

¶ *Vnica* pro anima. Psal. 22. De manu canis unicã meam. Et uocatur sic anima quod sit unica respectu partium corporis & potentiarum eius, quæ sunt plures.

¶ *Vnigenitus*, seu Vnicus uocabulum satis elegans. Nam Iehid enim & unigenitum & summe dilectũ, seu precioſum & super omnia charum significat. Sic etiã uox Hebræis ambo habet significata tum unigeniti, tum summe dilecti, unigenitũ dicit Latinus, Ebræus unicum: quæ dictio Iehid non modo solum unum, sed & precioſum denotat, ut dictum est, Gene. 22. Accipe obsecro filium tuum unigenitũ, quem diligis, ipsum scilicet Isaac. Ibidem: Et non pepercisti filio tuo, unigenito tuo. Septuag. ἀγαπητόν: id est, dilecto: uel, quasi dicas, uice adamatum.

Vnigeniti luctus, quum scriptura meminit, maximũ luctum & horrendos dolores minatur

minatur,ut Amos 8 cap.Et ponam eam quasi luctum unigeniti,& posteros eius quasi diem amaram.Nam parentum tunc maximus luctus est,quum moritur unigenitus ipsorum filius:&dies amarissima,cum uident unius occubitu omnem suam posteritatem interire.Ad quem etiam Hieremias Hierosolymitanos uocat,cap.6. Luctum unigeniti fac tibi.& Zach.12.

Vnigenitus Christus appellatur fortassis,quod solus saluus non sit factus,sed genitus,diuinitatis æternitatisq; argumentum est.

Vnigenitus quidem æterna natiuitate patris & unigenitus Mariæ,secundum carnem filius,quem appellarunt parentes Iesum,sicut præceperat angelus,Matth.1.cap.& quia à patre dabatur orbi redemptor ac salus,ut unica ita præsentissima certissimaq;.

Primogenitusq; dicitur,quia primogeniti hæredes & omnium rerum domini.Imò olim fuerunt primogeniti duces& principes familiarum,deniq; & sacerdotes.Et reuera Christus rex & sacerdos est populi dei.vnde & D.Hieronymus aduersus Heluidium recte dixit, Primogenitum non tam eum esse, post quem & alij, quàm eum ante quem nullus.Itaq; hoc nomen quidem dominij est & regni.

Athanasius Alexandriæ episcopus de Assumptione hominis aduersus Marcellinũ in hanc sententiam scripsit.Quamobrem,inquit,unigenitum dum scriptura refert,secũdum diuinitatem indicat,quia in deitate unigenitus à deo patre omnino fratres non habet,& dum primogenitum nominat,naturam hominis ostendit.Hebr.cap.1.

¶ *Vniuersum*, quod uocamus,quandoq; significatur in scripturis sanctis,Cœli & terræ nomine,ut Gen.1.ca.In principio creauit deum cœlum & terram.id est, omnia quæ sunt,siue totum uniuersum.Quandoq; ita explicatur,cœlum,terra,mare & omnia quæ in eis sunt,ut sæpe in Psalmis & Prophetis,Nonnunquam etiam tantum cœli nomine, quo significatur,quicquid cœli ambitu continetur,ut Hierem.2. Obstupescite cœli,uel Obstupescet cœlum.Hebræi semper dicunt in plurali.Samaim,id est,cœli,Latini dicunt tantum in plurali Nuptiæ,nuptiarum.

Vniuersitatis nomine quoq; homo designatur,quia in ipso & uera species, & magna communio uniuersitatis ostenditur.Mar.16.Euntes in mundum uniuersum prædicate euangelium omni creaturæ.

¶ *Vnicornis* æquæ habet duas intelligentias,ut Cedrus:si ad bonam partem, custos: si ad malam,peccatores & elatos exprimit,Psal.28.Dilectus quemadmodum filius unicornium.id est,potens,qui scilicet magnifit inter suos,ut erant illi reges, scilicet erit, uel fuit,quemadmodum pullus unicornium fugiens.

In malam partem,Psal.21.Salua me,ex ore leonis,& à cornibus unicornium humilitatem meam.hoc est,ab impugnationibus illorum,qui iam me uidentur multo potentiores,salua humilitatem meam.id est,hanc deiectionem & infirmitatẽ meam,in quam iam traditus sum.Et ponitur pro aduersarijs obstinatis Christi,qui nulla lege, nullis prophetis,nullo uerbo dei domari possunt,ut non sequerentur sensum suum.Obstinati enim permanent,qui uerbo dei non obediunt,& tamen gloriantur se esse populum dei.vnicornis animal,indomitum & ferum,ut Plinius ex aliorum sententia dicit,quod uiuum sese capi non sinit.Iob 39.

¶ *Vnus,unum*, ut enim unum in numeris est minimum,ita quando de modico scriptura loquitur,plerunq; unum usurpat.vide Dauid Kimhi in Radicibus.Gen.29.Dies pauci,id est uni.Et 27.Diebus paucis,ideſt unis.

Vnus,deinde apud Hebræos etiam ordinis est.Primus ergo, vnus in ea lingua dicitur,atq; ita Genesis cap.1.etiam est uespere,& mane dies unus: id est, primus. Et cap.2. Nomen uni Phison,id est, primo.Deut.1.In uia mensis. Tibullus:Iamq; tum cum ausus es unus Italorum,omne æuum tribus explicare chartis. Quod loquendi etiam in Euangeliſtis reperitur,quorum phrasis tota Hebraica est ut Matth.28.vespera autem Sabbati,quæ lucescit in unam Sabbati,id est,hoc est,primum diem in hebdomada,qui nobis est dies solis & dies dominica.Et Marci 16.cap.primus Sabbatorum siue Sabbati. Nam plurali quoq; numero uocari solet unum sabbatum. Marci decimotertio capite, est postridie sabbati.

Vnus deniq; pro solus exponitur,Matth.19.vnus:id est, solus bonus est deus. Nam Lucas 18.his uerbis eandem sententiam extulit,Nemo bonus,nisi solus deus.Ioannis 3. At filius dei unus tantum ac solus est.

Vnus pro toto, ut, vnus pauper, unus diues: id est, totum unum est, siue sit pauper, siue sit dines. vnus item pro altero in Hebraica lingua reperire licet. Item, vnum ex his, Leuit. 6. cap. Id est, aliquid ex his.

Vnus dies pro breui tempore. Esa. 10. Et erit lux Israel in ignē, & sanctus eius in flam mam, & exuret & deuorabit uepres & spinas eius in die uno. Sic ut suprà, pro pauco u nus intelligitur, Gen. 27. Diem unum. Septuag. ἡμέρας τινὰς: id est, dies aliquos. vnus quoq; cum uno: hoc est, altero, Hiob 41. vnus cum uno.

Vna uox, idem est quod unum os. Iosue 9. Congregati sunt simul & pugnauerunt cum Iosua & cum Israel. Septuaginta omnes simul: hoc est, unanimiter, & quemadmo dum uulgaris translatio habet uno animo, eadem sententia. Sic & Exod. 24. Et respon dit omnis populus uoce una, id est, ore uno.

¶ *Vocandi* uerbum inter alias significationes, enunciare, prædicare, seu externum uerbum annunciare, quo deus se nobis reuelat. Mat. 20. Multi uocati, pauci electi. Et propheræ utuntur hoc uerbo vocādi, ut discamus omnia ad solum nutum dei, sicut ser ui domino obedire, qui mox ut accersantur præsto sunt, & obediendo respondent. Sic vocationis uocabulum frequens est in scripturis, pro quacunq; occasione, quæ alicui ob uenit, non quæsita aut sperata, quemadmodum salus per fidem in Christum gentibus per Apostolos est prædicata, quam sibi soli Iudæi pollicebantur.

Vocari ad munus Apostolicum, est segregari: id est, eligi ad prædicationem Euan gelij. Rom. 1. vocatus ad munus apostolicum. Et 1. Cor. 1.

Vocandi uerbo pro esse & existendi, constituendi, uerbis uirtute metalepseos utun tur Hebræi. Pro esse uel existendi, quia quæ talia existunt, talia uocentur. Gen. 21. Quo niam in Isaac uocabitur tibi semen: hoc est, Isaac erit hoc semē quod pollicitus sum, uel vocabitur tibi semen in Isaac: hoc est, filij ac nepotes Isaac dicentur filij ac nepotes tui, non autem qui ex Ismaele nascentur. Lucæ 1. cap. Et filius altissimi uocabitur: hoc est, erit filius altissimi. Rom. 1. capite uocatus apostolus: id est, qui sum apostolus, more He braico. Et Lucæ 1. Quod nascetur ex te sanctum uocabitur filius dei: id est, erit. 1. Cor. 1. Paulus uocatus apostolus Iesu Christi, Matthæi 5. Pacifici filij dei uocabuntur: id est, e runt filij dei.

Constituendi, quia qui urbes alias q; res constituunt, nomē quo q; imponunt, & uo cauit Oriona: hoc est, condidit atq; in ordinem suum constituit. Item, pro sunt, ut princi pes gentium benefactores uocātur: id est, in hoc instituti sunt reges, ut benefici sint. Ro man. 4. Et uocat ea quæ non sunt, tanquam sint.

Vocari aliquando Hebræis pro uere esse dicitur, vt quūm dicitur: Filius altissimi uo cabitur, Hebraico more, pro, uerè erit, ponitur. Rom. 8. vocatum enim esse isthic, pro ue rè sanctum esse accipitur.

Vocare præterea pro inducere. Haggæi. Et uocabo siccitatem super terram. Septuag. ἐπάξω, inducam. Item, pro adiuuare. Esaiæ quinquagesimonono: Non uocans in iusti tiam. Vocare item ex nomine. Exodi 31. Hebraismus, pro, præ alijs delegi. Et Exodi tri gesimoquinto: vocauit dominus ex nomine: uel, uocauit dominus nominatim: Id est, delegit, siue selegit, vocauit subaudi, is qui uocauit. Numer. 11. uel, qui nomen indidit, uocauit nomen, &c. Latini per passiuum, Hebræi per actiuum, hoc dicendi genus expri munt. Et Gen. 21. vocauit locum illum, Is scilicet qui indidit nomen loco illi, uocauit il lum Berseba, id est. Puteus septem. Vocari in nominibus: id est nominatim. 1. Paral. 14. Vocauit ad Iacob: id est, uocauit Iacob.

Vocare super uineam & ficum, est exultare & lætari. Zachariæ tertio capite, In die il la dicit dominus exercituum: vocabit uir amicum suum subter uineam & subter ficum. Vocatio pro inductione apud Paulum 1. Corinth. 7. vnusquisq; in uocatione, qua uo catus est in hac permaneat.

Vocat dominus famem, pro mittit. Hebraismus, pœnam uidelicet nostris peccatis debitam mittet. 4. Reg. 8. Ætate nostra uocat Turcæ gladium in nos, uocat pestem & famem, uocat ignem, nec à peccatis tamen desistimus.

Voca uocationem. Esa. 1. Septuaginta, ἡμέραν μεγάλην, diem magnum. D. Hieronymus, Solennitates uestras transcripsit. Dauid Kimhi uerò dicit locum illum uocatum machero, eo quod illuc cōuocari solita sit cōgregatio coram sapientibus, soleq; interpretari, curias, conuentū nominare licet, quē nos Græco nomine synodū appellamus.

¶ *Volare*

¶ *Volare*, quemadmodum Latini quum celeritatem quandam mittendi significare cupiunt, uolare dicunt, Cicero, Tu autem fac ut mihi literæ tuæ uolent obuiæ. Ita Hebræi in usu habent, Esaiæ 6. Et uolauit ad me unus ex Seraphim, Septuaginta ἀπεστάλη, missus. Et Apocalypsis 14. cap. volantem per medium cœlum. Significat publicam & intrepidam Euangelij prædicationem iuxta illud. Quod in aure & in cubiculo audietis, prædicate super tecta, Matth. 10. Porrò quod uolabat, alacritatem & sedulitatem Christi euangelij annunciandi significat. Id quod rectissime de sanctis apostolis dici potest, iuxta illud, uelociter currit sermo eius.

¶ *Voluntatis* uocabulum pro beneplacito reperiri constat, Hebr. 10. cap. Ecce adsum, ut faciam deus uoluntatem tuam. Etenim in Christo placatus est orbi pater, qui supra caput filij testificans, ista pronunciauit, Hic est filius meus dilectus, in quo beneplacitum est. Item, uoluntas, seu beneplacitum pro amore accipi ac usurpari constat, Psalmo 147. Neq; in tibijs uiri uoluntas seu beneplacitum erit.

Voluntas item pro omnibus uiribus humanis, species pro genere poni uidet apud Ioannem cap. 1. sicut & Caro pro ipso toto homine, more scripturæ Canonicæ. Sic alit. Ex uoluntate carnis existimant nasci dei filios, qui arbitrantur se humanis facultatibus ad æternam gloriam pertinere posse.

Secundum uoluntatem suam aliquid facere, Leuitici cap. 19. pro, uoluntarie & sponte immolare. Alij, pro uestri acceptatione offerte ipsam.

Voluntas domini, Amos. 5. cap. est facere iudicium & iusticiam in forensibus causis, sine acceptione personarum & numerum, amore iustitiæ, non carnis niti affectibus in iudicio, ut expulsa iniquitate, ueritas redeat. Domini uoluntas, est quod posuit omnium iniquitates super Christum. Esaiæ. 53. Et uoluntas Domini per manum eius dirigetur.

Voluntaria peccata dicuntur, quæ cum aperto dei contemptu fiunt quale fuit adulterium Dauidis & similia. Similiter uoluntarie peccare idem est, quæ tendunt in spiritum sanctum, est non ex infirmitate quadam peccare, carnis ue succumbere cupiditatibus, sed qui dest: nata malitia ueritatem in mendacio detinere, nempe qui probe norunt, quod nulla alia in orbe possit esse hostia pro peccatis, quàm unica Christi, interim uerò isti unicæ adeò non committunt, ut magis aspernentur, itaq; in contemptu dei impie uiuendo pergunt. Hebr. 10. cap.

Voluntarius corde, Exodi. 35. cap. Accipite à uobis oblationem domino: quicũq; est uoluntario corde, offerat eam domino nempe, aurum & argentum, &c. Id est, accipite de his quæ apud uos sunt, de facultatibus uestris quas offeratis domino: quicumq; est liberali animo offerat.

Voluntas carnis & mẽtium. Carnis peccatum est impudicitia atq; luxuria, & ea quæ per ministerium eius in libidinibus explentur. Mentium uero ad dogmata pertinet contraria ueritati, Ephe. 2. facientes uoluntates & mentium.

Voluntas dei est uelut filium uniuersæ iusticiæ ac bonitatis, nũquam errans. Quod rectum bonumq; uidetur, id propterea & rectum & bonum est, quod sic diuinæ uoluntati consultum uidetur. volũtas dei illa est. ut credamus in eum quem misit Iesum Christum, Ioan. 6. voluntas dei est sanctificatio nostra, ut anima, spiritu & corpore sancti simus. 1. Thessal. 4. 5. cap. utiq; ambulemus in præceptis eius, atq; semper & in omnibus tam prosperis quàm aduersis demus omnem deo gloriam, alacriter & patienter ferentes manum domini.

Voluntas humana error est, quam conformem ac subiectam esse diuinæ uoluntati oportet, in qua rationalium creaturarum perfectio fita est. Sic & oramus: Fiat uoluntas tua. Ad hunc modum & Christus orat: Pater, fiat uoluntas tua. Si Christus optimam rectissimamq; suam uoluntatem in patris sui cœlestis uoluntatem confecit, quid nos miserrima ac sordidissima lues homuncio in omnibus oportet non suam, quæ error est, sed dei uoluntatem, quæ ueritas est fieri?

Voluntas carnis, Ioan. cap. 1. electionem seu adoptionem humanam intelligit. Voluntas uiri, est imitatio seu studium bonum, sine spiritu sancto, quod nõ facit filios dei, sed filij dei ex deo nascuntur.

Voluntatem patris facere, est resipiscere, & credere Euangelio & in Christum credere, & ille ingreditur in regnũ cœlorum. Ioan. 7. & Matth. 19. Si quis uoluerit uoluntatẽ eius

eius facere cognoscet de doctrina, id est, intelliget, Rom. 1. In uoluntate dei. id est, deo adiutore, seu adiuuante.

¶ *Volo*, pro cupere, Marci. 16. cap. Præceptor uolumus. id est, cupimus. Sic, Quid uultis. id est, quid cupitis. Capiunt ergo discipuli, ut & ipsi aliquid in isto regno. Et Luc. 10. cap. Voluerunt, pro cupierunt, more Hebraico.

Volens, pro desiderans. Psalmo 5. Quoniam non deus uolens iniquitatem tu es: ut sit idem uoluntas & desiderium.

¶ *Vos*, apud Hebræos non absq; emphasi dicitur: acuit enim sensum & reprehensionem, ut apud Haggæum 4. cap. Nonne tempus uobis ô uos. Quasi dicat, ô increduli & obmurmurantes deo, qui dicitis, Nondum uenit tempus, &c.

¶ *Vox*, apud Ioannem cap. 10. pro euangelio sumitur. Illas quoq; inquit, oportet me adducere, & uocem meam audire.

Vocem domini audire, est cognoscere deum spiritu, & percipere uocem in corde, & uiuificare per eam. In hanc sententiam dicit Ioannes 6. cap. Neq; uocem eius nunquam audistis. Iudæos nec audisse deum, nec speciem uidisse, qui spiritu non perceperint, quo solo cognoscitur deus, & percipitur uox eius.

Appellatur autem euangelium uox, ut discrimen Legis, quæ muta, in tabellis mutis inscripta fuit. Euangelium autem uox uiua cordibus nostris inscribitur. Hinc uox prædicatorem signat, id est, non nisi illa quæ dicis, Christus illi in os dederit, effari debet. Marci. 1. vox clamantis in deserto. hoc est, sum uox clamantis, ego nihil aliud doceo, quàm quod dominus suggerit, non meum, sed domini uerbum doceo.

Vox enim sum domini. vox clamantis, idiotismus est Hebrææ linguæ, Exodi 10. cap. ubi dominus dicebat Mosi: Aaron erit os tuum. id est, pro te loquetur. Et Iob 31. Eram cæco oculus, claudo pes. Et Ioannis. 1. quod dicit: Vox clamantis ego, perinde est atq; ego sum clamans, uocisq; nomine uocor, ab officio clamandi: sicut ab orandi officio, Aaron dictus fuit os Mosi. Itaq; quod Hebraismo dicitur Vox clamantis, Latine reddi poterat, uox clamans. Eadem loquendi forma siue figura Pauperes sanctorum, pro pauperibus sanctis dixit, Rom. 15. cap. 1. Timoth. 3. Mysterium pietatis, pro mysterio: ut si dicam Lingua Germanorum, pro Lingua Germanica. Huiusmodi formæ loquendi, non infrequentes sunt apud Hebræos.

Vox dei, horrendam illius maiestatem, & ad plectendum noxios, potentiam omnibus humanis uiribus maiorem significari, ex Geneseos cap. 3. certum est. Ait enim postquàm in legem dei commisisset Adam, & ab illo uocatus esset in paradiso: Vocem tuam domine audiui, & timui, &c. Sic & Psal. 28. vox domini super aquas, deus maiestatis intonuit, dominus super aquas multas. id est, Dominus potentiam suam pluris faciam, ostendit in aquis. Et Psalmo 46. Dedit uocem suam, &c. subaudi Deus, uidelicet contra impios. Forte enim tonitru deus opem se laturum suis, & prostraturum eorum hostes significauit, uel tempestate quadam consternatos illos fecit cædi. Aut intelligunt sacri uates per uocem dei, uirtutem qua hostibus dei populus factus fuit superior.

Vox, cordis formidantis nuncia est, quemadmodum & Esaias ait cap. 21. Humiliaberis, de terra loqueris, & de humo audietur eloquium tuum. vbi exilis uox animum metu perculsum esse arguit. Hiere. 26. cap.

Vocem, Dauid Psal. 55. appellat contumelias diramq; uocis acerbitatem cum hostibus, ac minas, quibus ferè pauidi exanimari solent, & ipsam oppressionem, uiolentiam & tribulationem, quam Christus à Iudæis passus.

Vox interdum fremitum ac turbationem significat: interdum uerò non bellum, sed felicitatem coeuntis turbæ sonat, ut Ezech. 21. Et uox multitudinis felicitas in ea.

Vox pro tonitru, Exodi 9. cap. Et satis sit uocum dei. Id est, ut desinant tonitrua dei. Vruntur autem Ebræi, Multum esse, pro satis esse, quemadmodum Germani, Es ist sein zeuil, hoc est, es ist sein gnug. Et eodem capite, Dominus dedit uoces. Koloth uoces, pro tonitruis ponit Ebræus. Appellatiua pro proprijs, & generalia pro specialibus poni, per synecdochen frequens est Ebræis.

Vocem fecerunt transire, hoc est, curarunt proclamari publicitus, Exodi 36. cap.

Vocem meam audi, hoc est, acquiesce consilijs meis, Exodi 4. Neq; audient uocem meam. Id est, non parebunt mandatis meis.

Vox sanguinum. hoc est, ipse sanguis, Genes. 4.

Vox galli, apud Matthæum cap. 26. est prædicatio resipiscētiæ in aures eorum qui in peccatis obdormierunt, & ueluti nocturna somnolentia obsoporati sunt. vox galli erat prædicatio Iouæ in Ninive. vox galli erat ubi Nathan corripiebat Dauidem.

Vox archangeli, uerbum dei & tuba idem signat. Vox dei, tonitru, Iob 37. cap.

¶ *Vorare*, est non simpliciter edere apud Dauidem Psalmo 14. sed summa auiditate, latæ & insatiabili ingluuiei quæuis consumenda tradere: sicuti solent animalia uoracia, canes, lupi, ursi, leones & dracones. Itaq; hac uorandi metaphora notat Psal. 14. in illis insatiabilem & inexplebilem auariciam.

¶ *Voti* nomen, in scripturis cum dei laude semper coniunctum reperies, Psal. 5. Immola deo sacrificium laudis, & redde altissimo uota tua: sic uota cum diuinis laudibus semper cōiuncta, Psal. 65. Te decet hymnus deus in Sion, & tibi reddet uotū in Hierusalē. Votum interdum pro spontanea oblatione, Exodi 36. cap. Ipsi autem uotum adhuc afferebant ad eum in mane & mane. Votum, uocat spontaneam oblationem, singulis diebus uota statuere, pro rata habere, Numeri 31. cap.

Votum animarum, Leuitici 27. cap. votum est, quo quis animam, hoc est personam aliquam domino uouerit. Votum, nihil aliud esse uideo, quàm liberam earum rerum, quas possumus, & quas deo acceptas esse scimus, pollicitationem. Gratum autem est uotum, quicquid ad præscriptum uerbi sui exigitur, & quicquid fit ex fide. Nam quicquid non est ex fide, peccatū est: quemadmodū & illud deo contrarium est, quod à scripturis (quæ uoluntas dei est) alienū est. Votum sanctorū, nomen dei glorificare. Vota spontanea dicuntur, quæ non ex lege, nec pro culpa, sed pro gratiarum actione offerebantur Nidboth, id est, spontanea uocabantur. Iam Dauid Psal. 119. sciebat, deum pecudum hostias nihil morari, igitur ut & aliàs laudis sacrificia oblaturum se recipit, dum orat, ut ea deus grata habeat.

¶ *Vouete* & reddite domino deo uestro. Celebris est hic locus ad confirmanda uota, quem perperàm quidam legunt: Si uoueritis reddite. vouet enim omnino, quicunq; uere orauerit, gratias ue agerit, de quo Psalmo 21. uersu 28. canit. Et est uouete, imperatiue legendum. Hoc autem monendi sunt homines, ut deo id uoueant, quod illi gratum nouerint. Huiusmodi est uera innocētia, & officia dilectionis, quæ totam implet legem. Quicquid huiusmodi est, id & uouendum pijs est, & item reddendum. His autem si quid aduersum fit, neq; uouendum, neq; uotum fit, præstandum est. Dei enim sumus, contra cuius uoluntatem, nihil licet tam uelle quàm facere.

¶ *Vri*, Paulus dicit se discruciari quoties cuiquam scandalum obijceretur, hoc est, quoties praua doctrina uel exemplo fides alicuius læderetur. De quo scandalo plura Rom. 14. cap. scripsit. Rectè autem quum non posset scandalizari, cum patientibus scandalon, ut infirmari cum infirmantibus, dixit se uri, quum quis scandalizaretur, hoc est, magnopere sibi dolere: eaq; causa se plurimum discruciari. Eiusdem dilectionis & curæ fratrum fuit, quod urebatur, hoc est, misere discruciabatur, secundæ Corinthiorum undecimo capite.

Vri, alibi usurpat D. Paulus pro libidinis incendio molestiaq; corporis non se continentis, ut cernere licet primæ Corinthiorum septimo, Melius est nubere quàm uri. Palam hic de ustione uenerea loquitur. D. Ambrosius inquit, quod uri sit, quum uoluntas calori carnis consentit, hoc est, desiderijs agi uel uinci. Loquitur enim Apostolus de libidinis incendio, quod & animum & corpus mira molestia afficit, imò & absumit.

¶ *Vrbes*, in scripturis montium nomine uocantur: constat enim urbes, regiones & regna, mōtes in scripturis uocari, uide in nomine Mons. Vrbes item quoq; mulieres dicuntur, Esaiæ trigesimosecundo, Mulieres opulentæ, surgite, nam tunc ualde abundabunt. id est, urbes & synagogæ & congregationes Iudæorum confidentes in diuitijs operum legis. & Hiere. 8. 9. Vrbes dicuntur quoq; filiæ, Esa. 32. Hiere. quadragesimosexto, Ezechieles 16. Oseæ 4. cap. Vrbs præterea habitationis dicitur, pro locis quæ ab hominibus incoluntur, Psal. 17. 107.

¶ *Vsuram*, definiunt esse lucrum, quod ad mutuum accedit, seu ubi præter sortem soluitur aliquid propter mutuationem. Hoc lucrum in mutuo exigere, est iniquum & quia pecunia instituta, propter commutationem, non ut numus numum gignat, id quod fit in usura, ideo recte sentiunt, usuram esse paraphysin, hoc est, præter naturam, adeoq; referenda est ad genera furtorum & rapinarum, Leuitici 25. Si attenuatus fuerit frater tuus, &c.

Vsura

Vsuræ tamen uocabulum(sicut & Fœnoris nomen)non semper in malam partem accipitur, tametsi pro fœnore ferè,id est,pro eo quo quis proximum fraude premit ponatur.Nec tamen semper & ubiq; in malum sonat,quemadmodum & occidere & concupiscere & lucrari,&c.Neq; enim omnis occisio mala est,nec omnis concupiscentia peruersa,nec omne lucrum turpe.Est rerum bonarum concupiscentia,& lucrum est honestum & quod per deum licet.Et in Germania honeste utimur hac dictione vvucher, & quum prouentus agri dicimus erdvvucher.Sic geminum est lucrum,alterum turpe, honestum alterum.1.Timoth.3.Sic duplex usura,honesta & turpis ac fraudulenta.Honestam usuram,dicimus iustum & honestum lucrum,per quod proximus nihil lęditur. Turpis uero per quam aut damno afficitur proximus,aut totus opprimitur.Hoc ergo fœnus,quod ex auaritia nascitur,quod cum dolo iniuria proximi contũctum est,quod cum uerbo Christi(quæcumq; uultis ut uobis faciant homines,&c)pugnat,quod ex in iustitia & malitia prodit,malum est,& flagitium ac crimen magnum,prohibitum est Deut.23.Non fœnerabis,&c.

Per Fœnus autem intelligit turpe lucrum quo proximus lædituR & nimium præmitur.Quod ex cap.22.Exodi manifestum est.Si pecuniam mutuo dederis populo meo pauperi qui habitat tecum,non urgebis eum quasi exactor,nec usuris opprimes eum, Germani dicũt vvucher vff einem tryben.Hebraica metaphora uenusta à mordendo tracta Neschech,morsum nominant,& usura Hebræis morsus fit.Non morsum inferre, quod scilicet usura mordeat hominem,hoc est,perdat,spoliet,quod Latini fœnus nominant.Vt enim omnis morsus ueneni quiddam habet adiunctum & pestifer est,maxime colubri,& tandem interficit:ita fœnerator opibus suis,quibus citra necessitatem carere posset,ad perniciem proximi sui utitur,donec eum tandem perdat & opprimat,Etiam toch, nominant usuram, quod detrimentum,dolum ,fraudem, occultum damnum & impostura significat, Leuitici 25.Tharbith, nec accipias ab eo Neschech, nec amplius quàm dedisti Tharbith.Græci pleonasmus habent.Significat autem Græcis pleonectein interdum fraudare,extorquere,circunuenire & eripere.Nam homines cupidi,fraudulenti & non raro uiolẽti esse solent.Et pleonexia uitium est cognatum uitæ turpiter quæstuosæ.Est autem pleonexia plus habendi acquirendiq; cupiditas immodica,auaritiaq;,&c.ut alibi explicatum est.Hic cauendum ne Tharbith,Toch & Neschech concurrant.hoc est, ut Paulus dicit, ne quis in negotio fatrem frauder, aut circumueniat.Psal.15.Vsuræ nomine peccata ueniunt,ut:Ex usuris & iniquitatibus redimet animas eorum.Quæ sunt istæ usuræ,nisi peccata quæ etiam debita nominantur. Hæc D. Augustinus in Psal.71.

¶ *Vrsus* in scriptura,propter insidias & crudelitatem leoni sæpe iungitur. Prouer.18. Leo rugiens,& ursus esuriens princeps impius.Amos 8.Si fugiat homo à facie leonis, & occurrat ei ursus.Thren.2.vrsus insidiosus factus est mihi in uia. Et apud Danielem Persæ adsimulantur urso & symbolum regni Persici,carniuorum animal & minus generosum animal leone,tardiusq; & ineptius,& in senecta immite,ac infidũ.Et prouerbium est,Pueri principes catuli ursorum,uetuli principes,uetuli ursi.vide Dan.7.cap.

¶ *Vsque*,donec,quid iuxta proprietatem scripturæ significet,suprà ostensum est.Sic etiam vsq;,& si temporis alicuius terminum circumscribere uidetur,uere tamen infinitũ aliquod præ se fert,ubicũq; à domino uerbum hoc memoratur:Ecce,inquit, uobiscum sum omnibus diebus,usq; ad cõsummationem seculi,Post seculum,dicere non erat necesse.Non enim cum sanctis cuiquam dominus esse desinit. Nec præsentiũ promissio, futurorum est ereptio.Basilius Magnus de humana Christi generatione.Vsq; in hodiernum diem,pro semper.Actorum 23.Viri fratres ego omni conscientia bona conuersatus sum ante deum usq; in hodiernum diem.Vide fusius in litera D, in nomine Dies.

Vsq; ad fluuium,Exodi 23.cap.per Elleipsin Euphratem ita demonstrant.Vsq; ualde,Psal.119.Præcepta tua custodiam,derelinquas me usq; ualde,hoc est,perfectè,uel usque in seculum,id est,perpetuo,omnibus diebus uitæ meæ.

Vsq; ad mingentem ad parietem,id est,ne pueros quidem reliquos faciam,iugulatis senioribus.Vsq; in excelsum, pro eo quod est, magis atq; magis, mirum in modum.2. Paralip.decimoseptimo & 26.

Vsquequo,Numer.24.cap.perinde ualet ac si dicas,non tantum expelleris,sed etiam abduceris captiuus.Velita expelleris,ut abducaris captiuus ab Assyriis.Vsq; ad deci-

mam [illegible]erationem. Deut. 23. Ne decima quidem generatione: Id est, nunquam poterit di[illegible]ere Israelitidem in uxorem.

¶ Vt, particula interdum est admirativa, quemadmodum & Quàm sæpius, secundæ Petri primo capite, Vt eius diuina uirtus omnia nobis largita est, &c. Notissimus est literatis ille uersiculus Poetæ: Vt uidi, ut perij, ut me malus abstulit error.

¶ *Vterum*, nomen non est in scripturis pro arcano substantiæ dei, ac deitate usurpari, & plerunq; metaphoricè deo tribuitur hoc uocabulum. Esaiæ quadragesimosexto capite: Qui portamini ab utero meo. Psalmo centesimonono: Ex utero ante luciferum genui te. Vt sit uterus arcanum naturæ & secretum cõsilij. Est ergo sensus Psalmi, iuxta enarrationem Rabani: id est, ex arcano substantiæ meæ, ex ipsa deitate, totum ex toto, id quod nullus sensus adsequi poterit, sed sola fides ad firmandum cor sincerum sufficit. Dei uterus, est occulta illius penitusq; incognita substantia: ex qua quidem ante lucis huius usibilis ortum, nempe absque principio genitus sit filius patri æqualis, atque eadem cum illo æditus natura, uirtute, essentia, potestate. Ab utero idem est, quod semper. Esa. 43. Transgressorem ab utero uocaui te.

Rursus in Iob scriptum est: Dominus utero egressa est glacies. Vternm concludere, est periphrasis sterilitatis. 1. Samuelis 1. cap.

¶ *Vulpes* in scripturis notam habet callidorum & uersutorum, adde & immundorum fœdissimorumq; hominum. Vulpes enim ut dolosæ, ita fœdissimæ sunt, uictitantes cadaueribus habitantesq; in cauernis terræ. Hoc itaque probri pulchre Lucæ decimo tertio capite hæsit in Herode, qui ut astutus erat nebulo, ita fœdissimus erat ganeo & adulter, scelerum maximorum ferens infamiam. Rursus competebat Vulpis parœmia Pharisæis. Artibus enim & uulpino ingenio agebant cum domino, conantes illi os obstruere. Nam impij in rem suam oculati, & in aliorum niuentes perniciem, aptissimo uocabulo scripturæ, Vulpes appellantur. Psalmo sexagesimosecundo, impios indicare uolẽs suis ipsorum telis interire: Tradentur, inquit, in manibus gladij, partes uulpium erunt. Lucæ 9. Vulpes hypocritam denotat. Vide Cyrillum.

Vulpibus, doctores traditionum humanarum comparantur, qui simulant dei cultura & augent cæremonias, uiasq; docent domino complacendi. Ezech. 13. Quasi uulpes in desertis, prophetæ Israel erant.

¶ *Vulnus* pro peccato usurpari in sacris constat. Nam uulnera etiam leuia, aliquando fiunt lætalia, non tam ex alia causa, quàm quia negliguntur, & sic ad uicina quæque serpit mali contagio: quo uerbo aptissime peccatum in scripturis significatur. Nisi enim pœnitentia huic malo medearis, medicum accersens illum, qui non ad recte ualentes missum se ait, sed ad languidos, actum est de salute tua. Id quod non obscure Esaias capite decimo indicat: Væ genti, & cætera. vulnus & liuor & plaga tumẽs non est circũligata, nec curata medicamine, neque fota oleo. Et Psalmo octuagesimosexto. Christus seruator peccatorum nostrorum onere pressus: Factus sum, inquit, sicut uulnerati dormientes in sepulchris, & cætera. Et Psalmo quinquagesimooctauo, Tu humiliasti sicut uulneratum superbum.

¶ *Vultus*, nonnunquam in scripturis prophetarum pro honore & autoritate ponitur apud Esaiam tertio capite: Auferet omnem honorabilem uultũ, & consiliarium: hoc est grauem & honestum uirum. Item, Vultus pro anima capitur, Hieremiæ uigesimo primo capite: Posui enim uultum meum super ciuitatem hanc: in malum, & non in bonum.

Vultus uel nasus plerunque metaphorice, pro ira & furore sumitur, quod ira uiri indicia sua habeat in naso & vultu. Psalmo decimo: Impius elato uultu seu ira, spiritu & furore, nihil curat.

Similiter Vultus, obseruatio contra urbem, apud Ezechielem quarto capite, est seueritatis diuinæ indicium, iuxta illud: Fauces Domini super scientes mala. Sic Vultus, sæpe in scripturis pro indignatione iracundiaq; sumi uidemus. Psal. trigesimo tertio, & uigesimo primo. Hinc Vultum auertere, & firmare aut intendere in loco idem pollent, quum utrunque fit per indignationem. Hieremiæ tertio capite, Non enim auertam uultum meum, Signatũ est lumen uultus tui super nos. Et alibi: Illuminet uultum suum super nos. Nihil aliud est, quàm illam gratiam & fauorem spiritus dei, & illuminationem uenire uobis & augescere in nobis, & cætera, Vide suprà Faciem auerte-

auertere,&c.Sic ad hunc modum uultus præsentiam dei sæpissime denotat.Psalm.4.Illumina,uel attolle super nos uultus tui lumen:hoc est,benigne respice nos,faue nobis, exere tuam in nos bonitatem.

Vultum sumere alicuius,est susciperefaciem alicuius,id est,respectum habere unius præ alio,facere aliquid ob huius præsentem petitionem,quod non facias petente alio, &c.Geneſis 19.cap.& 32.Facies peccatorum sumitis.Accipere uultum.1.Regum 25.cap. ubi nos,honorare.Et 4.Regum 4.Nesuphanim,id est,acceptabili uultu,ubi noster interpres:Honoratus,reddidit.

Vultus tui ibunt in medio.Quod sic interpres:Tu eris in medio eorum.2 Regum 17.cap.Exodi34.Vultum suum statuit,& posuit usq; ad confusionem.Noster interpres sic:Stetit cum eo,& conturbatus est usq; ad suffusionem uultus.Septuaginta uero:Stetit Azael ante faciem eius & apposuit coram eo munera, donec confusus esset:Er stand vnd vvar verstarret.

Vultus eius non fuerunt ei amplius,hoc loco interpres ita legit,uultus illius non sunt amplius in diuersa mutati.Septuaginta sic: Vultus eius non concidit amplius, hoc uultum alium,uidelicet lætiorem sumpsit.Exporrexit frontem,antea corrugatam.

Vultus flammarum,stuporem mentis intelligit,Esaiæ 13.quum sanguis ebullit in faciem.Facies combustæ uultus eorum.

¶ *Vulua*, est occulta & malicioſa carnalium cogitatio,Hiob 38.Quis conclusit hostijs mare,quando erumpebant quasi de uulua procedens.

Vuluam aperire,pro primogenitum nasci, Numer. 18.cap.Erumpet è uulua. Vel, Quicquid aperit uuluam.Id est,omne primogenitum.Hinc uuluam aperire est fœcundam fieri.Vuluam aperuit illi deus,hoc est,effecit,ut quæ antehac sterilis,parere potuerit.Eo tropo uix alius in scripturis uulgatior.

Contrarium huic,Concludere uuluam, est sterilem fieri.Vuluam conclusit illi dominus,Geneſis 21.Concluserat enim dominus omnem uuluam domus Abimelech,id est,steriles reddiderat mulieres totius familiæ Abimelech.Et,Conclusit uuluam,id est, fecit ut sterile fieret.1.Regum.1.Nasci autem super genua dicitur tam de uiris quàm mulieribus,Bilha parit super genua Rahelis,cap.30.Et nati sunt filij super genua Ioſephi, Gene.50.cap.

¶ *Vxores* dicuntur in sacris literis sponsæ,& mariti sponsi.Maria dicitur uxor Ioſephi,ut seruetur in eo loquendi modus scripturæ,Matth.2.cap.Docet Christum nihil habere ex Ioseph,sed totam suam substantiam traxisse ex substantia uirginis Mariæ:iccirco enim toties repetit,Puerum sumat Ioseph,& matrem eius:non dicit filium tuum cum uxore tua.Quamuis enim Maria aliàs uxor dicatur Iosephi,ut dictum est.Et quod inter ipsos interceſſerunt nuptiæ,sed uoci communi concumbentium,sed sancte tantum cohabitantium lege.Quid sit inter uxorem & Concubinam,uide suprà in litera C,& Sponsus.

Vxorem proximi per adulterium uiolare,est uerbis & factis ad id solicitare,Ezech. decimooctauo.

Vxor Lamech, Geneſis 4.Audite uocem meam uxores Lamech,hoc est,uxores meæ.Hebræi enim proprium nomen,pro pronomine possessiuo ad maiorem emphasim solent ponere.Ad uxorem ingredi,est rem habere cum ea,Deut.22.cap.Vide suprà Ingredi.

Z

Elotypiam Cicero in 4.Tusculan.Quæst.ægritudinem uoluit esse ex eo quod alter quoq; potiatur eo quod ille ipse concupiuerit.Ita ipse zelotes & zelotypus dicitur deus,quod solus adorari & coli uelit ex toto animo & fortitudine tota,nolitq; cultorem illum, qui alium amauerit quàm deum uerum.Et Paulus non sibi erat zelotypus,sed Christo domino. 2. Cor.11.Nam zelotypus,inquit,sum erga uos dei zelo.Non dixit,diligo enim uos,sed quod his multo uehementius erat,ponit.

Zelotypæ enim sunt animæ,quæ immodico,dilectorum amore flagrant,& non aliunde nascetur zelotypia, quàm ex uehemẽti dilectione.Item,Deus ut dictum est dicitur zelare,non ut affectionem quandam in ipso suspicetur quispiam.Deus enim passio

nibus non est obnoxius, sed ut discant omnes, quod propter nihil aliud quàm propter eos quos tam afflictim omnia faciat, non ut ipse aliquid lucri faciat, sed ut illi seruentur. Hæc in epist. ad Corinth. 2. cap. 1. D. Augustinus.

Est autem Zelus dei, ne quis fallatur, bifarius: falsus uidelicet & uerus. Falsus est, quo studium gloriæ dei simulatur, cum reuera uel propria gloria quæratur, uel studio priuatæ opinionis laboretur. Sic prætexūt hodie plerique studium cultus dei, & unitatis ecclesiasticæ, cum homines impurissimi ac uanissimi, pro uindicando suo nomine ac quæstu sanguinem Christo credentium fundunt. Talis zelus est & ille, quo pro eorum quos susscipimus existimatione zelamus. Sic pro Mose zelabat Iehosua, Numer. 10. Pro Ioanne illius discipuli, Ioan. 3. cap. Sic Corinthij pro pseudapostolis quos susscipiebant, & hæretici pro hæresiarchis suis. Sic magna hodie multitudo pro mortuis sanctis zelat, quasi periclitetur illorum gloria si ueritas dei defenditur.

Verus zelus dei est, quando reuera, & ex animo pro deo zelatur. Et hic est bifarius. Aut ita enim cæcus est, ut pro eo conseruando zeletur, quod deo non placet: aut impugnetur, quod illi gratum est, id quod fit cum non habet coniunctam scientiā dei. Et is zelus quidem qui ex opinione quadam uana aut certe non exactius expensa nascitur aut uenit, nihil distat à quouis carnali affectu, amore, odio, inuidia, furore. Habēt enim & hæc suum studium ardoremq; Talis aūt zelus eorū est qui putant se patrocinio sanctorum deo præferri. Talis & apostoli Pauli persequentis ecclesiam dei fuit euangeliū dei pro deo zelans, ad sanguinem usq; fidelium impugnabat, Ignorans, inquit, feci. Et Iudq; is testimonium dedit, quod zelo dei laborarint, qui fuerit præter scientiam, Roman. 10. Et omnium qui uel hodie religionis amore, hoc est, superstitionis hactenus obseruatæ, bella & deo & euangelio eius mouent.

Aut illuminatus zelus est, exactam tenens diuinæ uoluntatis cognitionem, ut non solum uerè zeletur, sed & recta cum ratione, modo, ac fine, ut & quæramus quod certo scimus deo placere, & quod illi displicet studiosissime auersemur, & si fieri queat ulciscamur etiam. Is porrò Zelus est ex fide uera, quæ sapientia & iudicio spiritus moderatur. Nihil enim aliud est quàm ardor & uiua agendi uis in hominem per spiritum dei sanctum, qualis in Mose, Petro, Helia, alijsq; uiris dei præclaris fuit.

Quemadmodum uerò hic Zelus uira est ueræ religionis: ita peruersus ille zelus & è carnali opinione natus, animæ est tyrannis & pertinacia, unde & culpa non liberat eum, qui stulto ac impio agitur Zelo. Non enim quid facias dispiciendum, sed quàm bene & rectè facias. De hoc duplici zelo differit D. Paulus Rom. 8. 10. cap. Testimoniū enim illis perhibeo quod zelum dei habent, sed non secundum scientiam. Neq; enim hæc sine zelo facere possent quidam quæ faciunt, sed citra scientiam, iudicium, ueramq; fidem omnia faciunt. Iudicium enim ex fide ac uerbo domini paratur. Sic Germani loquuntur Er meints vvol vnd guot, aber nit vvyslich. Videmus nunc clare aliū zelū qui dem bonum & secundum scientiam: alium uero malum, & non secundum scientiam.

Zelus igitur aliquando inuidiam, interdum furorem & ultionem, ut Esaiæ 42. Sicut uir belli excitabit æmulationem seu zelum. Aliquando honestissimum & accensum amorem significat. & in bonam partem Zelus accipitur teste Apostolo. 2. Cor. 12. cap. Zelamini charismata maiora, Psalmo 68. Zelus domus tuæ comedit me. Et 2. Cor. 8. Zelum per æmulationem in bonam partem usurpat. Imò inquit, æmulationē. Vnde D. Ambrosius ait, zelum incipit pati bonorum operum perficiendorum, qui intelligit pro se esse quod corripitur.

Zelus est igitur nihil aliud, quàm feruentior quidam amoris affectus, qualis est uiri erga uxorem, cum maritus indigna experitur in uxore, uehemens & iusta ira esse solet & uicissim uxoris erga uirum, qui affectus ferre nequeat uel contemptum, uel læsionem rei amatæ. Similiter cum parentes indigne tractari liberos uident, Ioelis 2. cap. Dominus promittit se zelaturum pro terra. Nihil aliud est, quàm quod nullo modo passurus sit durius tractari populum agentem pœnitentiam. Et hic zelus omnium fortissime regnat inter deum & populum eius, populum uidelicet sanctorum. Hinc illud est, quod zelotem uocat seipsum quippe qui alienos deos iuxta se ferre nequeat, nec pati, ut sui lædantur. Qui tangit uos, inquit, tangit pupillam oculi mei. Quoniam autem zelus uehemens est amoris affectus, locus est prouerbio factus apud D. Augustinum, quo uulgariter dicitur, Qui non zelat, non amat: & è contrario, qui non amat, nō zelat.

Zelus

Zelus igitur more scripturæ non significat iram, qualis est inter inimicos, sed eam, quæ ex ardenti, ut dictum est, amore proficiscitur, ueluti quum parētes ob aliquā offensam liberis succensent, non quod eis male uelint, sed eo ipso ostendunt se erga eos amantiori esse animo. Nam adhibentes correctionem præcauent, ne rursus in flagitium aut crimen incidant, unde grauius possint puniri.

Zelus itaq; in scripturis sæpe usurpatur pro ea ira, quæ inter amantes uersatur: nam quemadmodum ferrum diu intactum à rubigine absumitur, ita mutuus amor si nunquam intercesserit quædam iracundiæ species intercidit. Et ut Comicus ait: Amantium iræ amoris reintegratio & renouatio est.

Zelus inquit Paulus 2. Cor. 11. cap. in culpa est, adeoq; dei zelus inquam iustus & bonus. Non ambio honores, non amo ut deplumem, sed nihil non metuo, imò misere timeo, ne temere seducamini. Per zelum enim intellexit amorem propemodum morosum, & impatientem, qui omnino alium non admittit amatorem, nec illo modo ferre potest. Zelus autem excitare, apud Esaiam 42. est uindictam sumere, ut suprà annotatum est. Zelus dei, inquit D. Augustinus non sunt perturbationes dei, sicut nonnulli scripturas, quas non intelligunt arguunt: sed nomine iræ intelligitur uindicta iniquitatis, nomine zeli exactio castitatis, ne anima legem domini sui contemnat, & à deo suo fornicando desperent.

¶ *Zion*, arx ipsa fuit, postquam cepit Dauid ut est & Samuelis. 5. cap. ciuitas Dauid dicta est. Quod autem Psaltes ait: Psal. 2. Ego autem cōstitutus sum rex ab eo super Zion montem sanctum eius. Id est, super Hierusalem ciuitatem sanctam, ubi erat sacerdotiū & regnum à deo constitutum, ubi erat templum, & omnia dei sacra, quæ olim erant in terris, ubi erat doctrina legis & prophetarum, ubi expectabatur Christus sessurus super solium Dauid patris sui, ut corroboraret, & confirmaret illud in iudicio & iustitia, non armis carnalibus, nec ad tempus, sed in sempiternum, sicut prædixerat Esaiæ cap. nono & angelus apud Lucam repetit. Vide Hieremiæ uigesimūsecundū caput & Ezechielis, trigesimūquartū caput. Vnde ex Sion expectabatur lex alia quàm ex Sion prodiret, & uerbum domini uenturum ex Hierusalem, Esa. 2. & Micheæ 4. Quod est euangelium gloriæ magni dei, quod in Iudæa à Christo cœptum prædicari, exiuit per Apostolos in omnem terram, & in fines orbis terræ: ut sicut carnaliter sibi subdiderat Dauid pater eius gentes 2. Regum octauo capite & decimo. Ita & hic filius eius non solum Iudæorum esset rex, sed & gentium, quotquot suo uerbo sibi subacturus esset.

Zion modo sunt credentes & dicuntur Hierusalem, templum, sacerdotium, regnum spiritus in cordibus credentium, sacrificia, lex uiua, semen Abrahæ & Israelis, Iudæi in spiritu, gens saucta, populus & peculium dei. Suscitauit enim iam deus de lapidibus filios Abrahæ hæreditatem & possessionem sibi. Sic in spiritu hæc uocabula accipi sæpe uidemus in Psalmis & in prophetis. Vide Esa 43. & 49.

Zion igitur mons ille, sæpe ecclesiam fidelium denotat, cuius umbra fuit illa prisca Hierusalem, Psalmo secundo. Ideo Sion, Hierusalem est in scripturis, Psalmo quinquagesimo. E Sion species decoris eius. Et Psalmo quadragesimooctauo. Lætetur mons Sion. Mons Sion, ecclesia fidelium seu credentium est, quæ in Christo, qui mons montium à prophetis appellatur, fundata, in diuinarum rerum speculatione continue uersatur. Zion mons, fidei imago. Psal. 65. Te decet hymnus deus in Zion.

¶ *Zizania* uocatur in scripturis præcipuè Matth. 13 humanæ traditiones, humana doctrina, impia & pernitiosa hæretica q; scientia dei, seu doctrina, humana sapiētia. Græci æran siue thyaron, Latini appellant loliū. Talis corrupta doctrina zizania merito uocari debet, & quod inimicus ea, dormientibus episcopis imò autoribus, in sementem dei iecerit.

Zizania quoq; apud Matthæum quum dicit, quod non sit eradicanda, intelligit non tantum falsum cultum dei, & id genus impietatem, sed filios diaboli, homines malos scilicet & falsos Christianos, quos non iubemus extirpari, sed abominationem in cultu & doctrina prohiberi debere docemus.

FINIS.

AVGVST. LIB. DE ESSENTIA DIVINITATIS.

OMnipotẽs deus pater & filius, & ſpiritus ſanctus unus atq; trinus, unus uidelicet in natura, trinus uerò in perſonis, ſolus: inuiſibilis, ſolus immenſus atque incomprehenſibilis, ſolus incircũſcriptus, ſolus immutabilis, incorporeus, & immortalis: ubiq; præſens, ſed latens: ubiq; totus, ſed immenſus.

¶ Inuiſibilis eſt, quia eſſentia ſua uideri omnino non poteſt, Apoſtolo atteſtante, qui ait. 1. Timoth. 6. Quem nullus hominũ uidit. & in euangelio Ioan. cap. 1. Deum nemo uidit unquàm.

¶ Incorporeus eſt Deus, quia nullis membrorum liniamentis compoſitus, ſiue compactus exiſtit. Sicut ueritas in euangelio ait, Io. 4. Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in ſpiritu & ueritate oportet.

¶ Immenſus eſt, quia quantitas eius uel qualitas à nullo ex creaturis metiri poteſt.

¶ Incircumſcriptus eſt, quia circumſcribi nullo modo poteſt.

¶ Illocalis, quia à loco ad locum alium nequaquam tranſit.

¶ Immutabilis eſt, quia mutari omnino ab eo quod eſt, non poteſt, ipſo dicẽte per Malachiam prophetam: Ego Dominus & non mutor. Ideo autem Deus immutabilis dicitur, quia in natura eius, ira, furor, pœnitentia, obliuio, recordatio, & alij his ſimilia nullo modo accidunt.

¶ Immortalis, quia mori nullo modo poteſt. Vbicunq; autem ſacra ſcriptura ſparſim per diuinos libros motus in deum, animæ, ſeu humana membra deſcribit: id eſt, caput, capillos, oculos, & cætera. Et alia his ſimilia non carnaliter iuxta hiſtoriam à recte intelligentibus, ſentienda ſunt, ſicut à Iudæis & pleriſq; hæreticis carnaliter ſapiẽtibus, qui Deum corporalem ac localem opinantur, ſed ſpiritualiter omnia de eo intelligenda & confitenda ſunt. Si quis autem in deum humana membra, ſeu motus animæ more humano ineſſe credit, proculdubio in corde ſuo idola fabricat. Igitur ut dictum eſt figuraliter in Deo caput cum legimus, ipſam eſſentiam diuinitatis eius, quæ omnia præcedit, & cui omnia ſubiecta ſunt, intelligere debemus.

¶ Capillos uerò capitis eius, ſanctos angelos, ſeu uniuerſos electos typice accipi oportet. Vnde Dan. 7. Aſpiciebam donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit. Veſtimenta eius quaſi nix candida, & capilli capitis eius quaſi lana mũda. Hoc enim ſignificatur per ueſtimentum eius, candidum, quod & per capillos capitis eius, ſanctos uidelicet angelos, & multitudinem ſanctorum dealbatorum.

¶ Oculos habere dicitur deus, eo quod omnia uidet, & nihil eum latet, in cuius conſpectu, ut ait Apoſtolus, Nulla creatura inuiſibilis eſt. Hebr 4. Omnia enim nuda & aperta ſunt oculis eius. Aliter uerò Oculi domini reſpectus gratiæ eius intelligitur, ut eſt illud in Pſal. 13. Oculi domini ſuper iuſtos. Item aliter Oculi domini præcepta eius, per quæ nobis lumen ſcientiæ ſubminiſtratur, myſticè accipiuntur, Pſalmo 18. Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.

¶ Palpebræ domini, occulta atq; incomprehenſibilia iudicia eius, ſiue ſpiritualis in diuinis libris locutio innuitur. De quibus in Pſalmo ſcriptum eſt: Palpebræ eius interrogant filios hominum: id eſt, probant.

¶ Aures habere dicitur deus, propter quod omnia audit, & nihil illum ſub ſilentio latet. Sap. 1. Auris cœli audit omnia. ¶ Nares dei, inſpiratio eius in corda fideliũ, 2. Reg. 22. Aſcẽdit fumus de naribus: id eſt, lachrymoſa cõpũctio pœnitẽtis p inſpiratione illi⁹.

¶ Facies Dei, eſt cognitio Deitatis eius ad homines, Pſalm. 79. Oſtende nobis domine miſericordiam tuam, & ſalutẽ erimus. Hoc eſt, da nobis cognitionem tuam, quæ cognitio hominibus per filium innotuit. Aliter uerò facies dei ſignificat inuiſibilem eſſentiam diuinitatis filij dei. De qua ipſe ad Moſen per angelum reſpondens, ait: Exodi 33. Poſteriora mea uidebis, faciem autem meam uidere non poteris. Ac ſi diceret, incarnationẽ meam uidebis nouiſſimis diebus, diuinitatem autem meam uidere non poteris.

¶ Os Dei, filius dei patris: id eſt, Chriſtus Dominus. De quo Hier. Thren. 1. ex perſona Iudæorũ effatus, ait: Quia os eius ad iracundiã prouocauimus. Aliter uerò, os Domini,

mini, sermo Domini siue iussio eius accipitur, Esa. 18. Os domini loquutum est.

¶ Verbum Dei, est filius dei patris, per quod omnia facta sunt. De quo in Psal. Verbo domini cœli firmati sunt. Misit uerbum suum, & sanauit eos.

¶ Lingua Dei mysticè significat spiritum sanctum per quem deus pater secretum suum hominibus manifestauit. Vnde Psalm. 44. Lingua mea calamus scribæ, uelociter scribentis, &c.

¶ Labia Domini, utriusq; Testamenti consonantia intelliguntur. De quibus duobus testamentis in Prouerb. 16. scriptum est: Diuinatio in labijs eius, in iudicio non errabit os eius.

¶ Brachium Dei patris, singulariter eius filius accipitur. De quo Hiere. 32. ad ipsum ait. Et nunc domine deus meus, qui eduxisti populum tuum de terra Ægypti in manu forti, & brachio extento. Idcirco autem filius dei, patris brachium eius dicitur, quia omnis creatura electa ab ipso continetur.

¶ Dextera Dei patris: id est, unigenitus filius eius accipitur. De quo in Psal. 117. ex persona hominis sumpti: Dextera, inquit, domini fecit uirtutem: Dextera dñi exaltauit me: Aliter autem Dextra domini gloriam patris significat, id est, æternam beatitudinẽ Psal. 109. Sede à dextris meis. Dicitur autem dextra dei, etiam omnis electa creatura in cœlo & in terra: sicut & per sinistram eius intelligitur reproba creatura, id est, dæmones & omnes impij.

¶ Manus dei patris, filius accipitur pro eo quod per ipsum facta sunt omnia. Aliter uerò manus dei potestas eius intelligitur. De qua potestate in lib. Hieremiæ scriptum est Hie. 18. Sicut lutum in manu figuli, ita uos in manu mea domus Israel. Iterum, Manus domini flagellum ipsius accipitur, Soph. 1. Et extendam manum super Iudam & Hierusalem, Iob. 19. Manus Domini tetigit me.

¶ Digitus Dei singulariter spirirus sanctus accipitur, à quo spiritu sancto lex in duabus tabulis lapideis in monte Syna scripta narratur. Lucæ. 11. Si ego in spiritu dei eijcio dæmonia.

¶ Digiti uerò pluraliter sancti intelliguntur prophetæ, per quos spiritus sanctus libros legis ac prophetarum sua inspiratione descripsit, Psal. 8. Videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum. Per cœlos, libros legis & prophetarum: per digitos, sanctos prophetas accipimus.

¶ Imago Dei patris inuisibilis, unigenitus est filius eius. De quo ait Apost. ad Coll. 1. Qui est imago Dei inuisibilis.

¶ Cor Dei Patris arcanum sapientiæ eius mysticè innuit: ut Psal. 44. Eructauit cor meum uerbum bonum.

¶ Alas habere dicitur deus, pro eo quod amore auis electos suos tanquàm pullos sub se colligit, & fouet Psal. 4. Sub umbra alarum tuarum protege me.

¶ Scapulas habere dicitur deus, quia infirma membra patienter quasi in scapulis suis portat, & portando protegit. Psal. 90. Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis eius sperabis.

¶ Venter Dei patris, secreta origo substantiæ uel scientiæ eius accipitur, Psal. 109. Ex utero ante lucriferum genui te. Aliter uterus dei incomprehensibilia & occulta iudicia eius mysticè insinuat.

¶ Posteriora filij Dei, incarnatio eius accipitur, Exod. 33. Posteriora mea uidebis.

¶ Pedes Dei, stabilimentum uirtutis ac potentiæ eius sunt, eò quod ubiq; præsens sit, & uniuersa illi sint subiecta, Esa. 66. Cœlum mihi sedes. Aliter sicut enim per caput ut dictũ est, diuinitas, ita & per pedes figuraliter humanitas eius exprimitur, Psal. 8. Omnia, inquit, sub pedibus eius, oues & boues uniuersas. Aliter per pedes domini Iesu Christi signati sunt sancti prædicatores, de quibus Deut. 33. Qui appropinquat pedibus eius, accepient de doctrina eius.

¶ Vestimentum filij dei, aliquando caro eius, quæ à diuinitate assumpta est, accipitur, Esa. 36. Quis est iste qui uenit de Edom tinctis uestibus de Bosra. Rursum uestimẽta eiusdem dñi sancta accipitur ecclesia, quæ per fidem & dilectionẽ ei cõiuncta est.

¶ Palliũ dei, antedicta ecclesia recte intelligit, Gen. 49. Lauabit in uino stolã suã: hoc est, in sanguine passionis carnẽ suã, et in sanguine uuæ palliũ suũ: id est, Ecclesiam.

¶ Calciamenta dei mysticè significant incarnationem suam, quam ex mortalitate

humani generis assumere dignatus est, Psalm. 59. In Idumæam extendam calciamentum meum: id est, plebi gentium manifestabo incarnationem meam.

¶ Gressus Domini, aduentus filij dei in mundū est, & regressio eius ad patrē. De quibus gressibus Psal. ait 67. Visi sunt gressus tui deus, ingressus dei mei, qui est in sancto.

¶ Ascendere deus dicitur, cum filius dei carnem de nobis assumptam in cœlum uelut captiuam duxit, Psal. 67. Ascendit in altum, captiuam duxit captiuitatem.

¶ Abscondere faciē suam deus legitur, cum quibusdā reprobis eorū exigentibus culpis, cognitionem suam abscondit, sicut in populo Iudæorū nunc implerū uidemus, &c.

¶ Ostendere dicitur faciē suam Deus, cum respectu gratiæ fuæ quibus uult electis scilicet suis, seipsum in corda eorum occulta inspiratione insinuat, & ad diligendum se amorem suum infundit.

¶ Sedere dicitur Deus, non corporaliter humano more, sed potentialiter super omnem creaturam rationalem præsidere. Psalmo 46. Regnabit dominus super gentes, Deus sedet super sedem sanctam suam. Sedere etiam Dominus dicitur super Cherubin, quod interpretatur plenitudo scientiæ, siue multitudo, per quod significantur sancti angeli, siue mentes spiritualium uirorū in quibus deus inuisibiliter præsidet & regnat. In illis ēm sedet, qui scīētia ei⁹ & dilectiōe pleni sunt. In Pro. Anima iusti sedes est sapiētiæ.

¶ Descendere Deus in mundum legitur: quando aliquid nouum quod antea non fuerat in creatura humana operatur, sicut Dei filius descendisse narratur: quando ueram carnem ex Maria uirgine suscepit propter redemptionem nostram. De cuius descensione: hoc est incarnatione, Psalmo decimoseptimo: Inclinauit cœlos & descendit, & caligo sub pedibus eius cœlos inclinauit, quia ante aduentum suum prænuncios angelos siue prophetas misit, qui eius aduentum hominibus nunciarent. Caligo sub pedibus eius fuit, quia impij homines à sua malicia excæcati, eius incarnationem cognoscere non potuerunt, sed neq; nunc possunt.

¶ Stare deus dicitur, cum infirmōs: id est, creaturā suam ad pœnitentiam conuersatione uitæ patienter sustinet. Abac. 3. Stetit & mensus est terram, & dissoluit gētes, id est, stetit ad subueniendum, & dissoluit à peccatorum uinculis.

¶ Transire dicitur deus, cum à cordibus quorundam hominū, in quibus ante per fidem inhabitare credebatur, postea surrepente perfidia, uel quolibet delicto, ab his recedit, & ad alios transit, quemadmodum à Iudæis ad gentes, & de hæreticis ad catholicos, quod non localiter aut uisibiliter, sed inuisibiliter occulto iusto'que iudicio facere consueuit.

¶ Ambulare dicitur deus, non de loco ad locum transeundo, quod impiū est ita credere, sed deambulatio eius est, in cordibus sanctorum delectari, sicut scriptum est, Et inhabitabo in eis, & inambulabo, & ero illorum dominus. vel certè Ambulare dei, est in sanctis prædicationibus suis de loco ad locum transire.

¶ Loqui dei, est inuisibiliter sine sono uocis, uel quolibet strepitu occultè in mētibus sanctorum uoluntatem suam atque rectum intellectum inspirare, seu futura, sicut sanctis prophetis reuelare. Quæ locutio oris dei, ut quidam uolunt, tribus modis accipitur. Primo nanque modo per subiectam creaturam sicut ad Mosen cum in rubo & igne apparuit, uel sicut ad Abraham, Iacob, siue ut iam dictum est Mosen & cæteros sanctos quibus uoluit in angelis apparere. Secūdo modo in somnijs, sicut ad Iacob & ad Zacharam prophetam, & ad Ioseph uirum Mariæ, & ad alios sanctos quibus uoluit secreta reuelare. Tertio autem modo, neque per creaturam uisibilem, neque per somnium: sed occulta tantum inspiratione, inuisibiliter corda sanctorum tangendo loquentes efficit, quemadmodum in libro prophetarum legitur cum ipsi prophetæ diuino subito afflati spiritu exclamabant, dicentes: Hæc dicit Dominus.

¶ Videre dei, est acta bona approbare, sicut illud in Gen., Vidit deus cuncta quæ fecerat, & erant ualde bona: id est, intelligentibus bona esse demonstrauit. Aliter uidere Dei, est mala hominum sciendo reprobare, sicut & illud in Esaia 59. Et uidit Dominus, & apparuit malum in oculis eius. Item aliter uidere dei est, nos uidentes: id est, scientes facere, Psalm. 138. Proba me domine & scito cor meum, &c. Et uide si uia iniquitatis in me est, Iob 28. Tunc uidit illam & narrauit, & inuestigauit: id est, uidentes fecit atq; prædicantes, & inuestigantes, atq; alijs annunciantes.

Cognoscere dei, est cognoscentes facere, sicut ait ipse ad Abraham Geneseos 22. Nunc cogno-

cognoui quod timeas dominum. Neq; enim ille ex tempore nouit qui scit omnia ante quàm fiant. Sed cognoscere deus dicitur, cognoscentes facere, ut qui prius de se quales essent incogniti erant per eius interrogationem: id est, probationem sibimetipsis manifesti fierent. Tale est & illud in lege Mosi de populo Israelitico. Deut. 13. Vt tentem, inquit, eos, utrum custodiant mandata mea, an non.

¶ Nescire dei, est quosdam reprobos reprobare, sicut in euangelio Luc. 13. Nescio uos unde sitis, recedite à me qui operamini iniquitatem.

¶ Zelare dicitur deus, cum creaturam suam quam nõ uult perire sæpe castigat, corripit atq; flagellat, & flagellando ad se reducit: uel certè zelare deus dicitur, cum nullum peccatum impunitum uult relinquere.

¶ Irasci dicit deus, nõ animi motu uel qualibet perturbatiõe, quæ illi omnino accidere non potest, sed creaturæ delinquenti: id est, hominibus impijs & peccatoribus iustam inferre dicitur ultionem, hoc est enim illis reddere quod merentur, & sic ultio diuina, & ira & furor eius dicitur. Pœnitentia dei dicitur, rerum in eius potestate cõstitutarum hominibus inopinata mutatio.

¶ Pœnitere deus dicitur, non quod more hominũ, pro transactis operibus suis pœnitear. Qui enim omnia nouit antequam fiant, pro præteritis factis suis pœnitere non potest. Sed pœnitentia dei est statuta mutare, ut quod prius aliter inchoatũ fuerat, in aliud mutare: id est, aut de bono exigentibus culpis in malum: sicut de Saule legitur pœnituisse dominum quod constituit eum regem. Hanc uerò mutationem de bono ad malum, siue de malo ad bonum, quæ occulto iusto; iudicio dei, seu per seueritatem iustitiæ, seu per misericordiam eius fiat, pœnitentiam dei dicimus.

¶ Non pœnitere dei, est statuta nullo modo mutare, ut est illud Psal. Iurauit dominus & non pœnitebit eum: id est, pater ad filium: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Sacerdos patris dictus est filius dei, non secundum diuinitatem, sed propter humanitatem, in qua se pro nobis per passionem & mortem suam acceptabile sacrificium deo patri obtulit, ut ipse esset sacerdos, qui & sacrificium.

¶ Obliuisci dicitur deus, cum quibusdã impijs & peccatoribus non miseretur, quod utiq; non facit per crudelitatem, quæ in deo non est, sed per occultum iustumq; iudicium suum.

¶ Indurare deus dicitur quorundã corda, sicut de Pharaone scriptum est, nõ quod omnipotens deus per potentiam suam corda eorum induret, quod est impium ita credere: sed exigentibus eorum culpis cum duriciam cordis quam ipsi sibi mala perpetrando nutriunt, non aufert, quasi ipse eos induret, quia iusto iudicio indurari finit.

¶ Dormire dei est, cum unigenitus filius patris in assumpta carne pro nobis mori dignatus est. Cuius mors recte dulcis somnus prædicatus est. Aliter dormire dicitur deus, cum fides eius inter prospera huius mundi in quorundam fidelium corda non uigilat, sed dormit. Hanc dormitionem saluator noster in se significauit. Matth. 8. cum in naui inter fluctus maris dormiuit. Vel certe dormire Dei, est electis suis in tribulationibus huius mũdi positis tardius subuenire. Psal. 43. Exurge quare obdormis domine.

¶ Vigilare dei, est in defensionem electorum suorum, & in ultionẽ inimicorum suorum se manifestum demonstrare. Hæc omnia quæ prædicta sunt, & alia his similia quæ de deo, iuxta historiam sacra scriptura narrat non secundum literam, sed figuratiua locutione accipienda sunt: quia omnipotens deus in essentia diuinitatis suæ spiritus est, non caro, inuisibilis atque incorporeus nullisq; humanis membris compositus est. Et idcirco non de oculis carnis, sed de oculis cordis contemplãdus est.

Beati mundo corde, quoniam ipsi deum uidebunt. Videre enim deum est rectè in illum credere, & ex corde illum diligere.

AFFE-

AFFECTVS HVMANOS, MEMBRA HVMANA, ET ea quæ propria corporum sunt, quo pacto deo attribuuntur.

QVO pacto autem deo incorporeo affectus, & humana membra tribuantur scribit Origenes Homilia.3. super Gen. Quoniam in multis diuinæ scripturæ locis deum legimus ad homines loqui, & propterea hoc Iudæi quidem, sed & nostrorum nonnulli deum quasi hominem intelligendum putauerunt: id est, humanis membris, habituq; distinctū: philosophi uerò uelut fabulosa hæc, & ad poeticorū similitudinē figmentorum formata despiciūt: uidetur mihi de his primo paucis sermocinandum, & hinc ad ea, quæ recitata sunt, ueniendum. Primo ergo ad eos fit sermo, qui foris positi, arroganter nos circumstrepunt, dicentes, ex celso illi, & inuisibili, atq; incorporeo deo non conuenire, ut humanis utatur affectibus. Si enim loquendi, inquiunt, ei datis usum, sine dubio dabitis & os, & linguam, cæteraq; membra, quibus loquendi expletur officium. Quod si fit, recessum est ab inuisibili, & incorporeo deo, & multa his similia nectentes, nostros fatigant. Ad hæc ergo, si precibus uestris iuuemur, prout dominus dederit, breuiter occurremus. Nos sicut incorporeum esse deum, & omnipotentem, & inuisibilem profitemur: ita eum curare mortalia, & nihil absque eius prouidentia geri, neq; in cœlo, neq; in terris, certo & immobili dogmate profitemur. Memento quia nihil sine prouidentia eius geri diximus, non sine uoluntate. Multa enim sine uoluntate eius geruntur, nihil sine prouidentia. Prouidentia nanq; est, qua procurat, & dispensat & prouidet quæ geruntur. Voluntas uerò est, qua uult aliquid, aut non uult. Sed de his aliàs. Longior enim est, & diffusior iste tractatus. Secundum hoc ergo quod prouisorem omnium, & dispensatorem profitemur deum, consequens est, ut quid uelit, uel quid hominibus expediat, indicet. Si enim non indicet, nec erit prouisor hominis, nec creditur curare mortalia. Indicans igitur deus hominibus, quæ eos agere uult, quo potissimum affectu dicēdus est indicare? Nonne eo, qui hominibus in usu, & notitia est? Si enim (uerbi causa) dicamus quia filet deus, quod naturæ illi conueniens creditur, quomodo indicatum esse aliquid ab eo putabitur per silentium? Nunc autem idcirco loquutus dicitur, ut scientes homines hoc ministerio uoluntatem alterius alteri innotescere, agnoscant ea, quæ sibi per prophetas deferuntur, Dei esse uoluntatis indicia. In quibus utiq; non intelligitur uoluntas dei contineri, nisi ea locutus dicatur, quia nec sentit, nec intelligitur inter homines indicari usquam posse per silentium uoluntatem. Sed hæc rursum non secundum errorem Iudæorum, uel etiam ex nostris nonnullorum, qui cum illis errant, eatenus dicimus, ut quoniam humana fragilitas aliter audire de deo non potest, nisi ut sibi res ipsa, & uocabula nota sunt, idcirco etiam membris hæc nostris similibus, & habitu humano deum agere sentiamus. Alienum hoc est ab ecclesiastica fide. Sed hoc ipsum, quod uel aspirat in corde uniuscuiusq; sanctorum, uel sonum uocis peruenire ad aures eius facit, loquutus hominī deus dicitur: sic & quum nota sibi esse indicat, quæ unusquisq; uel loquitur, uel agit, audisse se dicit. Et quum aliquid iniustum geri à nobis indicat, irasci se dicit. Quum beneficijs suis ingratos nos arguit, pœnitere se dicit, indicans quidem hæc his affectibus, qui hominibus in usu sunt. Simplex namq; est illa substantia, & neq; membris ullis, neque compaginibus, affectibusq; composita: sed quicquid diuinis uirtutibus geritur, hoc ut homines possent intelligere, aut humanorum membrorum appellatione profertur, aut communibus, & notis annunciantur affectibus. Et hoc modo uel irasci, uel audire, uel loqui dicitur deus. Nam si uox humana aeris ictus, id est lingua repercussus dicitur, potest & uox dei aeris ictus, uel ui, uel uoluntate diuina. Et inde est, quod si quando uox diuinitus datur, non ad omnium aures, sed ad quorum interest, auditur, ut agnoscas sonitum, non linguæ pulsu redditum, alioquin fieret communis auditus, sed superni nutus moderamine gubernatum, quanquàm prophetis sæpe, & patriarchis, cæterisq; sanctorum, etiam sine uocis sono uerbum dei factum esse referatur, sicut ex omnibus sacris uoluminibus abundanter docemur. In quo, ut breuiter dicam, illuminata mens per spiritum Dei formatur in uerba. Et ideo siue hoc, siue illo quo suprà diximus, modo, quum uoluntatem suam indicat, loquutus esse dicitur.

Idem

¶Idem Origenes homilia octaua super Exodum, exponens illud, Deus zelans, &c. Vide, inquit, benignitatem Dei, quomodo ut nos doceat, & perfectos faciat, ipse fragilitatem humanorum non recusat affectuum. Quis enim audiens deum zelantem non continuò moretur, & humanæ fragilitatis uitium putet? Sed omnia propter nos agit & patitur deus: & ut possumus edoceri, notis & usitatis affectibus nobis loquitur.

¶ In libro quarto contra Celsum, idem Origenes hoc pacto scribit: Sed quum Celsus minus intelligat, inquit, quæ de deo pro humanis affectibus exprimũtur, carpit hæc planè, & cauillatur, & ea præcipuè in quibus & iracentium uoces in impios & in peccatores comminationes eduntur. Dicendum erit quòd quemadmodum ipsi, ubi cum pueris minutioribus oborta nobis est disceptatio, non nostras dicendi uires attendimus, sed illorum imbecillitati nos ipsos accommodãtes, non solum his consentanea fabulamur, sed ea etiam facimus, quæ ad puerorum uidentur emendationem sat facere, & illis non parum conducere: sic item & dei uerbum uidetur, quæ scripta sunt, dispensasse pro audi torum & uiribus & utilitate dimetiendo, quæ decenter denunciarit. Quemadmodum uerò quæ ad deum spectant, denuncientur, in Deuteronomio sic proferuntur: Portauit te dominus deus tuus, ut solet homo gestare paruulũ filium suum. Quasi humanos mores deo sacra scriptura imponit, ut hominibus conferant. Non enim erat multis necesse, ut deus personam sibi effingeret, ut pro eius dignitate istos alloqueretur. Sed quibus curæ est sacras literas apertiores efficere, comperturi proculdubio sunt spiritalia spiritalibus nunciari, ubi sic dictorum sensu contulerint, ut quæq; uel ad infirmiores habentur, uel ad solertiores quosdam denunciatur, & ita ut in una sæpe & eadem dictione id utrunq; inesse ei appareat, qui audire hanc nouerit. Iram igitur Dei nos dicimus, non tamen irasci illum asseueramus, ut usurpatum id esse, ut qui permulta commiserint, castigentur, dum grauiter & trucius arguuntur. Quod autem Dei ira, dum nuncupatur, uel ubi dicitur furor, castiget, id'q; diuinæ doctrinæ perlibeat, ex eo liquet, quod in sexto Psalmo sic dicitur, Domine, ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me. Et item in Hieremia, Corripe me domine, sed in iudicio, & non in furore. Qui uerò in libro Regum secundo, dei iram perlegerit, Dauid ipsi persuadentem, ut populum suum recenseat, & in Paralipomenon primo, diabolum, & inuicem istorum dicta examinando expendat: planè uidebit qua in re sit ira hæc constituta, cuius & filios Paulus homines omnes redditos esse affirmat, sic inquiẽs: Eramus olim filij iræ sicut & cæteri. Quod autem non ira deus afficiatur, sed singuli delinquẽdo sibi hanc uendicent, Paulus idem in his patefecit, Num diuitias bonitatis eius & patientiæ & magnanimitatis cõtemnis? Ignoras quoniam bonitas dei te ad pœnitentiam ducit? Secundum aũt duriciem tuam & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij dei. Verũ quo pacto quis poterit in die iræ iram sibi thesaurizare, si iram pro affectu animi quodam, & passiõe acceperis? Vel quomodo quiuerit iræ affectio hæc castigare? Non enim uel sacra dicta, quæ minime iracundum esse commonefaciunt, & in sexto iniũgunt & trigesimo Psalmo, Desine ab ira, & relinque furorem. & in Paulo illud edicunt, Deponite & uos omnia, iracundiam, furorem, odium, blasphemiam, turpiloquium, hunc iræ affectum deo accommodassent, à quo nos prorsus uelit eximere. Liquet sanè de ira hac dei fuisse tropologice explicatum, quando & de eius somno id literis proditur. Prophe ta nanq; ueluti è somno hunc excitans: Surge, inquit, quid dormis domine? Et rursum, Et surrexit tanquam dormiens crapulatus à uino. Si itaq; hoc loco aliud quippiam somnus iste designat, & non id quod in promptu ex dictione accipitur, cur non item & ira intelligatur, & comminationes insuper ea prætendant, quæ denuncientur his occursura, qui praue uitam hanc degunt? nec secus ac si & comminari quis diceret medicum, quum ægro illud inclamat, præcidam te equidem, & inustiones mox adigam, si meis legibus minus obtemperaueris, uel ab his illisue haudquaquam abstineas, uel te non ita ut iniũxero gesseris? Non itaq; humanos affectus deo annectimus, nec impie de eo sentimus, neq; errore aliquo ducti sacris adinuicem scriptionibus examinatis, quæ de Deo narrantur, proferimus. Nec sanè aliud est illis propositum, qui diuinam hanc prædicant disciplinam, nisi pro sua uirili, ut auditores à stultitia uindicent, & sapientiores efficiant.

FINIS.

ERRATA.

¶ Pagina 51, anima. Ibidem, ſuam. 61, hæreditatum. 62, uitiatus. 67, uoce. 68, uegetat. 69, animam. 74, repentino. 75, mori. 78, frigus. ibidem, palmæ. 89, iudicare. 91, iudicia. 91, ulli. 102, hominem. 94, cum. 95, ægyptij. 103, qua. 104, cauto. ibidem, polluros. 106, captus. 112, concidere. 113, iudicare. 114, celeuſma. 116, apertas. 124, conſpuere. 126, uoluit. 128, domino. 133, culmum ſeu unguem. 134, defecatorum. 137, detectum. 145, uos. ibidem, incolarum. 195, iudicare. 147, permittere. 148, deo. 153, paſcuis. 158, deos. 167, facie. 171, peius. 180, iudicia. 181, greſſuum. 186, uos. ibidem, ſacrificia. 189, celeuſma. 196, ſuam. 203, uotum. 206, inimici. 207, unde. 208, iudicium. 228, ablatiuis. 234, rancorem. 236, fuit. 240, mittam. 241, cauebitis, cauetis, cauere. 223, nomen. 241, & Baſilius Magnus de inſtitutis monachorum. ibidem, fiant filij. 243, externum. 244, exhauriantur. 249, uſurpatur. 255, mouent. 261, cunctis. 265, pro integritate ſiue fide. 266, cubat. 272, canit. 275, multiplicitatis. 276, penſatio. 284, uetus. 288, meritas. 295, neqꝫ. 310, facierum. 320, Sinai. 323, uocum. 330, iudicium. 334, pernicitate. 342, quoties. 348, onus leuare. 349, uno. 351, iniurijs. 354, erumper. 355, conſtrictius. ibidē, proprie. 356, quomodo. 364, ut. 373, illuſio. 381, ad populum. ibidē, uobis. 396, reſipiſcēdi. 403, ſimiliter. 427, cautio. 431, ueſtimentum ſcindere. 437, ſenum. 446, improperij. 447, ſubdolæ. 449, obruto. ibidem. ſtercus, 455, altrix. 457, columna. 463, ſurgere. 468, deam. 293, nationes. 439, concedat. 445, pacata. 478, concutitur. 480, intelligi. 482, malorum. 493, ſunt. 495, cogitationes. 510, fucis. 494, pacis. 501, cogitur. 164, iuri 502, hoſtiarum. 504, peruicaciter. 514, filius. 517. cupiunt.

†. A B C. D E. F. G. H. I. K. L. M. N. O. P. Q. R. S. T. V. X. Y. Z.
AA. BB. CC. DD. EE. FF. GG. HH. II. KK. LL. MM.
NN. OO. PP. QQ. RR. SS. TT. VV. XX. YY.
Omnes terniones. Sed † & YY,
ſunt quaterniones.

BASILEÆ, PER IOANNEM
HERVAGIVM, ANNO
M. D. LI.